


70/ℓ. Nro: 12798.

Ex libris

Josephi Sedlmayr Cancel: Fris:

CONCILIA GERMANIÆ,

QUÆ

CELSISSIMI PRINCIPIS

JOANNIS MAURITII,

ARCHI-EPISCOPI PRAGENSIS

SUMPTU

CL. JOANNES FRIDERICUS SCHANNAT

MAGNA EX PARTE PRIMUM COLLEGIT,

ad Canon. DEIN Neustift

P. JOSEPHUS HARTZHEIM S. J.

EJUSDEM CELSISSIMI IMPENSIS

PLURIMUM AUXIT, CONTINUAVIT,

NOTIS, DIGRESSIONIBUS CRITICIS, CHARTA, ET PRÆFATIONE CHOROGRAPHICIS

ILLUSTRAVIT.

Josephus Abbas

TOMUS III.

AB ANNO M. AD MCCXC.



COLONIÆ AUGUSTÆ AGRIPPINENSIUM,

TYPO VIDUÆ JOAN. WILHELMI KRAKAMP, ET HÆREDUM CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolarum.

ANNO MDCCLX.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

REVERENDISSIMO. CELSISSIMO.
DOMINO. DOMINO.


JOANNI.
MAURITIO.
GUSTAVO.

DEI. GRATIA. ARCHI-
EPISCOPO. PRAGENSI.
SEDIS. APOSTOLICÆ. LEGATO. NATO.
S. ROMANI. IMPERII. PRINCIPI.
COMITI. DE. MANDERSCHEID-
BLANCKENHEIM.
ET.
GEROLDSTEIN.
LIBERO. BARONI. IN. JUNCKERATH.
DOMINO. IN. BETTINGEN. DAUN. ET. ERP.
UTRIUSQUE. SACRÆ. CÆSAREÆ. NEC. NON. GERMANIÆ.
HUNGARIÆ. ET. BOHEMIÆ. REGIÆ. MAJESTATIS.
CONSILIARIO. INTIMO. ACTUALI.
INCLYTI. REGNI. BOHEMIÆ. PRIMATI.
ECCLESIARUM. METROPOLITANÆ. COLONIENSIS. ET.
CATHEDRALIS. ARGENTINENSIS. RESPECTIVE.
PRÆPOSITO. SENIORI. AC. THESAURARIO.
ILLUSTRIS. ECCLESIÆ. COLLEGIATÆ. AD. S. GEREONEM.
PARITER. PRÆPOSITO.
NEC. NON. UNIVERSITATUM. COLONIENSIS. ET. CAROLO-FERDINANDEÆ. PRAGENSIS.
CANCELLARIO. PERPETUO. ET. PROTECTORI. &c. &c.

TOMUM TERTIUM D. D. C.

Servus deditissimus

JOSEPHUS HARTZHEIM S. J.



FACULTAS Rev. P. PROVINCIALIS
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.



CUm Vidua Joannis Wilhelmi Krakamp, & Hæredes Christiani Simonis, Bibliopolæ Colonienſes, typis vulgare deſiderent Tomum tertium *CONCILIORUM GERMANIÆ, à P. Joſepho Hartzheim, Societatis noſtræ Sacerdote, elucubratum;* Ego infra ſcriptus, ejusdem Societatis in Provincia Rheni Inferioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab Adm. Rev. P. N. LAURENTIO RICCI, Univerſæ Societatis JESU Præpoſito Generali, Iisdem ad primam hanc duntaxat prædicti Tomi editionem facultatem impertio; ſimulque communico Jus Privilegii Cæſarei, quo Bibliopolis ac Typographis interdicitur, ne quis Librum ullum à Societatis noſtræ Patribus conſcriptum, citra conſenſum Superiorum recudere, aut alibi recuſum intra fines S. R. Imperii inferre præſumat. In cujus rei fidem has iis manu propria ſubſcriptas, ac conſueto officii mei Sigillo munitas dedi. Coloniæ 17. Novembris 1760.



Hieronymus de Wymar S. J.
mpp.

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS CONCILIORUM GERMANIÆ ET EPISTOLARUM AD CONCILIA PERTINENTIUM, TOMI III. AB ANNO CHRISTI M. AD MCCXC. CUM NUMERO CANONUM, ET EPITOME ACTORUM.

Annus Christi — PROLEGOMENA — *Paginæ*

soli

1180.

Annus Christi. *Pag.*

Annus Christi. *Pag.*

Finis Indicis Chronologici Germaniæ Concilior. Tom. III.

INDEX ALPHABETICUS
CONCILIORUM GERMANIÆ
TOMI III.

Item eorum, quæ pro, aut de Ecclesiis, aut Episcopis Germaniæ extra eam celebrata fuere.

A.



B.

C.

Vige-

Saltz-



CATALOGUS ROMANORUM PONTIFICUM

AB ANNO M. AD MCCXC.

Quorum anni Conciliis Germaniæ præfiguntur.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit vel abiit à Pontificatu.*
Joannes XVII. *Romanus, ante Sicco dictus.*	CXLIII.	Anno Christi MIII. III. Idus Jun.	Menses 5. Dies 25.	Anno Christi MIII. VII. Idus Decembr.
Joannes XVIII. *Romanus, ante Fasanus.*	CXLIV.	MIII. VII. Kalend. Januar.	Annos 5. Menses 5.	MIX. extremo Majo.
Sergius IV. *Romanus, ante Petrus, Episcopus Albanensis.*	CXLV.	MIX. post 17. Jun.	Annos 2.	MXII.
Benedictus VIII. *ex Comitibus Tusculanis, ante Joannes.*	CXLVI.	MXII.	Annos 11.	MXXIV.
Gregorius Antipapa.				
Joannes XIX. aliis XX. *Romanus, frater Antecessoris.*	CXLVII.	MXXIV. post 6. Junii.	Annos 9.	MXXXIII.
Benedictus IX. *Nepos duorum Antecessorum.*	CXLVIII.	MXXXIII. Puer decennis.	Annos 11.	Dejectus primo Anno MXXXVIII. secundo A. MXLIV. & 3tio MXLVIII. Obiit circa MLIV.
Sylvester III. Antipapa, ante, Joannes Savinensis Episcopus.				
Joannes XX. Antipapa.				

Nomen & Natio.	Ordo Successionis à S. Petro.	Adiit Pontificatum.	Sedit in Cathedra Petri.	Obiit vel abiit à Pontificatu.
Gregorius VI. *ante Joannes Gratianus.*	CXLIX.	Anno Christi MXLIV.	Annos 2. Menses 8.	Anno Christi MXLVI. ultro abdicat.
Clemens II. *Saxonicus, Bambergensis Episcopus, Suidgerus.*	CL.	MXLVI. die Natali Domini.	Menses 9. Dies 15.	MXLVII. VII. Idus Octobris.
Damasus II. *Germanus, Brixinensis Episcopus, Poppo dictus.*	CLI.	MXLVIII. XVI. Kalend. Augusti.	Dies 23.	MXLVIII. VI. Idus Augusti.
S. Leo IX. *Germanus, Tullensis Episcopus, ante Bruno dictus.*	CLII.	MXLIX. pridie Idus Februarii. Romæ consecratus.	Annos 5. Menses 2. Dies 17.	MLIV. XIII. Kalend. Maji.
Victor II. *ante Gebehardus, Germanus, Episcopus Aistettensis.*	CLIII.	MLV. Idib. Aprilis. Romæ consecratus.	Annos 2. Menses 3. Dies 15.	MLVII. V. Kalend. Augusti.
Stephanus IX. *antea Fridericus, Lotharingiæ Dux, Abbas Cassini.*	CLIV.	MLVII. IV. Nonas Augusti electus, consecratus III. Non. Aug.	Menses 7. Dies 27.	MLVIII. IV. Kalend. Aprilis.
Benedictus X. Antipapa, post menses X. expulsus.				
Nicolaus II. *Burgundus, ante Gerardus, Episc. Florentinus.*	CLV.	MLVIII. electus V. Kal. Januarii.	Annos 2. Menses 6. Dies 25.	MLXI. XI. Kalend. Maji.
Alexander II. *Mediolanensis, ante Anselmus dictus, Episc. Lucensis.*	CLVI.	MLXI. Kal. Octobr.	Annos 11. menses 6. Dies 21.	MLXXIII. XI. Kalend. Maji.
Cadolaus, dictus Honorius II, Parmensis Episc. Antipapa.				

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit vel abiit à Pontificatu.*
Gregorius VII. *Hetruscus, antea Hildebrandus.*	CLVII.	Anno Christi MLXXIII. electus XXII. Apr. Presbyter die Pentecostes, inthronizatus 29. Junii.	Annos 12. Mensem 1. Dies 3.	Anno Christi MXXCV. 25. Maji.
Guibertus, Ravennas, Antipapa, dictus Clemens III. Obiit 1100.				
Victor III. *Beneventanus, antea Desiderius Cardinal. & Abbas Cassini.*	CLVIII.	MXXCVI. electus IX. Kal. Junii.	Annum 1. Menses 3. Dies 23.	MXXCVII. 16. Septemb.
Urbanus II. *Gallus, antea Otto, Episcopus Ostiensis.*	CLIX.	MXXCVIII. IV. Idus Martii.	Annos 11. Menses 4. Dies 22.	MIC. IV. Kalend. Augusti.
Paschalis II. *Hetruscus, antea Rainerius Cardinal.*	CLX.	MIC. electus Kalend. Septembris.	Annos 18. Menses 5. Dies 7.	MCXVIII. XII. Kalend. Februarii.
Gelasius II. *ante Joannes Cajetanus, Cancellarius.*	CLXI.	MCXVIII. VIII. Kalend. Febr. electus consecratus VI. Id. Martii.	Annum 1. Dies 4.	MCXIX. IV. Kalend. Februarii.
Mauritius Burdinus, Episcopus Bracarensis, Antipapa sub nomine Gregorii VIII.				
Callistus II. *Burgundus, ante Guido, Archi-Episcopus Viennensis.*	CLXII.	MCXIX. V. Idus Februarii.	Annos 5. Menses 10. Dies 12.	MCXXIV. Idibus Decembris.
Honorius II. *Bononiensis, ante Lambertus, Episcopus Ostiensis.*	CLXIII.	MCXXIV. XII. Kalend. Junii.	Annos 5. Mensem 1. Dies 25.	MCXXX. XVI. Kalend. Martii.
Innocentius II. *Romanus, ante Gregorius, Cardinalis.*	CLXIV.	MCXXX. XV. Kalend. Martii electus.	Annos 13. Menses 8. Dies 9.	MCXLIII. VIII. Kalend. Octobris.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit vel abiit à Pontificatu.*

Petrus Leonis sub Anacleti III. nomine Antipapa.
Gregorius sub nomine Victoris IV. Antipapa.

Cœlestinus II. *Tuscus, ante Vido.*	CLXV.	Electus MCXLIII. 26.Septemb. eodem coronatus.	Menses 5. Dies 13.	Anno Christi MCXLIV. 9. Martii.
Lucius II. *Bononiensis, Canon. Regul. S. Augustini.*	CLXVI.	MCXLIV. 12.Martii die Dominica electus, qua & consecratus.	Menses 11. Dies 14.	MCXLV. 25. Februar.
Eugenius III. *Pisanus, Monachus Cisterciensis.*	CLXVII.	MCXLV. 27.Febr. electus, consecratus 4 Mar.	Annos 8. Menses 4. Dies 10.	MCLIII. 8. Julii.
Anastasius IV. *Romanus, Sabinæ Episcopus.*	CLXVIII.	MCLIII. 9. Julii.	Annum 1. Menses 4. Dies 24.	MCLIV. 2. Decembr.
Hadrianus IV. *Anglus, Canonicæ Regul. S. Rufi Abbas.*	CLXIX.	MCLIV. 3. Decembr.	Annos 4. Menses 8. Dies 29.	MCLIX. 1. Septembr.
Alexander III. *Tuscus, ante Rolandus Cancellarius S. R. E.*	CLXX.	MCLX. 7.Septembr. electus, consecratus 20. Septembris.	Annos 21. Menses 2. Dies 23.	MCXXCI. 30. Augusti.

Octavianus, Romanus, primus Antipapa sub Alexandro III. intrusus 1159. Victor IV. dictus. Obiit 1164. Hoc Tom. pag. 394.

Guido, Cremensis, secundus Antipapa, intrusus, dictus Paschalis II. 1164. Obiit 1168. H. T. pag. 394.

Joannes, Abbas Strumensis, tertius Antipapa, intrusus 1168. dictus Calistus II.

Landus, Sitinus, intrusus quartus Antipapa, sub nomine Innocentii III. captus, pœnitens, a vero Papa recipitur ad veniam.

Lucius III. *Lucensis, Episcopus Ostiæ & Veliterni.*	CLXXI.	MCXXCI. 1.Septembr. electus, 6. Septembr. coronatur.	Annos 4. Menses 2. Dies 18.	MCXXCV. 24.Novemb.

SERIES CHRONOLOGICA
REGUM GERMANIÆ, IMPERATORUM OCCIDENTIS.



AB ANNO M. AD MCCXC.

HENRICUS, Bavariæ Dux, Rex secundus Germaniæ hoc nomine, Ottonis I. Imperatoris ex fratre Henrico Nepos, Henrici I. Aucupis Pronepos, Rex Germaniæ eligitur a Franconiæ Proceribus A. 1002. VIII. Idus Junii, & coronatur Moguntiæ a Willigiso Archiepisc.: dein eligitur a Saxonibus & Lotharingis, & coronatur Aquisgrani ab Heriberto Colon. Archiep. Fundat Episcopatum Bambergensem consensu Papæ, & Episcoporum Germaniæ Anno 1006. & 1007. Coronatur Romæ Imperator in Paschate anni 1014. a Benedicto VIII. una cum Cunigunda Augusta: quo die non solum donata ab Carolo M., Ludovico, & Ottonibus confirmat; sed novis Dominiis donatis auget & ampliat, *hoc Tom. pag.* 44. Germaniæ Ecclesias varias dotat. Ab Arnulfo Archiepisc. Mediolanensi Italiæ Rex coronatur anno 1018. contra Ardoinum Mediolanensis agri vastatorem, & Roncaliæ Comitia Regia celebrat, Legesque condit. Germanico Clero indulget, ut a Clericis juramenta in persona non præstentur. Obiit in Grouna, Saxoniæ oppido, anno 1024. 9. Julii: ætatis anno 46. hebdom. 3. dieb. 5. Regnavit annos 26. Imperavit decem. Canonizatus ab Eugenio III. Papa anno 1151.

Cunigunda uxor, Sigefridi Comitis Luxemburgensis Filia, virginitatem in matrimonio servavit, demonstravitque contra calumniatores tunc præsentes & futuros, calcatis duodecim vomeribus ignitis illæso pede. Eadem ab Innocentio III. anno 1201. in numerum Sanctarum relata fuit.

CONRADUS SALICUS, Orientalis Franciæ Dux, natu major CUNO dictus per syncopen, præ fratre juniore Henrico commendatus fuerat Regni Successor ab antecessore: electus in villa Cambam inter Moguntiam & Wormatiam fuit, & VI. Idus Septembris anno 1024. ab Aribone Archiepisc. Moguntiæ coronatur. Deinde Aquisgrani coronatur a Piligrimo Archi-Episcopo Coloniensi cum Gisela Regina. Anno 1027. Romæ in Paschate a Joanne XIX. coronatus fuit Imperator coram Rudolfo Rege Burgundiæ, Knutone Rege Angliæ, & multis Germaniæ Proceribus. Anno 1033. mortuo Rudolfo, Burgundiam, ut feudum Imperii, & Regnum Arelatense ad se recepit: in Monasterio Paterniano electus & coronatus Burgundiæ Rex die Purificatæ Virginis: at solemnis Coronatio Genevæ facta est ab Hereberto Mediolanensi I. Augusti, eodem anno 1033. Præter Leges politicas multas unam tulit favore Ecclesiæ contra Simoniam apud Glabrum Rodulphum Lib. V. Cap. V. Obiit apud Trajectum Frisiæ anno 1039. 2da die Pentecostes, seu 4. Junii. Viscera Ultra-

trajecti tumulata, sed corpus primo Coloniam delatum, multis eleemosynis, lacrymis, & orationibus honorarunt cives pro animæ refrigerio, demum Spiræ sepultum fuit.

HENRICUS III. niger & pius dictus, Antecessoris ex Gisela filius natus anno 1017. fuerat, a Patre cum consensu Procerum designatus Germaniæ Rex A. 1026, & a Piligrimo Archiepisc. Coloniensi undecennis Aquisgrani coronatus anno 1028. Brunoni Augustano Episcopo educandus committitur. Anno 1027. a Patre constitutus Dux Bavariæ; anno 1028. Dux Alemanniæ & Rex Arelatensis. Successit Patri anno 1039. Schisma inter tres Romani Pontificatus Candidatos feliciter extinxit convocato Episcoporum cœtu. Rejectis tribus Antipapis Suidgerum, Bambergensem antea Episcopum, sub nomine CLEMENTIS II. Romanum Pontificem elegit A. 1046, quia in Romana Ecclesia *non erat tunc talis reperta persona, quæ digne posset ad tanti honorem sufficere Sacerdotii.* Ab hoc, Natalis Dominici die Romæ consecrato, ipse & conjux ejus Agnes Imperiali Corona insigniti fuere. Post ejusdem Clementis II. anno 1048. nuntiatam mortem, Legati Romanorum adierunt Imperatorem, Poledæ in Saxonia Natalem Domini celebrantem, & Successorem postulant. Designavit eis Popponem Brixinensem (non Aquilegiensem) Episcopum, qui honorifice Romæ susceptus, 17. Julii Papa consecratus fuit, assumpto nomine DAMASI II. Eo mortuo denuo Legati a Romanis ad Imperatorem mittuntur, quibus Wormatiæ Brunonem Tullensem Episcopum, ut ut reluctantem dedit, qui Dominica quadragesimalis initii concordibus Cleri & populi Romani votis anno 1049. inthronizatur, LEO IX. dictus. Hoc anno 1054. 13. Kalend. Maji vivis erepto, Hildebrandus ad Imperatorem Legatus Romanorum mittitur, qui cum Gebehardum Eystadiensem Episcopum vice Cleri & populi Romani elegisset, rogaretque assensum ab Imperatore ægre & vix impetratum, eundem in Quadragesima Romam deduxit, & in Cœna Domini consecrandum curavit.

Hic VICTOR II. appellatus, in Germaniam profectus, apud Bodfeldiam in Saxonia in sylva Hercinia Imperatori agonizanti astitit, precibus & Sacramentis eundem munivit. Mortuus est Henricus III. Nonas Octobris A. 1056, ætatis 39. Regni 18, Imperii 15. Ex prima uxore Cunichilde, Canuti Anglorum & Danorum Regis Filia, & ex secunda Beatrice nullum masculum hæredem reliquit, sed ex tertia Agnete, Pictaviensis Wilhelmi Filia, Vesontione desponsata, Moguntiæ coronata Regina, suscepit filium successorem.

HENRICUS IV. Fil. Henrici III. & Agnetis, nascitur Goslariæ II. Octobris 1050, inde Coloniam ductus, baptizatur ab Hermanno Archi-episcopo Coloniensi. Anno 1053. triennis Triburiæ a Patre, consensu Episcoporum & Principum, throni Regii Successor declaratur & Dux Bavariæ. Anno 1054. Aquisgrani ab eodem Archiepisc. Coloniensi inthronizatur Germaniæ Rex. Patre erepto vivis A. 1056, sub Agnetis matris tutela Regnum adit. Anno 1062, Germanis muliebri Imperio nunquam assuetis, Ecbertus Comes, & Otto Dux Bavariæ, & Anno Archiepisc. Colon. Henricum puerum matris gremio abripiunt, & Regni Germanici administrandi curam suscipiunt Tutores. Coloniensi Archi-Episcopo Moguntinus, ac demum Adelbertus Bremensis Archiepisc. socii fuere in Regno tutando. Subin

Bremensis familiaritate cedere Rex coactus fuit Procerum Decreto. Anno 1073. Archiepisc. Colon. ANNO, senium causatus, ab aula & negotiis Regni secessit. Mortuo anno 1061. Nicolao II. Romani Clerus & populus citra Regis Germaniæ conscientiam Anselmum Lucensem Episcopum eligunt, quem Alexandrum II. nuncuparunt. Ea electio Regem & Proceres Germaniæ vehementer offendit. Hinc *Cadolum* Parmensem Basileæ pauci Episcopi Antipapam eligunt, qui Honorii II. nomen sibi imposuit. Sed Henricus in Conventu Osboriensi, & Episcopi, Annonis Archiep.: & Procerum hortatu Alexandri II. Cathedræ assurgunt, & Parmensem Cadolum reprobant. Alexandro II. ad Superos avocato Romani eligunt Cardinalem Hildebrandum, Gregorium VII. salutatum: at hic noluit coronari ante assensum Regis Germaniæ, ad quem Legatos misit, quibus uti & coronationi Gregorii VII. Rex consensit. Tria ursit novus Papa: cœlibatum Cleri, eliminationem Simoniæ, & ut Episcopatus atque Abbatiæ ne venderentur. Contradicentes Ministros Regis excommunicavit. Vicissim Rex in Conciliabulo Wormatiensi, & quidam Episcopi Germaniæ obedientiam Papæ præstandam denegant. Huic schismati tollendo varia hinc inde acta. Anno 1077. Canusiæ Rex a Gregorio VII. absolutionem impetrat sub certis conditionibus.

Anno 1077. *Rudolphus Dux Suevorum primus Anti-Rex eligitur a quibusdam Germaniæ Proceribus Ulmæ & Triburiæ, qui ex vulnere obiit anno* 1080.

Anno 1080. Moguntiæ & Brixini Guibertum, Ravennæ Archi-Episcopum, secundum *Anti Papam* Rex eligi curat a quibusdam Proceribus Germaniæ, Clementem III. nuncupatum, a quo anno 1084. die Resurrectionis Dominicæ Henricus & Bertha Augusti coronati fuerunt. Guibertus mortuus est A. 1099.

Anno 1081. *quidam* Germaniæ Proceres *secundum Anti-Regem* Hermannum *Lotharingiæ Ducem Islebii eligunt. Hic Synodo Quedlinburgensi intervenit cum Legatis Papæ & Episcopis, Papæ legitimo adhærentibus. In ea anathematizatur Antipapa Guibertus. Secedit Hermannus anno* 1088. *in Lotharingiam, ibidemque finem vitæ invenit.*

Anno 1099. Henricus Imp. natu majorem filium Conradum, quem olim Regem Germaniæ coronari fecerat, reprobavit, & in Italiam, velut exilium, ablegavit, ubi anno 1101. obiit. Anno 1103. in Comitiis Moguntinis Henricum filium natu minorem a Proceribus Regem Germaniæ salutari procuravit, accepto juramento, quod de Regno nullo modo se intromissurus esset Patre vivo. Demum Henricus, spoliatus Imperii insignibus, Leodium secessit, ubi VIII. Idus Augusti anno 1106. mortuus est, Regni anno LVI. Imperii XXII. vel tertio, *uti ipsemet Ill. Baronius computat in suis Annalibus.*

HENRICUS V. Filius Antecessoris, & Berthæ Ottonis Marchionis Italiæ Filiæ, genitus tertio loco, post mortem Patris Regnum Germaniæ suscepit. Natus anno 1081, destinatus a Patre ad Regnum A. 1099, ab Hermanno Archi-Episcopo Coloniensi Aquis coronatur. Moguntiæ Rex Germaniæ constituitur a Proceribus Patri adversis anno 1105. Anno 1107. Legatos in Galliam misit ad Paschalem II, Archi-Episcopum Treverensem, & Episcopos Halberstadensem, & Monasterien-

ſterienſem, & Welphonem Ducem, qui Inveſtituram Epiſcopalium Sedium more antiquo Regibus Germaniæ uſitatam prætendebant. Sed eodem anno 1107. in Concilio Trecenſi inveſtitura Eccleſiæ dignitatum de manu laica fuit prohibita. Anno 1110. Italiam intrat cum numeroſo exercitu. Papa capitur, & Cardinales cum Papa inveſtituræ jurato renuntiant. Imperator Romam ingreditur poſt Paſcha anni 1111, coronaturque Auguſtus Imperator Occidentis, & Papa eidem tribuit privilegium inveſtiendi Epiſcopos per annulum & baculum. Anno 1112. reverſo Imperatore in Germaniam, Papa indicit Concilium Lateranenſe, cujus Epiſcopi revocant & damnant Privilegium anno ſuperiore a Papa extortum & coactum, qua in re nihil eſt erratum in fide. "Non enim eſt hæreſis (*ait Illuſtriſſi-*" *mus Baronius*) ipſas Inveſtituras laicis diſpenſando concedere: quod Paſchalis II. " fecerat pro liberatione Eccleſiæ; ſed aſſerere & defendere de jure eſſe, & de-" bere fieri, inveſtituras Epiſcoporum per laicos, id hæreſis & error eſt, quem nun-" quam adoptavit Paſchalis II." *V. Lambertinum.* De Serv. Dei Beatificatione L. I. C. 41. §. 10. extremo N. 28.

Anno 1118. Paſchali II. vitâ functo Romani elegerunt, non petito Regis conſenſu, Cajetanum Cancellarium, dictum GELASIUM II.; econtrario Imperator Burdinum, Braccarenſem Epiſcopum, ſub nomine Gregorii VIII. *Antipapam* conſtituit, a quo die Pentecoſtes anni 1118. coronatus fuit Imperator. Hic Burdinus anno 1121. in Monaſterio Cavenſi incluſus expiravit. Varia Concilia Germaniæ a Legatis Papæ coacta Imperatorem excommunicatum denuntiant.

Demum anno 1121. agitantur conſilia Concordiæ inter Pontificem & Auguſtum in multis locis, congrediuntur Legati Wormatiæ ac denique ſic convenitur; ut Henricus Auguſtus Sanctis Petro & Paulo, & Eccleſiæ Catholicæ inveſtituram per baculum & annulum dimittat: in Eccleſiis Germanicis liberas electiones permittat. Econtrario Papa Imperatori conſenſit, ut electus Epiſcopus, vel Abbas per ſceptrum omnia regalia a Rege ſuſcipiat, Electiones in Regno Teutonico in præſentia Legatorum Imperatoris abſque Simonia fiant: & pax vera mutua utrimque ſit. Anno 1123. in Concilio Lateranenſi generali Papa Caliſtus pactum cum Henrico VI. initum firmat. Obiit Imper. Trajecti ad Rhenum anno 1125. X. Kalend. Junii. Regni XIX. Imperii XIV. cum eoque extinguitur Linea maſculina Salicæ vel Franconicæ Domûs.

LOTHARIUS II. Saxo, F. Gevehardi Comitis Supplinburgenſis, ex familia Dynaſtarum Querfurtenſium, ab Henrico V. anno 1106. Saxoniæ Ducatum adeptus, eo defuncto, anno 1125. 30. Auguſti voce populi eligitur & attollitur, præſentibus Epiſcopis XXII: Proceribus plurimis: exercitu ad LX. millia: voci populi, Epiſcopi, & Proceres ſuffragantur. Igitur Idibus Septembris Aquiſgrani in Regem Lotharingorum, Allemannorum, Longobardorum, & omnium Italiæ populorum ungitur a Friderico Archiep. Colon. a quo & Richenza Regina Coloniæ ad Rhenum coronatur. Innocentio II. Papæ Claromonti Concilium celebranti, Rex Legatos mittit Conradum Juvavenſem, & Eberhardum Monaſterienſem, Epiſcopos. Anno 1130. Concilinm celebrat Herbipoli, menſe Octobri, Rex præſentibus

Archi-Epiſcopo coronatur Siciliæ Rex. Obiit anno 1197. 28. Septembris Meſſanæ, relicto Friderico filiolo, trienni ſub tutela Philippi fratris ſui. Annis rexit VIII. Imperavit VII.

PHILIPPUS, SUEVIÆ DUX, natuminimus Filiorum Friderici I. ahenobarbi, Fratre defuncto, in Germaniam reverſus patrimonium Suevicum adivit, & occupavit. Epiſcopi & Principes Germaniæ conveniunt in Thuringia, & Philippum Defenſorem Imperii eligunt, dum Fridericus nepos ex Sicilia in Germaniam adventaret. Alii Principes Bertholdum de Zaringen Andernaci eligunt, qui ſponte abdicat. Dein Pontifex Cœleſtinus, & alii Principes Germaniæ elegerunt Ottonem Saxonem, Henrici Leonis filium, ab Adolpho Colon. Archiep. Aquisgrani coronatum Regem Germaniæ IV. Nonas Julii anno 1198. Huic Clerus favebat contra Philippum a Papa excommunicatum. Attamen idem Philippus a banno abſolutus per Legatum Pontificium, Sutrinum Epiſcopum, Moguntiæ plurium conſenſu eligitur, & a Tarentaſienſi Epiſcopo coronatur cum Regina conjuge anno 1198, Regalibusque a Fratre defuncto acceptis inſignitur. Anno 1205. Aquisgrani ab Adolpho Colonienſi Archi-Epiſcopo in Caroli Magni ſede inthronizatur.

Anno 1207. Spiræ concordia per Legatos Papæ cum Philippo quæritur, iterum Northuſæ & Quedlinburgi tentatur, ſaltem anni unius treuga patitur. Sed Philippus anno 1208. Bambergæ ab Ottone Wittelspachio, Comite Palatino, occiditur.

OTTO IV. Filiorum Henrici Leonis, Saxoniæ Ducis, ex Machtilda Anglicana tertius, defuncto Henrico VI. ab una factione eligitur, ſed *Schiſma in Regno Germaniæ* erumpit ob factionem contrariam Philippo faventem.

Occiſo Philippo anno 1209. in Italiam cum exercitu tranſit, præmiſſisque Legatis ad Papam, Patriarcha Aquilegienſi, & Epiſcopo Spirenſi, Cancellario ſuo, Romam ingreditur, atque ab Innocentio III. Dominica poſt Michaelis honorifice excipitur: dato Sacramento de juſtitia adminiſtranda, de Eccleſia defendenda, de reſtituendo Patrimonio Petri, coronatur Imperator Occidentis. Exoritur nova controverſia ob hæreditatem Mathildis. Anno 1218. XIV. Kal. Junii in caſtro Hartsburg moritur Otto, abſolutus antea à Banno Papali per Epiſcopum Hildeſemenſem, anno Regni a cæde Philippi decimo, Imperii nono.

FRIDERICUS II. Henrici VI. Imperatoris, Germaniæ, Siciliæ, Sardiniæ, & Hieroſolymæ Regis, ac Conſtantiæ Filius, natus veroſimiliter circa 1193, anno 1195. Rex Germaniæ dictus fuit, Moguntiæ anno 1212. denuo electus Rex Germaniæ contra Ottonem, ubi plures Principes eidem fidem jurarunt. Anno 1215. a Sifrido Moguntino Archi-Epiſcopo, nec non Legato Apoſtolico, ungitur Aquisgrani, & in Sede Caroli M. collocatur, ubi & cruce ſignatur. Anno 1218. mortuo Ottone, Inſignia Imperii ab Henrico, Comite Palatino Rheni, Ottonis IV. fratre, ſuſcipit. Anno 1213. Egræ edictum edidit pro libertate Eccleſiaſtica: Appellationes ad Sedem Apoſtolicam permittit; Renuntiat juri manûs mortuæ: terras Mathildis & Anconitanam ſe reſtiturum promittit. Simile edictum pro Eccleſia

clesia edidit die Coronationis suæ anno 1220: & contra Hæreticos varias severas Leges: alias in Comitiis Francofurti 1234. & Moguntiæ 1235. de Pace servanda. Eidem tribuuntur libri Feudorum, uti Principi non solum potentissimo, sed literatissimo. Linguas Latinam, Græcam, Germanicam, Gallicam, Saracenicam optime callebat, scientiarum, & librorum, & artium maximus Cultor & Mecænas.

Anno 1220. Romam profectus, die sacra S. Cæciliæ Imperator una cum Constantia conjuge consecratur ab Honorio III.

Anno 1221. Henricus filius ad Aquasgrani venit ad Curiam Patris, ubi Dominica *Judica*, Agnes, filia Ducis Austriæ, Henrico nubit: ab Engelberto Archi-Episcopo Coloniensi nuptiali benedictione inaugurantur.

Anno 1235. Wormatiæ Filium Henricum in gratiam recipit, sed promissis non stantem, in Apuliam relegat, ubi anno 1236. vitam & exilium claudit. Fridericus accusatus a Summo Pontifice Gregorio IX. anno 1239. variis literis ad Principes Europæ scriptis, purgare se ab impactis nititur. Anno 1240. cum Roma scriberetur Episcopis Germaniæ, abdicandum esse Friderico II. Regnum, responderunt: Non esse sui juris Imperatorem deponere, sed electum coronare. Innocentius IV. anno 1246. Lugduni Consilium instituit contra hunc Imperatorem. Obiit anno 1250. 13. Decembris in castro Apuliæ. Regnavit solus in Germania annis 33.

In Germania a quibusdam Principibus Henricus Raspo, *Landgravius Thuringiæ, apud Wormatiam eligitur* Anti-Rex: *sed obiit* 1247. *Wartbergæ prope Isenacum.*

Wilhelmus Batavus, *Florentii IV. & Mechtildis, Brabantiæ Ducum, Filius, eligitur* Anti-Rex *Nussiæ, die S. Michaelis anni* 1248, *& Aquisgrani coronatur, qui A.* 1256. *in bello contra Frisones, cum equo in palustribus locis mersus, obiit* 28. *Januarii.*

CONRADUS IV. Friderici II. & Jolantæ Filius, a Patre (defuncto primogenito Henrico, antea deposito) & Proceribus electus fuit Rex Germanorum Ratisbonæ, Patri mortuo successit in Regno. Anno 1254. veneno extinctus dicitur

INTERREGNUM MAGNUM AB 1254. AD 1273.

Richardus, *Joannis, sine terra dicti, Anglorum Regis Filius, Comes Cornubiæ, a Germanis quibusdam Proceribus oblatam Coronam, anno* 1257. *a Conrado Archiepisc. Coloniensi Aquisgrani imponi sibi vidit die Ascensionis Dominicæ, uti & Sanctiæ uxori. Defunctus fuit anno* 1271. *Pauca memoratu digna de eo leguntur, præter unam Constitutionem contra hæreticos & blasphemos, datam XVII. Kal. Augusti in villa Soloduro anno* 1258, *legendam apud Lunig: Continuatione II. Spicilegii Ecclesiastici pag.* 14.

Alphonsus, *Rex Castiliæ a quibusdam Germanis electus Anno* 1257. *Titulo contentus vixit, nec Germaniam vidit.*

Post Interregnum fere 20. annorum A. 1273. Francofurti pridie Kalendas Octobris Palatinus Comes, in quem reliqui Electores Principes compromiserant, elegit suo & omnium nomine RODULPHUM Comitem Habsburgi, Kyburgi,

ad formam ſeptuaginta diſcipulorum eſtis. Nos Paſtores veſtri ſumus, vos Paſtores animarum vobis commiſſarum. Nos de vobis rationem reddituri ſumus ſummo Paſtori Domino JEſu Chriſto, vos de plebibus vobis commiſſis. Et ideo, Chariſſimi, videte periculum veſtrum. Admonemus & obſecramus fraternitatem veſtram, ut de communi ſalute veſtra cogitantes attentius, audiatis admonitionem noſtram; & quæ vobis ſuggerimus, memoriæ commendetis, & opere exercere ſtudeatis.

In primis admonemus, ut vita & converſatio veſtra irreprehenſibilis ſit: ſcilicet ut cella veſtra ſit juxta Eccleſiam, & in ea feminas non habeatis. Omni nocte ad nocturna ſurgite. Curſum veſtrum certis horis decantate. Miſſarum celebrationes religioſe peragite. Corpus & Sanguinem cum timore & reverentia ſumite. Vaſa ſancta propriis manibus abluite & abſtergite. Nullus cantet Miſſam, niſi jejunus. Nullus cantet, niſi communicet. Nullus cantet ſine amictu, alba, ſtola, fanone, planeta. Et hæc veſtimenta nitida ſint, & ad nullos alios uſus ſint. Nullus cum alba, qua in ſuos uſus utitur, præſumat Miſſam cantare. Nulla femina ad altare Domini accedat, nec calicem Domini tangat. Corporale mundiſſimum ſit, altare coopertum de mundis linteis. Super altare nihil ponatur, niſi capſæ & reliquiæ, aut forte quatuor Evangelia, & buxida cum Corpore Domini ad infirmos: cætera in nitido loco recondantur.

Miſſale plenarium, lectionarium, & antiphonarium, unaquæque Eccleſia habeat. Locus in ſacrario aut juxta altare ſit præparatus, ubi aqua effundi poſſit, quando ſacra vaſa abluuntur: & ibi vas nitidum cum aqua dependeat, ibique Sacerdos manus lavet poſt Communionem. Eccleſiæ ſint copertæ bene & cameratæ, & atrium ſit ſepe munitum. Nullus extra Eccleſiam per domos, aut in locis non cameratis (c) Miſſam cantet. Omnis Presbyter habeat Clericum aut Scholarem, qui Epiſtolam vel Lectionem legat, & ad Miſſam reſpondeat, & cum quo Pſalmos cantet. Nullus ſolus Miſſam cantet.

Nullus cum calcariis, quos ſporones ruſtice vocamus, & cultellis extrinſecus dependentibus Miſſam cantet: quia indecens eſt, & contra regulam Eccleſiaſticam eſt.

Calicem & oblatam recta cruce ſignate, id eſt, non in circulo & variatione digitorum, ut plurimi veſtri faciunt; ſed ſtrictis duobus digitis, & pollice intus recluſo, per quos Trinitas innuitur, † iſtud ſignum recte facere ſtudete: non enim aliter quicquam poteſtis benedicere. Infirmos viſitate, & eos reconciliate, & juxta Apoſtolum oleo ſancto inungite, & propria manu communicate. Et nullus præſumat tradere communionem laico, aut feminæ, ad deferendam infirmo.

Nullus veſtrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis ſepeliendis, præmium vel munus exigat. Videte, ne per negligentiam veſtram ullus infans ſine baptiſmo moriatur. Nullus veſtrum ſit ebrioſus & litigioſus, quia ſervum Domini non oportet litigare. Nullus veſtrum arma ferat in ſeditione, quia arma veſtra debent eſſe ſpiritualia. Nullus canum aut avium jocis inſerviat.

Nullus in tabernis bibat. Unusquiſque veſtrum, quantum ſapit, plebi ſuæ de Evangelio, vel Apoſtolo, die Dominico, vel Feſtis diebus, annuntiet. Verbum Domini debetis prædicare. Curam pauperum, peregrinorum, & orphanorum habete, eos ad prandiola veſtra invitate. Eſtote hoſpitales, ut alii a vobis exemplum bonum ſumant.

Omni die Dominica ante Miſſam aquam benedictam facite, unde populus aſpergatur: & ad hoc ſolum vas habete. Sacra vaſa & veſtimenta ſacerdotalia nolite in pignore dare negotiatori, aut tabernario. Nullus veſtrum uſuras exigat, & conductor ſui fenoris exiſtat. Res & facultates, quas poſt diem ordinationis veſtræ acquiritis, ſciatis ad Eccleſiam pertinere. Nullus ſine ſcientia & conſenſu noſtro Eccleſiam acquirat. Nullus per poteſtatem Sæcularium Eccleſiam obtineat. Nullus Eccleſiam, ad quam titulatus eſt, relinquat, & ad aliam quæſtus cauſa migret. Nullus plures Eccleſias teneat ſine adjutorio aliorum Presby-

(c) *conſecratis.*

Presbyterorum. Nullatenus una Ecclesia inter plures dividatur. Nullus alterius Parochianum, nisi in itinere, & cum placitum fuerit, ad Missam recipiat. Nullus in alterius Parochia Missam cantet. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare, & bibere vinum; nisi pro eo ad præsens eleemosynam fecerit. Nullus præsumat baptizare, nisi in vigilia Paschæ & Pentecostes, nisi propter periculum mortis. Unusquisque fontes habeat: &, si non potest lapideos, habeat aliud vas, ad hoc præparatum, in quo nihil aliud fiat. Videte, ut omnibus Parochianis vestris symbolum & orationem Dominicam insinuetis. Jejunium quatuor temporum, & Rogationum, & Litaniæ majoris, plebibus vestris omnimodis observandum insinuate. Feria quarta ante Quadragesimam plebem ad confessionem invitate, & ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in pœnitentiali scriptum est. Quater in anno, id est, Natale Domini, & Cœna Domini, Pascha, & Pentecoste, omnes fideles ad communionem Corporis & Sanguinis Domini accedere admonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abstinere exhortamini. Eulogias post Missam in diebus festis plebi tribuite. Nullus induatur vestimentis laicalibus. Nullus rem, aut possessionem, aut mancipium Ecclesiæ vendere, aut commutare, aut quocumque ingenio alienare præsumat.

Diem Dominicum, & alias festivitates, absque opere servili a vespera usque ad vesperam celebrari docete. Cantus & choros mulierum in atrio Ecclesiæ prohibete. Carmina diabolica, quæ super mortuos nocturnis horis vulgus facere solet, & cachinnos, quos exercent, sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus illis præsumat Missam cantare: sed & plebibus vobis commissis hoc annuntiate. Ad nuptias nullus vestrum eat. Omnibus annuntiate, ut nullus uxorem accipiat, nisi publice celebratis nuptiis. Raptum omnimodis prohibete: & nullus ad proximam sanguinis sui accedat; & ut alterius sponsam nullus ducat. Porcarios & alios pastores, vel Dominica ad Missam venire facite. Patrini filiolis suis symbolum & orationem Dominicam insinuent, aut insinuari faciant. Chrisma semper sub (*d*) cera sit & sigillo propter quosdam infideles.

De ministerio etiam vobis commisso vos admonere curamus, ut unusquisque vestrum, si fieri potest, expositionem symboli & orationis Dominicæ, juxta traditionem orthodoxorum penes se scriptas habeat, & eam pleniter intelligat: & inde si novit, prædicando populum sibi commissum sedulo instruat; si non, saltem teneat, vel credat. Orationes quoque Missarum & Canonem bene intelligat: & si non, saltem memoriter ac distincte valeat proferre. Epistolam & Evangelium bene legere possit, & utinam ad literam ejus sensum posset manifestare. Psalmorum verba & distinctiones regulariter ex corde cum canticis consuetudinariis pronuntiare sciat. Sermonem, ut supra diximus, Athanasii Episcopi de fide Trinitatis, cujus initium est: *Quicumque vult*, memoriter teneat. Exorcismos & orationes ad catechumenum faciendum, ad fontem quoque consecrandum, & reliquas preces super masculum & feminam pluraliter ac singulariter distincte proferre valeat. Similiter baptizandi, ad succurrendum infirmis, ordinem quoque reconciliandi, juxta modum sibi canonice servatum, atque ungendi infirmos, orationes quoque eidem necessitati competentes, bene saltem sciat legere: similiter ordinem & preces in exsequiis agendis defunctorum: similiter exorcismos & benedictiones salis & aquæ memoriter teneat: Cantum nocturnum atque diurnum noverit.

Computum minorem, id est, epactas concurrentes regulares, terminum Paschalem, & reliquos sapiat, si est possibile. Martyrologium, & Pœnitentiale habeat, & cætera. Volumus autem, Fratres charissimi, quatenus quæ nostra percepistis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis studeatis operibus adimplere, præstante Domino nostro JESU Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

A 2 *Binius*

(*d*) *forte:* sub sera sit & sigillo.

Binius Tomo III. Part. II. Concilior. p. 172. hunc ſermonem S. Udalrico, Auguſtano Epiſcopo, anno CMLXXII. 4. Julii defuncto, attribuit ex Marci Velſeri, Clariſſimi viri, duplici conjectura: quia tempus & locus Synodorum, a S. Udalrico celebratarum tempore 50. annorum ſui Epiſcopatus, id veroſimile reddunt. Legamus Cap. III. vitæ S. Udalrici, ab anonymo coævo auctore ſcriptæ: In tribus diebus poſt Dominicam Palmarum contiguis Synodale colloquium habere conſuevit: eo quod Canones bis in anno Epiſcoporum Concilia fieri præcipiant, unum XV. Kal. Octobris, aliud quarta hebdomada poſt Paſcha, hoc in iſto tempore perficere decrevit, ne in antea ei aliquod obſtaculum ad illud perficiendum impedimentum faceret. Alterum Velſeri argumentum eſt, quia pleræque interrogationes, quas S. Udalricus in Synodis facere ſolebat (confer *Cap. III. & IV. Anonymi Biographi Tomo VI. Julii in actis Sanctor. Antwerp. p.* 76.) huic ſermoni congruunt, quam conjecturam Velſeri Mabillon. non eſſe decretoriam, nec certam judicat: quia ſimilis ſermo *Leoni IV.* adſcribitur Tomo VIII. Concil. uti & Ratherio Epiſc. mox ſubjungendus.

RATHERII,

VERONENSIS EPISCOPI,

SYNODICA AD PRESBYTEROS ET ORDINES CETEROS FORINSECUS, ID EST, PER UNIVERSAM DIOECESIM CONSTITUTOS.

QUia mirari vos ſcio, immo murmurare, quod eſt pejus, non neſcio, quod *tertio* vos vocavi, & quaſi nihil vobiſcum egi. Ne fruſtra hoc me feciſſe putetis, fateor, quia explorandi vos cauſa feci: & quales vos me inventurum æſtimavi, tales, proh nefas! inveni. Congruere mihi infeliciſſimo illud ſtatim de Sapientiæ viſum eſt libro: *Ne* (a) *jocunderis in filiis ſtultis, ſi multiplicentur: ne oblecteris in eis, ſi non eſt timor Dei cum eis.*

Moneo igitur paternaliter, & præcipio paſtoraliter, ut dicentis Apoſtoli reminiſcentes: *Quia* (b) *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*; hoc eſt, ſine credulitate, quæ nobis per Apoſtolos, eorumque eſt ſucceſſores tradita: & quia *juſtus* (c) *ex fide*, id eſt, credulitate ſua, *vivit: & quidquid ſine fide*, hoc eſt, credulitate Dei *eſt*, *eſt peccatum*: *fides* (d) autem, id eſt, credulitas Dei, *ſi non habeat opera bona, mortua eſt in ſemetipſa.* Ipſam fidem, id eſt, credulitatem Dei, trifarie parare memoriter feſtinetis: hoc eſt, ſecundum ſymbolum, id eſt, collationem Apoſtolorum, ſicut in pſalteriis correctis invenitur: & illam, quæ ad Miſſam canitur: & illam S. Athanaſii, quæ ita incipit: *Quicumque vult ſalvus eſſe.* Quicumque vult ergo Sacerdos in noſtra Parochia eſſe, aut fieri, aut permanere; illa fratres, memoriter nobis recitet, cum proximo huc a nobis vocatus fuerit.

Moneo & jam vos de die Dominico, ut cogitetis, aut ſi cogitare neſcitis, interrogetis, quare ita vocetur: uſu enim quotidiano illas res Dominicas diximus, quæ proprie ad Dominos pertinent illarum. Eo itaque ſenſu Dominica dicitur dies quod proprie ad Dominum, id eſt, Jeſum Chriſtum pertineat. Cum vero omnes dies ipſius ſint, ſicut & omnia, quæ ſunt in cœlo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyſſis: inquirendum, quare iſta ſolum dicatur illius eſſe. Nimirum, quia ipſe in ea reſurrexit. Sed in quibus Kalendis? Non cures, de die ſolummodo

Cum in hoc ſermone Ratherii, qui & Veronæ in Italia, & Leodii in Germania, Epiſcopus fuit Sæculo decimo, multa ſint ſimilis, & pæne ejusdem ſtili & argumenti menda, quæ in ſermone, S. Udalrico, Auguſtano Epiſcopo, attributo; hinc liquet, ejuſmodi ſermones Sæculo X. & XI. frequenter prælectos fuiſſe, & veluti communem formulam Cleri adhortandi adhibitam fuiſſe.

(*a*) Eccl. 16. 1. (*b*) Hebr. 11. 6. (*c*) Rom. 1. 17.
(*d*) Jacob. 2. 17.

modo cogita. Quinta feria post vesperum est traditus, sexta crucifixus, septima quievit in sepulcro, octavo resurrexit a mortuis; & inter duorum dierum partem, sive trium integritatem noctium, vel triduo, ut promiserat, facto, a corde, id est, interioribus terræ ad Apostolos rediit. Hinc ipsa octava, sive prima feria, dies vocatur Dominica: & in quocunque Kalendarum die evenerit, semper est Pascha, id est, transitus Domini de morte ad vitam: & uno modo, quidquid manduces, vel bibas, est observanda. Unde autem observanda? Ab opere servili. Quod autem est opus servile? peccatum. Qui enim peccat, diabolo servit. Si ergo omni die Dominico est Pascha quærendum, quid nobis faciendum in ea? Apostolus dicat: *Pascha*, inquit, (e) *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Quare Pascha est Christus? quia pro nobis immolatus. Cur immolatus? ut pro nobis moreretur: sicut utique antea ille immolabatur, cujus sanguine liberandus ab Ægypto populus purgabatur: ita ergo & iste propterea est immolatus, ut moreretur; propterea occisus; ut nos per sanguinem ipsius a vastatore mundi angelo, id est, diabolo liberati, de Ægypto, id est, inferno, erueremur; & per mare rubrum, hoc est, Baptismum, sanguine Domini rubrum, per desertum præsentis vitæ educti, ad terram repromissionis, id est, vitam æternam pervenire possemus. Habes Pascha, id est, transitum bonum; habes agnum pro te occisum; transisti mare rubrum; graderis per desertum. Vide, quo graderis: stude pervenias, quo venire tibi expedit. Labora cum Dei adjutorio, ne aut in Ægyptum redeas, aut in deserto pereas, sed ad patriam cœlestem pervenias. In Ægyptum vero te redire cognosce, si peccatum, quod deseruisti, præsumis repetere. Peris vero in deserto, si non perseveras in labore, & opere bono.

Sed redeamus ad Apostolum: *Pascha*, inquit, *Pascha* (f) *nostrum immolatus est Christus.* Postea: *itaque epulemur.* Putas, quod dicat, crapulæ & ebrietati vacemus? Nequaquam: sequitur enim, *non in fermento veteri*, id est, inflatione ventris, vel tumore anterioris peccati, aut affectu ad transacta scelera redeundi, vel alia perpetrandi. *Neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Id est, ut in opere justi, in cogitatione simplices, in sermone simus veraces. Quando? omni tempore. Præcipue vero in Paschali solemnitate, hoc est, omni Dominica anni integri die. Si enim Dominica est Domini, utique non nostra dies est. Si Domini est, reverentia Domini est honoranda. Sed cujus Domini? Revera, qui nos, cum non essemus, fecit: qui nos, cum perditi fuissemus, refecit: qui nos gubernat, alit, nutrit, defendit; qui vitam nostram quousque illi placuerit, hic continet; cum noluerit, eam hinc mutabit, & aut meliorem, pro meritis, aut reddet pejorem: postremo, qui nos judicabit, & aut in inferno sine fine damnabit, aut in Cœlo æternaliter coronabit. Talis igitur ac tantæ potestatis Domini cum hæc sit proprie dies, honoretur, ut eam pro decentia tanti Domini decet. Honorari vero nullo modo, nisi ordinabiliter valet. Nisi enim parasceve sabbatum antecedat, sabbatum diem Domicam, dies non est ullatenus Dominica.

Quid est parasceve? Apostolus dicat: *Probet autem* (g) ait, *seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quo pane? Qui ait: *Ego* (h) *sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* De quo calice? *Calix* (i) *tuus inebrians, quam præclarus est?* Id est, Christus suo nos sanguine satians, quam pulcher, id est, speciosus forma præ filiis hominum? Qui ergo panis, ipse est agnus: qui agnus, ipse Christus: qui Christus, ipse est Pascha: qui Pascha, ipse pro nobis immolatus. Ipse est *dies, quam* non operando, sed gignendo coæternaliter, *fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.* Ipse est, inquam, dies, ipse Dominus, cujus ista est dies. De Sabbato illius quid facimus? *Vacate*, (k) ait per Psalmistam Dominus, *& videte, quia ego sum Deus.* Sabbatum vero vacatio dicitur, vel requies, id est, ut quiescamus ab operibus malis, & vacemus divi-

(e) 1. Corinth. 5. 7.
(f) Ibidem Rom.
(g) 1. Corinth. 11. 28.
(h) Joan. 6. 41.
(i) Psalm. 22. 5.
(k) Ibidem 45. 11.

divinis obſequiis. Paraſceve autem præparatio dicitur, hoc eſt, ut præparemus cordium noſtrorum habitacula venturo ad nos per corporis, & ſanguinis ſui ſubſtantiam Chriſto. Si ergo omnis octava dies eſt Dominica, Dominica vero pro reſurrectione Domini dicta: vel ſicut perlepide quidam invenitur dixiſſe, omnes quia dies Dominus fecit imperio ſuo, Dominicum fecit ſanguine ſuo, & ædificavit pretio ſuo: omnes dies Dominici Paraſceve, vel Sabbato indigent. Paraſceve autem; id eſt, præparatio non eſt aliud, niſi quod protulimus: hoc eſt, ut probet ſeipſum homo, id eſt, diſquirat, cujus affectus ſit: hoc eſt, ſi in voluntate cum Dei gratia meliorationis, aut in duritia pejorationis conſiſtit. Si illud primum jus in conſcientia ſua invenit, præſumens de miſericordia Dei; cum lactucis agreſtibus, id eſt, contritione cordis, & amaritudine gemitus, accinctis renibus comedat agnum. Si non; ſuadere non audeo, ut faciat. Viderit quiſque, quid agat. Omnis ergo dies Dominicus ideo eſt Paſchalis, quia reſurrectione Domini decoratus: Paſcha vero noſtrum ideo eſt Chriſtus, quia pro nobis immolatus.

Omni ergo Dominica nobis clamat Apoſtolus: *Itaque* (l) *epulemur.* Id eſt, carnem Domini manducemus, & ſanguinem ipſius bibamus. Ubi ſunt autem qui quotidie miſſam celebrant, quotidie Paſcha faciunt, id eſt, carnem agni comedunt, & ſanguinem ejus bibunt, &, ut cetera ſileam, de coitu adulterino filios, & filias generant? Ubi, qui heſternam ebrietatem vel crapulam, ante Altare Domini ſuper ipſam carnem, vel ſanguinem ructuant agni? Qui litibus continuis occupantur, qui cupiditate æſtuant, qui invidia, vel odio tabeſcunt, qui his, quos ut ſe diligere debuerant, deceptionum laqueos tendere nullatenus ceſſant? Quando talium quis paraſceve jam dictum, vel ſabbatum fecit? Timeo de talibus, utinam non mei ſimilibus: ne dum putant comedere agnum, comedant potius hircum; & utinam non illum, qui abductus eſt in deſertum, qui latine emiſſarius, hebraice hazezel, id eſt, crudelis Dei interpretatur; quem qui in deſertum emiſit, caſtra ſolummodo Dei non eſt ingredi dignus, niſi loto prius corpore, & veſtibus omnibus; ſed hoedum potius, quarta decima qui die ad veſperam ab omni eſt populo immolatus. Væ enim illis, quibus tantum bonum in tam magnum vertitur malum, hoc eſt, manſuetudo Dei in crudelitatem: dum comedentes utique carnem, & ſanguinem ejus bibentes indigne, judicium ſibi manducant & bibunt. Væ, inquam, nobis miſeris, & millies væ! Cum enim Sacerdotes non ob aliud vocemur, niſi quia ſacrum conficere, & dare populo debemus; Scriptura vero ſancta dicat econtra: *Quidquid* (m) *tetigerit immundus, immundum erit:* quomodo ſaltem dici valet aliquid ſacrum, immundiſſimis manibus noſtris tractatum? Et cum ſpecialis noſter Doctor atque Proviſor, beatus utique Zeno, dicat in ſermone, utique, quem de Juda filio Jacob, & Thamar nuru ipſius, elegantiſſime compoſuit, quod omnium corrupte viventium diabolus pater ſit; quid valet, quod in conſpectu omnium, qui nos ſciunt corrupte vivere, id eſt, luxuriæ deſervire, clamamus Deo: *Pater* (n) *noſter, qui es in cœlis:* cum ille nobis per Prophetam ſtatim reſpondeat: *Si Pater* (o) *ego, ubi eſt amor meus?* Quid enim facis pro amore meo? Quid infectum relinquis pro timore meo? Iſta, & illis ſimilia, quia vos penitus neſcire doleo, immo de talibus nil curare, gemiſco; paſtoraliter, ut addiſcere feſtinetis, præcipio: & quia ſermone ignoratis, bono exemplo Dei populum erudire, quæſo ſtudeatis.

Ammonemus etiam, & obſecramus, ſicut alibi ſcriptum invenimus, Fraternitatem veſtram, ut de communi ſalute veſtra cogitantes, attentius audiatis ammonitionem noſtram, & quæ vobis ſuggerimus, memoriæ commendetis, & opere exercere ſtudeatis. Inprimis ammonemus, ut vita & converſatio veſtra irreprehenſibilis ſit: ſcilicet, ut cella veſtra ſit juxta Eccleſiam, & in ea feminas non habeatis. Omni nocte ad nocturnos ſurgite, curſum veſtrum certis horis decantate. Miſſarum celebrationes religioſe peragite. Corpus & Sangui-

(l) 1. Corinth. 5. 8.

Sanguinem Domini cum timore & reverentia ſumite. Vaſa ſancta propriis manibus abluite & extergite. Nullus cantet Miſſam, niſi jejunus: nullus cantet, qui non communicet: nullus cantet ſine amictu, alba, ſtola, fanone & planeta: & hæc veſtimenta nitida, & ad nullos uſus alios ſint: nullus cum alba, qua in uſus ſuos utitur, præſumat Miſſam cantare: nullus cum cultellis foris pendentibus, nullus cum calcaribus. Nulla femina ad altare accedat, nec calicem Domini tangat. Corporale mundiſſimum ſit. Altare coopertum de mundis linteis: ſuper altare nihil ponatur, niſi capſæ & reliquiæ, aut forte quatuor Evangelia, & pyxis (*p*) cum corpore Domini ad viaticum infirmis, cetera in nitido loco recondantur. Miſſalem plenarium, Lectionarium, & Antiphonarium, unaquæque Eccleſia habeat. Locus in ſecretario, aut juxta altare ſit præparatus, ubi aqua effundi poſſit, quando vaſa ſacra abluuntur: & ibi vas nitidum cum aqua pendeat, ibique manus lavet poſt communionem.

Nullus extra Eccleſiam per domos, aut in locis non conſecratis, Miſſam cantet. Nullus ſolus Miſſam cantet. Calicem & oblatam recta cruce ſignate, id eſt, non in circulo, & varicatione digitorum, ut plurimi faciunt; ſed ſtrictis duobus digitis, & pollice intus incluſo, per quos Trinitas innuitur, iſtud ſignum † recte facere ſtudete. Non enim aliter quidquam poteſtis benedicere. Infirmos viſitate, & eos reconciliate; & juxta Apoſtolum, oleo ſancto ungite, & propria manu communicate. Et nullus præſumat tradere communionem laico aut feminæ ad deferendum infirmo. Nullus veſtrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis ſepeliendis, præmium vel munus exigat. Videte, ne per negligentiam veſtram ullus infans ſine baptiſmo moriatur.

Nullus veſtrum ſit ebrioſus, & litigioſus, quia ſervum Domini non oportet litigare. Nullus veſtrum arma ferat in ſeditione, quia arma noſtra debent eſſe ſpiritalia. Nullus canum aut avium jocis inſerviat. Nolite in tabernis bibere. Curam pauperum & orphanorum, ac peregrinorum habete; & eos ad prandiola veſtra invitate. Eſtote hoſpitales, ut alii a vobis exemplum capiant bonum. Omni die Dominica ante Miſſam aquam benedictam facite, unde populus aſpergatur, & ad hoc ſolum vas habete. Sacra vaſa & veſtimenta ſacerdotalia nolite in pignore dare negotiatori aut tabernario. Nullus veſtrum minus digne pœnitentem cujuscumque rei gratia ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat. Nullus veſtrum uſuras exigat, & conductor fœnoris exiſtat. Res & facultates, quas poſt diem ordinationis veſtræ acquiritis, ſciatis ad Eccleſiam pertinere. Nullus ſine ſcientia & conſenſu noſtro Eccleſiam acquirat. Nullus per poteſtatem ſæcularium Eccleſiam obtineat. Nullus per pecuniam alterius Eccleſiam ſupplantet. Nullus Eccleſiam, ad quam titulatus eſt, relinquat, & ad aliam quæſtus cauſa migret. In alterius parochia Miſſam nullus cantet abſque parochiani Presbyteri, ſi præſens eſt, voluntate & rogatu. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare, & bibere vinum, niſi pro eo ad præſens eleemoſynam fecerit.

Nullus præſumat baptizare, niſi in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, niſi propter periculum mortis. Unusquisque fontes habeat: & ſi non poteſt habere lapideos, habeat aliud vas ad hoc præparatum, in quo nihil aliud fiat. Videte, ut omnibus Parochianis veſtris ſymbolum & orationem Dominicam inſinuetis. Jejunium quatuor temporum, & rogationum, & Litaniæ majoris, plebibus veſtris omnimodis obſervandum inſinuate: Feria quarta ante Quadrageſimam, plebem ad confeſſionem invitate, & ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde veſtro, ſed ſicut in Pœnitentiali ſcriptum eſt. Quater in anno, id eſt, Natali Domini, & Cœna Domini, Paſcha, & Pentecoſte, omnes fideles ad communionem Corporis & Sanguinis Domini accedere ammonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abſtinere exhortamini. Eulogias poſt Miſſam in diebus feſtis plebi tribuite.

Nullus ſine ſtola in itinere incedat: nullus induatur veſtimentis laicalibus: nullus

(*p*) buxida.

nullus rem, aut possessionem, aut mancipium Ecclesiæ vendere, aut commutare, aut quocumque ingenio alienare præsumat: diem Dominicum, & alias festivitates, absque opere servili a vespera ad vesperam celebrare docete. Carmina diabolica, quæ super mortuos nocturnis horis vulgus cantare solet, & cachinnos, quos exercent, sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus illis præsumat Missam cantare, sed & plebibus vobis commissis hoc annuntiate. Ad nuptias nullus vestrum eat. Omnibus denuntiate, ut nullus uxorem accipiat, nisi publice celebratis nuptiis. Raptum omnimodis prohibete, & ut nullus ad proximam sanguinis sui accedat, & ut alterius sponsam nullus ducat. Porcarios, & alios pastores vel Dominico die ad missam venire facite. Patrini filiis suis symbolum & orationem Dominicam insinuent, aut insinuari faciant. Chrisma semper sub sera sit, aut sub sigillo, propter quosdam infideles.

Volumus autem scire de quolibet Presbytero, si ex ingenuis parentibus sit natus, aut ex conditione servili, aut si de nostra Parochia natus est, aut ordinatus, vel ad quem locum prætitulatus. Si servus fuit, ostendat chartam libertatis. Si de alia Parochia, ostendat literas commendatitias, quas formatas vocant.

De ministerio etiam vobis commisso vos ammonere curamus, ut unusquisque vestrum, si fieri potest, expositionem symboli & orationis Dominicæ, juxta traditionem orthodoxorum penes se scriptam habeat, & eam pleniter intelligat; & inde si novit, prædicando, populum sibi commissum sedulo instruat; si non, saltem memoriter ac distincte proferre valeat: Epistolam & Evangelium bene legere possit, & utinam saltem ad literam ejus sensum posset manifestare. Psalmorum verba & distinctiones, regulariter ex corde cum canticis consuetudinariis pronuntiare sciat. Sermonem, ut superius dixi, Athanasii Episcopi, de fide Trinitatis, cujus initium est: *Quicunque vult.* memoriter teneat. Exorcismos, & orationes ad Catechumenum faciendum, ad fontem quoque consecrandum, & reliquas preces super masculum & fœminam, pluraliter & singulariter, distincteque proferre valeat; similiter ordinem baptizandi, ad succurrendum infirmis, ordinem quoque reconciliandi, juxta modum sibi canonice reservatum, atque ungendi infirmos; orationes quoque eidem necessitati competentes, bene saltem sciat legere: similiter ordinem & preces in exsequiis agendis defunctorum: similiter exorcismos, & benedictiones salis & aquæ memoriter teneat. Canticum nocturnum atque diurnum noverit. Computum minorem, id est, epactas concurrentes regulares, terminum Paschalem, & reliquos, si possibile est, sapiat: Martyrologium, & pœnitentialem habeat, & cetera. De ordinandis pro certo scitote, quod a nobis nullo modo promovebuntur, nisi aut in civitate nostra, aut in aliquo Monasterio, vel apud quemlibet sapientem ad tempus conversati fuerint, & literis aliquantulum eruditi, ut idonei videantur Ecclesiasticæ dignitati.

Cum auctoritas quoque contineat Ecclesiastica, ut de rebus Ecclesiasticis quatuor fieri debeant partes: e quibus una Episcopi, altera fabricæ Ecclesiæ, tertia Clericorum, quarta debeat esse pauperum & hospitum: si vestram pleniter habetis, de illis, quæ ad Episcopum, fabricam, vel pauperes pertinent, nullam invidiam habeatis: reminiscentes, Dominum præcepisse: *Non* (q) *concupisces rem proximi tui: & de re, quæ ad te non pertinet, ne solicitus fueris.* De ipsa vero, quæ ad vos pertinet, fidem inter vos habetote, & communiter vos eam dividite, sive sit magna, sive sit modica: scientes, Apostolum dixisse: *Nemo* (r) *circumveniat in negotio*, id est, causa aliqua, *fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de omnibus his, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.* Noveritis etiam, quod melius sit omni Christiano, fraudem pati, quam inferre.

Quadragesimam, exceptis diebus Dominicis, æqualiter facite: si enim uno die jejunas, altero crapularis, non quadragesimam, sed vigesimam fecisti. In

In adventu Domini, nisi festivitas intercedat, quatuor hebdomadibus a carne noveritis abstinendum, & coitu. In Natale Domini viginti diebus ac noctibus a coitu etiam licito omnino cessandum; similiter in octavis Paschæ, & Pentecostes, litaniarum, & omnium festivitatum vigiliis, sextis etiam feriis, præcipue autem omnibus diebus vel noctibus Dominicis. Auctoritate etiam festivitatis Paschalis compellente, monemus vestram dilectionem, in Christo fratres sinceriter diligendi, ut secunda, tertia, quarta & quinta feria hebdomadæ majoris, jejunetis usque ad nonam, exceptis parvulis, & senio gravi confectis, atque infirmis. Quinta feria, hora nona ad Ecclesiam matrem omnes reconciliandi venite. Sexta feria usque ad nonam jejunate, & cui placet, amplius. Septima feria ante horam decimam nullus præsumat Missam cantare, nec baptismum generale agere. Qui si pro infirmitate aliquis jejunare non potest, proficiat ei jejunium, quod generalis facit Ecclesia: omnes enim in Christo unum corpus sumus: tantum nullus sua importunitate universitatem Ecclesiæ nostræ contra Dominum compellat delinquere, & tam gloriosam festivitatem in aliquo violare. De occultis peccatis pœnitentiam vos dare posse scitote, de publicis ad nos referendum agnoscite. Clericum nemo vestrum sine licentia faciat nostra: nullus balbum, vel ultra mensuram blæsum: nullus eum, qui de litteris durum habet sensum. Si festivitas, quæ non sit Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, aut Apostolorum, evenerit in quadragesima, vel quatuor temporum jejuniis; magis jejunium tenendum, quam festivitatem celebrandam scitote: nisi forte illius Sancti sit festivitas, qui in eadem Parochia jacet: quia nulla solennitate, amplius delectatur Deus, quam illo jejunio, quo à cibis abstinetur & vitiis. Otiositas quoque inimica est animæ. Videte, si absque horum, quæ præmisimus, scientia, ministerium vestrum facere possitis, & plebes vobis commissas ad vitam ducere, & Christo repræsentare.

Ex Tomo I. Spicilegii D'acheriani p. 260. Edidit Hardouin. Tomo VI. Concilior. pag. 787. & seqq.

BURCHARDI,

WORMATIENSIS EPISCOPI,

De auctoritate, Præsidio, membris, tempore, ordine Synodorum congregandarum.

CAPITULA COLLECTA EX LIBRO I. DECRET. BURCHARDI.

Quod auctoritas congregandarum Synodorum Apostolicæ Sedi commissa sit privata potestate.

Ex Isidori Cap. 8.

CAPUT XLII.

Synodorum vero congregandarum auctoritas Apostolicæ Sedi, privata commissa est potestate. Nec ullam Synodum generalem ratam esse legimus, quæ ejus non fuerit auctoritate congregata, vel fulta. Hæc canonica testatur auctoritas, hæc historia Ecclesiastica roborat, hæc sancti Patres confirmant.

Quod bini conventus Episcopales singulis annis fieri debeant.

Ex Decreto Leonis Papæ ad Rusticum Episcopum Cap. 37.

CAPUT XLIII.

De Conciliis autem Episcopalibus non

Burchardus, Hassus origine, ex Lobiensi Monacho, Diœcesis Leodiensis, Ordinis S. Benedicti, adivit Cathedram Wormatiensis Diœcesis anno 996. Obiit 1025. 13. Kal. Septembris. Ejus opera, Coloniæ 1548. impressa, in Libros XX. dispescuntur: sed MS. codices Burchardi pleniores & emendatiores impressis esse, testatur *Baluzius variis locis.*

non aliud indicimus, quam ſanɛti Patres ſalubriter ordinaverunt, ut ſcilicet bini Conventus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diverſos Eccleſiæ ordines naſci aſſolent, judicetur. Ac ſi forte inter ipſos, qui præſunt, de majoribus, quod abſit, peccatis cauſa naſcatur, quæ provinciali nequeat examine definiri; fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit inſtruere, ut ſi coram poſitis partibus nec tuo fuerit reſopita judicio, ad noſtram cognitionem, quicquid illud eſt, transferatur.

De Synodis, quo tempore ſint habendæ.

Ex Concilio Antiocheno cap. XX. Tomo noſtro primo pag. 159.

CAPUT XLIV.

Propter utilitates Eccleſiaſticas & abſolutiones earum rerum, quæ dubitationem controverſiamque recipiunt, optime placuit, ut per ſingulas quaſque Provincias in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur. Semel quidem poſt tertiam ſeptimanam feſti Paſchalis, ita, ut in quarta ſeptimana, quæ conſequitur, id eſt, medio Pentecoſtes conveniat Synodus, Metropolitano Comprovinciales Epiſcopos admonente. Secunda vero Synodus fiat Idus Octobris, id eſt, XV. die menſis Octobris, quem Hyperberetheon Græci nominant. In ipſis autem Conciliis adſint Presbyteri, Diaconi, & omnes, qui ſe læſos exiſtimant, & Synodi experiantur examen. Nullis vero liceat apud ſe celebrare Concilia, præter eos, quibus Metropolitana videntur eſſe commiſſa.

De Synodo congreganda.

Ex Synodo Arvernenſi cap. 15.

CAPUT XLV.

Peractis omnibus, quæ ad correctionem noſtri ordinis in hoc Concilio promulgata ſunt, placuit definire, ut omni anno ad peragendam celebritatem Concilii in Metropolitana Sede, tempore, quo Principis, vel Metropolitani electio definierit, devotis ſemper animorum ſtudiis conferamus, nec quibuslibet requiſitis occaſionibus diſſentiamus, ſed in præparato die, quo indictum fuerit, adunatis in Metropolitana Sede omnibus Provinciæ Pontificibus, Concilium Deo præſule celebretur. Quiſquis autem Epiſcoporum, excepta inevitabili cauſa vel neceſſitate, de peragendo ſe Concilio abſentaverit, per unius anni ſpacium erit communione plectendus. Quod ſi deinceps abſque celebratione Concilii anni unius metas tranſierit, omnium in communione Pontificum ejuſdem Provinciæ ſententiam obnoxius retinebit. i. Si nulla ſibi impediente Principis poteſtate, vel infirmitate, vel inevitabili cauſa, ſed ſolius propriæ voluntatis libitu, ſe ſe ad celebrandum Concilium non collegerit.

De Archi-Epiſcopo, qui tempore pacis ultra biennium Synodum annuntiare neglexerit.

Ex Concilio Meldenſi cap. 3.

CAPUT XLVI.

Quod ſi intra biennium, divinitus temporum tranquillitate conceſſa, admonitis Comprovincialibus a Metropolitano Synodus indicta non fuerit, & Metropolitanus ipſe provocationes tardaverit, anno integro Miſſas facere non præſumat. Quod ſi evocati, & non corporali infirmitate detenti, adeſſe ſua abuſione deſpexerint, ſimili ſententiæ ſubjacebunt.

De Epiſcopis ad Synodum vocatis, ut venire non contemnant.

Ex Concilio Laodiceno cap. 40. *Tomo primo noſtro pag.* 165.

CAPUT XLVII.

Quod non oporteat Epiſcopos, ad Synodum vocatos omnino contemnere, ſed protinus ire, & docere, & diſcere ea, quæ ad correctionem Eccleſiæ, vel reliquarum pertinent rerum. Seipſum vero, qui contempſerit, accuſabit; niſi forte per ægritudinem ire non poſſit.

Quales Epiſtolæ a Metropolitano ſint fratribus dirigendæ.

Ex Concilio Tarraconenſi. Cap. 13.

CAPUT XLVIII.

Epiſtolæ tales per fratres a Metropolitano ſunt dirigendæ, ut non ſolum de Cathedralibus Eccleſiæ Presbyteris, verum

verum etiam de Diœcesanis ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Ecclesiæ sæcularibus secum adducere studeant.

De eadem re.

Ex Concilio Agathensi. Cap. 36.

CAPUT XLIX.

Si Metropolitanus Episcopus ad Comprovinciales Episcopos epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem alicujus fratris, aut ad Synodum invitet, postpositis omnibus, excepta gravi infirmitate corporis, aut præceptione Regia, ad constitutam diem adesse non differant. Qui si defuerint, sicut prisca Canonum præcepit auctoritas, usque ad proximam Synodum charitate fratrum, & Ecclesiæ communione priventur.

De Episcopo, qui Synodo adesse neglexerit.

Ex Concilio Hispalensi. Cap. 10.

CAPUT L.

Si quis autem Episcoporum Synodo adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam Concilium dissolvatur, crediderit deserendum: alienum se a fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti Synodo fuerit absolutus.

De Episcopo, qui per ægritudinem ad Synodum venire non potuerit.

Ex Decretis Felicis Papæ. Cap. 11.

CAPUT LI.

Quod si ægrotans fuerit Episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se Legatum ad Synodum mittat: suscepturus salva fidei veritate, quicquid Synodus statuerit.

De Episcopis ad Synodum vocatis, & venire, & missos suos mittere dedignantibus.

Ex Synodo Altheimensi Cap. 11. *Tomo nostro II. p.* 589.

CAPUT LII.

Placuit sanctæ Synodo, Episcopos, qui vocati de Saxonia ad sanctum Concilium non venerunt, nec secundum Canones sacros, Missos suos vel Vicarios direxerunt, gravi increpatione objurgare, & pro culpa inobedientiæ increpare. Unde iterum eos fraterna charitate ad condictum Concilium invitamus & vocamus. Quod si & hoc, quod non optamus, pro nihilo duxerint, & venire noluerint, justamque rationem inobedientiæ suæ reddere detrectaverint, Apostolica auctoritate interdicit eis Petrus, sancti Petri & Papæ missus, una cum sancta Synodo, Missas celebrare, quousque Romam veniant, & coram Papa & sancta Ecclesia dignam reddiderint rationem.

Concilium universale non nisi necessitate faciendum.

Ex Concilio Africano Cap. 41.

CAPUT LIII.

Placuit, ut non sit ultra fatigandis fratribus universalis necessitas, sed quoties exegerint causæ communes, id est, si totius Africæ undecunque relatæ ad hanc sedem fuerint litteræ, congregandam esse synodum in ea provincia, ubi opportunitas persuaserit. Causæ autem, quæ communes non sunt, in suis Provinciis judicentur.

Ut Episcopi posteriores se prioribus suis non præferant.

Ex Epistola Lucii Papæ, Occidentalibus missa. Cap. 5.

CAPUT LIV.

Episcopi vero per singulas Provincias observent, ne posteriores se superioribus suis præferant, nec eis inconsultis, nisi quantum ad propriam pertinet Parochiam, aliquid agant. Sed omnes de communibus eorum causis, consonam sententiam proferant, & determinent; quoniam aliter actæ nullas vires habebunt, nec Ecclesiasticæ reputabuntur.

Ut Episcopi sui ordinis tempus observent, alter alteri honorem præbentes.

Ex Concilio Cabillonensi. Cap. 7.

CAPUT LV.

Item placuit, ut conservato Metropolitani Episcopi primatu, cæteri Episcopo-

coporum ſecundum ſui ordinationis tempus alius alii ſedenti deferat locum.

De Epiſcoporum ordine, ut qui poſterius ordinati ſunt, prioribus ſe non audeant anteferre.

Ex Concilio Africano Cap. 53. *Tomo primo noſtro pag.* 218.

CAPUT LVI.

Valentinianus Epiſcopus dixit: Si permittit bonum patientiæ veſtræ, proſequor, ea quæ præterito tempore in Eccleſia Carthaginenſi geſta ſunt & ſubſcriptionibus fratrum firmata claruerint, etiam hoc nos ſervaturos eſſe profiteor. Sed illud ſcimus, inviolate ſemper manſiſſe Eccleſiaſticam diſciplinam, ut nullus fratrum prioribus ſuis ſe aliquando auderet anteponere; ſed officiis charitatis id ſemper exhibitum eſt prioribus, quod ab inſequentibus gratanter ſemper acciperetur.

De rebus dubiis in Conciliis Epiſcoporum emergentibus.

Ex Epiſtola Bonifacii Papæ ad Epiſcopos Galliæ.

CAPUT LVII.

Si inter Epiſcopos ejuſdem Concilii dubitatio emerſerit de Eccleſiaſtico jure, vel de aliis negotiis: primum Metropolitanus eorum cum aliis quibuſdam in Concilio conſiderans rem judicet. Et ſi non acquieſcat utraque pars judicatis, tunc Primas illius Regionis inter ipſos audiat, & quod Eccleſiaſticis canonibus, & legibus noſtris conſentaneum ſit, hoc definiat, & nulla pars valeat calculo ejus contradicere.

Ut Epiſcopi in Synodo reſidentes, quæ ad emendationem vitæ pertineant, primum emendent.

Ex Concilio Arvernenſi Cap. I.

CAPUT LVIII.

In primis placuit, ut quoties ſecundum ſtatuta Patrum ſancta Synodus congregatur, nullus Epiſcoporum aliquam prius cauſam ſuggerere audeat, quam ea, quæ ad emendationem vitæ, & ſeveritatem regulæ, ad animæ remedia pertinent, finiantur.

De Metropolitano, ſi comprovincialem Epiſcopum in ſua cauſa audire diſtulerit.

Ex Decretis Alexandri Papæ.

CAPUT LIX.

Si Metropolitanus a quocunque comprovinciali Epiſcopo fuerit in cauſa propria appellatus, & eum audire diſtulerit, in proxima Synodo negotii ſui habeat licentiam exercendi: & quicquid propter juſtitiam à comprovincialibus ſuis fuerit ſtatutum, debet cuſtodiri.

Ut Epiſcopi juſta judicia ſemper dijudicent.

Ex Concilio Remenſi Cap. 19.

CAPUT LX.

Ut Epiſcopi & Judices judicia diſcernant; quia ſunt quædam judicio Dei reſervanda. Scriptum eſt enim: Nolite (*a*) judicare ante tempus, quoaduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium; & tunc laus erit unicuique a Deo. Et illud memores ſint: In quo (*b*) enim judicio judicaveritis, judicabimini & vos.

Ut Canonum ſtatuta ab omnibus rite cuſtodiantur, & nullus ea ſuo ſenſu dijudicare præſumat.

Ex Concilio Meldenſi. Cap. II.

CAPUT LXI.

Canonum ſtatuta ſine præjudicio ab omnibus cuſtodiantur, & nemo in actionibus, vel in judiciis Eccleſiaſticis ſuo ſenſu, ſed eorum auctoritate ducatur. In exponendis etiam, vel præjudicandis Divinis Scripturis, Sanctorum Catholicorum Patrum, & probatiſſimorum ſenſum quiſque ſequatur: in quorum ſcriptis, ut beatus dicit Hieronymus, fidei veritas non vacillet.

De

(*a*) I. Corinth. IV, 5. (*b*) Rom. II, 1.

De diffidentibus Epifcopis.

Ex Concilio Carthaginenfi Cap. 15.

CAPUT LXII.

Diffidentes Epifcopos fi non timor Dei, Synodus reconciliet.

De inflatione Metropolitanorum, & faftu, & de Epifcopis, ac reliquis Clericis, qui læduntur a Metropolitano.

Ex Epiftola Aniceti Papæ, Epifcopis per Galliam conftitutis miffa. Cap. 4.

CAPUT LXIII.

Si autem aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, & fine omnium comprovincialium præfentia, vel confilio Epifcoporum alias caufas agere, nifi eas tantum, quæ ad propriam fuam pertinent parochiam: aut eos gravare voluerit; ab omnibus diftricte corrigatur, ne talia deinceps præfumere audeat. Si vero incorrigibilis, eifque inobediens apparuerit: ad hanc Apoftolicam Sedem, cui omnia Epifcoporum judicia terminare præcepta funt, ejus contumacia referatur, ut vindicta de eo fiat, & cæteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris afperitatem, grave ad hanc fedem ejus caufam deferre fuerit; tunc ad ejus Primatem ejus caufa deferatur, & penes ipfum hujus Sanctæ Sedis auctoritate judicetur. Similiter fi aliquis Epifcoporum Metropolitanum fufpectum habuerit, apud Primatem Diœcefeos, aut apud hanc Apoftolicam Sedem audiatur.

Hactenus Burchardus editus Coloniæ 1548. in Folio Libro I. a Capitulo XLII. ad Capitulum LXIII.

In ordine de celebrando Concilio varii & plures Canones affignantur, prælegendi in Concilio Provinciali, aut Diœcefano, videturque ea prælectio definita fuiffe a Præfide Concilii, vel ab Epifcopis præfentibus: certe varia in variis ordinationibus legitur.

Quomodo initianda fit Synodus. (a)

HOra convenienti, quando Epifcopo, vel ejus Vicario vifum fuerit, omnes expellantur de Ecclefia, obferatis foribus cunctis: ad unam januam, per quam Sacerdotes ingredi oportet, Oftiarii ftent, & fella ponatur in medio, & fuper eam facræ reliquiæ, & plenarium cum ftola ponantur. Deinde convenientes Presbyteri omnes intrent, & fecundum ordinationis fuæ tempus refideant. Poft hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo popofcerit intereffe. Exinde introducantur laici bonæ converfationis. Tunc ingrediatur Epifcopus, fi voluerit, vel fi neceffitas exegerit, & fi non aderit Epifcopus, ejus Vicarius eadem faciat.

Synodum ingrediens ipfe, vel ejus Vicarius, primum falutet Clerum & populum: & verfus in Orientem, mediocri voce dicat:

Deus humilium vifitator, qui nos fraterna dilectione confolaris; prætende focietati noftræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis fentiamus adventum. Per Dominum &c.

Tunc procedens Diaconus cum Subdiacono & cum thuribulo, & cum ceroferariis duobus legat Evangelium.

Cum effet fero die illo una Sabbatorum, & fores effent claufæ.

Deinde

(a) Hardouin. poft Synodum Salegunftadienfem Tomo VI. Conciliorum imprimi fecit hunc ordinem Concilii fervandi, quia in impreffo codice Burchardi Decretorum Coloniæ 1548. edito impreffus eft poft eam Synodum.

Merlinus, Surius, Binius, Collectio Regia Conciliorum anni 1643, collectio Hardouini anni 1715. ediderunt ordinem *de celebrando Concilio*, nonnihil diverfum ab hoc, qui inter opera Burchardi impreffus eft.

Deinde dicat Pontifex, vel ejus Vicarius:

Sancta Maria, & omnes Sancti, & Electi Dei, intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum Deum nostrum, ut mereamur ab eo adjuvari & protegi & sanari. Qui vivit & regnat in sæcula.

Postmodum duabus vicibus dicat:

Deus in adjutorium meum intende:
Domine ad adjuvandum me festina.

Tunc tertio iterum dicat:

Deus in adjutorium meum intende.

Clero respondente:

Domine ad adjuvandum me festina, *cum* Gloria Patri, & Kyrieleeson, *&* Pater noster, *cum precibus istis.*
Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum aniquarum.
Adjuva nos Deus salutaris noster.
Esto nobis Domine turris fortitudinis.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Exaudi nos Deus salutaris noster, & dies nostros in tua pace dispone, ut a cunctis perturbationibus liberati, tranquilla tibi servitute famulemur. Per Dominum nostrum.

Deinde pro universis Ordinibus, nec non pro statu Papæ, & Antistitis ejusdem Sedis, dicant istos Psalmos:

Miserere mei Deus secundum magnam.
Deus in nomine tuo salvum me fac.
Miserere mei Deus, miserere mei.
Deus misereatur nostri. *Et* Pater noster *cum precibus.*
Sacerdotes tui induantur justitia.
Memento Congregationis tuæ.
Salvos fac nos Domine Deus noster.
Ut confiteamur Nomini sancto tuo.
Adjutorium nostrum in nomine Domini.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per Dominum.

Deinde dicat:

Deus, omnium fidelium Pastor: & Rector, famulum tuum, quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei quæsumus verbo & exemplo, quibus præsit, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Dominum.

His expletis, septem Psalmos pœnitentiæ decantent cum Kyrieleeson, *&* Pater noster *cum precibus istis:*

Ego dixi, Domine, miserere mei.
Convertere Domine usque quo.
Fiat misericordia tua Domine super nos.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Dies nostros, quæsumus Domine, placatus intende: pariterque nos & a peccatis absolve propitius, & a cunctis eripe benignus adversis. Per Dominum.

Post hæc vero egrediantur omnes, exceptis Presbyteris, & cæteris idoneis Clericis, factoque silentio Pontifex, vel ejus Vicarius dicat hanc orationem:

Dominus vobiscum.

Oremus.

Adesto nobis, quæsumus Domine Sancte Spiritus, peccati quidem immanitate detentis, sed in nomine tuo specialiter aggregatis: veni ad nos, & dignare illabi cordibus nostris: doce nos, quid agamus: quo gradiamur; ostende, quid efficiamus, operare. Esto salus & suggestor, & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores justitiæ esse, qui summæ veritatis diligis æquitatem, ut in sinistrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat; sed junge nos tibi efficaciter solius gratiæ tuæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus a vero: quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut & hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna. Per.

Tunc Diaconus codicem canonum in medium proferens, capitula de Conciliis agendis pronuntiet, id est, ex Concilio

cilio Toletano: (*) finitisque titulis, & cunctis in ordine sedentibus, hæc admonitio ab Episcopo, vel si voluerit, a Diacono legatur.

Ecce, Sanctissimi fratres, præmissis Deo precibus fraternitatem vestram cum pia exhortatione convenio, & per Divinum nomen obtestor; ut ea, quæ a nobis de Deo & sacris ordinibus, vel nostris moribus vobis fuerint dicta, cum summa reverentia perficere intendatis. Quod si forsitan aliquis nostrum aliter, quam dicta fuerint senserit; sine aliquo scrupulo contentionis, in nostrum omnium copulatione ea ipse, de quibus dubitaverit conferenda reducat: qualiter Deo mediante aut doceri possit, aut doceat. Deinde vos simili obtestatione conjuro, ut nullus vestrum in judicando, aut personam accipiat, aut quolibet favore, aut munere pulsatus a veritate discedat. Sed cum tanta pietate quicquid cœtui se judicandum intulerit, retractate; ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ inter nos locum inveniat, nec iterum in perquirenda æquitate vigor nostri ordinis vel sollicitudo tepescat.

Post hanc exhortationem, quisquis Clericorum velit, conferat querelam. Et admonendi sunt, ut nullus ad Synodum veniat non jejunus vel a cœtu communi secedat, antequam generalis secessio adveniat. Et sic quoque Synodus primi diei solvatur.

Secunda die, quando Episcopus, vel ejus Vicarius, synodum ingreditur, in loco suo stans dicat:

Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus, qui nobis in famulis tuis præsentiæ tuæ signa manifestas, mitte super nos Spiritum charitatis, ut in adventu fratrum, conservorumque nostrorum, gratia nobis tuæ largitatis augeatur. Per.

Postea legatur Evangelium, ita ut in priori die.

Designavit Dominus & alios septuaginta duos.

Deinde dicat Episcopus, vel ejus Vicarius, preces sicut in priori die.

Sancta Maria, & omnes Sancti, *& sic cætera.*

Tunc omnes prostrati decantent psalmos istos pro Regis nostri & aliorum sui regni Primatum sospitate.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me.
Exaudiat te Dominus in die tribulat.
Deus auribus nostris audivimus.

Cum Kyrieleeson *&* Pater noster, *cum precibus istis.*

Domine salvum fac Regem.
Esto ei Domine turris fortitudinis.
Salvum fac populum tuum Domine.
Fiat pax in virtute tua.
Exurge Domine, adjuva nos.
Domine exaudi orationem meam.
Domine Deus virtutum converte nos.
Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus, regnorum omnium & Christiani maxime protector imperii, da servo tuo, Regi nostro, triumphum virtutis tuæ scienter excolere, ut qui tua constitutione est Princeps, tuo semper munere sit potens. Per.

Oremus.

Prætende Domine famulis tuis dexteram cœlestis auxilii, ut(**) toto corde perquirant, & quæ digne postulant, consequi mereantur. Per.

Deinde pro infirmis & pro salute totius Ecclesiæ istos Psalmos decantent:

Beatus, qui intelligit.
Domine refugium.
Domine Deus salutis meæ.

Cum Kyrieleeson *&* Pater noster, *cum precibus istis.*

Castigans castigavit eos Dominus.
Nihil proficiat inimicus in eis.
Exurge Domine, adjuva nos.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiscum.

Oremus.

(*) Ordo Concilii celebrandi, editus a Merlino, hæc addit de Concilio Toletano tertio, æra XVIII. Item ex Concilio Toletano quarto, æra III. Item ex Capitulis Orientalium Patrum, quæ Martinus Episcopus de Græco in Latinum vertit, æra XVIII. de Synodo facienda. Item ex Concilio Chalcedonensi, æra XVIII. Item ex Concilio Agathensi, æra XXV. vel XXVI. vel aliud de Canonibus, quod aptius Metropolitano visum fuerit, ut legatur. Finitisque titulis.

(**) *forte addendum:* Te.

Oremus.

Deus, infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilii tui ſuper infirmos famulos & famulas tuas oſtende virtutem, ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, Eccleſiæ tuæ ſanctæ repræſentari mereantur. Per.

Poſtea legatur a Diacono homelia Gregorii, incipiente verſu iſto.

Meſſis quidem multa, *uſque:* Patres eſſe recognoſcunt.

Tunc ſi Clerici querelam non habent conferendam, laici intromittantur : illis etiam audientibus Lectio Nicæni Concilii recitetur:

Judices nonniſi jejuni leges & judicia diſcernant. Quiſquis ex laicis habet querelam, proferat. *Et Synodus ſecundæ diei ſic ſolvatur.*

Tertia die cum Epiſcopus, aut ejus Vicarius, ut in cæteris diebus ſynodum ingreditur, dicat:

Dominus vobiſcum.

Oremus.

Protege Domine, quæſumus, nos famulos tuos ſubſidiis mentis & corporis: & ſpiritualibus enutriens alimentis, propitius redde ſecuros ab hoſtibus univerſis. Per Dominum.

Et poſt hoc legatur Evangelium:

Circuibat Jeſus civitates & caſtella..

Deinde pro fidelibus defunctis iſtos Pſalmos decantent:

Verba mea auribus percipe, Domine.
Domine, ne in furore tuo. *Minorem.*
Ad te Domine levavi animam meam.
Cum Kyrieleeſon *&* Pater noſter *cum precibus iſtis.*

Requiem æternam dona eis Domine.
In memoria æterna erunt juſti.
A porta inferi. Dominus vobiscum.

Oremus.

Inveniant, quæſumus, Domine animæ famulorum, famularumque tuarum omnium in Chriſto quiescentium lucis æternæ conſortium : qui in hac luce poſiti, tuum conſecuti ſunt Sacramentum. Per Domin.

Poſt hæc pro irreligioſis iſtos Pſalmos decantent:

Ad te Domine clamabo.
Benedicam Dominum.
Deus venerunt gentes.
Cum Kyrieleeſon *&* Pater noſter *cum precibus iſtis.*

Fiat pax in virtute tua.
Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
Deus tu converſus vivificabis nos.
Domine exaudi orationem meam.
Dominus vobiſcum.

Oremus.

Deus, qui infideles deſeris, & juſte indevotis iraſceris, populum tuum, quæſumus, ad te converte propitius, ut qui te per duritiam irreligoſæ mentis ſemper offendunt: ad ſancta officia promerenda, tuæ miſerationis gratia inſpirante convertas. Per Dominum.

Si quæ ſunt quæſtiones, vel querelæ, conferantur.

Et ſic Synodus tertiæ diei ſolvatur.

Quarta vero die Epiſcopus Synodum ingrediens, ſic procedat, ut primum portentur ante eum duo candelabra cum cereis incenſis, quæ ſequatur Subdiaconus, portans Evangelium, duæ cruces hinc & inde. Deinde Diaconus. Poſtremum Epiſcopus, Epiſcopalibus indutus veſtimentis, & cappa ingrediatur. Et ingreſſus in ſede ſua ſtans dicat:

Dominus vobiſcum.

Oremus.

Noſtrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quæſumus, ut bonum, quod in nobis a te requiritur, exequamur: ſcilicet, ut prompta tecum ſollicitudine gradientes, diſcretionis arduæ ſubtile judicium faciamus, ac miſericordiam diligentes, clareamus ſtudiis tibi placitæ actionis. Per Dominum.

Poſtea ſolito more legatur Evangelium:

Reſpiciens Jeſus diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro: Si peccaverit.

Ex editione Colonienſi 1548. *poſt libros Burchardi Wormatienſis Epiſcopi.*

Quinam

Quinam Laici ex Vasallis Episcopi Trajectensis ad Rhenum generali Synodo Ecclesiæ suæ interesse teneantur.

Definitio Adelboldi Episc. Trajectensis, defuncti 1027., & Notificatio Ministerialium Ecclesiæ suæ.

IN Nomine Domini. Amen. (*a*) Operæ pretium duxi, ea, quæ sequuntur, scriptis inserere, ne in posterum lateret, quod præsens ætas faceret. Quapropter desidero, notum esse sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus, quam futuris, quod ego Adelboldus, Dei solummodo gratia Sanctæ Dei Ecclesiæ Trajectensis Præsul indignus, cum Feudales liberi Trajectensis Ecclesiæ a me feudum suum requirerent, Prædecessorum meorum Episcoporum Trajectensis mihi literas ostenderunt, continentes, quæ & qualia bona ipsi & eorum progenitores ab Ecclesia Trajectensi tenuerunt: quibus visis, in scriptis feci redigi, quæ sequuntur.

Dux Brabantiæ est liber feudalis Ecclesiæ Trajectensis, & tenet in feudum civitatem lapideam in Tiele, cum prædiis, familiis, mancipiis, silvis, aquis, piscationibus, pascuis, pratis, & salictum juxta prædictam civitatem Tiele situm, & omnibus ad civitatem pertinentibus eandem. Item totam campiniam usque Thurnout & Woirde, cum mancipiis, silvis, campis; officiumque ejus est, quod vocatur, & est DAPIFER Episcopi Trajectensis.

Item Comes Gelriæ est etiam liber feudalis Ecclesiæ Trajectensis, & tenet in feudum comitatum Zutphaniæ, cum multis prædiis, mancipiis, pratis, silvis, aquarumve decursibus, & justitiis. Item Embricam cum suis attinentiis pro parte media, & alia pars est Episcopi Trajectensis. Item in pago Batua magnam partem, cum mansis, terris, casis, domibus, mancipiis utriusque sexus & justitiis. Item Tielrewert, & Bomlrewert, cum multis mancipiis, mansis, terris, casis, domibus, campis, pratis, aquis, aquarumve decursibus & justitia. Et dicti Comitis officium est, quod vocatur, & est VENATOR Episcopi Trajectensis.

Item Comes Hollandiæ est liber feudalis Ecclesiæ Trajectensis, & tenet in feudum Comitatum Hollandiæ; & terram Kenemariæ, cum terris, mancipiis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquarum decursibus & justitia: exceptis dictarum terrarum decimis, & terra Waterlandiæ, & Westfrisiæ, quæ totaliter pertinet ad Episcopum & Ecclesiam. Et dictus Comes Hollandiæ vocatur, & est MARESCHALLUS Episcopi Trajectensis.

Item Comes Clivensis est liber feudalis Ecclesiæ, & tenet in feudum in pago Batuo in superiori parte supra Rhenum magnam partem terrarum & mansorum,

(*a*) Hanc notificationem Adelboldi, Trajectensis Episcopi, anno 1027. defuncti, & Henrico II. Regi gratissimi, servavit nobis Wilhelmus Heda, Præpositus Arnheimius, Canonicus Ultrajectinus, anno 1521. dedicans Historiam Episcoporum Trajectensium Ecclesiæ Ultrajectensi, editus a Saffrido Petri 1602. postea a Buchelio.

Ex ea definitione videat Lector catholicus, quantus splendor fuerit unius Episcopi Trajectensis ad Rhenum non solum in jurisdictione spirituali, sed & in jurisdictione temporali, a Regibus & Imperatoribus concessa, ob reverentiam erga Ecclesiam & Episcopos, Christi Ministros, adeo ut Heda non dubitaverit scribere, hos Principes, quidquid expugnatis, aut ad fidem conversis barbaris, terrarum est in Frisia, Hollandia, Batavia, & Insulis, donasse Ecclesiæ & Episcopis Trajectensibus, & sub Præfectis Regiis, vel a se constitutis, vastum dominatum exercuisse.

Cum vero Sæculo X. & XI. Præfecti, Judices, Comites, Advocati Regionum inciperent esse hæreditarii, stirpe Carolingica deficiente; iidem bella moverunt Episcopo Trajectensi, & jam hanc, jam illam Provinciam sibi compararunt. Quod Adelboldus hic, XIX. Episcopus, experiri debuit ab Comitibus Hollandiæ, & alio Theoderico Bavone: unde primus armato milite Ecclesiæ suæ invasoribus obviare debuit, Marte licet infelici.

ſorum, cum caſis, domibus, mancipiis, campis, pratis, paſcuis; & ex alio latere Rheni, & in aliis quibuſdam locis, terras, manſos, caſas, domos, ſilvas, campos. Item Woudrichem cum agris & campis, cum aquis, aquarumque decurſibus & juſtitiis. Et eſt CAMERARIUS Epiſcopi.

Item Comes de Benthem eſt liber feudalis Eccleſiæ, & tenet in feudum Burchgraviatum, ſive Præfecturam Trajectenſem, cum plurimis manſis, terris, inſulis, campis, mancipiis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus & juſtitia in diverſis locis Diœceſis Trajectenſis, qui vocatur & eſt JANITOR Epiſcopi.

Item Dominus de Cuke eſt liber feudalis Eccleſiæ, & tenet in feudum multas terras, inſulas, & decimas, cum caſis, domibus, & ſilvis, campis, pratis, & paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, & juſtitia in diverſis locis Diœceſis Trajectenſis: qui vocatur & eſt PINCERNA Epiſcopi.

Item Dominus de Choer eſt liber feudalis Eccleſiæ Trajectenſis, & tenet in feudum caſtrum Choere, & terram dictam Ameide cum multis terris, manſis, caſis, domibus, ſilvis, campis, mancipiis, pratis, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, mobilibus & immobilibus, & omnibus ad dictos diſtrictus de Choere & Ameide pertinentibus: qui vocatur, & eſt SIGNIFER Epiſcopi Trajectenſis.

PRÆNOMINATI OMNES FEUDALES ECCLESIÆ IN GENERALI SYNODO EPISCOPI TRAJECTENSIS TENENTUR, ET DEBENT PERSONALITER INTERESSE, QUI FEUDUM SUUM A ME RECEPERUNT;

Ac fidelitatem præſtiterunt coram Domino Henrico Romanorum Imperatore, invictiſſimo, Auguſto, præſentibus Aribone Archi-Epiſcopo, Archi-Cancellario, Annone (*b*) Colonienſi, Everhardo Treverenſi, Adelberto Hammelburgenſi Archi-Epiſcopo, Walrico Vice-Cancellario, & pluribus aliis Epiſcopis, Comitibus, & Regni fidelibus. Actum in Tulpiaco caſtro noſtro (*c*) anno Domini MXXI. III. Nonas Januarii.

(*b*) Nec Adelbertus Hammaburgi, nec Anno Coloniæ, nec Eberhardus Treveris anno 1021. Archi-Epiſcopi erant: igitur Adelboldi notitia Miniſtrorum Eccleſiæ Ultrajectinæ ſerius deſcripta fuit a Librario imperito, qui hos Archi-Epiſcopos veluti Henrico I. Imperatori, & Adalboldo coævos adjecit.

(*c*) Tolpiacum, ſi ſit caſtrum, quod eſt in Archi-Diœceſi Colonienſi ſitum, quomodo pertineat ad Adelboldum Trajectenſem, neſcio. Cæterum Henricum I. Imperatorem anno 1021. Natale Domini Coloniæ celebraſſe, adeoque veroſimiliter IV. Non. Januarii illic fuiſſe, Sigebertus Gemblacenſis, auctor ſuppar, anno 1111. ſcribens narrat.

SYNODUS GANDESIENSIS

Anno Chriſti M. Sylveſtri II. Papæ III. Ottonis III. Imp. VI. Regni XVIII.

SUMMA. Willegiſus attentat Concilium celebrare in Diœceſi ſui Suffraganei. Contradicit hujus Legatus. Pergit attentare Willigiſus, ſed nullo effectu.

Willegiſius Archiepiſcopus, quod mente præceperat, actu perfecerat; quidam enim maligni illum impulerunt, Sophia nihilominus inſtiterat. Venit itaque *biduo ante S. Andreæ feſtum* Gandenſem ad Synodum, ut diſpoſuerat, habens ſecum venerabilem Epiſcopum Rhetarium, (*a*) alioſque complures extraneos, videlicet de Thuringis & Haſſis, quorum id nihil intererat, nonnullos etiam de ſua Diœceſi, infra Saxoniam.

Sed

(*a*) Paderbornenſem.

Sed in principio actionis, venerandus Præsul Ekkehardus (b) Archiepiscopum commonet, ut a Synodo desistat, nec in aliena Ecclesia talia præsumat, præcipue cum Dominus Episcopus, ad quem Ecclesia pertineat, absit, & cum DOMINO APOSTOLICO & IMPERATORE consistat. Ad hæc incredibili furore Archiepiscopus succensus, torvo vultu ac minaci jubet, ut sileat, nil ad se talium pertinere; ut propriam Ecclesiam habeat, illam gubernet. Contra Ekkehardus: " Peccatis, *inquit*, agentibus, termini Episcopatus mei, barbarica sunt feritate depopulati; civitas deserta, Ecclesia desolata: sedem non habeo, servum me sanctæ Mariæ, & Hildensemensis recognosco, & in cunctis quoad potero, loco sancto prodesse studebo.

Archiepiscopus itaque productis viris, quos adduxerat, requisivit Episcopos, si liceat illos homines banno suo ad Sacramenta constringere, ad cujus Diœcesim illud cœnobium pertineat. Illi quanquam metum illius veriti, ajunt, legitime fieri non posse, absente Episcopo. Ekkehardus itaque Præsul, & fratres nostri, populus quoque orant instanter, Sacramenta suspendi: qua unanimitate Cleri & plebis, Archiepiscopus commotus, prædicto Episcopo minatur, ut sileat, vel cum injuria foras eum ejiciendum.

Super hoc plures indignati, & aliquanti, quos Archiepiscopus adduxerat. Cum propemodum tumultus oriretur, Ekkehardus Præsul ab Episcopis rogatus, secessit, cunctosque Gandesemenses, & omnes, ad Hildesemensem Diœcesim pertinentes, ad suam Synodum invitavit. Ad cujus bannum unanimiter omnes egressi, illum secuti sunt, tantummodo cum Archiepiscopo suis propriis, quos adduxerat, relictis. Cum vero de Diœcesi, Sacramentis examinarentur, alii ETHRINAM Frideslarensem fluvium, terminum Hildensemensis Parochiæ affirmabant, errorem faciente nomine EDERNÆ fluminis, quod Gandensem alluit; alii certum nihil se scire, nisi quantum aliorum relatu didicerint, approbant; nullus aliquid vel memoria dignum asseruit. Archiepiscopus tamen, ac si veritate cuncta fixa constarent, banno, ne quis illi Sacramento retentum cœnobium auferret, munivit, sicque libero errore discessum est.

Tangmarus in vita S. Bernwardi Episc. Hildesiensis apud Leibnitz. Tomo I. Scriptor. Brunswicensium.

(b) Sleswicensis, Legatus Bernwardi Hildesiensis Episcopi. Sed nec apud Cypræum, nec apud Crantzium invenio Eggehardum Slesvicensem Episcopum: invenio autem *Eziconem* successisse Popponi, Slesvicensi Episcopo, initio Sæculi undecimi mortuo. Qui Ezico fors idem Eggehardo hic memorato est, uti Cunzo Conrado, Hezilo Henrico.

Perierat incendio Gandesiense Sanctimonialium Cœnobium. Hoc cum Gerburgis ejusdem loci Abbatissa, ingenti sumptu restaurasset, Ecclesiam consecrari depoposcit. Sed cum ex diuturna infirmitate, ad obeunda tantæ festivitatis solemnia minime apta sibi videretur; Sophiæ sanctimoniali, nepti suæ, itidemque Ottonis III. Imperatoris Sorori, hanc curam demandavit. Hæc (ut Tom. II. in observatione prævia ad Synodum anni 994. dictum) Bernwardum multimode exosa, ad hanc solemnitatem denuo accersivit Willigisum Moguntinum Archi-Episcopum, qui consentit, & templi consecrationem statuit in diem Exaltationis S. Crucis, quam mox in Festivitatem S. Matthæi Apostoli rejecit. Bernwardus die præmemorato Exaltationis advenit, Ecclesiam dedicaturus; sed male & frigide exceptus, a proposito opere impeditur. Attamen ejusdem Ecclesiæ consecrationem, quæ ad se pertineat, omnibus sine suo consensu, canonica auctoritate interdicit, sicque peracto sacro Missæ Sacrificio discedit.

Venit & Willegisus in vigilia S. Matthæi cum Rhetario Paderbornensi, & Berangero Verdensi Episcopis, Bernardo quoque Duce, & aliis plurimis, sequenti die Ecclesiam consecraturus: sed adfuit ex parte Bernwardi Ekkehardus, Sleswicensis Episcopus, qui sede sua hostiliter depulsus, ad eundem confugerat. Is cum quibusdam Majoribus, & Primariis Cleri Hildesiensis se se fortiter huic cœpto opposuit, & consecratio intercepta est. Inter Missarum solemnia facto ad populum sermone Synodum suam biduo ante Sancti Andreæ Natale, cum banni approbatione denuntiat, deinde ad altare regressus, in Cathedra sedens, Privilegia quædam ante incog-

incognita mandat recitari, in quibus continebatur, ut nemo de jure illius Ecclesiæ auferret quicquam, sive in decimis vel prædiis, vel ulla re investitura contineret, hoc quoque banno roboravit, sicque discessum est. Interea Bernwardus monitus a Coepiscopis, Nonas Novembris iter Romam versus tam ad Papam, quam Imperatorem arripit, causam suam acturus.

Anno MI. Indict. XIV. Imperator Natalem Domini Romæ celebravit, & illo Bernwardus Episcopus in Epiphaniis, super multis infestationibus Archi-Episcopi Willigisi, & maxime de Synodo, quam in sua, id est, Gandeshemensi Ecclesia cum extraneis Episcopis habuit, conquesturus advenit, totamque ejusdem Metropolitani illicitam usurpationem in præsentia Sylvestri Papæ, & Imperatoris III. Ottonis SYNODALI auctoritate prorsus adnullavit.

Leibnitz. Tomo I. Scriptorum Brunswicensium hæc ex ANNALIBUS HILDESIMENSIBUS refert.

Tangmarus in vita S. Bernwardi editus *ab eodem Leibnitio Tomo I. cit. Synodum Romanam in hac causa sigillatim ita describit:*

SYNODUS ROMANA

Anno Christi MI. Sylvestri II. Papæ IV. Ottonis III. Imp. VII. Reg. XIX.

De eadem causa Gandersheimensi.

IN fronte actionis, post Evangelia lecta, & quædam Patrum Capitula, benedictione data, cum sedissent viginti Episcopi de Romania, aliquanti etiam de Italia, & Tuscia: de Germania vero Sigefridus Augustensis, Hinricus Wirciburgensis, Hugo etiam junior Citicensis, præsidente Domino Gerberto Apostolico cum Imperatore in Palare (*a*) in Ecclesia S. Sebastiani Martyris, præsente nihilominus singularis meriti viro, Henrico Duce (*Bavariæ*) pacatissimo, & Abbatibus, astantibus quoque Presbyteris & Diaconibus, omnique Romana dignitate:

Facto silentio Venerabilis Episcopus Bernwardus de loco sessionis suæ modicum progressus, humiliter Domno Apostolico, & Imperatori, & Domino Henrico Duci, omnique Synodo, causam Ecclesiæ suæ elimato sermone exposuit. Cunctis itaque questu ejus compunctis, Sapientissimus Papa interrogavit Concilium, si Synodus habenda, vel vocanda esset, quam Archi-Episcopus cum suis, quos adduxerat, collegisset in Ecclesia, ab Hildesemensibus semper possessa Episcopis: præcipue cum Episcopus abfuerit, & ad Romanam Sedem pro eadem causa confugerit: vel quo nomine tale conventiculum vocandum sit? Sanctum Concilium secessum petiit, ut secretius inter se de his inquirant. Quod piissimus Papa libens annuit. Egressique sunt soli Romani Episcopi: & postmodum introgressi, cum iterum consedissent: Apostolicus ait: Quid sancitis, Fratres, de Synodo? Sanctum Concilium respondit: In aliena Ecclesia, & ab alio possessa, nil juris habuit, neque canonice ibi Synodum celebrare, aut aliquid constituere sine consensu proprii Episcopi potuit: nec omnimodis Synodus dici potest. Sapientissimus Papa dixit: Ergo quo nomine rite vocari potest? Sanctum Concilium dixit: Schisma concilians discordias. Sapientissimus Papa dixit: Abjicienda sunt, quæ ibi gesta sunt? Concilium respondit: Canonica auctoritate & Sanctorum Patrum exterminanda sunt, quæ ibi adinventa vel statuta sunt. Apostolicus ad hæc inquit: Apostolorum potestate, Sanctorumque Patrum auctoritate dissipamus, & effringimus, & annullamus, quæ, absente Fratre & Coepiscopo Bernwardo, in sua Diœcesi, ab Archi-Episcopo Willigiso & suis complicibus adinventa, & Sacramentis statuta sunt. Et adjecit: Frater & Episcopus Bernwardus petit sibi restitui sublatam vestituram ab Archi-Episcopo: Quid sancitis Fratres? Sanctum Concilium respondit: Vestituram, quam Archi-

(*a*) *Leibnitz* suspicatur: in *Parlatorio*, vel *Anticamera* Ecclesiæ.

chi-Episcopus non potuit auferre, non est necesse illi reddere: sed quia hoc ipse petendo instat, si Domino Imperatori placeat, Apostolatus vestri ferula vestitura ei redintegretur, & corroboretur. Papa respondit: Fiat juxta placitum vestri, & tradidit illi Apostolicam ferulam dicens: Gandenesemense Cœnobium cum adjacentibus villis & terminis, tuo juri redintegro & corroboro, & Apostolica Sanctorum Petri & Pauli auctoritate interdico, ne aliquis, nisi quantum Canones permittunt, tibi obsistat.

His finitis Dominus Apostolicus, quid faciendum esset, Concilium requisivit. Responsum est: Si utrisque Principibus id conveniat, scriptis Archi-Episcopum, quod tam audax incœptum, canonibus, Patrumque regulis contrarium attentavit; simul quoque, ut imposterum a tali controversia desistat, nec aliquid se intromittat, nisi canonice emancipet.

Synodum quoque Episcopis per Saxoniam indici, Vicarium nihilominus ex parte Domini Apostolici destinari, qui Synodo præsideat, complacitum est.

Locus Palati habendæ Synodi disponitur. Dies undecimo Kalendas Junii denuntiatur. Frithericus, Cardinalis Presbyter S. Romanæ Ecclesiæ, postea Ravennæ Archiepiscopus, *Saxo genere*, juvenis ætate, sed senior morum probitate, Vicarius Domini Apostolici eligitur, atque dirigitur, Apostolicis paramentis atque insigniis non minus infulatus, quam ipse Papa procedebat.

Biographus S. Bernwardi, Tangmarus, apud Leibnitz. Tomo I. Scriptorum Brunswicensium pag. 451. 452.

SYNODUS PALITHI

Anno Christi MI. Sylvestri II. Papæ IV. Otronis III. Regni XIX. Imperii VII.

De actis præcedentis Synodi, habitæ Gandesheimii.

AFfuit ab Apostolico & Imperatore, vice Papæ directus, Cardinalis Presbyter FRIDERICUS, omnibus insigniis Apostolicis, ac si Papa procedat, infulatus, equis Apostolica sella Romano more, ostro instratis. Scripta quoque a Papa & Imperatore, Episcopis, & cæteris Principibus mittuntur, ut Romanum Legatum digno honore suscipiant, ejusque legationi indubitanter omnes, quasi Apostolicus præsens cernatur, obediant.

Convenerunt itaque PALITHI (*a*) ad synodum X. Kalendas Julii juxta decretum Apostolici: præscriptum Legatum vero vario affectu excipiunt. Archi-Episcopus autem, & qui ei favebant, mira indignatione, & execratione illum spernebant. Episcopus vero Bernwardus, & Lievezo (*b*) Hammaburgensis Archi-Præsul, aliique quam plures reverenter eum tractabant, præcipuoque honore colebant. Sed postquam ad Concilium ventum est, vix dici poterit, quanta seditione, & tumultu agitetur. Nam nec locus sessionis Vicario Apostolici idoneus conceditur, horribilis strepitus ingeminatur, jus fasque contemnitur, Canonica disciplina annullatur.

Vicarius inter Episcopos Lievezonem & Bernwardum sedens, Apostolici scripta & Legationem ad Episcopos se habere, facultatem exsequendi, quæ ferat sibi exhiberi orabat. Imperato denique silentio, primo dulci affamine Episcopos de pace & caritate, & concordia commonet, deinde Epistolam Papæ, Archi-Episcopo specialiter directam, profert, publiceque in auribus omnium recitari precatur; quam cum Archi-Epi-

(*a*) Palithi, Palatium Regium ad sylvam Hercyniam: Poelde an der Hartz.
(*b*) *Latine*: Libentius vocabatur.

Episcopus tangere, vel videre dedignaretur; Episcoporum judicio palam est recitata, in qua ipse Episcopus aperte corripitur, & de fraterna concordia & obedientia admonetur. Vicarius autem, quamvis Archiepiscopum irritare magno studio parceret; tamen miti affatu, quæcumque illi objiciebantur, obedienter fratrum consultu satisfacere, Apostolica auctoritate commonet.

Super his, etsi indignans, consilium a fratribus, & præcipue ab Archiepiscopo Lievezone quærit. Adhæc ille: bonum sibi, quia læsus frater Dominorum nostrorum Apostolici, & Imperatoris suffragia petiit, coram Vicario, illorum Episcoporum judicio satisfaciat.

Januæ interim Ecclesiæ panduntur, laici intromittuntur. Fit strepitus, tumultusque validus, Moguntinis exultantibus, (c) arma exposcunt, immensas minas ingerunt adversus Apostolici Vicarium, & beatum Bernwardum Episcopum. Legatus autem, & præfatus Episcopus, nec tumultu moti, nec minis territi, licet numerosiores haberent militum copias, non arma fremunt, sed seditionem compescunt. Episcopi autem, negotium in posterum diem prosequendum suggerunt, in fidem suam suscipiunt, Archiepiscopum adventurum, justitiamque obedienter exsequuturum. Interea Archiepiscopus nimio furore succensus egreditur, quem infra coronam fratrum Vicarius insequitur, & banno Apostolicæ auctoritatis ad Synodum in eandem Ecclesiam sequenti diluculo invitat. Sicque illa actio soluta est.

Matutino itaque crepusculo clam Archiepiscopus, omnibus ignorantibus, cum suis abscessit. Vicarius autem secundam actionem synodi sequenti die adorsus, in principio actionis Archiepiscopum inquirit, quem, quia non aderat, ab omni Episcopali ministerio usque ad Papæ præsentiam suspendit. Cunctis vero Episcopis in Natali Domini ad præsentiam Papæ Apostolica auctoritate indicit. Archiepiscopo nihilominus scripta in hunc modum dirigit. "*Quia Synodo te subtraxisti, & jussis*
" *Romani Pontificis inobediens fuisti; auctorita-*
" *Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, &*
" *illorum vicarii, Papæ Sylvestri, ab omni*
" *sacerdotali officio scias te usque ad præsenti-*
" *illius suspensum.*" Sic secunda actio terminata est.

Tangmarus in vita S. Bernwardi.
Apud Leibnitz. Tomo I. Scriptor. Brunswicens. pag. 454. 455.

(c) exulantibus, *legit Leibnitz. in suo MS.*

SYNODUS IN FRANCONOFORT

Anno Christi MI. Sylvestri II. Papæ IV. Ottonis III. Regis XIX. Imp. VII.

SUMMA. Consensu Episcoporum Germaniæ indicitur Conventus Franconofurti, absentia Bernwardi Hildesiensis excusatur, Episcopi orant Willigisum pro Gandesemensi Cœnobio, relinquendo Bernwardo: differt Willigisus consensum usque ad Frideslariensem Conventum.

Episcopi, controversiam inter Willigisum Archiepisc. Moguntinum, & Bernwardum Hildesiensem, de Jurisdictione in Gandense Monasterium grassari cernentes, super quam Bernwardi tanti viri inauditis, & intolerabilibus injuriis nimium dolentes, Conventum Franconoford post assumptionem Beatæ Mariæ expetunt. Invitantur etiam Archi-Episcopi, Coloniensis & Treverensis. Ventum est ad diem Concilii, præsidentibus Archi-Episcopis Willigiso Moguntiensi,

tienſi, Heriberto Colonienſi, Ludolpho Trevirenſi, cum aliis Dei ſervis, Rethario Pathebrunnenſi, Rotberto Spirenſi, Beringero Verdenſi, Ekkehardo Sleswicenſi. Sed quia Ekkehardus Hildenſem hoſpitabatur, barbarico tumultu ſua civitate & Eccleſia depopulata: Beatus Bernwardus Epiſcopus moleſtia corporis impeditus, ad Conventum vice ſua illum direxit, addens illi Notarium Tangmarum Presbyterum, & Monaſterii (Cathedralis) Decanum, qui ſuccenturiatus adeſſet, ſi quid forte adverſi ex parte Archi-Epiſcopi emerſiſſet.

In principio itaque actionis primæ, Archi-Epiſcopus mitiori relatu fratribus abſentiam Domini Bernwardi conqueritur, juſtitiam fraterno judicio, ſi adeſſet, ſe illi facturum aſſerit. Econtra non temeritate, vel inobedientia deeſſe refellitur, ſed gravi corporis moleſtia impeditum, quæcunque ſacer Conventus divino ſtatu (a) illuſtratus deliberet, ſtatuat vel imperet, obedienter ſe obſequuturum ac ſervaturum.

Sic quoque mutua benedictione data, ipſa die, actio finita eſt.

Sequenti die Archi-Epiſcopus, quibus impellentibus incertum, mordacior ad ſeſſionem progreditur. Aliqui namque & quidam de Epiſcopis favore illius adducti, beatum Bernwardum Epiſcopum publice in Synodo requirendum ſuadent. Tangmarus autem Presbyter Epiſcopos commonet, ut Archi-Epiſcopum pertinaci animoſitate compeſcant.

Denique Dei pietate mitior Archi-Præſul efficitur. Inſtantibus tamen cunctis, ut veſtituram Gandeſemenſis Cœnobii Beatus Bernwardus poſſideret, nullo modo Epiſcopus conſenſit: ſed ut neuter illorum, donec ad octavas Pentecoſtes Frideslare ad Palatium conveniant, ſe intromittat. Sicque Concilium Dei gratia ſolutum eſt.

Tangmarus Biographus S. Bernwardi, in hoc Concilio præſens. Apud Browerum & Leibnitium Tomo I. Scriptor. Brunſwicenſ. pag. 455. 456.

(a) ſpiritu *corrigit Browerus*, flatu *Leibnitius*.

SYNODUS TIBURTINA

Anno Chriſti MII. Sylveſtri II. Papæ IV. Ottonis III. Imp. ultimo.

SUMMA. Audito Legato Bernwardi Hildenesheimenſis Epiſcopi, & Friderico Legato Apoſtolico, imploratur Papa & Concilium ad deciſionem cauſæ, cujus jurisdictioni ſubjaceat Gandesheim, Hildeſini, an Moguntini? Willigiſi Moguntini Archi-Epiſcopi inobedientia, & animoſitas, & temeritas improbantur.

ANno ſingularis Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo ſecundo, indictione decima quinta, Apoſtolicus cum Imperatore Tudertinæ Natale Domini celebravit. *Ubi in feſto Sancti Joannis Evangeliſtæ*, Concilium coadunatur Epiſcoporum per Romaniam, & aliquorum de Tuſcia & Italia. De noſtris quoque conſederunt *Rotgerus Leodienſis*, *Sigifridus Auguſtenſis*, *Hugo Citienſis*. Inter Miſſarum ſolemnia itaque conſidentibus ad triginta Patribus, præſidentibus quoque Dominis ac Principibus urbis, Papa, atque Imperatore, poſt Evangelium, recitatis ex decretis Sanctorum Patrum aliquibus capitulis, ad præſentiam ſynodi per

per (*a*) *Oblationarium*, legatus venerabilis Bernwardi Episcopi statutus est. Ad quem Apostolicus ait: Dic, qua causa ad nostram præsentiam veneris, vel quid ad synodum habeas? Mox Legatus, toto corpore ad terram prostratus, & erectus faventium manibus, pedibus utriusque Principis provolvitur; consurgensque sic ait: Dominus meus Apostolatus vestri auctoritatem, Imperialem quoque Majestatem magnifice gratatus est pro cunctis, in quibus pro sua Ecclesia clementer laborastis. Quid autem Legatus vester profecerit, aut quid in sua legatione occurrerit, ipse (*b*), quia præsens est, melius exponet. Post discessum autem illius, Episcopi dolentes, litem & controversiam diutius bacchari, conventum Francofurti statuunt; ad quem cum venerabilis Præsul noster venire non posset, gravi corporis infirmitate impeditus, vice sua me direxit. Tandem in communi Reverendi Patres decreverunt: *Ut neque Archiepiscopus, neque senior noster, de Gandensemensi Cœnobio se intromittant, usque post octavas Pentecostes, & tunc FRIDESLARE ad Synodum pro hac hac causa conveniant.* Et quia hic ad Apostolatus vestri sedem delata (*c*) vestris scriptis multotiens est annullata; vestrum expetit judicium, ut vestra auctoritas jubeat in quo foro, vel sub quibus judicibus, causam terminare debeat. Ad præsentiam nihilominus hujus Sanctissimi Conventus, gratia Sancti Spiritus hic per vos aggregati, parvitatem meam destinavit, ut omnis Senatus Apostolicæ Ecclesiæ publice cognoscat, illum devotissimo affectu, Domino Apostolico, & Romanæ Sedi obedire & consentire, & vestro judicio adinventa vel decreta poscere, & pro posse perpetuo servare. Ad hæc Dominus Apostolicus obedientiam beati Antistitis & devotionem, & studium magnifice collaudavit. Prosequitur quoque venerabilis *Ravennatis Ecclesiæ Metropolitanus Fridericus*. Et quæ *Palathi* atque in tota legatione sua illi occurrerint, contexuit. Archiepiscopi inobedientiam, injuriam, contemptum etiam Romanæ Sedis; & e contra beati Bernwardi benignitatem, charitatem exponit. Et quod ab illo præcipuo honore sit habitus, & affluentia omnium bonorum opulentissime refectus. Adhæc animositas Archiepiscopi palam ab omnibus Romanis Episcopis improbata, temeritas præsumptionis illius carpitur. In commune tamen cuncti deliberant, Coloniensem Archi-præsulem, cæterosque Episcopos, qui proxime venturi erant, exspectandos. Mittuntur etiam nuntii, qui in *Epiphania Domini*, ad præsentiam utriusque Principis illos venire jubeant. Sed cum minime venirent, expectantur ad tres inducias. Cum autem nullo modo fieri posset, ut convenirent, Presbyter Tangmarus, ut absolveretur, omni nisu institit. Tertio itaque *idus Januarii* Imperator dimisit a se legatum chari sui Magistri, sæpe dictum Presbyterum, largissime remuneratum, Episcopo quippe munera præcipua direxit; inter alia *Onychinum vas* magni pretii; *species* quoque *medicinales diversas*, *pigmenta* etiam diversa.

Tangmarus Biographus S. Bernwardi. Apud Leibnitz. Tomo I. Scriptor. Brunswicens. pag. 456. 457.

(*a*) Diaconus oblationarius dicebatur, qui tempore Missæ oblata a fidelibus, panem, vinum, fruges, aliaque dona excipiebat, & super Altare ordinabat.
(*b*) causa: *forte addendum est.*

CONVENTUS REGIS HENRICI,
ET EPISCOPORUM SAXONIÆ IN MERSEBURCH.
Anno Christi MII. Sylvestri II. Papæ IV. Henrici II. Regis I.

SUMMA. Henricus Rex eligitur, & promittit Saxonum Legem observandam.

HEnricus (*a*) Rex, Merseburch veniens, ab Heimone Abbate, & fideli suo Comite Esicone, qui urbem hanc & Altitide, & Thurneburch cum appar-

appertinentiis viriliter uſque in præſentiam optati ſenioris cuſtodivit. Huc conveniunt Archi-Epiſcopi Lievizo Bremenſis, & Giſilerus Magdeburgenſis, cum Epiſcopis Ratherio Paterbrunnenſi, Arnolfo Halberſtadenſi, Bernhardo Hildensheimenſi, Ramwardo Misnenſi, Bernhario Fardenſe, Hugone Cicenſi: Ducibus autem Bernhardo Saxoniæ, Bolislao Poloniæ, cum Marchionibus Luthario & Gerone, ac Palatino Comite Friderico, aliisque quamplurimis tam Epiſcopis, quam Comitibus, quorum nomina longum eſt enarrare per ſingula. Hi omnes Regem ſupplici devotione ſuſcipiunt.

Craſtina itaque die, id eſt, VIII. Kal. Auguſti, Bernhardus Dux cum conſenſu omnium coram Rege voluntatem plebis confluentis aperiens, omniumque neceſſitatem ac *Legem* ſpecialiter exponens, quid eis miſericordiæ dictis promittere, ſeu factis velit impendere, diligenter inquirit.

Tunc Rex, Deo, *inquit*, primo, vobisque condignas grates perſolvere nequaquam ſufficio. Notum etenim mihi eſt, quam fideliter veſtris Regibus ſemper ubique obaudientiam & ſolatium præſtare ſtudueritis. Ideo vos magis in omnibus libet honorare, diligere, & ad Regni provectum conſervare, quia non renuentibus vobis, ſed quaſi invitantibus hac Regali dignitate honoratus appareo.

LEGEM igitur VESTRAM non in aliquo corrumpere, ſed in omnibus malo clementer adimplere, & veſtræ rationabili voluntati, in quantum valeo, ubique animum adhibere; & certi de his ſitis, quantum vobis placet, ſalvo honore Regni affirmo.

Protinus vox una omnium levatur laudes illi & grates referentium. Tunc Bernhardus Dux, accepta in manibus SACRA LANCEA ex parte omnium curam Regni illi fideliter committit. Rurſus tolluntur voces omnium, laudes Deo referentium.

Omnes igitur, qui priori Imperio ſervierant, Ludigero ſolo remanente, Regi manus complicant, fidele auxilium per Sacramentum confirmant.

Annaliſta Saxo apud Eckhart. Tomo I. Scriptorum Medii ævi ad h. a. p. 384.
Conſentiunt Adelboldus in vita Henrici.
Ditmarus Lib. V.
Gobelinus ætate VI. c. 52. *Schatenus.*

(*a*) Henricus jam VI. Junii a Franconicis electus erat, & coronatus Moguntiæ a Willigiſo & Archiep. Saltzburgenſi, Epiſcopis Brixienſi, Wirceburgenſi, Stratburgenſi, Batavienſi, Friſingenſi. VII. Idus Junii, *ait Chronographus Saxo.* Tunc Merſeburgum extremo Julio venit, & ab Saxonicis Epiſcopis & Proceribus electus fuit, etſi hereditarium jus a ſanguine Henrici Aucupis Proavi ſui duceret.

Statueram, Comitia Regia, licet iis plures Germaniæ Epiſcopi, uti Procerum Imperii præcipui intervenerint, omittere: ſed experior hos actus, nempe Electionis & Coronationis Regum Germaniæ, nimis magnum nexum, & cum Eccleſiæ rebus, & Legibus, & commodis habere: unde neceſſario duxi eos Eccleſiaſticæ Conciliorum hiſtoriæ inſerendos: uti Sirmondus Conciliis Galliæ implicuit actus Regum Carolingicorum in Conventibus publicis, non tam electorum, quam acceptatorum, aut collaudatorum.

DUISBURGI CONVENTUS
ANNO CHRISTI MII.

POſtquam Henricus Mersburgi Homagium ſuſcepiſſet Saxonum, Luithariorum regnum petere contendit. *Ut habet Ditmarus Chron. L. V.* Occurrens itaque uxori ſuæ Cunigundæ in Corbeia nova: ambo ad Paderbornam læti proficiſcuntur. Poſtera luce, quæ mundo feſtiva illuxit Beati Laurentii Martyrio, Domina Cunegundis benedictionem & coronam, & SOPHIA ſoror Imperatoris (Ottonis III.) conſecrationem a Rege jam conſtituta Abbatiſſa in Gandersheim, a Willigiſo Archiepiſcopo humiliter ſuſceperunt. Habuit, quod ægre ferret in hoc conventu Bernwardus; ſiquidem Sophiam illam rixatricem nunc in Abbatia Gan-

Gandesiensi Gerbúrgi suscesricem opor tuit a palligero consecrari.

Rex autem recto itinere hinc ad Duisburg perveniens, Luitharienses quam tarde exspectat. Leodicensis vero & Cameracensis Præsules primi huc venientes, Archiepiscopum Coloniensem diu morantem exspectant, quem cum altius, quam quisquam crederet, custodia, qua paululum, sicut jam dixi, detinebatur, in mentis secreto morderet, simulabat se, ob hoc tam sero ad Regis gratiam accessisse, quod in accipienda benedictione Moguntinum sibi Rex voluisset proponere.

Igitur hi confratres, Episcopi scilicet, Regem pariter eligentes, fidemque Sacramentis firmantes, usque ad Aquisgrani eundem comitantur, quo in Nativitate Sanctæ Mariæ a Primatibus Luithariorum in Regem collaudatur, & in sedem Regiam more antecessorum suorum exaltatur & magnificatur.

Ditmarus L. V. Chronici.

Apud Leibnitz. Tomo I. Scriptor. Brunswicens. pag. 369.

MERSBURGI CONVENTUS

Anno Christi MIV. Joannis XVIII. Papæ I. Henrici Regis III.

§. I. Consecratio Magdeburgensis & Merseburgensis Episcoporum.
§. II. Redintegratio Diœcesis Merseburgensis.

" ANno Domini MIII. Indict. I. " Domini Henrici Regis secundo. Adunatis in Merseburg Archiepiscopis, & Episcopis, Ducibus, & Comitibus, præsente Bibliothecario Romanæ Ecclesiæ, LEONE Episcopo, idem Rex Henricus de communi auxilio omnium, ab ARNOLFO (*a*) Episcopo impetravit partem suæ Diœceseos, quantum videlicet circa fluvium Salam Merseburgensis territorii protenditur ambitus, & instinctu sanctæ suæ conjugis Cunegundis Reginæ, Episcopatum Merseburgensem, quem prius Otto Imperator ad honorem beati Laurentii martyris instituerat, reformavit, eidem continuo Wibertum Episcopum ordinando. Pro recompensatione autem horum terminorum Rex Henricus de proprietate sui juris Halberstadensi Ecclesiæ tradidit lege perpetua C. mansos Litonum, & servorum in his villis. In villa Unsci.... & decimam mansorum in Sarkstiddi. XVIII. mansos, & decimam in Haldrungin. XI. mansos in Seon VI. mansos in Wisserodi, & proxima marca XVII. in Dornettæ XVIII. mansos. Hos igitur mansos Halberstadensi Ecclesiæ datos, in perpetuum possidendos, Regio privilegio confirmavit.

Chronicon antiquum Halberstadense, editum a Leibnitz, Tom. II. Scriptor. Brunsvicens.

" De hinc Rex MERSEBURCH diu pastore viduatam, consolationis gratia adiens, pristinis eam restitui honoribus quam maxime conatur. Ibi tunc Tagmo venerandus in Purificatione Sanctæ Mariæ unctus est a Willegiso Archiepiscopo Moguntino, utriusque suffraganeis, qui tunc aderant, honorifice suffragantibus, Apostolicæ autem sedis Legato, & Hilderico, tunc in ordine suffraganeorum primo, consentientibus. Ordinandus enim ab solo Apostolico fuerat, sed hunc adire causa instantis necessitatis non poterat. Tunc Rex coram omnibus tradidit Merseburgensem Episcopatum supradicto Wiperto Capellano suo, dato ei novi Archipræsulis baculo, per quem omnia reddidit, quæ ab Gisilhario in-

(*a*) Gisilarius Magdeburgensis Archiep. & Merseburgensis Episcopus morte 25. Januarii 1004. obitâ locum fecit, Arnulfus Halberstadensis Episcopus pro ablata suæ Diœcesi portione centum Mansos compensatorio titulo ab Rege Henrico donatas capit, 2. Februarii consecrationi duorum novorum Episcoporum interest Rex. Hæc mors Gisilarii causa est dilata Synodi ad annum 1004.

" injuste hinc ablata didicit, quem " nihilominus illis diebus consecravit " idem Tagmo cum quaternario astan- " tium suffraganeorum suorum numero.

Chronographus Saxo ad h. a. MIV.

" Ibi tunc Tagmo Venerandus IV. " Non. Februarii... accepta ab Hilde- " rico antistite licentia, qui primus ho- " rum in ordine fuit confratrum, a " Willigiso Archipræsule Moguntino con- " secratus est, præsente Rege ac Romano " Nuntio, omnibusque Coepiscopis ad " hæc faventibus.

" Rex autem, quo semper esuri- " vit, atque sitivit, justitiæ cibo gestiens " tunc satiari, quia aliter non posse fieri " apud Arnulfum præsulem dicebat, " cum centum concambio mansorum " super solum Merseburgense Burgwar- " dium Episcopalem redemit bannum.

" Quidquid autem a charissimo " Tagmone expoſcerat, bonæ volun- " tatis abundantia hoc largiente præ- " ceperat.

" De Misnensi autem, & Cicensi " Episcopatibus, decretum Regia po- " testate, ad integrum redire, quod " antiquitus hinc demptum, voluit ex- " plicare.

Ditmarus in fine Libri V. Chronici. & idem Ditm. initio Lib. VI. de eadem causa tractat.

" Consentiente hoc Arnulpho præ- " sule, Eido quoque, & Hillebardo Epis- " copis, quibus Diœcesis illa fuit divisa, ac " omni populo applaudente, ductus " mox cum Divina jubilatione ad sedem " suam Wigbertus eodem ab Archiepis- " copo suimet Tagmone, & a confra- " tribus Hillerico & Wigone cum præ- " dictis Coepiscopis consecratur.

SYNODUS CONSTANTIÆ

Sub Lamberto Episc. Constantiensi.

ANNO CHRISTI MV. JOANNIS XVIII. PP. II. HENRICI II. REG. IV.

SUMMA. Condemnatio Synodica Literarum fictitiarum de cœlo, ut ajebant, acceptarum.

ANNO MV. fames magna totam Germaniam pervasit. . . . . Fuêre eo tempore, qui de cœlo litteras accepisse profiterentur, certis conditionibus plenas, quarum observatione ira divina mitigari posset, super iis Synodus habita condemnavit.

Hartman. in Annalibus Erem. Ord. S. Benedicti.

SYNODUS IN ARNEBORCH

ANNO CHRISTI MV. JOANNIS XVIII. PP. II. HENRICI II. REG. IV.

SUMMA. Henricus Rex in Synodo cum Episcopis damnat primo injustas nuptias. 2. Venditionem Christianorum gentilibus factam. 3. Justitiæ violatores excommunicandos.

HENRICUS Rex Arnaburch prius devastatam ob defensionem patriæ renovavit. Synodali judicio injustas fieri nuptias, Christianosque gentilibus venundari, præsens ipse, canonica & auctoritate Apostolica prohibuit, Dominique justitiam spernentes, spirituali mucrone interfici præcepit.

Apud Eckhart. Tom. I. Scriptorum. Chronographus Saxo pag. 404. ad annum MV. Ditmarus in Chronico.

SYNODUS THEODONIS VILLAN.

Anno Christi MIII. Joannis XVII. Papæ I. Henrici II. Regis II.

Actio. Sententia Regis Henrici & aliquot Episcoporum de nullitate matrimonii inter Conradum Carantanorum Ducem, & Mathildem filiam Conradi Regis Burgundiorum consanguineos.

DOminus Henricus Rex, *inquit Anonymus*, (a) qui III. Ottoni, DIVO Imperatori, ad regnandum quidem, necdum autem ad imperandum, in tota Germania, quæ citra Rhenum est, & in Lotharii regno, quod cis Rhenum est, succeßerat, colloquium, Synodumque concivit. Ubi omnes pene regni sui summos Sacerdotes coadunans, & ex diversis diversa disputans, inter disputandum ipsos ejusdem Sacerdotes acerrime congreditur. Cur videlicet in suis Diœcesibus, & Diœcesanis, ea, quæ (b) *Synodali, ac per hoc spirituali falce secanda erant, non resecarent*, ac gladio Spiritus Sancti, putrida, & male sana a membris fidelium abscindere supersederent? Mirantibus omnibus, quid sibi verba Regis tam districtissima vellent, quove tenderent, Rex admiratione eos absolvere curavit, quidve prætenderet, palam fecit.

Inter multa, *inquit*, quæ in regno nostro, suisque Parochiis corrigenda sunt, parentes sic sibi proxime conjugio copulantur; ut Deum non timentes, & Deum non reverentes, etiam tertii loci consanguinitatem, quod nefas dictu est, ad copulam adsciscere non refugiant, & lineam, quæ ad septimam usque generationem (c) sacris canonum institutionibus illibata conservari jubetur, Judæis, Paganisque infeliciores, in ipsis sui exordiis abrumpere non formident. Episcopis hinc inde sedentibus, diuque silentibus, pars, de quo diceretur, nesciens, pars personam, de qua dicebatur, multum vel amans, vel timens, quid dictis Regalibus responderet, prorsus ignorabat. Mens enim male sibi conscia, dum ea, quæ non vult, audire computatur, fit stupida, vox refugit, verba dilabuntur sapienti coram positus honestius ei videri silere, quam loqui. Rex, quem fallere nemo poterat, quia erat homo apprime litteris imbutus, eloquentia facundissimus, ad regendum Dei timore vivacissime adstrictus, motum cordis patientiæ frænis restringens, Sacræ Scripturæ exemplis eos aggredi honestius esse judicans, Ecce, inquit, ecce vos estis loca quidem sanctorum Sacerdotum tenentes, & in meliori Cathedra, quam sedisset Moyses; sedentes, utpote vices Domini possidentes, qui & boni canes, & sancti arietes pro vitæ merito dici debueratis, contraria vice, inversoque ordine canes muti, non valentes latrare, estis effecti: ipsique cæcitate mulctati, dum subditis ducatum præbere cogimini, & ductor, & sequens ambo in foveam præcipitamini. Ecce, inquit, Conradus Dux Austrasiorum, consanguinitate nobis, & quicumque in tota patria nobiliores sunt, cun-

(a) Biographus Adalberonis Metensis Episcopi, editus a *Labbeo in Bibliotheca MSS.*

(b) *Ditmarus Lib. V. Chronic.* similem querelam Henrici Regis factam in Conventu Tremoniensi anno 1005. refert. *Leibnitz. Tom. I. Scriptor. Brunswic. pag.* 380.

(c) Lege *Tomo primo nostro:* Zachariæ Papæ decreta de variorum conjugiis illicitis, *pag.* 76, 77, 78, 79. & *Tomi secundi*: Definitiones Canonicas Rhabani, quota generatione licitum sit connubium, *pag.* 226. & 228. *De consanguineorum nuptiis.*

Calmetus accusationem hanc ab Henrico Rege de nuptiis illicitis, vult factam fuisse Moguntiæ anno 1002. *Tomo I. Histor. Lotharingiæ pag.* 1004. Parum verosimiliter, quum nondum coronatus esset, nondum a Saxonibus ac Lotharingis acceptatus.

cunctis affinitate conjunctus, uxorem duxit, sic sibi propinquam, sic proximam, ut sicut timemus, non modo ipsi; verum etiam omni patriæ offensa Dei citissime, &, ut dicitur, pro foris adesse videatur. Parumque minus crimen malis tacentibus judicatur, quam ei, qui idem scelus audacter, & sine peccati æstimatione perpetrare cernitur.

Dominus ADELBERO, Metensium venerabilis Præsul, consanguinitate, & affinitate Regi adsidenti, & cunctis, qui ex magni Henrici (Aucupis dicti) Germaniæ Regis linea descenderant, apprime conjunctus, huic sacræ Synodo intersedebat; &, ut erat cunctis consacerdotibus nobilior, excelsiorque, sic nobiliori celsiorique sella, inter suos prominebat. Hic Regis objurgationem ultra ferre non valens, & tacere amplius inhonestum judicans: interim, inquit, ætatis sane titulis, & scientiæ prærogativa locum quidem loquendi cum fratribus nostris dantes, & honorem canis, senectutique Divino præcepto exhibentes, quo dicitur: *Coram cano* (c) *capite consurgas*, quia Majestatis vestræ potentiam, Domine mi Rex! ad dedecus nostri ordinis objurgationi, & invectioni plus plusque videmus verba augere, tacere ultra, vere fatemur, & quæ recta sunt, non dicere, non solum stultitiæ; sed, quod majus est, magnæ verecundiæ deputamus. Domnus Otto Dux, pater istius venerabilis Conradi Ducis, nobis considentis, natus ex filia magni Ottonis est, cujus soror Girbergia dedit filiam suam Conrado Burgundionum Regi. Ex Conradi autem filia nata est Domina Mathildis, hujus Conradi assidentis uxor. Hoc ergo Genealogiæ ordine, quia fratres sororque in supputationem non admittuntur, consanguinitas horum non plus, quam secundo loco elongari prævalet.

Pergit Anonymus: Hæc beato viro retexente, tantæ iræ, tantæque simultates in ipsa Synodo exurgere cœpere, ut nisi esset ea nobilitas, qua cœlo, terra, marique, ultraque inclytus effulgebat Conradus Dux, de quo res agebatur, & quicumque suæ partis erant, neque Deum, neque Majestatem Regiam reverentes, neque Sacerdotibus, quorum maxima, & honestissima multitudo præsens aderat, aliquid honoris exhibentes, arma furoremque corripuissent, & ad insaniam exsatiandum, quidquid mali manus roburque inferre posset, non omisissent. Aderat huic magis seditioni, quam Synodo, Dominus Theodericus, frater quidem hujus Domini nostri Adelberonis Pontificis, Dux eorum, qui cis citraque Mosam, Mosellamque resident; & hæc, quæ agebantur, quæque juste disponebantur, sua auctoritate firmabat, atque corroborabat, nuptiasque inlicitas cum reliquis Ducibus, Comitibusque, & quod majus est, Sacerdotibus, Deo & rectitudini, ac Regiæ justitiæ faventibus, damnans, & humanas iras non formidans, æquitatis lance, quæ Dei erant, liberrime decernebat. Aderant etiam in hac venerabili Synodo primi & præcipui Sacerdotes, *Willigisus Moguntinus Præsul*, *Heribertus Coloniensis itidem Præsul* (d) *Wormaciensis*, *&c.* (e) *Argentinensis*, *Walterus Spirensis*, *Notgerus Leodiensis*, *Hezel Wirziburgensis*, *Haimo Verdunensis*, *Bertaldus* (f) *Leucensis*, (g) aliique quamplures, non solum ex Lotharii regno; verum ex omni Germania: quorum pars favore, pars timore nobilis personæ, hinc inde agitati, hinc inde defluentes, pauci admodum, at ipsi inter suos præcipui, Deo dilectissimi Adelberoni, & dictis ejus justissimis testimonium veritatis exhibentes egerunt; ut inter verum falsumque dissidii, & discordiæ non modica disceptatio fieret, quam etiam ipse Rex omnino sedare non potuit. Verum nisi esset Domni, & Pontificis nostri Adelberonis,

D 3

(c) Levit. XIX, 32.

(d) Burchardus Wormatiensis. *Ditmarus eum* Hezilonem *vocat.*

(e) Werinharius Argentinensis.

(f) *pro* Tullensis, nam Tullum Leucorum urbs est.

(g) Referimus hanc contentionem synodalem ad annum 1003. verosimili conjectura, quia *Dithmarus L. V. Chronici pag.* 371. *apud Leibnitz. Tomo I.* narrat Regem in pago Mosellanorum apud Theodonis Villam generale colloquium cum Comprovincialibus habuisse: quos inter permulti sunt Lotharingi Episcopi.


nis (*b*) incomparabilis nobilitas ; furor cæcus , & inſania miſera arma etiam telaque corripuiſſet , & ad homicidium uſque iræ commotione pertingere contigiſſet.

Hac igitur ſimulatione , his odiis infeſtiſſimis diſceſſum eſt , & unusquiſque ad propria redire feſtinabat. Sed Domnus Pontifex , dum ex patria propria recedens , ad regale colloquium perrexerat, nihil horum metuens, nihil horum æſtimans , quia erat omnium ſui temporis mitiſſimus atque pacificus , non multa militari manu , ſed clericorum , & honeſtiſſimorum laicorum dulciſſimo comitatu uſus eſt : & propter id in redeundo , verens , ne forte in via hoſtis inſidias pateretur ; ab itinere parum quid declinare dignum duxit , & cedere magis ad horam , quam veſaniæ furentis principis locum cædis , aut alicujus alterius malignitatis dare voluit. Dei autem omnipotentis , & Chriſti ejus ineffabilis pietas , & æterna clementia aliter, quam Domnus Pontifex crediderat , rei eventum miſerando diſpoſuit , & diſponendo præordinavit ; dum ſpiritum furoris , & malignitatis , dum vim latrantis , & turbulenti vertigine in eum pavorem , in eumque timorem commutavit , ut eo impetu, eaque virtute , qua Dei ſervum ante perſequi moliebatur , nunc fugere , ac retroire , viribus quibus poterat , aggrederetur , ac magis capi timeret, quam capere elaboraret. Duobus igitur diebus fugæ fidem committens , donec in tuto ſe eſſe credidit , ſemper ſe a Domno Pontifice, & fratre ejus, Duce Theodorico, inſequi exiſtimabat memoratus Conradus ; noſtri vero nihil aliud, quam patriam repetere , & ad id ſumma feſtinatione conabantur : & quia & tempus poſcebat , præter pacem, & ea quæ pacis ſunt, videlicet metere , charis domeſticis utilia adminiſtrare.

Biographus Adalberonis Metenſis Epiſc. editus a Labbeo Bibliothecæ MSS.

Schema Conſanguinitatis

CONRADI Ducis Carantanorum,
& MATHILDIS Filiæ Conradi Regis, Conjugum.



Conſentit Eckhartus in Commentario ad Legem Salicam Titulo XIV. pag. 36.

(*b*) Adalbero, Filius Theodorici, Cis & Transmoſellanorum Ducis, loco Adalberonis Metenſis Epiſcopi anno 1005. defuncti deſtinatus erat.

Conra-

Conradus itaque Dux Austrasiorum, cujus occasione hæc Synodus congregata, filius fuit Ottonis, hic vero Conradi Lotharingiæ Ducis, qui *Liutgardam* filiam Ottonis M. ex Editha priori conjuge sibi matrimonio junxerat. Witichindus enim in fine Lib. 2. de Edithæ Reginæ morte loquens, ait: Reliquit filium nomine Ludolfum, filiam quoque Luidgardam nomine, quæ nupserat Chuonrado Duci: nempe Lotharingiæ, de quo suo loco egimus. Gerberga vero, Ottonis M. soror, Ludovico Transmarino Francorum Regi nupsit, quo ex matrimonio prognata Mathildis, conjugio copulata cum *Conrado* Burgundiæ Transjuranæ Rege. Conradus ex Mathilde filias quatuor suscepit, scilicet Giselam, Gerbergam, Bertam, & Mathildem, & ex *Gerberga* seu Gilberga Herimanni Ducis Alemanniæ uxore progenita *Mathildis*, Conradi Austrasiorum, seu Carentanorum Ducis uxor, de cujus matrimonio hic agitur. *Hermannus Contractus in auctiori Chronico*, ubi Conradum Carentanorum Ducem, seu Austrasiorum, semper appellat, ad annum MXII. mortem ejus recitat, aitque fratrem fuisse Gregorii V. Papæ, & patrem alterius Conradi, qui cum Conrado Salico ejus patruele pro Germaniæ Rege propositus est. Porro ex laudatis Adalberonis verbis in hac Synodo prolatis detegitur error Blondelli *in pleniori assertione* Genealogiæ Francicæ pag. 35. & seq. ac aliorum, qui Ottonem Francorum Ducem filium faciunt Ludolfi primogeniti Ottonis Magni; cum tamen non ex Ludolfo, sed ex Liudgarda ejus sorore natus fuerit, ut magis infra videbitur. Hæc enim difficultas hactenus nondum soluta fuit, & utraque opinio suos habet sectatores. *Notatio hæc Pagi in Critica ad h. ann.*

SYNODUS TREMONIENSIS ANNO MV.

Jejunia Statuta.

§. II. REX Coepiscopis, præsentibusque cunctis plurima questus est Ecclesiæ Sanctæ convenientia, & communi eorundem consilio hæc statuit, deinceps prohiberi, & optimo novæ institutionis decreto gravem peccatorum suimet sarcinam relevari. Anno Dominicæ Incarnationis MV. Anno autem Domini Heinrici secundi regnantis quarto, in die Non. Julii. Actum est in *Throtmanni* hoc decretum ejusdem victoriosissimi Regis & Conjugis ejus gloriosæ Cunigundæ Reginæ, nec non & Archi-Episcoporum horum, Heriberti Coloniensis, Lievizonis Bremensis, Thaginonis Magdeburgensis. Istorum quoque Episcoporum: Suicgeri Mimigardevordensis, Thiederici (*a*) Metensis, Bernhardi Ferdensis, Bernwardi Hildesiensis, Rhetarii Paterbrunnensis, Burchardi Wormatiensis, Nothgeri Leodiensis, Ansfridi Trajectensis, Thietmari Osnabruggensis, Wicperti Merseburgensis, Eckihardus . . . Othinkardi. In obitu cujusque prænominatorum singuli Episcoporum intra triginta dies, ni infirmitas impediat, Missam pro defuncto celebret, & unusquisque priorum similiter faciat. Presbyteri vero forenses tres Missas peragant. Diaconi & cæteri inferioris ordinis decem Psalteria: Rex & Regina infra triginta dies mille quingentos denarios pro animæ redemtione erogent, & totidem pauperes pascant. Episcopi singuli trecentos pauperes pascant, & triginta denarios expendant, & totidem lumina accendant. Dux autem Bernhardus quingentos pauperes pascat, & quindecim solidos expendat. Vigiliam S. Joannis Baptistæ, & Apostolorum Petri & Pauli, Sanctique Laurentii, & omnium Sanctorum, in pane & sale, & aqua decernimus jejunare. Vigiliam S. M. Assumptionis, & omnes vigilias Sanctorum Apostolorum sicut in Quadragesima. Quatuor tempora anni, sicut in Quadragesima, excepta feria sexta ante Natalis Domini, quam in pane & sale, & aqua jejunandam decernimus.

Ditmarus ex editione Leibnitii restitutus Tomo I. Scriptorum Brunsvicensium pag. 380.

Crantzius Saxoniæ L. IV. C. XXXV. de his jejuniis in Synodo statutis meminit.

PRI-

[*a*] Si Adalbero II. Ep. Metensis sit mortuus 15. Decembris anno 1005. igitur Theodericus II. Successor in hoc Episcopatu non potuit subscribere Nonis Julii 1005. Synodo Tremoniensi. *V. Calmet. Histor. Lotharing. Tom. I. pag.* 1004.

PRIVILEGIUM HENRICI,

WIRTZBURGENSIS EPISCOPI,

De conſtitutione Babebergenſis Epiſcopatus, & transactione, ac jurium commutatione inter ipſum Henricum, & Regem Henricum ſecundum.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, tam præſentium, quam futurorum notitiam non latere deſideramus, qualiter Glorioſiſſimus Rex Henricus, Divinæ, ut credimus, ammonitionis ſtimulo compunctus, de prædiis, quæ Dei gratia, hæreditarioque jure Parentum in ſuæ poſſeſſionis dominium (*a*) provenerant, Dei ſervitium augere, Epiſcopatum conſtituendo atque ordinando, (*b*) conſiderans, quomodo (*c*) id legitime, rationabiliterque fieri potuiſſet, H. (*d*) venerabilem Wirtzburgenſis Eccleſiæ Proviſorem, quatenus quendam locum, Babenberch nuncupatum, cum pago, qui Ratensgon dicitur, qui ad ſuæ Diœceſeos ſtatum pertinere videbantur, de ſuo jure in ſuum jus id ad perficiendum transfunderet, ſtudioſe cœpit flagitare. Qui, (*e*) quoniam juſtæ atque rationabiles cauſæ videbantur, ejusdem auguſtiſſimi atque inviciſſimi Regis petitionibus acquieſcens, cum communi Cleri ſui atque militum conſilio, nec non totius populi conſilio & conſenſu, præfatum locum cum prædicto pago, tribus parochianis Eccleſiis exceptis, cum ſuis adjacentiis, quarum hæc nomina ſunt, Wachenrode, Lonerſtad, Mülhuſen, omni poſtmodum remota contradictione, ſuæ poteſtati (*f*) tradiderunt. Alterius autem pagi, qui (*g*) Volezeld vocatur, in quo præfatus locus ſitus eſt, partem eidem Regi conceſſit, quantum eſt de Babenberch ad flumen Uraha (*h*) in Ratenzam flumen, & ſic juxta decurſum fluminis ejuſdem in Meyn, & inde ad Rivulum (*i*) Wichebach, demum (*k*) ad caput ejusdem rivuli, ſicque quam citiſſime ac proxime perveniri poteſt ad Uraham. (*l*) Et ut hæc traditio firma ac inconvulſa permaneat, ipſe Præſul H. corroboravit, & ſubſcripſit. (*l*) Actum in civitate Wirzburgenſi, præſente Sereniſſimo Imperatore H. ea conditione, ut decimam in novabilibus jam inciſis, & ad manſum menſuratis, cum veteri decima non commutata, Wirzeburgenſis Eccleſia retineat; in novabilibus vero poſt hinc excolendis, Decimam Babenbergenſis Eccleſia poſſideat cum termino commutato.

Codex Udalricianus editus ab Eckarto Tomo II. Scriptor. Medii ævi Epiſtola LVIII.

Variantes Lectiones a nobis excerptæ ſunt ex editione *Gretſeri Tomo X. novæ editionis pag.* 512. iterum ex codice *Viennenſi*, qui fuit Gretſero commodatus anno 1611.

(*a*) pervenerant. [*b*] atque ordinando, *abeſt a Viennenſi.* deſiderans *pro* conſiderans.
(*c*) quo *pro* quomodo. [*d*] Heinricum.
(*e*) quæ *pro* qui. (*f*) tradidit *pro* tradiderunt.
(*g*) Volefeld *pro* Volezelt. (*h*) de Uraha in Ratenzam *: repetit Viennenſis,*
(*i*) Wichenbach: *Viennenſ.* (*k*) dein, *loco* demum.
(*l*) Hic interjecta aberant a codice Bambergenſi, ſed in Viennenſi erant.

CON-

CONCILIUM IN FRANCONOFORT

Anno Chriſti MVI. Joannis XVIII. Papæ IV. Henrici II. Regis V.

SUMMA. Primum hoc Concilium eſt pro erigenda Epiſcopali Cathedra Bambergæ, & transactio cum Epiſcopo Wurceburgenſi confine pro ceſſione oneroſa.

IGitur pacificatis occiduis partibus generale Concilium in Franconevorde a Rege ponitur, & hoc omnibus Ciſalpinis (*a*) Epiſcopis aditur. Nam Rex Henricus a puero civitatem ſuam Bavenberch, in Orientali Francia ſitam, unice dilexerat,. & coluerat, & eam conjugi ſuæ Cunigundi in dotem dederat. Poſtquam autem ad Regni curam Divina miſeratione eſt promotus, ibidem Epiſcopatum conſtituere ſemper geſtiebat; & quia dimidium facti, qui cœpit, habet, novam ibi Eccleſiam cum duabus criptis inchoavit, & perfecit. Omnia quoque, quæ ad divinum cultum, & miniſterium pertinent, paulatim congregans, Heinricum Wirceburgenſem Epiſcopum ſæpe rogavit, ut propoſito animi ſui aſpirare voluiſſet, & Parrochiam in pago, qui a Radinzea fluvio nomen ſortitur, poſitam, juſto concambio ſibi concederet. Qui dilecti ſenioris juſtas petitiones benigne ſuſcipiens, ea ratione conceſſit, ut ſuæ Eccleſiæ pallium permittens, Babenbergenſem Epiſcopum ſibi ſubjiceret; hocque baculo ſuo Regi dato, & quodam prædio pro commutatione præfata tradito clam firmavit. Cum vero Archi-præſulatum ſe nullatenus adipiſci poſſe ſentiret, promiſſa complere renuit, & ad prædictum Concilium vocatus venire noluit. Conſedentibus igitur per ordinem Archiepiſcopis cum ſuis ſuffraganeis, Rex Heinricus humotenus proſternitur, & a Willegiſo Archiepiſcopo, in cujus Diœceſi Synodus habebatur, elevatus, cunctis præſentibus talia fatur: " Domini & Patres! a mea " parvitate huc aſciti conveniſtis, & " quamobrem vos aſcierim, aperiam, " precorque omnium clementiam, ut " his, quæ Divina gratia mihi, ut ſpe" ro inſpiravit, pro ejus amore faveatis. Nam quia in ſobole habenda mi" hi nulla ſpes ſupereſt, Chriſtum he" redem elegi. Epiſcopatum in Bavem" berh, cum licentia Epiſcopi mei fa" cere hactenus concupivi, & hodie " perficere ſtatui. Ob hoc ſereniſſimam " pietatem veſtram interpello, ne ejus " abſentia, qui apud me voluit obtine" re, quod mihi non licuit concedere, " propoſitum meum valeat impediri. " Ecce Baculus, in quo mutuæ con" firmationis ſignum clareſcit, quod non " propter Dominum, ſed ob dignita" tis nullatenus adipiſcendæ dolorem " fugerit. Moveat corda omnium præ" ſentium, quod augmentum Sanctæ " Matris Eccleſiæ cum nugigerula le" gatione adnullare præſumit. Ecce " ad hæc conjugis meæ præſentis, & " unici fratris mei, & coheredis larga " benivolentia aſpirat; meque placita " ſibi redditione illis reſtituere uterque " pro certo ſciat; ſique Epiſcopus ve" nire & promiſſa dignatur ſuſcipere, para-

(*a*) Non tantum Ciſalpini, ſed tres & plures Tranſalpini Conciliis Francofurtenſibus hujus & ſequentis anni interfuerunt.

Dithmarus, Epiſcopus Merſeburgenſis, in Chronico ad annum MVI. hanc Synodum refert, quem Illmus Baronius ſequitur.

Annaliſta Saxo Eckharti ad annum MVI. omnia uno halitu refert acta pro erectione Cathedræ Babenbergenſis, veluti in unica Synodo Franckenfordenſi: ſed *Gretſerus* jam anno 1611. monuerat duas Francofurti de hac cauſa Synodos actitatas fuiſſe, unam 1006, alteram 1007: etſi vita Henrici Regis edita præferat ubique annum 1007, ſed acta intercedentia ibidem expoſita, longius intervallum poſcunt.

" paratum me ad omne, quod vobis " placuerit, inveniet. Tunc Beringerus, Henrici Wirceburgensis Episcopi Capellanus, surrexit, dicens: " Timore Regis Antistitem suum non venisse, detrimentum Ecclesiæ, a Deo sibi commissæ, in aliquo fieri, numquam eum laudasse; obsecrat omnes præsentes per amorem Christi, ne talia fieri eo absente, sibi futurum in exemplum patiantur. Privilegia quoque ejusdem Ecclesiæ alta voce ibi recitantur." Inter hæc quotiens Rex anxiam judicum sententiam nutare perspexit, totiens humiliatus solotenus prosternitur. Tandem Archiepiscopo Willigiso, quid de his faciendum esset, judicio perquirenti; Thagino Archiepiscopus primus respondit: Justa voluntas; petitio Regis consensu omnium vestrum legaliter potest impleri.

Annalista Saxo Eckharti Tomo I. Scriptorum Germaniæ Medii ævi.

Gretserus ex codice MS. Viennensi, sibi commodato, recenset hos Episcopos, qui primo Concilio Francofordiensi de hac causa interfuerunt:

In hoc consentientibus & perspicientibus, imprimis videlicet Wurtzburgensi (*b*) Episcopo Henrico, & Willigiso venerando Archi-Episcopo Moguntino, & Burchardo Wormaciensi, & Waltherio Spirensi, & Werenhario Strasburgensi, & Adalberone Basileensi, & Oudalrico Curiensi, & Liutulfo Archiepiscopo Treverensi, & Theoderico Metensi, & Bertoldo Tullensi, & Heimone Wirdunensi: & Heriberto Archiepiscopo Coloniensi, & Notkero Leodiensi, & Erlwino Cameracensi, & Daginone Archiepiscopo Magdeburgensi, & Hildolpho Mantuano.

Prosequitur Codex Viennensis:

Romanus vero Pontifex & universalis Papa Joannes XVIII. prædicti Henrici literas inspiciens, & piissimi Regis devotioni congaudens; habita in S. Petri Basilica SYNODO pro confirmando Babenbergensi Episcopatu, privilegium fecit conscribi, & Apostolica auctoritate corroborari, universis Galliæ & Germaniæ Episcopis rescribens, ut & ipsi pari, communique auctoritate eundem Episcopatum corroborarent, & confirmarent.

Gretserus Tomo X. novæ editionis p. 510. ex codice Viennensi a Cl. D. Tengnagelio communicato.

Legati a Rege Henrico Romam missi fuere Capellani Regii, Albericus & Ludovicus, quibus adjunctæ fuere Henrici Wurceburgensis Episcopi literæ.

Liquet ex vita Henrici Regis pag. 510. Loco citato.

(*b*) Henricum Episcopum Wurceburgensem non interfuisse Synodo huic anno 1006. certum est, sed ejusdem Legatum Beringerum, uti acta apud *Eckhartum Loc. citato* loquuntur: sed neque secundæ Synodo Francofordiensi anni 1007. interfuit, uti subscriptiones secundæ Synodi testantur.

Literæ S. Henrici de erecto abs se Episcopatu Bambergensi.

HEinricus divina præordinante Clementia Rex, omnibus Ecclesiæ filiis tam futuris, quam præsentibus. Saluberrimis Sacri Eloquii institutionibus erudimur & præmonemur, ut temporalia relinquentes bona, & terrena postponentes commoda, æterna, & sine fine mansura in Cœlis studeamus adipisci consistoria. Gloria enim præsens fugitiva est, & vana, dum possidetur, nisi in ea aliquid de cœlesti æternitate cogitetur. Sed Dei miseratio humano generi providit remedium, quando partem cœlestis patriæ, terrenæ substantiæ fecit esse precium. Hujus ergo nos clementiæ non immemores, nec ignorantes, nos gratuito Divinæ miserationis respectu, Regali dignitate sublimatos, congruum esse ducimus, non solum Ecclesias ab antecessoribus nostris constructas ampliare, sed ad majorem gloriam Dei, novas ædificare, easque

devo-

devotionis noſtræ donis gratiſſimis exaltare.

Quapropter Dominicis non ſurdum auditum præbentes præceptis, & Deificis obtemperando intendentes ſuaſionibus, theſauros Divinæ largitatis munificentia nobis collatos, in cœlo deſideramus reponere, ubi neque fures effodiunt, nec furantur, neque ærugo, vel tinea demolitur; ubi & dum omnia nunc congeſta recolimus, cor noſtrum deſiderio & amore ſæpius verſetur.

Proinde patere volumus omnium fidelium univerſitati, quod quendam paternæ hæreditatis noſtræ locum, Babenberc dictum, in ſedem & culmen Epiſcopatus proveximus, & Romanæ ſedis auctoritate firmatum, atque venerabilis Heinrici, Wirzeburgenſis Epiſcopi, conſenſu, & dilectæ conjugis noſtræ Chunegundæ voluntate, ac pari communique omnium noſtri fidelium, tam Archiepiſcoporum, quam Epiſcoporum, Abbatum, nec non & Ducum, & Comitum conſulto, decretoque, ac totius regni noſtri, principumque concordi devotione laudatum, ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non Sanctorum Kiliani & Gregorii, fundavimus, ſtabilivimus, & corroboravimus; ut inibi noſtrum, parentumque noſtrorum, & Ottonis III. Imperatoris, videlicet, anteceſſoris noſtri, celebre habeatur memoriale, & jugis pro omnibus orthodoxis mactetur hoſtia ſalutaris.

Oblatis igitur Deo in eadem dilecta nobis Eccleſia ad honorem & decorem Domus Dei, ex metallis, lapidibusque pretioſis, in varios uſus ſanctuarii, vaſis ſeu veſtibus, aliiſque ornamentis Eccleſiaſticis: contulimus præterea ad ſupra dictam ſedem Epiſcopalem prædia, Eccleſias, viros cum omnibus ſuis pertinentiis, ſive adhærentiis, videlicet utriuſque ſexus mancipiis, areis, ædificiis, terris cultis, viis & inviis, exitibus, & reditibus, quæſitis & inquirendis, ſilvis & ſagenis, venationibus, pratis, paſcuis, campis, foreſtariis, (*a*) cellariis, cenſibus, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, & cæteris omnibus, quam rite ſcribi, aut appellari poſſunt, quomodolibet utilitatibus, præſenti noſtræ auctoritatis edicto ſtatuentes; ut in Deo nobis dilectus, ſæpe dictæ Sedis Epiſcopus, Eberhardus, ſuique ſucceſſores, liberam dehinc habeant poteſtatem, eadem præſcripta bona cum omnibus appendiciis ſuis tenendi, poſſidendi, ſeu in quoslibet uſus Epiſcopatus convertendi; fratribus autem Canonicis, Deo ibidem famulantibus, ad quotidiana vitæ temporalis ſubſidia, poſſeſſiones, quas tradidimus, noſtra Imperiali autoritate, proprietative poſſidenda confirmamus: ea videlicet ratione, ut præfati Canonici, & eorum per ſucceſſionem Præpoſiti, liberam dehinc cum ipſorum Canonicorum conſenſu, & conſilio, poteſtatem habeant, in meliores uſus commutandi, augmentandi, & utilitatem ſuam quoquomodo redigendi; quatenus & ipſi noſtri benigne memores apud Deum, ac dilectiſſimæ conjugis noſtræ, atque conſortis regni, Chunigundæ, parentumque noſtrorum, verſa vice beneficiis noſtris pia atque aſſidua interceſſione reſpondeant.

Si quis autem, quod abſit, hujus noſtræ munificentiam donationis, atque inſtitutum Apoſtolicæ Sedis, & tot venerabilium Patrum auctoritate firmatum, deſtruere, ſeu violare tentaverit, in die judicii coram oculis Dei tormento inextinguibili æternaliter luat. Quod ne eveniat, ſed hæc traditio, atque decretum, ab omnibus perpetualiter inviolabilis permaneat, hanc chartam inde conſcriptam, manu propria roborantes, ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

Tomo X. operum Gretſeri pag. 513. *ult. editione.*

(*a*) In apographo Bambergenſi *præſtariis*, legit Gretſerus.

Notatio Gretſeri. Exſtat hæc S. Heinrici conſtitutio etiam in *codice Vienn.*, at nonnullis omiſſis. Illa inſuper: *contulimus præterea* &c. longe aliter in dicto exemplari leguntur, quam in noſtro; id ut videas: En tibi *Codicis. Vienn. verba*:
" Proinde noverit omnium noſtri fidelium, tam præſens ætas, quam & ſuc-
" ceſſiva poſteritas; quia nos noſtræ quendam proprietatis locum, Chöni-

 geshoff

" geshoff dictum, ad eandem supradictam Episcopalem sedem una cum
" omnibus ejus pertinentiis, sive adhærentiis, videlicet vicis, villis, Eccle-
" siis, servis, & ancillis, areis, ædificiis, terris cultis, & incultis, viis & in-
" viis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, saginis, (a) venationibus,
" aquis & piscationibus, rebus mobilibus & immobilibus, ac cæteris omni-
" bus, quæ rite scribi aut appellari possunt, quolibet modo utilitatibus, hac
" nostræ auctoritatis præceptali pagina, prout firmius possumus, donamus
" atque proprietamus: omnium contradictione remota, præcipientes, ut
" nobis in Deo dilectus, sæpe dictæ sedis Episcopus Eberhardus, suique
" successores, liberam dehinc habeant potestatem, eundem præscriptum lo-
" cum, cum omnibus appendiciis suis tenendi, possidendi, seu quidquid
" sibi libeat, modis omnibus, in usum Episcopatus inde faciendi." Quod ergo in nostro exemplari universim de omnibus prædiis & locis Episcopatui donatis S. Henricus sancit; id codex Vienn. refert duntaxat ad donationem loci illius, qui Königshoff appellatur.

[a] Sagenis *Apogr. Bamb.* Segenis, *Cod. Vienn.* diserte: saginis, quo denotari videtur jus, porcos in sylvas agendi, saginæ causa; ut fieri solet, ubi Glandiferarum arborum copia.

ALTERA SYNODUS FRANCOFORDIENSIS

Anno Christi MVII. Joannis XVIII. Papæ V. Henrici II. Regis VI. Indict. V. Kal. Nov.

Habito igitur *rursum* generali Concilio in Franckenfurt; cui præsedit venerabilis Archiepiscopus Willigisus Moguntinus, universi Archiepiscopi, & Episcopi, qui interfuerunt, numero XXXVI. debita cum veneratione privilegium hoc (a) Sedis Apostolicæ suscipientes, unanimiter devotis mentibus laudaverunt, & scribendum roboraverunt.

De supradictis vero Parochiæ terminis ab Ecclesia Wirzeburgensi commutatis, ne qua fieret in posterum querela vel dubitatio, subjectam (b) conscribi paginam fecerunt: cui subscripsit primo quidem ipse Henricus Wirzeburgensis Episcopus, deinde ejusdem Ecclesiæ Præpositi, sive Presbyteri numero novem.

(a) *Bulla Joannis Papæ, qua institutionem Episcopatus Bambergensis confirmat ex Synodo Romana, ea de causa celebrata.*

Joannes Episcopus servus servorum Dei. Officii nostri est, omnium Sanctorum Dei Ecclesiarum commoda generaliter considerare, & maxime earum, quæ specialiter sub jure ac domino nostræ Romanæ Ecclesiæ consistunt, si quod est incommodum, abolere, ne pro gravi incommoditate sua neglectæ vilescant; vel qualibet nacta occasione, debita solennitate careant. Propterea omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentibus scilicet, & futuris, notum esse volumus: quia dilectus & Spiritualis noster Filius HEINRICUS, gloriosissimus atque invictissimus Rex, Divina inspirante Clementia, de propriis

(b) Subjecta charta Concilii nomine confirmatoria erecti novi Episcopatus non extat apud *Biographos S. Henrici*, nomina tamen Archi-Episcoporum & Episcoporum, qui Concilio interfuerunt, infra recensentur ex codice MS. Viennensi apud *Gretserum loco infra citando.*

priis hæreditariis rebus, pro sua, suorumque parentum anima Episcopatum in loco, qui dicitur Babenberc (c) perfectæ fidei; & charitatis devotione, in honorem Beatissimi Petri Apostolorum Principis esse constituit, commutatione facta jure, ac legaliter cum Heinrico Wirzeburgensi Episcopo, de aliqua parte Parochiæ sui Episcopatus. Unde etiam prædictus Episcopus *nobis suas litteras* misit, ut suo consensu privilegio nostræ Apostolicæ auctoritatis Episcopatus noviter factus fundaretur.

Pro qua ratione Heinricus secundus, gloriosissimus Rex, nuncios suos ad nos direxit, qui nobis hæc omnia dicerent, & nos pro hac sede confirmanda interpellarent. Cujus Sanctissimam imitationem (d) paterna, & præcordiali dilectione intuentes, omnes res, quas Beato Petro Apostolorum Principi in loco prænominato legitima ratione collectas contulit, nostræ auctoritatis privilegio confirmare decernimus, ea videlicet ratione, ut Episcopus ejus loci, & qui in perpetuum fuerint (e) tui successores, ea (f) secura tranquillitate possideant, & liberam habeant potestatem res, & proprietates ejusdem Ecclesiæ ordinare, atque componere, vel etiam (*) argumentare: dissipare vero atque confundere, nullam habeant potestatem.

Nostra quoque auctoritate sancimus, ut in terminis, & in rebus ejusdem Ecclesiæ nulla sit infestatio tyrannorum, vel aliorum quorumlibet pravorum hominum, sive in castellis, & villis, & servis, & ancillis, tributariis, decimis, forestibus, silvis, piscatoribus, venationibus, molendinis, campis, pratis, terris cultis, & incultis, & quidquid modo illuc pertinet, vel in futurum acquiri possit, per nostræ auctoritatis privilegium corroboratum, in secura quiete permaneat. Nullus ibi Comes aut Judex legem facere præsumat, nisi quam per concessionem Gloriosissimi Regis HEINRICI, vel successorum ejus, Episcopus loci ejusdem deligeret. Nulla aliena potestas ibi per violentiam irruat. Sit ille Episcopatus liber, & ab omni potestate extranea securus, Romano tantummodo mundiburdio subditus: quatenus Episcopus eo melius cum Canonicis suis servitio Dei possit insistere, & primi constructoris ejusdem loci, & recuperatoris jugiter memoriam habere. Sit tamen idem suo Metropolitano (g) subjectus, atque obediens. Quicumque hæc præcepta servaverit, Divinam remunerationem, & Apostolicam benedictionem accipiat: qui autem contemptor, & violator exstiterit, perpetui anathematis damnationi subjaceat, nisi resipiscens ad satisfactionem perveniat. Scriptum per manus Petri Notarii, & Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Junio. *Indict. V.*

Gretserus Tomo X. citato.

Notatio de Bulla Joannis Pontificis, & quinam Præsules eam Subscriptione confirmarint, ita codex Viennensis.

Quod videlicet privilegium venerabiles Patres in supradicto Franckenfurt habito generali Concilio consistentes, summa veneratione legendo suscipientes, & Apostolicæ auctoritati obedientes, devotis mentibus subscribendo, unanimiter laudaverunt, communiterque corroboraverunt. Willigisus Sanctæ Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopus, qui eidem Synodo vice Romanæ Ecclesiæ præsidebam, collaudavi, & subscripsi. Ratherus Padelbrunnensis Ecclesiæ Episcopus interfui, & subscrip. Berenwardus Hildenisheimensis Episcopus interfui, & subscrib. Lambertus Constantiensis Episcopus interfui, & subscr. Arnoldus Halberstadensis interfui, & subscripsi. Oudalricus Curiensis Episcopus interfui, & subscr. Burchardus Wormatiensis Episcopus interfui, & subscr. Werenharius Argentinensis Episcopus interfui. Walterus

(c) quem ipse perfecta: *addit Tegernseensis codex.*
(d) intimationem: *habet codex Tegernseensis a Schannato inspectus, & collatus cum Gretseri editione.*
(e) sui, *pro* tui, *idem codex.* (f) eas, *idem.* [*] *lege:* augmentare.
(g) Archi-Episcopo Moguntino, *idem codex.*

terus (*b*) Spirensis Episcopus interfui, & subscr. Brun. Augustensis Episc. interfui, collaudavi, & subscripsi. Liudolphus Treverensis Archiepisc. interfui, & subscripsi. Bertoldus Tullensis Episcopus interfui. Heimo Virdunensis Episcopus interfui & subscripsi. Hartwigus (*i*) Juvavensis Archiepisc. interfui. Christianus Pataviensis Episcopus interfui, & subscr. Gebehardus Ratisponensis interfui, & subsc. Egibertus (*k*) Frisingensis Episc. interfui, & subscrip. Adelbero Brixiensis Episcopus. interfui & subscrip. Heribertus Archiepisc. Coloniensis interfui ad votum Synodi, & subscrip. Schwidgerus (*l*) Munidargefortens. Episcopus interfui, & subscr. Ansfridus Trajectensis Episcopus interfui, & subscrip. Theodoricus Mindensis Episcopus interfui & subscripsi. Dietmarus Episcopus Osneburgensis interfui, & subscripsi. Dagino Archiepisc. Magdeburgensis interfui, & subscr. (*m*) Hildihardus Cizensis Episc. interfui & subscr. Burchardus Archiepiscp. Laudunensis interfui & subscr. Baldolphus Archiepisc. Tarentasiensis interfui & subscripsi. Hugo Genuensis subscrip. Anastasius (*n*) Ungrorum Archiepisc. interfui, & subscrip. Adelbero Basileensis interfui, & subscrip. Hugo Genuensis subscrip. Heinricus Lausonensis subscr. Ekkehardus Sleswigensis subscrip. Albericus Cumanus Episcopus interfui, & subscrip. Richolphus Tergestinensis Ecclesiæ Episcopus interfui & subscrip.

Ex vita Henrici Regis & postea Imperatoris edita a Gretsero anno 1611. & *recusa Tomo X. Gretseri novæ editionis anno* 1738.

Cunctis præsentibus confirmatione Papæ, & omnium Episcoporum audita Rex gloriosus Eberhardo Cancellario suo curam pastoralem commisit, quem præfatus Archi-Præsul Willigisus eadem die consecravit.

Annalista Saxo Eckharti Tomo I. p. 406.

Clarissimus Vir Dominicus Mansi *Tomo I. Supplementi Conciliorum* magno opere molitur ostendere duas fuisse Synodos Francofurti, celebratas pro erigendo Bavenbergensi Episcopatu: sed Gretserus jam anno 1611. edita vita S. Henrici ad oculum id demonstraverat: prolata Bulla Pontificia Joannis XVIII, quam post primum Concilium Francofordiense missis Romam Legatis suo & Henrici Wurceburgensis Episcopi nomine impetraverat, & in secundo Concilio prælecta, & ab Germaniæ imo Cisalpinis Germanis pæne omnibus, & aliquot Transalpinis Episcopis acceptata, & collaudata fuit. Idem Gretserus Epistolas aliorum Episcoporum collaudatorias novi erecti Episcopatus protulit, sed extra Concilium scriptas. Nos ea, quæ ad Concilium spectant, hic tantum edimus.

Deinde Indictio quinta, quæ a Septembri 1006. ad Septembrem 1007. currit, indicat post prius Concilium Francofordiense, alterum post Junium anni 1007. quo Papæ Bulla data legitur, indictione V. currente celebratum fuisse.

(*b*) Waltherius, *alii codices.*
(*i*) Hartwigius, *alii.*
(*k*) Egilbertus, *alii.*
(*l*) Mimigardefordensis *legendum.*
(*m*) Hildewardus *alii.*
(*n*) *forte*: Arigoniensis Episcopus.

SYNODUS PALITHI

Anno Christi MVII. Joannis XVIII. Papæ V. Henrici II. Regis VI.

SUMMA. Henrici Regis provida mediatione dissidium componitur de jurisdictione in Cœnobium Gandesemense, quam Willigisus Archi-Episcopus Moguntinus cedit, verbo & pedo dato S. Bernardo Episcopo Hildenesheimensi.


ANNO autem Incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo septimo. Rex venerandus Heinricus, totius Romani Imperii potentissimus *Palithi* Natale Domini, cum maxima gloria celebravit. Quocunque vero sapientissimus

ſimus Imperator ora ſui Sanctiſſimi vultus circumtulit, ſi quos forte diſſidentes reperit, aut ſtatim reconciliabat; vel ſi quicquam obſtitit, ut id non poſſet, efficere nunquam mente feriabat, donec violatam charitatem reformabat. Quod etiam tunc in ipſo feſto ſingularis *Nativitatis*, facere prudenter inſtituit. Nam vetus odium, quod Archiepiſcopus Willegiſus ad Hildeneſemenſem Epiſcopum, Beatum videlicet Bernwardum, levibus de cauſis conceptum, ſævis irarum ſtimulis irremediabiliter ſub mente nutriebat, ſæpius delinire cupiens, animoſitate illius victus deſtitit. Veruntamen *coram multis Epiſcopis*, aliiſque Principibus, qui ad palatium affluxerant, conveniens Archiepiſcopum, tanta auctoritate pertinaciam animi illius digna invectione confregit, ut ſe totamque controverſiam illius judicio, vel fratrum votis (*a*) obſtaret. Deinde ſapientiſſimus Rex ſæpius interceptam Gandeneſemenſis Eccleſiæ dedicationem, in *vigilia Epiphaniæ* Domini indixit, quæ tunc prima feria Dominicæ Reſurrectionis accidit; velationem etiam ancillarum Dei in ipſa ſacra die Epiphaniarum. venerabilis igitur Bernwardus Epiſcopus Willegiſum Archiepiſcopum, & cæteros fratres in auxilium ſui ad conſecrationem prædictæ Eccleſiæ invitavit. Nec mora; adeſt ſacra ſolemnitas, conſecrationis myſteria ex præcepto Beati Bernwardi Epiſcopi diſponuntur; fiunt omnia (*b*) charitatis fraterna, ita ut Archiepiſcopus in aſperſione primum locum teneret, & cum ipſo beatus Bernwardus Epiſcopus. In Eccleſiam vero ipſe, cujus Parochia erat, myſteria conſecrationis fratribus diſpenſabat: primum namque gradum ille obtinebat. Expletis itaque Dei gratia omnibus fraterna charitate, Rex cum Archiepiſcopo, & cæteris ad populum progreſſus, ſic locutus eſt: " Diuturnam peccatis agentibus " controverſiam, chariſſimi, hodie de" ponere, & terminare dignum duxi" mus. Agnoſco enim, & ſcio hanc " Eccleſiam, & adjacentes villas Hil" deneſemenſibus Epiſcopis ſemper per" tinere, & ab illis abſque contradictio" ne poſſeſſam eſſe. Adhæc verba Imperatoris Willegiſus Archiepiſcopus, tandem Dei miſericordia in ſe rediens, & quidquid proprio reatu, vel aliorum inſtinctu, in Deum & ſanctam ejus genitricem exercuiſſet, videlicet injuſtâ invaſione Parochiæ Gandeſem ad titulum Hildeneſemenſis Eccleſiæ pertinentis, publice confitens, juri & repetitioni ejuſdem loci abrenunciavit, & in teſtimonium hujus abrenunciationis, *ferulam Epiſcopalem* Beato Bernwardo tradidit dicens: " Frater chariſſime, & Epiſco" pe: abrenuntio juri hujus Eccleſiæ, " & hanc paſtoralem ferulam, quam " manu geſto, tibi ſub teſtimonio Chri" ſti, & Domini noſtri Regis, & fratrum " noſtrorum trado in teſtimonium, ut hoc " neque ego, neque ullus ſucceſſor meus " aliquam interpellationem vel repetitio" nem de hac re poſſit habere. " Sicque officium Miſſæ ab Archiepiſcopo, conſenſu Beati Bernwardi, ſolenniter peractum eſt. *Sequenti autem die Epiphaniæ* Domini, velatio virginum ſolemni celebratione, præſente Rege, omnibusque Epiſcopis a Bernwardo venerabili Epiſcopo facta eſt. Sicque gratia Dei rebus in pace, & caritate, ſapientia mitiſſimi Principis compoſitis, diceſſum eſt. Archiepiſcopus autem hac lite ſedata, præſulem noſtrum omni honore, & charitate dilexit, & in noſtro Monaſterio fraternitate honorifice acquiſita, ſummam dilectionem, & loco & fratribus providit.

Tangmarus in vita S. Bernwardi apud Leibnitz, Tomo I. Scriptor. Brunſwicenſ. pag. 459.

(*a*) Leibnitz. ex MS. rectius legit: *ſubmitteret*, pro: *obſtaret.*
[*b*] *forte*: charitate.

CON-



CONVENTUS SYNODALIS
WERLÆ,
Anno Christi MVIII. Joannis XVIII. Papæ VI. Henrici II. Regis VII.

In quo Willigisus Archi-Episcopus Moguntinus, & Bernwardus Hildesheimensis Episcopus, super gravi ac diuturno, quod inter eos vertebatur dissidio, invicem conciliati, fuerunt confirmati per diploma Regium in Conventu WERLÆ signatum, cum cæteris Episcopis & Proceribus ibidem præsentibus & subscribentibus.

IN nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

HEINRICUS secundus, Dei gratia Rex, omnibus Fidelibus salutem, & pacem in Christo perpetuam.

Recognoscentes, non nostris meritis hujus terreni Regiminis culmen, quantulumcunque est, nos conscendisse; sed solo respectu Divinæ pietatis, totum nostrum velle, & sapere Divino cultui, anno & ingenio contradere statuimus, & sicut Episcopis, & præcipue Patri nostro Spirituali *Willigiso* Archiepiscopo promisimus, Ecclesiam Dei, & Sacerdotes Christi, sublimare, & exaltare vigilantissima devotione, pro scire ac posse, studebimus.

Perpendentes itaque veternum odium inter Familiares, & præcipuos Episcopos grassari, *Willigisum* videlicet Mogontiensem Archiepiscopum, & *Bernwardum* Hildeneshemensem Antistitem, fide æque ac caritate probatum, anxie nobiscum volventes: quomodo illos ad concordiam revocaremus, difficile timentes, quia sæpius ab Apostolica Sede, atque Imperiali Majestate Archiepiscopus commonitus: ut ab invasu Gandershemensis Ecclesiæ desisteret, persuaderi non potuit. Tandem tamen; quia utrosque amantissimos habuimus, coram Episcopis, qui *Palithi*, in Natale Domini, ad nos convenerant, causam detulimus, atque utrosque ita ad caritatem, & concordiam inflexímus, ut in cunctis se nostro, atque Episcoporum judicio obtemperaturos promitterent. Dehinc dificatam ibidem Ecclesiam, quæ ultra modum & nostrum velle, benedictione caruit, consecrandam *II. Idus Januarii* indiximus; Bernwardus quoque Episcopus, noster fidelis, ex nostro suasu Willigisum Archiepiscopum, & universos Episcopos in auxilium sibi convocavit, tantaque concordia, & unanimitas, Dei gratia, inter dissidentes Fratres facta est, ut illud solenne officium dedicationis maxima caritate fieret, Archiepiscopo nil suo juri præsumente, nisi quantum Episcopus Bernwardus concedendo postularet: neque enim, ut ante, veritatem pro reverentia vel gratia Archiepiscopi subterfugimus; verum firma auctoritate sententiam Bernwardi Episcopi, quia judicio omnium fixa claruit, firmavimus; donec suasu communi Archiepiscopus ad clerum populumque, nobis subsequentibus, processit, & facto ante januam catholico sermone, factaque totali terminatione, ut moris est, præscriptum* cœnobium a principio ab antecessoribus Bernwardi Episcopi legitime, absque omni contradictione, possessum, publice cognovit, se se postmodum in id officii retraxit, & ut nullam reclamationem, aut repetitionem ipse, vel successores ejus, in præfata Ecclesia cum terminis suis, ullo unquam tempore habere potuissent, Episcopalem ferulam, quam ex more gestabat, nobis roborantibus, Episcopis quoque auctorantibus Bernwardo Episcopo tradidit, ita inquiens: " Cedo, Frater,

liti

" liti & juri, in quibus huc uſque per-
" ſtiti; & quia mihi meisque ſucceſſo-
" ribus in hac Eccleſia, vel terminis,
" Canonice nil ſine tuo conſilio compe-
" tere ſcio, tibi, tuisque ſucceſſoribus ple-
" nariam poteſtatem in ea cognoſco, &
" me, meosque ſucceſſores, ſub præ-
" ſentia Domini noſtri Regis, teſtimo-
" nio quoque fratrum noſtrorum, co-
" ram Chriſto, abalienabo; & ut nul-
" la interpellatio futuro tempore a me,
" vel meis ſucceſſoribus fieri poſſit,
" hanc ferulam, in ſignum firmitatis
" tibi dedo.

His actis, Eccleſia ipſa die ex more conſecrata eſt, & ſequenti die velatio ancillarum Dei celebrata, auctoritate Bernwardo venerabili Epiſcopo; & qui perpetuam pacem Eccleſiæ Dei cupio, hanc pactionem conſcribi, anulique mei impreſſione muniri feci, meaque ſubſcriptione roboravi.

Signum Domni HEINRICI Regis invictiſſimi.

Guntherius Cancellarius, vice Ercambaldi Archicapellani, recognovit.

Data X. Kalend. Februarii. Indict. VI. Anno Domin. Incarnationis MVIII. Anno vero Domni *Heinrici* ſecundi Regnantis VI. Actum *Werlæ* feliciter, Amen.

Ego HEINRICUS Secundus, Dei gratia Rex, huic reconciliationi vel pactioni conſentiens, ſigno ſanctæ Crucis, gaudens ſubſcripſi. †

Ego *Willigiſus*, Mogontinæ Sedis, gratia Dei, Archi-Epiſcopus, huic Catholicæ & Canonicæ reconciliationi, & taxationi, gaudens, ſigno Crucis ſubſcripſi. †

Dagino, ſanctæ Parthenopolitanæ Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, ſigno ſanctæ Crucis ſubſcripſi †

Retharius, ſanctæ Patherbornenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi †

Bruno, ſanctæ Auguſtburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi †

Thiadericus, ſanctæ Mindenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi †

Arnulfus, Halberſtadhenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi †

Berngerus, Farthenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi †

Aeggihardus, Sleswiccenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi †

Hildiwardus, ſanctæ Citicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi †

Wigo, ſanctæ Brandeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi †

Arlugin, Cameracenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi †

Bernhardus, Dux Weſtvalorum, ſubſcripſi †

Hirimannus, Dux Suevorum, ſubſcripſi †

Burghardus, Palatinus Comes, ſubſcripſi †

Heinricus Comes †

Sigifridus Comes †

Eggihardus Comes †

Gero Comes †

Thiedericus Comes †

Criſtan Comes †

Genzo Comes †

Bodo Comes †

Liudulfus Comes †

Dodico Comes †

Sigubodo Comes †

Udo Comes †

Sigifrid Comes †

Bernherd Comes †

Hiriman Comes †

Herp, Ægilinis filius †

Hernuſt Comes †

SYNO-

Hoc Diploma Regium confirmatorium Synodi in Poleda celebratæ, communicatum fuit Clariſſimo Schannato ab Clmæ memoriæ viro Joanne Georgio ab Eckhart.

SYNODUS GOSLARIENSIS

Anno Chrifti MIX. Sergii IV. Papæ I. Henrici II. Regis VII.

SUMMA. Defuncto Ratherio Epifcopo Paderbrunnenfi, Henricus Rex cum Concilio Epifcoporum applaudentium Meinwercum fubftituit.

ANNO Millefimo nono, Rege confiftente in Goslaria, illico Legatos fuos ad eum direxit Ecclefia Paterbrunnenfis, qui & obitum Epifcopi Ratherii pridie nonas Martii, anno Epifcopatus fui XXVIII. defuncti denuntiarent, & clementiæ ejus folatium de fucceffore idoneo fuppliciter implorarent. Qua lugubri Rex audita legatione, talem tantumque virum condigno mœrore deflevit, & Miffarum, eleemofynarumque debita commemoratione animam ejus divinæ pietati commendavit. Pofthæc, afcitis Epifcopis & Principibus, qui aderant, de fucceffore tali loco & tempore idoneo confilium habuit: & diu fcrutatis, perfpectisque plurimis MEINWERCUM tam nobilium natalium magnitudine, quam rerum & facultatum temporalium multitudine idoneum perhibuit. Illico faventibus & congratulantibus omnibus, Meinwercum advocavit; & confueta benevolentia ei arridens, fumpta chirotheca, *Accipe*, ait, Quo, quid effet accepturus percontante, *Epifcopatum*, inquit Rex, *Patherbrunnenfis Ecclefiæ.* Illo autem dicente, quid fibi Epifcopatus ille deberet, qui de bonis propriis excellentiorem conftruere valeret? Quia hoc, *inquit Rex*, veraciter confidero, ideo te inopiæ illius mifericorditer fubvenire defidero, ut illius in cœlo cohæres fieri merearis, cujus piam matrem in terris hæredem tuum feceris. At ille hilariter, ego, *inquam*, ea fpe & conditione Epifcopatum fufcipiam. Oftendens liquido, fe non defpectu paupertatis vel appetitu eminentioris fedis, aut dignitatis, fed affectu majoris utilitatis, fimpliciter contradixiffe. Ibidem ergo in Goslaria, proxima Dominica ab Willigifo Mogontino Archi-Epifcopo, & cæteris Epifcopis, qui aderant, confecratur.

Browerus inter fidera Germaniæ pag. 22. Biographus Meinwerci No. XVI. apud Leibnitz. Tomo I. Scriptor. Brunfwicenfium pag. 522.

SYNODUS BAMBERGÆ

II. NON. MAJI, QUI ERAT DIES NATALIS XXXVI. REGIS HENRICI.

CONFLUENTIÆ

POST MARTINI ANNI HUJUS.

MOGUNTIÆ

INITIO DECEMBRIS.

Anno Chrifti MXII. Benedicti VIII. Papæ I. Henrici II. Regis X.

SUMMA.

§. *I. Dedicatio Bavenbergenfis Ecclefiæ in prima Synodo.*
§. *II. Accufatio Gevehardi Ratisponenfis a fuo Metropolitano.*

§. *III.*

§. III. Rex Theodericum Metensem Episcopum arguit ob literas Papæ scriptas.

§. IV. Promittitur restitutio Diœceseos Merseburgensis postulanti, & accusatori Ditmaro contra Magdeburgi Archi-Episcopum, & Hildewardum Misnensem detentores, in his tribus Synodis.

§. V. Tres fratres (a) *Luzelburgici Henricus Dux Bavariæ, Theodericus Episc. Metensis, Adalbero Præpositus S. Paulini publice condemnati proscribendi Concilio Confluentiæ damnantur.*

§. VI. Expulsio Judæorum Moguntiæ, & hæreticorum confutatio.

INterea Bambergensis Ecclesiæ Dedicationi intererat Henricus Rex, & Joannes Patriarcha Aquileiensis consecrator Ecclesiæ, & plus quam XXX. Episcopi. Item duæ sorores Abbatissæ Adelheidis Quedlinburgensis, Sophia Gandersheimensis, quæ fuerant Ottonis III. sorores, & Henrici II. Regis consanguineæ.

Post hæc Synodus fit magna ibidem Bavenbergæ, in qua Gevehardus Ratisbonensis Ecclesiæ Præsul ab Archi-Episcopo suomet (*Hartwico*) (*b*) arguitur. Et Metensis Ecclesiæ Præsul Thiedericus a Rege Henrico increpatur, eo quod Epistola suimet hunc injuste apud Papam accusaret. Sed hæc omnia, & multa alia consilio prudenti sunt finita.

Ditmarus, Merseburgensis Episcopus, in medio Synodi stans antiquam querimoniam diserte recitavit, & synodali censura plenissime restitutio Ecclesiæ Merseburgensis a Gisilario dissipatæ ab injuste tenentibus promissa est: sed non impleta.

DITMARUS tamen huic promissioni tam diu tenaciter adhæsit, donec Gero Archiepisc. Magdaburgensis partem Parochiæ Merseburgensis Ecclesiæ super quatuor urbes, scilicet Schuditz, Cothyn, Bychen, Wurcin, & duas villas remisit, reliqua vero imposterum se relicturum promisit, sed non adimplevit. Post vero aliquod temporis intervallum, cum Imperator *Magdaburg* moraretur, & cum illic plurima Regni utilia agerentur, iterum antistes Ditmarus Hildewardum Misnensem Episcopum, quia partem Parochiæ teneret, accusavit, sed Imperator utrisque satisfaciens hoc instituit, ut Parochiam citra Muldam Merseburgensis teneret, quod vero ultra esset, Misnensis haberet.

Theodorico Metensi ab omnibus Episcopis Confluentiæ congressis interdictum, ut ante purgationem suæ Rebellionis missam non caneret.

Ditmarus Lib. VI. Chronici, & Browerus Annal. Trevirensium L. X. sed ad 1011: *nos ad* 1012. *referimus.*

Expulsio Judæorum a Rege facta est Moguntiæ, & quorundam hæreticorum refutata est insania.

In eodem Concilio Annalista Saxo loco citato ad h. a.

Ex vita Ditmari a Leibnitzio edita Tom. I. pag. 390.

Ex Annalista Saxone Eckharti Tom. I. Scriptor. medii ævi pag. 424.

Ex Chronico Quidlinburgensi apud Leibnitz. Tom. II. Scriptor. Brunswic.

PRI-

(*a*) Theodericus, Comes Luzelburgensis, designatus tutor & custos Adalberonis junioris, post mortem Adalberonis II. Episcopi Metensis 15. Decembris 1005. defuncti: sed a morte illius junioris Adalberonis in Episcopatu Metensi successor non acquiescebat fundationi Ecclesiæ Bavenbergicæ, factæ ab Henrico Rege ex bonis dotalitiis Cunigundæ Reginæ, sororis suæ, uti nec ejus frater Henricus Comes item Luzelburgensis, & post Bavariæ Dux; nec Adalbero, Præpositus S. Paulini, fratres huic subtractioni acquiescebant. Hinc hi tres vocantur *Rebelles* Henrici II. Regis, & ideo in Conventibus Bambergæ 6. Maji 1012. Confluentiæ 12. Novembris, Moguntiæ ineunte Decembri 1012. citati, accusati a Rege & Synodo condemnati fuere. *Calmet. Historia Lotharingiæ Tom. I. pag.* 1005. 1006.

(*b*) Factum hoc ex Annalista Saxone descriptum refert Marcus Hansizius in Historia Archi-Episcopi hujus Salisburgensis Hartwici; sed causam reprehensionis nullam proferre scit.

PRIVILEGIUM HENRICI, IMPERATORIS.

Quo Patrimonia Romanæ Ecclesiæ ab antecessoribus piis Ecclesiis quondam collata, Benedicto (*) Pontifici gratitudinis ergo & pietatis in Principem Apostolorum amore confirmavit.

Contulimus, inquit Baronius, *cum quatuor diversis Manuscriptis, atque ita ob nonnulla, in quibus variant, distinximus, ut* A. *codicem Cencii Camerarii*, B. *volumen Privilegiorum Romanæ Ecclesiæ*, C. *Autographum molis Hadriani*, D. *Nostrum manuscriptum denotet.*

Exemplum Privilegii Henrici Imperatoris de regalibus beato Petro concessis ab antecessoribus Pippino, Carolo Magno, & Ottonibus. 2do. De electione Romani Pontificis canonice & juste facienda.

IN nomine (*a*) Domini Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. (*b*) Ego Henricus Dei gratia Imperator Augustus, spondeo atque promitto per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi beato *PETRO* Principi Apostolorum (*c*) & clavigero Regni Cælorum, & per te Vicario tuo Domino *BENEDICTO* summo Pontifici & universali Papæ, sicut a prædecessoribus vestris usque ad nunc in potestate vestra ac ditione tenuistis, & disposuistis civitatem Romanam cum ducatu suo, & Suburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus, montanis, ac maritimis litoribus, ac portubus seu cunctis civitatibus, castellis, (*d*) ac viculis Tusciæ (*e*) partibus, id est, Portum, Centumcellas (*f*) Ceram, Bledam, (*g*) Maturianum, Sutrium, Nepem, Castellum, (*h*) Gallicense, Orthem, Polimartium, (*i*) Ameriam (*k*) Tudam, Perusiam, cum tribus Insulis suis, id est, (*l*) majorem & minorem, Pulvensim & lacu, Narniam, & Utriculum; cum omnibus finibus, & territoriis ad supradictas civitates pertinentibus, nec non & exarchatum Ravennatem sub integritate, cum (*m*) urbibus, civitatibus, (*n*) oppodis, & castellis, quæ piæ recordationis (*o*) Dominus Pipinus, & Dominus Carolus, & Dominus (**) Ludovicus, & Otto, & itidem Otto filius ejus, prædecessores videlicet nostri, beato Petro Apostolo, & prædecessoribus vestris jam dudum per donationis pagi-

(*) Benedictus VIII. qui Henricum II. Germaniæ Regem Corona Imperiali Romæ cinxit in Vaticano templo anno 1014. XVI. Kal. Martii. Sedit ab anno 1012. ad annum Christi 1024. 27. Februarii.

Non ergo ante annum 1014. hoc Privilegium concessit Papæ Henricus: multitudo Episcoporum, Abbatum, Ducum, & Comitum huic Regiæ donationi subscribentium speciem Synodi præ se fert.

(**) Emblema hoc: *& Dominus Ludovicus*, ab imperito descriptore assutum est Donationi Henrici Imperatoris primi hoc nomine: nam Donatio Ludoviciana figmentum est: ait *Pagi in Critica ad hunc annum:* Otto Magnus in diplomate anno 962. dato Pippini & Caroli antecessorum in donationibus Romanæ Sedi factis meminit. Ludovici donatoris nulla mentio, deinde infra in hoc eodem diplomate Pippinus, Carolus M. & Ottonis recensentur, nullum gry de Ludovico Pio.

(*a*) D. *deest.*
(*b*) D. Amen.
(*c*) D. *deest.*
(*d*) D. seu
(*e*) D. pertinentibus
[*f*] D. Caram
[*g*] D. Marturiam. *al.* Marturanum
(*h*) D. Galisense
(*i*) D. Ameliam
(*k*) D. Tudertum
(*l*) D. majore & minore
(*m*) D. omnibus urbibus
[*n*] D. pertinentibus nec non & oppidis
(*o*) A. B. C. Domnus *ubique.*

(*p*) paginam contulerunt, hoc eſt, civitatem Ravennam, & Æmiliam, Bobium, Ceſenam, forum (*q*) populi, forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, (*r*) Comiaclum (*s*) Adrianis atque Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis atque Inſulis, terra marique ad ſupradictas civitates pertinentibus: ſimul & Pentapolim, videlicet Ariminum, (*t*) Peſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, (*u*) Auſimum, Humanam (*x*) Eſim, Forum Sempronium, Montem Feltri, Urbinum, & territorium (*y*) Balvenſe (*z*) Callem, Luciolis, & Eugubium, cum omnibus finibus ac territoriis ad eaſdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinenſe, ſicut a prædictis Imperatoribus anteceſſoribus noſtris beato Apoſtolico per donationis ſcriptum conceſſum eſt ſub integritate, & eſt in partibus Tuſciæ Longobardorum ' Caſtellum felicitatis, urbem veterem, balneum Regis (*a*) Ferenti, Viterbium, Orthem, Martam, (*b*) Bledam, Tuſcanam, Suanam, Populonium (*c*) Roſelles, cum ſuburbanis atque viculis, & omnibus territoriis, ac maritimis opidis, ſeu finibus omnibus. Itemque (*d*) Almus cum Inſula Corſica in Suriano, deinde in montem Bardonis (*e*) deinde in Bercelo, exinde in Parma, deinde in Regium, (*f*) exinde in Mantua, atque in monte Silicis, atque Provincia Venetiarum, & Iſtria, nec non & cunctum Spoletanum Ducatum, ſeu Beneventanum, una cum Eccleſia ſanctæ Chriſtinæ poſita prope Papiam juxta Padum quarto milliario. Item in partibus Campaniæ, (*g*) Sora, Arces, Aquinum, (*h*) Arpinum, Theanum, Capuam, nec non & Patrimonium ad poteſtatem (*i*) & ditionem veſtram pertinentia, ſicut eſt Patrimonium Beneventanum, & Neapolitanum, atque Patrimonia Calabriæ ſuperioris, & inferioris. De civitate autem Neapolitana cum Caſtellis, & territoriis, ac finibus, & Inſulis ibi pertinentibus, ſicuti ad (*k*) eaſdem aſpicere (*l*) videntur: nec non patrimonium (*m*) Siciliæ, ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus. Simili modo civitatem Cajetanum, & Fundum, cum omnibus earum pertinentiis. Super hoc confirmamus vobis (*n*) Fuldenſe Monaſterium, & Abbatis ejus conſecrationem, atque omnia Monaſteria, curtes & villas, quas in (*o*) ultramontanis partibus ſanctus Petrus habere dignoſcitur, (*p*) abſque Aterna, Wmiteringa, ſive Wilmbach, quæ a ſancti Petri Eccleſia per Conventionis paginam Epiſcopo noſtro Bambergenſi collatæ ſunt: pro quibus ſæpe dictæ Eccleſiæ ſancti Petri tranſcribimus, concedimus, & confirmamus omnem illam terram (*q*) quæ inter Narniam, (*r*) Teramnem vel Spoletum ex regni parte habuimus. Sub tuitione præterea Petri & veſtra veſtrorumque ſucceſſorum prætaxatum (*s*) Epiſcopum Bambergenſem offerimus, unde ſub (*t*) penſionis noſtræ equum album phaleratum ex ejuſdem loci Epiſcopo (*u*) vos annualiter ſuſcepturos (*x*) ſancimus. Offerimus inſuper, firmamus, & corroboramus tibi beato PETRO ac Vicario tuo Donno BENEDICTO, & ſucceſſoribus ejus, prout bonæ memoriæ Papæ JOANNI ſuiſque ſucceſſoribus a prædeceſſoribus noſtris Ottonibus (*y*) factam, civitates & oppida cum piſcariis ſuis, Reatem, Amiternum, (*z*) Furconem, Nurſiam, Baluam, & Marſiam, & alibi civitatem Teramnem cum pertinentiis ſuis.

Has omnes ſupradictas Provincias, urbes & civitates, oppida atque caſtella, viculos atque territoria, ſimulque patrimonia, pro ſtatu regni (*a*) noſtri, cuncto-

(*p*) D. paginam gratiam
[*q*] C.D. Pompilii
(*r*) D. Comaclum
(*s*) D. *deeſt.*
(*t*) D. Piſaurum
(*u*) D. Auximum
(*x*) D. Æſium
(*y*) Balnenſe ac Baluelſem
[*z*] C. Callis Tuceolos
(*a*) D. Ferenti Caſtrum
(*b*) C. Piedam
(*c*) D. Roſcellas
(*d*) C. Alunis
(*e*) D. ſeu alimentis
(*f*) D. *deeſt.*
(*g*) D. ſitam
(*h*) D. *deeſt.*
(*i*) D. noſtram & editionem
(*k*) D. Eccleſiam
(*l*) D. videntur & tenentur
(*m*) D. in Sicilia
(*n*) D. Fundenſe
(*o*) D. Ultramarinis
(*p*) D. atque Amenſua, Umixtinga.
[*q*] D. quam.
(*r*) D. Interamnem &
(*s*) A. B. C. Epiſcopium
(*t*) D. noſtræ penſionis debito
(*u*) D. annualiter nos
[*x*] D. ſaximus
(*y*) A. B. C. factum eſt
[*z*] D. Furcovium
(*a*) D. *deeſt.*

cunctoque Christianorum populo conservando, jam dictæ Ecclesiæ tuæ, beate PETRE, Vicarioque tuo BENEDICTO ac successoribus ejus, usque in finem sæculi eo modo confirmamus, ut in suo detineant jure, (b) principatu atque ditione. Simili modo per hoc nostræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas piæ recordationis Pipinus Rex, & postea Donnus Carolus Excellentissimus Imperator, ac deinceps Ottones Piissimi, beato Petro Christi Apostolo spontanea voluntate contulerunt: nec non & censum, (c) vel pensionem; seu ceteras, (d) donationes, quæ annuatim in (e) palatio Regis (f) Longobardorum inferri solebant, sive de Tuscia, sive de Ducatu Spoletano, sicut in suprascriptis donationibus continetur (f) & inter sanctæ memoriæ HADRIANUM Papam, & Donnum CAROLUM Imperatorem convenit, quando idem Pontifex (g) eidem supradictis Ducatibus, id est, Tuscano & Spoletano, suæ auctoritatis præceptum confirmavit: eo scilicet modo, ut annis singulis prædictus census ad partem Ecclesiæ Sancti PETRI persolvatur, salva super eosdem Ducatus nostra in omnibus dominatione, & illorum ad nostram partem subjectione.

Ceterum, sicut diximus, omnia supra scripta nomina ita ad vestram partem per hoc nostræ confirmationis pactum (h) corroboravimus, ut in vestro permaneant jure, principatu, atque ditione: & neque a nobis neque a successoribus nostris per quodlibet argumentum, sive machinationem, in quacumque parte vestra potestas imminuatur, aut a (i) vobis inde aliquid subtrahatur.

De supradictis vero Provinciis, urbibus, civitatibus; oppidis, castris, viculis, territoriis, ac patrimoniis, nec non & pensionibus atque censibus, sed potius omnia, quæ superius leguntur, id est, Provinciæ, civitates, urbes, castella, oppida, terræ, patrimonia, atque Insulæ, censusque, & pensiones ad partem Ecclesiæ beati Petri (k) Apostoli atque Pontificum in Sanctissima Sede illius residentium, nos in quantum possumus defensores esse (l) teneamur; ad hoc ut eam illi ditionem ad (m) utendum atque disponendum firmiter valeant obtinere, salva in omnibus potestate nostra, posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto & constitutione ac promissionis firmitate EUGENII Pontificis, successorumque illius continetur: ut omnis Clerus, & universi populi Romàni nobilitas propter diversas necessitates, & Pontificum irrationabiles erga populum sibi subjectum asperitates retundendas, Sacramento se obliget; quatenus futura (n) Pontificum electio, quantum uniuscujusque intellectus fuerit, canonice, & juste fiat: & ut ille, qui ad hoc (o) sanctum Regimen eligitur, nemine (p) consentiente consecratus fiat Pontifex: priusquam talem *in præsentia Missorum nostrorum*, seu universæ generalitatis, faciat promissionem pro omnium satisfactione, ac futura conservatione, qualem donnus, & venerandus spiritualis pater noster LEO * sponte fecisse dignoscitur.

Præterea alia minora huic operi (q) inserendum prævidimus: videlicet ut in electione Pontificum, neque liber neque servus ad hoc venire præsumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem Sanctorum Patrum (r) antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram, (s) institutionem venire præsumpserit, exsilio tradatur. Insuper etiam, ut nullus Missorum nostrorum cujuscumque impeditionis argumentum componere audeat in præfatam electionem, prohibemus. Nam & hoc omnimodo instituere placuit, ut qui semel sub (t) Spirituali defensione Donni Apostolici sive nostra fuerint suscepti, impetrata juste utantur defensione. Quod si quis in quemquam illorum, qui hoc pro-

(b) D. *deest.*
[c] B.C.D. &
(d) B. dationes
(e) A.B.C. Palatium
(f) D. *deest.*
(g) D. pro tempore de suprascriptis
(h) D. corroboramus
(i) B.D. nobis
[k] D. *deest.*
(l) A. tenemur B.C. testamur
(m) D. *deest.*
(n) D. *deest.*
(o) B.C. regimen Apostolicum
(p) D. contrariante
(*) Leo IV. quartus Papa hic intelligitur.
(q) B.C. inserenda
(r) D. aliqua
(s) B.C. constitutionem
(t) B.C.D. speciali

promeruerunt, violare præſumpſerit, ſciat ſe periculum vitæ ſuæ eſſe (u) incurſum. Illud etiam confirmamus, (v) ut Donno Apoſtolico juſtam in omnibus ſervent obedientiam, ſeu Ducibus & judicibus ſuis, ad faciendum juſtitiam. Huic enim inſtitutioni (w) hoc neceſſario annectendum eſſe perſpeximus, ut Miſſi Donni Apoſtolici, ſeu noſtri, ſemper ſint conſtituti, qui annuatim nobis renuntiare valeant, qualiter ſinguli Duces ac judices populo juſtitiam faciant. Hanc Imperialem conſtitutionem quomodo obſervent, qui miſſi, decernimus, ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam Ducum vel judicum fuerint inventi, ad notitiam Donni Apoſtolici deferant: & ipſe unum e duobus eligat, aut ſtatim per eoſdem (x) miſſos fiant neceſſitates emendatæ, aut miſſo noſtro nobis renuntiante per noſtros nuntios à nobis directos emendentur. Hoc ut ab omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, (y) veſtris firmum eſſe credatur, propriæ manus (aa) ſignaculo hoc pactum confirmationis noſtræ roboravimus, (bb) ſigilli impreſſione aſſignari juſſimus.

Signum Donni Henrici Glorioſiſſimi (a) Romanorum Imperatoris Auguſti.
Signum (b) Erchandildi Moguntini Archiepiſcopi.
Signum Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi.
Signum Bobonis Treverenſis Archiepiſcopi.
Signum Thiederici Metenſis Epiſcopi.
Ego Eberhardus Bambergenſis (c) Eccleſiæ Epiſcopus (d) Romanæ ſedis (e) ſubditus ſubſcripſi.
Ego (f) Mazelinus Wirceburgenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
(g) Ego Walterius Spirenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego (h) Ricodardus Conſtantienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego (i) Zodalricus Curienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Adalbertus Baſileenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Hemmo (k) Werdunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
(l) Ego Walter Heichſtedenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Signum (m) Richardi (n) Fuldenſis.
Signum Arnoldi Herfendenſis Abbatis.
Signum (o) Bruardi Abbatis.
Signum Gottifridi Ducis.
Signum Beringardi Ducis.
(p) Signum Thiederici Ducis.
(q) Signum Simomis Comitis.
Signum (r) Velphonis Comitis.
Signum Cunonis Comitis.
Signum (s) Kunzadi Comitis.
Signum Ottonis Comitis.
(t) Signum Adilbrahtis Comitis.
Signum (u) Bobonis Comitis.
Signum Frederici Comitis.
Signum Bezelini Comitis.
Signum Ezonis Comitis Palatini.
Signum Frederici Camerarii.
Signum (x) Ezonis [y) in Fercore.
Signum (z) Heuzonis Pincernarii.
Signum (a Huzis.
(b) Alimunbeteger.
Adilman.
Adilbero.
Ego (c) Wicelius Aſtratzburgenſis Epiſcopus.
Signum (d) Ryodhois Fluvanenſis Abbatis.

Hardouinus Tomo VI. Conciliorum pag. 799, 800, 801, 802. *una cum notis Pagi in Critica ad annum* 1014.

MERS-

(u) B.C.D. incurſurum
(v) D. in Dominio
(w) D. *deeſt.*
(x) D. nuntios
(y) D. *deeſt.*
(z) C. noſtris
(aa) B. ſignaculo & nobilium Optimatum noſtrorum ſubſcriptionibus.
(bb) C. ſigilli noſtri
(a) D. Romani
(b) D. Erkinbaldi Moguntinenſis
(c) D. Eccleſiæ Apoſtolicæ
(d) D. Apoſtolicæ
(e) D. ſubditus ſervus
(f) D. Matelinus Wirtemburgenſis Epiſcopus ſervus
(g) D. *deeſt.*
(h) D. Rodonardus
(i) D. Loldaricus
(k) D. Verdunenſis
(l) D. *deeſt.*
(m) D. Ricaldi Faldenſis.
(n) B. Fuldenſis Abbatis
(o) D. Brucardi
(p) D. *deeſt.*
(q) A.B.C. *deeſt.*
(r) D. Vylponis.
(s) D. Conradi
(t) D. *deeſt.*
(u) D. Boybonis
(x) A.C. Mezonis
(y) D. Infertorum
(z) A.B.C. Heimo Eunponis
(a) D. Huctis
(b) D. Alumnum Roriger
(cd) A.B.D. *deſunt.*

MERSBURGI CONVENTUS

Anno Christi MXVII. Benedicti VIII. Papæ VI. Henrici II. Imperii IV. Regni XVI.

SUMMA. De finibus Hercifcundis inter Diœcefes Merfeburgenfem, Magdeburgum, Mifnenfem.

" Multa falutem Patriæ refpicientia " ibidem finiuntur, fed ego (a) " cum multa fæpe quæftus fim Impera- " tori de parte meimet Parochiæ ab Ec- " clefia Misnenfi injufte ablata . . . . . " IIX. Cal. Martii cum federet Impera- " tor, & præfentes Epifcopi adeffent, " *Gero*, *Meinwercus*, *Wigo*, & *Ericus*, & " *Eilbardus*, (b) furrexi & lamentationem " feci. Tunc Imperator, & Archi-An- " tiftes, a quibus fperabam auxilium, " jufferunt mihi, Deus fcit, invito, qui " his refiftere non præfumpfi, ut Paro- " chiam in Orientali parte Mildæ flumi- " nis jacentem, id eft, in *Burgwardis*, " *Bichini*, & *Wurcin* Eilbardo concede- " rem, & quam ille in Occidentali ripa " tunc teneret, mihi hoc nunquam de- " fideranti relinqueret, id concambium " baculis firmavimus mutuis. Teftificor " coram Deo & omnibus Sanctis ejus, " id quod refiduum fuit, tunc nullo " modo dereliqui. Juffit quoque Im- " perator, ut villas tres, quæ fub præ- " dicto erant Epifcopo, Herimannus " Marchio aut Mifnenfi Ecclefiæ Sacra- " mento retineret, aut mihi redderet.

Ditmarus Lib. VII. Chronici apud Leibnitz. Tom. I. Scriptor. Brunfwic.

(a) Ditmarus, Merfeburgenfis Epifcopus.
(b) Gero Magdeburgenfis Archi-Epifcopus, Meinwercus Paderbornenfis, Wigo, Ericus Havelbergenfis, Hildewardus *five* Eilbardus Mifnenfis.

CONVENTUS IN LIETZGO

Anno Christi MXVII. Benedicti VIII. Papæ VI. Henrici II. Imperii IV. Regni XVI.

SUMMA. Henricus Imperator fratribus novi Monafterii in Diœcefi Paderbornenfi Meinwerci, prædium donat.

Anno prædicto factus eft celebris Conventus Principum in loco, qui dicitur *Liezgo*, (a) præfente Imperatore Heinrico, cum Archi-Epifcopis Erchanbaldo Maguntienfe, Poppone Treverenfe, Gerone Magetheburgenfe, Unwano Bremenfe; Epifcopis quoque Arnoldo Halverftadenfe, Eppone Bavenbergenfe, Thiederico Metenfe, Heinrico Wirciburgenfe, Thiederico Mimigardefordenfe, Henrico Parmenfe, Thiederico Mindenfe, Thiemmone Merfeburgenfe, Herico Halverbergenfe, Meinwerco Paterbrunnenfe: Laicis etiam Bernardo Duce, Sigifrido, atque Ezicone Comitibus, cum aliis multis nobilibus, ad honorem, & ad dignitatem Imperii plura neceffaria difponentibus. Ibi Imperator a Domino Meinwerco Epifcopo fundationem novi Monafterii, fingularis quodammodo ejus ftudii audiens, & devotioni ejus congaudens, gratiarum actiones ei retulit, & prædium quoddam fitum in pago *Heffe* Saxonico, in Comitatu Herimanni Comitis, in villa Nedere nominata, cum mancipiis utriusque fexus & omnibus, quæ ullo modo inde provenire poffent uten-

[a] alias *Liefca* trans Albim.

utenſilibus, quod quidam, *Redialdus* nomine, ad manus Imperiales legaliter & capitulariter hæreditaverat, fratribus in eodem monaſterio Chriſto ſervituris, VI. Idus Julii contulit. Sequenti die ibidem ab hæredibus Ekkihardi Comitis de Abbatia Helmwardeshuſun querela habita, & diu multumque inter *Principes ventilata*, tandem Regno eſt adjudicata. Et quia nec in facultatibus, nec miniſterialibus Regno ſervitio eſſe potuit, interventu & conſultu Epiſcoporum & Principum prædictorum, Epiſcopo Meinwerco ſuiſque ſucceſſoribus, a Paterbrunnenſi ſede Epiſcopaliter ſecundum regulam S. Benedicti regenda, ac poſſidenda eſt collata.

Apud Leibnitz. Tom. I. Scriptor. Brunſwic. p. 543. in vita S. Meinwerci §. XLII.

NUIMAGEN, SEU NOVIOMAGI SYNODUS

Anno Chriſti MXVIII. Benedicti VIII. Papæ VII. Henrici II. Regis XVII.

§. *I. Excommunicatio conjugum Comitum de Hammerſtein.*

§. *II. Quî corpus & ſanguis Chriſti ſupra aram collocanda ſint.*

§. *III. Theoderici, Vaſalli Eccleſiæ Trajectenſis, decreta punitio.*

§. I. " XVII. Cal. Aprilis magna " fit in Nuimagen Synodus, & Nepos " meus OTTO (*fuit is Otto Comes de* " *Hammerſtein*, de quo in anno 1019. & " 1020.) & uxor ejus *Irmingerd*, con" ſanguinitate proxima injuſte *diu con*" *juncti*, ob inobedientiam continuæ vo" cationis excommunicati ſunt: Coo" peratores vero eorum ab Epiſcopis " vocantur ad ſatisfactionem.

§. II. Ibi etiam conſtitutum, antiquo exemplari periculo, ut corpus Dominicum ad ſiniſtram & calix ad dextram Sacerdotis poneretur.

Ditmarus Lib. VIII. Chronici pag. 420. *Apud Leibnitz. Tomo I. Script. Brunſw. pag.* 420.

§. III. "Theodericus Othelbaldi (*a*) " Trajectenſis Epiſcopi infuneſtus ſatel" les (*b*) erat: hic in quadam ſilva, *Mi*" *rumde* vocata, magnum prædium ha" buit, quod ab ipſo injuſte ſibi ablatum " omnes Comprovinciales in Nuimagen " conqueſti ſunt. Unde Imperator Epi" ſcopo Trajectenſi præcepit ea loca in" cendi & conquerentibus reddi &c.

Annaliſta Saxo apud Eckhart. Tomo I. Scriptor. medii ævi.

SYNO-

(*a*) *alias* Adelboldi Epiſcopi Ultrajectini.

[*b*] Quidam Comes, Theodoricus Bavo, beneficiatus fuit juxta Bodegraven ab *Adelboldo Pontifice*, qui Theodoricus Comitem Hollandiæ non quievit infeſtare quotidiano certamine, Hollandienſis vero Comes, & ipſe Vaſallus Adelboldi Ultrajectini Epiſcopi, contra copioſum exercitum aggregans, Theodoricum Bavonem victorioſe ſubegit, & eundem a poſſeſſionibus ſuis violenter ejecit. Adelboldus autem Epiſcopus hoc ægre ferens, collectis immenſis bellatoribus decrevit Vaſallum ſuum priſtinæ ditioni ſuæ reſtituere, & adverſus Hollandiæ Comitem crudele bellum committere. *Hæc Joannes de Beka in Chronica Epiſcop. Ultrajectinæ Sedis.*

Contra alterutrum ex his Theodoricis Adelboldus in Synodo Noviomagenſi impetravit mandatum Regium, vindicandi Eccleſiæ ſuæ injuſte ablata.

SYNODUS GOSLARIENSIS

Anno Chriſti MXVIII. Benedicti VIII. Papæ VII. Henrici II. Regis XVII. imperii VI.

SUMMA. *§. I. Declarata ſeparatio conjugum Godeſcalci & Gertrudis. §. II. Rex & Epiſcopi decernunt ſervi liberos, etſi is liberam ducat, cum matre ſervituti herili ſuccumbere.*

§. I. " ANno Dominicæ Incarnationis MXVIII. Bernwardus " Hildenesheimenſis Epiſcopus tempore " Quadrageſimali *Synodum in Goslaria* habuit, in qua præſidente Imperatore " cum Epiſcopis, cæterisque Regni Primoribus Godeſcalcum Ekkihardi Comitis filium, & Gertrudem filiam Comitis Ekkeberti ſeparavit.

Annal. Hildenesheimenſes apud Leibnitz. Tomo I. pag. 724.

In vita S. Meinwerci apud Leibnitz. T. I. Scriptor. Brunſwic. pag. 547.

In eadem vita a Browero edita Num. LVI. pag. 50.

Schatenus ad hunc annum.

§. II. Architecti Catholicæ doctrinæ, quæ ſectanda forent, fidei quaſi fundamenta locantes, hoc evidenter noſcuntur probaſſe, ſive gregatim, ſeu ſeparatim, *ut gloriemur in laude Chriſti.* Ergo Anno MXXV. (MXVIII.) in Conſiſtorio Regali *Goslare* præminenti, in Eccleſiæ ſcilicet Auſtrali lateri eodem adhærente, collecta fidelium coadunatione, propoſitum eſt tractandum quodque utilitatis ſalutare. Cujus conventus primatui Henricus, qui tunc temporis reipublicæ monarchiam ſtrenue gubernabat, aſſederat, & conſtipatione Epiſcoporum, *Geronis* videlicet Parthenopolitani Archiepiſcopi, & *Unowani* Bremenſis Archiepiſcopi, *Arnolfi* quoque Halverſtedenſis, & *Bennonis* Slavenſis, *Thioderici* Mindenſis, & *Thioderici* Mimigardivordenſis, & *Ekkihardi* Sleswigenſis Epiſcopi circumfultus undique, faſque nefasque æqua trutinationis lance penſabat. E quibus vero inter quæſtiones citra ultraque habitas Bernwardus, ſanctæ Hildinishemenſis Eccleſiæ piæ memoriæ Antiſtes, quem tanti negotii principatus attinebat, cujusdam ambiguitatis indaginem inveſtigabat. Quippe cum quilibet Epiſcopus, vel cujusvis dignitatis, quiſquam proprietatis ſuæ aliquem ad Sacerdotalem provehens gradum, ſuæ poteſtatis juxta collibitum eſſe promiſerit, inſuperque ſui juris, ſeu alieni, ſibi Eccleſiam clementi benignitate adquiſierit, ſed is ſuccedentibus proſpuris, altioris meriti elatione, ſe ſe ſuper verticem extulerit; donumque divinitus collatum in turpe converterit emolumentum, adeo ut nobilitate generis ſuccenſus, quandam in matrimonium uſurpaverit liberam, eo tenore, ut prolem ex eadem derivatam quoquo modo abalienet ſervitio ejus, cujus ipſe ſuberat Dominio, quid potiſſimum exinde concors illorum fieri decreviſſet aſſenſio? His ita prælibatis, procerum unusquisque pro induſtriæ ſuæ æſtimatione hujus rei propoſitum longa alternabat deliberatione. Sed tandem hujus hæſitationis anfractus Imperatore anticipante, omnis illius concionis conſeſſus in ſuffragium hujusmodi aſſurgit, acclamantque cuncti, legitime oportere, tam ipſam, quam ejus poſteritatem, eodem, quo & ipſe ſervitutis jugo ſuccumbere. Addunt nihilominus præſentis pactionis decretum, Romani Imperii Majeſtate ſancitum, nullo penitus in perpetuo jure ſolvendum, maxime, cum bene placito univerſalis Papæ proſpectum vegetet ſanctæ Eccleſiæ.

Leuckfeldt in antiquitatibus Halberſtadenſibus illuſtratis, adjuncto Diplomate 45. *pag.* 675.

SYNO-

SYNODUS MOGUNTIÆ,

In causa Matrimonii illiciti inter Ottonem Comitem de Hammerstein, ejusque conjugem.

PRIMA ANNO CHRISTI MXVIII. SUB ERCANBALDO MOGUNTINO ARCHI-EPISCOPO. SECUNDA SUB ARIBONE CIRCA MXXIII.

" INterim Otto quidam, nobilium satus prosapia Francorum, illicito sibimet matrimonio, incaute adscito, dum ab Arckanbaldo, Moguntinæ sedis Archiepiscopo, sæpius Ecclesiastico more pro hoc eodem corriperetur incestu, , cœco furibundus amore, dispositis circumquaque insidiis, nefandam eidem Christo Domini parat inferre manum. Sed Divina id sceleris prohibente clementia, elapso frustratus antistite, socios, qui navali eundem sequebantur itinere, invadit, capit, custodiæ tradit, multisque inhumane injuriis tractat, eo ferociorque, quo sibi, quem ultra jus & fas sitiverat, præsulis sanguinem ablatum dolet.

" Quod cum Imperatori Augusto celeri legatione defertur, *habita cum Episcopis, totiusque Regni Primatibus, deliberatione* primo per nuntios, deinde per amicos, perque semetipsum ab hac inani tentat revocare insania: quibus omnibus rebellem, refragantemque, *communi assensu anathematis damno subjiciunt.* Ut vel sic jam timore pœnali tactus, civibus matris Ecclesiæ, dignis pœnitentiæ lamentis reddi studeret.

" Quæ ille omnimodis despectui habens, copias suas cum conjuge in quandam arcem, Hamerstein vocatam, contrahit; quam naturæ ope, non hominum arte, saxigenis undique molibus muratam, Rhenique circumferentia adeo munitam ferunt, ut difficilem cuilibet vel obsidendi, vel quoquomodo oppugnandi, ponat accessum.

Anno 1022. Hoc in loco munitissimo, Hammerstein, juxta Confluentiam, fame ab Imperatore Henrico ad deditionem cogitur ipso die S. Stephani. *(a)*

Aribo, Archiep. Moguntinus, anno MXXIII. Imperatorem ad Pentecosten Moguntiam invitavit, ubi etiam Concilium generale coegit [*b*], in quo multa collapsa correxit. Præcipue vero Ottonem Comitem ab Hammerstein, & Irmingardam præter fas sibi cohærentes separare constituerat. Quod tamen perficere non potuit, quandoquidem Comes partim Imperatoris metu, partim Episcopi commonitione utcunque ad meliorem se recepit frugem: fœmina autem bannos vel proscriptiones negligens, jus ibi funditus perdidit. [*c*]

Surius in vita S. Gothardi.

(*a*) Visuntur hodiedum rudera arcis in præcelsa & horrenda rupe in territorio Treverensi, Rheno præterfluente magnam partem cincta, & inaccessa, unde miror a Moguntino, & non a Treverensi Archi-Episcopo conjugium illud vetitum fuisse. Fuit autem conjugium hoc interdictum primo ab Ercanbaldo, adeoque ante annum 1020. Deinde ab Aribone circa 1023, quo Comes ab obsidente Henrico Imp. coactus renuntiare conjugio in Synodo Moguntina debuit.

[*b*] Huic secundo Concilio præsedit Aribo, uti primo præsedit Ercambaldus.

[*c*] Auditis tribus juratis testibus de impedimento consanguinitatis inter Ottonem, & Irmengerdim, fuit publicata sententia divortii.

SYNODUS BAMBERGENSIS III.

ANNO CHRISTI MXIX. BENEDICTI VIII. PP. VIII. HENRICI II. REGIS XVIII.

Summa. Acta varia & dona Benedicti VIII. Papæ in Dedicatione Ecclesiæ S. Stephani Bambergæ coram Rege, & plurimis Episcopis Germaniæ.

Benedictus (a) VIII. Papa venit, ab Imperatore Henrico invitatus, Babenberg, & ibi eum Imperator solennissime excepit hospitio.

Ibi in Sancta nocte Paschæ, matutinali officio solenni primam legit Lectionem Patriarcha Aquilegiensis, secundam Lectionem Archi-Episcopus Ravennensis, tertiam Papa: die Paschatis Sacrificium fecit, cooperantibus XII. Episcopis.

Ibi tunc præfatus Papa præsentibus LXXII. (b) Episcopis, & Principibus aliis, sicut Prædecessores sui Joannes XVIII. & Sergius IV. Apostolici, ita & ipse dedit Privilegium Libertatis Ecclesiæ in Babenberg: ut nulli Archi-Episcopo aut Metropolitano, sed uni Pontifici Romano subjectus esset. Henricus Rex quotannis ad album phaleratum equum, & centenas marcas Argenti S. Petro & Successoribus suis dandas se obligavit. Ibique (c) Ecclesiam S. Stephani dedicavit VIII. Kalendas Maji ad petitionem Cunigundis Augustæ.

[a] *Marianus Scotus ad hunc annum refert.*
Compilata Chronologica edita a Pistorio & a Struvio recusa Tomo I. pag. 1090. *a Leibnitz. recusa sub titulo: Chronica S. Ægidii in Brunswic. Sigebertus Gemblacensis refert ad* 1020. *sed errat.*

[b] *Hermannus Contractus in Chronico ad* 1019.

[c] *Serarius Lib. V. rer. Mogunt. pag.* 727. *Schatenus Annal. Paderborn. L. V. pag.* 434. *Hoffmannus a Ludewigio editus, in annal. Bambergæ pag.* 54.

SYNODUS FRITISLARIÆ

ANNO CHRISTI MXX. BENEDICTI VIII. PP. IX. HENRICI II. REGIS XIX. IMPERII VII.

Summa. Clericus, qui ex præsagio S. Heimeradi ad inopiam redactus erat, ob fornicationis crimen accusatus apud Synodum Friteslariensem, forte a S. Meinwerco celebratam, novo miraculo a pœna liberatur.

Erat quoque ibi Clericus in juvenili ætate vernans, sed superbus admodum, & arrogans. Hic jam principio multas viro Dei ob invidiam faciebat injurias. Quadam itaque die, cum pergeret illi molestus esse; vir Dei dixit ad eum: Propius medullis accipe, quæ prædico tibi: Dives quidem futurus es, sed postquam omnia congregaveris, veniet satanas & omnia tibi, teque simul auferet. Utinam jam in ipso non impleta sit ista Prophetia, quod pace hujus sancti, salva verborum ejus fide, optaverimus: quam impletam, rerum exitus docuit in ipsius substantia.

Nam postquam vir Dei de rebus humanis excessit, cum jam multa Clericus coacervasset; ad ultimum ancillam cujusdam præpotentis hominis, ejusdem loci indigenæ, corrupit, qui statim domum ejus, omnemque suppellectilem invasit, nihilque ex omnibus præter miseram vitam relinquens, insuper ad *Frieteslar apud Generalem Synodum* eum accusa-

cusavit. Cumque in eo esset, ut Episcopus ad degradandum eum, baculum levare debuisset, subito prorumpens sanguis de naribus ejus, cum impetu super Episcopum venit: ilico ejectus tam diu sanguinem fudit, usquequo aliis, quæ introducenda erant, introductis, & determinatis, eo oblivioni tradito, Synodus illa solveretur.

Quis ambigat eum in tantæ necessitatis articulo beati viri miseratione liberatum? Qui profecto, cum vidisset Prophetiam suam in rebus suis esse impletam, ne amisso pariter *Sacerdotali gradu* funditus omni spe nudaretur, subveniendum ei censuit.

S. Heimeradus Presbyter cum fama sanctitatis obiit MXIX. IV. Kal. Julii, teste *Egeberto Biographo, edito Tomo I. Script. Brunswicens.* A *Leibnitzio* hoc miraculum & hæc Synodus Frideslariensis post mortem S. Heimeradi refertur *pag.* 571.

SYNODUS EPISCOPORUM CUM HENRICO IMP. IN GRUONA

Anno Christi MXXII. Benedicti VIII. Papæ XI. Henrici II. regis XXI.

In Gruona Godehardus Hildesemensis Episcopus ab Henrico Imp. nominatur, & ab Aribone Moguntino, Metropolita suo, ungitur, qui sub banno interdicit ei usum jurisdictionis in Gandersheim: sed Imperator Henricus contradicit.

INterea Imperator Gronæ sedebat, & Godehardum, Altahensem Abbatem, pietatis more secum habebat; qui postquam fidelem Christi, suique amicum condigno mœrore deflevit, eumdem Abbatem secreto soliloquio de ejusdem Sedis Episcopatu convenit. Deinde per Episcopos duritiam cordis ejus mollire tentavit, sicque per totam Ebdomadam inter eos causa tractabatur; sed ille semper eadem tenacitate renitebatur. Tandem in vigilia Sancti Andreæ aspexit in visione, in atrio Ecclesiæ, in qua posttriduum consecrandus erat, multitudinem, de eodem Episcopatu concertantem. Tunc accessit ad eum cum pulchra caterva puellarum quædam matrona, vultu, & habitu mirabilis, & apprehensa ejus dextra, in Ecclesiam introduxit, ipsoque ad ejus nutum ante crucifixum ad pedes se inclinante, cum circumstantibus clara voce psallere cœpit: *Infunde unctionem tuam clemens nostris sensibus.* Quid plura? sequenti die Natali Apostoli cum summo Cleri, plebisque tripudio, ei jam volenti, pastoralis cura commendatur; & ab Aribone, Archiepiscopo Moguntiaco, digne Deo consecratur. Sed tamen ipso die ordinationis suæ ante Missarum solemnia secretius eum cum Episcopis convenit, eique in Gandersheimensi loco, & circumjacente territorio omnem Pontificalis officii provisionem banni sui interpositione prohibuit. Nam superiori anno eumdem Archiepiscopum, Imperialis annuli dono, Regio more præsignatum, Bernwardus Episcopus ad principale Altare prænotatæ Gandersheimensis Ecclesiæ, Presbyterum ordinavit, eique verbi Dei & banni sancti Petri auctoritate, ejusdem Altaris, loci etiam, vel circumjacentis territorii usurpationem, invasionem, vel repetitionem, astante Imperatore cum Episcopis publice interdixit. In hujus banni vindictam ille beato Godehardo tentationem prædictam intulit. Erat tamen idem Archiepiscopus genere, & dignitate, probabili etiam morum gravitate, vere venerabilis; sed in hac tantum temeritate erga beatum virum pro parte culpabilis. Quem quidem bannum Episcopus Godehardus suæ simplicitatis more nec approbavit, nec renuit; sed ad Imperatorem, patroci-

patrocinium quærens, confugit: Qui accersito cum fratribus Archiepiscopo, familiariter & dissimulata cordis molestia, hunc novum conflictum, banno soluto, sapienter, pacificeque diremit.

Annalista Saxo Eckharti Tom. I. Scriptor. medii ævi ad h. annum p. 454. 455.

ARIBONIS,

MOGUNTINI ARCHI-EPISCOPI, INVITATORIA, SCRIPTA GODEHARDO HILDESIENSI, AD CONCILIUM IN SALINGENSTAT.

Domno Godehardo sanctæ Hildesimensis Ecclesiæ Pontifici venerando, Aribo gratia Dei quicquid est, debitum illud orationis, quod humanitas exigit Christianitatis. Quamvis a te frater multis sim lacessitus injuriis, indebitisque affectus contumeliis, memor tamen regulæ nostræ, qua jubemur nos invicem diligere, & in nos peccantibus usque septuagies septies peccata dimittere, nolo fraternæ dilectionis erga te claudere sinum; sed dilatato corde meum tibi commendare, & tuum contra suscipere libenter consilium. Sumus unius corporis membra, &, ut ita dicam, quædam in eodem corpore luminaria: quod si nos minus caligamus propter..... siones corporis, in quo sumus, rectum ostendimus iter propter vitæ hujus caligi - - - rendum. Est ergo nobis omnimodo - - - sententia illa Prophetica torquea--catio: *obscurentur* (a) *oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva*; nam si propter nos dorsum ad peccati laqueum curvatur, quid restat, nisi ut ipse visus æterna cœcitate dampnetur, & in ipsa morte sopiatur. Quid est in fratrum discordia, nisi quædam, ut ita dicam, in ipsa vita mortis pœna? Hinc Joannes ait: *Qui non diligit*, (b) *manet in morte*, his & aliis auctoritatibus motus & concitatus, moneo, te unum esse de nostris confratribus, & quamvis nostram fraternitatem multis tergiversationibus effugere coneris, revocamus te tamen clarissima voce sinceræ dilectionis: præcessores enim tui huic adherebant fraternitati, nec tu inde rescindi poteris, nisi lugentibus, & flentibus nobis. Unde tibi frater, Concilium intimamus, quod communi consensu fratrum nostrorum in proxima festivitate Sancti Mathæi Apostoli apud Selingestat cum ceteris fratribus, & Coepiscopis habituri sumus; ipsumque Concilium primo rogamus, ut laudes, laudatumque cum ceteris fratribus visites, ut ibi non solum plantemus, & ædificemus, sed etiam evellamus, destruamus, & dissipemus. Credo, quod tibi commissam Ecclesiam rite rationabiliterque habeas circumspectam, & quod propter hoc nulla necessitate cogaris, nostrum Concilium visitare; verum, quia præcipitur lege Canonica, *Bina* (c) *a Provincialibus* in anno celebrari Concilia, prædictum tibi terminum indicamus, & ad eum te enixe rogando invitamus. Nam tibi quamvis nihil, quod corrigendum sit, obstat - - - ia sanctitas in commisso tibi grege - - - - itius vigilat: mihi autem in meo grege procurando propter alias occupationes nimium tremoris incutitur, & ne grex neglectu meo - - - pateat morsibus lupinis - - - cura exigat pastoralis. Causa vero hujusmodi iterum & iterum te frater obnixius rogamus, ut interesse velis fraterno conventui. Vale.

Ex Codice MS. Bibliothecæ S. Petri Erfurdiæ descripsit Cl. Schannatus.

(a) Psalmo LXVIII, 24.
(b) Joannis I, III, 14.
(c) Concilium Nicænum primum Can. V. Tomo I. nostro pag. 138.
Concilium Antiochenum Can. XX. Tomo I. pag. 159.
Chalcedonense œcumenicum Can. XIX. pag. 179.

PROVIN-

PROVINCIALIS SYNODUS IN SALEGUNSTAT

SUB ARIBONE MOGUNTINO, ET EPISCOPIS PROVINCIÆ, ET VARIIS ABBATIBUS.

Anno Chriſti MXXII. Benedicti VIII. Papæ XI. Henrici II. Regni XXI. imperii IX.

IN Dei nomine. Ego Aribo, Moguntinæ ſedis Archi-Epiſcopus, quamvis indignus, cum cæteris Fratribus noſtris, atque Coepiſcopis, Burchardo Wormatienſe Epiſcopo, Verinhario Argentino, Brunone Auguſtenſe, Eberhardo Babenbergenſe, Meginhardo Wirzeburgenſe; nec non Venerandis Abbatibus: Richario Fuldenſe, Ernoldo Herduesfeldenſe, Reginboldo Laurishamenſe, Herichone Treverenſi, Everguino Doletano, Heinricho de ſancto Burchardo, Sigilone de Solutere, Gerberto de ſancto Albano, Adalberto Clingenſi, Rudolfo Blidenſtadenſi; Synodum in Salegunſtat condiximus Anno Dominicæ Incarnationis MXXIII. (*a*) Ind. V. II. Idus Auguſti. Anno autem Domini Heinrici Secundi regnantis XXI. Imperatoris vero (*b*) VII. quatenus cum omni prædictorum fratrum conſilio atque conſenſu multimoda Divinorum officiorum, atque *Synodalium Legum* componeretur diſſenſio, (*c*) & diſparitas noſtrarum ſingularium conſuetudinum honeſta conſenſione redigeretur in unum. Inconveniens quidem ſancto illi Conventui viſum eſt, quod membra capiti diſcordarent, & illa diverſitas in unius compagine corporis eſſet, ideoque propter devitandas diſſenſiones communi decreto Concilii hæc Capitula ſancita ſunt.

I.

De abſtinentia carnis & ſanguinis in ſubſcriptis temporibus.

UT XIV. diebus omnes Chriſtiani ante feſtum ſancti Johannis Bapt. in abſtinentia ſint carnis & ſanguinis, niſi infirmitate impediente; aut aliqua ſollempnitate, quæ in illo Epiſcopio celebris habetur, intercidente: & ante Natale Domini, ſimiliter in vigilia Epiphaniæ, in vigilia omnium Sanctorum Apoſtolorum, in vigilia Aſſumptionis Sanctæ Mariæ, in vigilia S. Laurentii, in vigilia omnium Sanctorum. Adjicientes prædictis vigiliis unam horam refectionis, excepta infirmitate, & niſi aliquis ſit, qui in proprio voto majori abſtinentia uti velit.

II.

De cuſtodiendo jejunio IV. temporum.

De incerto autem jejunio quatuor temporum hanc certitudinem ſtatuimus, ut ſi Kal. Martias in IV. feriam ſive antea evenerit, eadem ebdomada jejunium celebretur. Sin autem Kalendas Martias in V. feriam, aut VI., aut ſabbatum diſtenduntur, in ſequentem ebdomadam jejunium diferatur. Similiter de reliquis quatuor temporibus ſtatuimus. Et hoc ſciendum, quod ſi quando jejunium menſis Junii in vigiliam Pentecoſtes, ſecun-

[*a*] Sic habet editio Colonienſis hujus Synodi, anni 1548, ſed Indictio quinta hoc anno 1022. currens ad Septembrem, & annus Regni 21. indicant annum 1022.

[*b*] IX. corrigit *Pagius in Critica ad hunc annum*, quia Henricus II. Rex anno MXIV. XVI. Kalendas Martii a Benedicto VIII. Romæ cum uxore ſua Cunigunda corona Imperiali redimitus fuit.

[*c*] Synodales Leges de Diſciplina Cleri & populi Catholici, pro temporum & locorum varietate diſſentiunt, nullæ vero Leges Synodales, circa dogma diſſentientes, in Catholica Eccleſia reperiuntur, nullæ tolerantur. *Surius Tom. III. Conciliorum p.* 572. hanc Synodum refert cum Canonibus XX.

ſecundum prædictam regulam evenerit, propter celebrationem baptiſterii, ibi non celebretur, ſed in ipſa ebdomada ſollempni Pentecoſtes, & tunc propter ſollempnitatem Spiritus Sancti Diacones Dalmaticis induantur, & Alleluja cantetur, & *Flectamus genua* non dicatur. In Decembrio illud quoque obſervari oportet, ut in proximo ſabbato ante vigiliam Natalis Domini celebretur jejunium: quia cum vigilia in ſabbato evenit, ſimul vigiliam & jejunium celebrari non convenit.

III.

Quibus temporibus legitima connubia prohibenda ſint.

De legitimis conjugiis ita viſum eſt. Quod nullus Chriſtianus uxorem ducere debeat ab adventu Domini uſque in octavas Epiphaniæ, & a Septuageſima uſque in octavas Paſchæ, nec in ſupra notatis XIV. diebus ante feſtivitatem S. Johannis Bapt. neque in ſupradictis jejuniorum diebus, ſive in omnium ſollempnium dierum præcedentibus noctibus.

IV.

Ut Presbyter, qui poſt galli cantum bibit, ſequenti die Miſſam non celebret.

Decretum eſt etiam in eodem Concilio, ut Presbyter aliquis poſt galli cantum bibens æſtivis noctibus, proximo die Miſſam non celebret; hyemalibus ſimiliter, niſi ſumma neceſſitas cogat.

V.

Ut Presbyter non amplius, quam tres Miſſas cantet.

Item decretum eſt, ut unusquiſque Presbyter in die non amplius, quam tres Miſſas celebrare præſumat.

VI.

Ut nemo Corporale, ad extinguendum incendium, in ignem projiciat.

Conqueſtum eſt in ſancto Concilio de quibuſdam ſtultiſſimis Presbyteris, ut quando incendium videant, Corporale, Dominico corpore conſecratum, ad incendium extinguendum temeraria præſumptione in ignem projiciant. Ideoque ſancitum eſt ſub anathematis interdictione, ne ulterius fiat.

VII.

Si duo inculpati fuerint in adulterio.

Interrogatum eſt: ſi duo in adulterio inculpati fuerint, & unus profitetur, & alter negat; quid inde agendum eſſet? Decretum eſt a ſancto Concilio, ut ille, qui negaverit, probabili ſe judicio expurget, & qui profeſſus fuerit, digne pœnitentiam agat.

VIII.

Ut nemo gladium in Eccleſia portet.

Decretum eſt a ſancto Concilio, ut nemo gladium in Eccleſia portet, Regali tantum excepto.

IX.

Ut mala colloquia in Eccleſia, nec in atrio Eccleſiæ fiant.

Statuit ſancta Synodus, ut mala conſuetudo, quæ apud omnes jam pene inolevit, omnino prohibeatur. Hoc eſt: quod colloquia ſua in atriis Eccleſiarum conſtituerint habenda, & hinc ea maxime in ipſa exercent Eccleſia, ubi orationes & divina tantum fieri debent officia.

X.

De Evangelio & Miſſis peculiaribus.

Quidam laicorum, & maxime matronæ, habent in conſuetudine, ut ſingulos dies audiant Evangelium: *In principio erat Verbum*; & miſſas peculiares, hoc eſt, de ſancta Trinitate, aut de ſancto Michaële. Et ideo ſancitum eſt in eodem Concilio, ut hoc ulterius non fiat, niſi ſuo tempore, & niſi aliquis fidelium audire pro reverentia ſanctæ Trinitatis voluerit, non pro aliqua divinatione. Et ſi voluerit, ut ſibi Miſſæ cantentur, de eodem die audiat Miſſas, vel pro ſalute vivorum, vel pro defunctis.

XI.

De computatione Conſanguinitatis.

Quidam generationem Conſanguinitatis ita volunt numerare, ut frater & ſoror ſint primi. (*d*) Statuit autem ſancta Synodus, ſicut etiam ab antiquis Patribus decretum eſt, ut ita non ſit; ſed ut nepos, & neptis, vel filius fratris, ac filia ſororis primi habeantur.

XII.

[*d*] Vide Synodum Theodonis Villanam anni 1003. hoc Tomo.

XII.

Ut nullus laicus Presbytero Ecclesiam suam commendet.

Item decretum est; ut nullus laicorum alicui Presbytero Ecclesiam suam commendet præter consensum Episcopi: sed eum prius mittat suo Episcopo, vel ejus Vicario, ut probetur, si scientia, ætate & moribus talis sit, quod sibi populus Dei digne commendari possit.

XIII.

Si duo de adulterio accusati fuerint.

Statuit quoque sancta Synodus, si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negaverint, & si orant, sibi concedi, ut alter illorum utrosque divino purget judicio: Si unus deciderit, ambo rei habeantur.

XIV.

Ut bannitum jejunium ab omnibus diligentissime observetur.

Decretum est, ut bannitum jejunium in quocumque Episcopio celebratur, diligentissime observetur; ita, ut si quis illarum VIII. interdictarum rerum unam redimere noluerit, unum pauperem, prout facultas erit, eadem die reficiat.

XV.

De illis, qui Romam ituri sunt.

Decrevit sancta Synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia Episcopi sui, vel ejus Vicarii.

XVI.

Ut Carina non dividatur pœnitenti.

Illud sub anathemate decretum est, ut nullus Presbyterorum cuidam pœnitenti Carinam (e) dividere præsumat, nisi infirmitas interdicat.

XVII.

De illis, qui pœnitentiam a suis Sacerdotibus accipere nolunt.

Quia multi tanta mentis suæ falluntur astutia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam a suis Sacerdotibus accipere nolint; in hoc maxime confisi, ut Romam petentibus Apostolicus omnia dimittat peccata; Sancto Concilio visum est, ut talis indulgentia illis non prosit: sed prius juxta modum delicti pœnitentiam a suis Sacerdotibus injunctam adimpleant, & tunc Romam ire, si velint, ab Episcopo proprio licentiam, & epistolam ad Apostolicum ex iisdem rebus referendum.

XVIII.

Ut omnis pœnitens dum carinam facit, de loco ad locum non migret.

Decretum est in eodem Concilio, ut omnis pœnitens, dum carinam jejunat, de loco ad locum non migret, sed ibi perficiat, ubi incipit; quatinus Sacerdos suus sit sibi testis. Si autem propter hostiles insidias jejunare non possit, suus Sacerdos illum confratrum suorum alicui, ubi pacifice jejunare possit, diligentissime commendet.

XIX.

Ut nullus Presbyter pœnitentem in Ecclesiam introducat.

In eodem quoque Concilio decretum est, ut nullus Presbyterorum quemquam nisi jussu Episcopi, Ecclesiam introducere præsumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non licet. (f)

XX.

Altare qui emit, vel vendit, anathema sit.

XXI.

Bannitum jejunium III. dierum in Ebdomada Paschæ.

Jejunia . . . . .

XXII.

Unusquisque Parochianum suum, si ad *Synodum* suam venire, & ad interrogata rationabiliter respondere recusat, in generali Concilio, præsidente Archi-Episcopo, ipse Episcopus suus, sicut deberet in Synodo sua, banno eum constringat, & causam suam potenter & synodaliter discutiat.

Missa S. Udalrici Confessoris solempniter celebretur. Crisma, baptisterium,

[e] Carina, vel carena significat jejunium continuum quadraginta dierum in pane & aqua.
[f] Hactenus Canones Coloniensis editionis anni 1548, in qua iidem dividuntur in XX. articulos. Qui sequuntur articuli, descripti fuerunt a Cl. Schannato ex codice MS. Reginæ Sueciæ in Bibliotheca Vaticana: Numero 979.

ſterium, vel ſepulturam quicumque Sacerdos vendiderit, anathema ſit.

Altare Epiſcopus vel Archi-Diaconus, ſi pro munere vendiderit, & clericus, qui munera obtulerit, cum Symone mago, uterque anathema ſit.

Quod omnes Slavi decimas dent ſicut cæteri Chriſtiani, & ad hoc banno conſtringantur. Si vero propter hujusmodi cōnſtrictum Dominum ſuum deſeruerit aliquis, nemo illum ſuſcipiat, immo omnium bonorum ſuorum prior Dominus poteſtatem habeat.

Clericus, qui oblationibus agrorum pro fidelibus defunctis datis liberos homines facit inveſtiri, ut ſic alienentur ab altari, anathema ſit.

Raptòres & fures, ſi in raptu ipſo comprehendantur, vel publice rei eſſe convincantur, ſub anathemate ſint, ut quicunque eos quacumque pœna affecerint, vel certe occiderint, nullius judicio ſubjaceant.

Hactenus codex MS. Vaticanus inter Reginæ Sueciæ Libros N. 979.

CONCILIUM IDEM

ANNO CHRISTI MXXII.

Leibnitz *Tom. I. Script. Brunſwic.* in *vita Meinwerci Epiſc. Paderborn.* multo fuſius notat ſe dare, quam exſtat in eadem vita apud Browerum.

PRoxima III. Idus Auguſti ipſius anni, prædictus Aribo Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus, Synodum in Saleginſtad coadunavit, in qua præſentibus Epiſcopis Burghardo Wormatienſe, Werinhardo Argentino, Brunone Auguſtenſe, Everhardo Bavenbergenſe, communi eorum conſilio atque conſenſu multimodam Divinorum officiorum atque Synodalium Legum diſſenſionem compoſuit, & diſparitatem ſingularium conſuetudinum honeſta conſenſione in unum redegit. Inconveniens quippe ſancto conventui viſum eſt, quod membra capiti diſcordarent, & ulla diverſitas eſſet in unius corporis compagine, ideoque propter lamentabiles diſſenſiones communi decreto Concilii hæc capitula ſancita ſunt hoc ordine,

I. Ut XIV. dies omnes Chriſtiani ante feſtivitatem S. Joannis Baptiſtæ in abſtinentia ſint carnis, & ſagiminis, niſi infirmitate impediente aut alicujus feſti ſolemnitate, quæ in illo Epiſcopio celebris habetur, intercedente. Et ante Natale Domini ſimiliter, & vigilia Epiphaniæ; (*a*) & in omnium vigiliis Apoſtolorum, & in vigilia aſſumptionis S. Mariæ & in vigilia S. Laurentii, nec non etiam in vigilia omnium Sanctorum: adjicientes prædictis vigiliis unam horam refectionis, excepta infirmitate, & niſi aliquis ſit, qui proprio voto, majori abſtinentia uti velit.

II. De incerto autem jejunio quatuor temporum hanc conſuetudinem (*b*) ſtatuimus, ut niſi Kalend. Mart. in IV. feria ſive antea evenerint, eadem (*c*) celebretur. Sin autem Kalendæ Mart. in V. feriam aut VI. aut ſabbatum dividuntur, (*d*) in ſequentem Ebdomadam jejunium differatur. Simili quoquo modo, ſi Kalend. Junii in IV. feriam aut antea evenerint, in ſequente Ebdomada jejunium celebretur, & ſi in V. feria aut VI. aut ſabbato contigerit, jejunium in tertiam, & quartam Ebdomadam reſervetur. Et hoc ſciendum eſt: quod ſi quando jejunium menſis Junii in vigilia Pentecoſtes ſecundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, ſed in ipſa Ebdomada ſolenni Pentecoſte, & tunc propter ſolemnitatem S. Spiritus, Diaconi Dalmaticis induantur & alleluja cantetur, *flectamus genua* non dicatur. Eodem modo de Septembris jejunio conſtitutum eſt, ut ſi Kalend. Septemb. in IV. feria evenerint, aut antea, jejunium in III. Ebdomada celebretur, & ſi V. & VI. aut Sabbato contigerint, in IV. Ebdomada erit. In Decembre vero illud obſervandum erit, ut proxi-

(*a*) In Vigilia Epiphaniæ Eccleſiæ Germaniæ & Italiæ his ultimis ſæculis non jejunant.
(*b*) Certitudinem habet editio Colonienſis & codex Vaticanus.
(*c*) Ebdomada jejunium addunt iidem.
(*d*) *Diſtenduntur*, melius legunt Colon. & Romanus.

proximo Sabbato ante vigiliam Nativitatis Domini celebretur jejunium, quia si vigilia in sabbato evenerit, simul jejunium, & vigiliam celebrare non convenit.

III. De legitimis autem conjugiis ita visum est, quod nullus Christianus uxorem ducere debeat ab adventu Domini usque in octavas Epiphaniæ, & a septuagesima usque in octavas Paschæ, nec in supra notatis XIV. diebus ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, neque in prædictis jejuniorum diebus sive in omnium solennium dierum præcedentibus noctibus.

IV. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut Presbyter aliquis post Galli cantum bibens æstivis noctibus, pro mo die missam non celebret, hiemalibus similiter, nisi cogat necessitas.

(e) V. Conquestum est etiam in eodem sancto Concilio de quibusdam stultissimis Presbyteris, ut, quando incendium videant, corporale Dominico corpore consecratum, ad extinguendum temeraria præsumptione in ignem projiciant, Ideoque decretum est sub anathematis interdictione ne ulterius fiat.

VI. Interrogatum est ibidem, si duo in adulterio culpati fuerint, & unus profiteretur, & alter negaret quid inde agendum esset! Decretum est autem a S. Concilio, ut ille, qui negaverit, probabili iudicio se expurget, & qui professus fuerit, digne pœnitentiam agat.

VII. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut nemo gladium in Ecclesiam portet, Regali tantum excepto.

VIII. Statuit etiam sancta Synodus, ut mala consuetudo, quæ apud omnes pene jam inolevit omnino prohibeatur; hoc est, quod colloquia sua in atrio alicujus Ecclesiæ constituunt habenda, & tunc ea in ipsa maxime exercent Ecclesia, ubi orationes, & Divina tantum fieri æquum est officia.

IX. Quidam etiam laicorum, & maxime matronæ habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium: *In Principio erat Verbum* (f) & Missas peculiares, hoc est, de sancta Trinitate, aut de sancto Michaële, & ideo sancitum est in eodem Concilo, ut hoc ulterius non fiat nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium pro reverentia sanctæ Trinitatis velit audire, non pro aliqua divinatione, & si voluerint, ut sibi missæ cantentur, de eodem die audiant missas pro salute vivorum, aut defunctis.

X. Quidam etiam generationem consanguinitatis ita volunt numerare, ut frater & soror sint primi. Hoc autem statuit sancta Synodus, sicut etiam ab antiquis patribus decretum est, ut ita non esset: sed ut nepos, & neptis, id est, filius fratris, ac filia sororis primi habeantur.

XI. Statutum est etiam, ut ædificia Laicorum, quæ Ecclesiis adjuncta sunt, auferantur, & nulla in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi tantum Presbyterorum.

XII. Item decretum est, ut nullus laicorum alicui Presbytero suam commendet Ecclesiam præter consensum Episcopi: sed eum prius mittat suo Episcopo vel ejus Vicario, ut probetur, si scientia, ætate, & moribus talis sit, ut sibi populus Dei commendetur.

XIII. Statuit quoque sancta Synodus, si (g) duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negaverint, & orant sibi concedi, ut alter illorum utrosque Divino (h) purget judicio, si unus in hoc deciderit, ut ambo rei habeantur.

XIV. Decretum est etiam, ut omnes bannitum (i) jejunium in quocumque Episcopio celebratur, diligentissime obser-

[e] Coloniensis editio & Romana V. Capitulum ponunt de tribus Missis, & non pluribus uno die a Presbyteris celebrandis.

(f) Quod nostra ætate in fine singularum Missarum legatur initium Evangelii secundum Joannem, recentis moris est, neque Sæculo undecimo noti.

[g] Capitulum hic XIII. loco positum in Decoby codicibus memoratis VII. loco ponitur.

(h) Divinum judicium vocatur ferri aut aquæ candentis, aut stationis ad crucem pro more hujus Sæculi.

(i) Bannitum jejunium dicitur ab Episcopo toti Diœcesi indictum, nam bannum hic sumitur pro jurisdictione Episcopi per Diœcesin totam se extendente.

observent : & si quis illarum octo interdictarum rerum, aliquam redimere voluerit, unum pauperem, prout sua facultas erit, eadem die reficiat.

XV. Decrevit quoque sancta Synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui Episcopi vel ejus Vicarii.

XVI. Et illud sub anathemate præceptum est, ut nullus Presbyterorum cuiquam pœnitenti carenam dividere præsumat, si infirmitas non intervenenerit.

XVII. Quia multi tanta falluntur mentis suæ stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam a Sacerdotibus *suis* suscipere nolint, in hoc maxime confisi, ut Romam euntibus, Apostolicus omnia sibi dimittat peccata : sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit, sed prius juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam a suis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam, & literas ad Apostolicum ex hisdem rebus deferendas accipiant.

XVIII. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut omnis pœnitens, dum carenam suam jejunat; de loco ad locum non migret, sed permaneat ubi suam acceperit pœnitentiam, ut proprius Sacerdos sibi præbeat testimonium. Si autem ibi propter hostiles insidias jejunare non poterit : suus Sacerdos eum, confratrum suorum alicui, ubi pacifice possit jejunare, diligentissime commendet.

XIX. In eodem quoque Concilio decretum est, ut nullus Presbyterorum quenquam nisi jussu Episcopi, in Ecclesiam introducere præsumat, cui pro aliquo delicto ingredi non liceat.

Trithem. in Chron. suo Hirsaug. fol. 60.

In hac Synodo sicut ex gestis ipsius legi fuerunt præsentes: (*k*)

Burchardus Episcopus Wormatiensis.
Wernharius Argentinensis.
Bruno Augustensis, *qui fuit frater S. Heinrici Imp.*
Eberhardus Episcopus Bambergensis.
Megwitardus (*l*) Herbipolensis, necnon
Richardus Abbas Fuldensis.
Arnoldus Abbas Husfeldensis.
Reginboldus S. Nazarii Laurisheimensis Abbas.
Herico Treverensis (*m*) ad sanctum Maximinum.
Everbinus Abbas [*m*] Dolejanus.
Heinricus Abbas sancti Burchardi Herbipolensis.
Sizicho Abbas de Stuchtern.
Gerbertus Abbas sancti Albani.
Adelberrus Abbas de Klinger Munster.
Et Rudolfus de Blidenstat.

(*k*) Aribonem Moguntinum, quia in fronte Synodi posuerat, non repetit in fine inter subscribentes *Trithemius*.

Chronicon Hirsaugiense Trithemii anni 1690. addit Waltherium Episcopum Spirensem Patribus in Salingenstadt coactis.

Biographus S. Godehardi post annum 1024. *Leibnitz. Tom. I. pag.* 492. hanc Synodum rejicit, longissime a vero abeunt, qui in annum 1073. rejiciunt hanc Synodum Salingenstadiensem, cum Aribo obierit anno 1031, tolerabilius errant; qui ad annum 1023. provehunt, cum aliæ notæ cogunt ad annum 1022. eam figere.

(*l*) *lege:* Meginhardus.

(*m*) Quo jure hi duo Abbates ex Diœcesi Treverica compareant in Provinciali Synodo Moguntina, non facile divinavero.

CON-

CONCILIUM AQUISGRANENSE
PROVINCIALE,
Anno Chrifti MXXII. Benedicti VIII. Papæ XI. Henrici II. Regni XXI. Imp. IX.

SUMMA. *Decifio controverfiæ de Jurisdictione in Monafterium Porcetanum inter Piligrinum Archiep. Colonienfem, & Durandum Leodicenfem Epifcopum.*

HIs fere diebus Aquisgrani Provincialis Synodus Epifcoporum præfente Henrico Imperatore celebrata eft, in qua non mediocris altercatio inter Piligrinum Colonienfem Archiepifcopum, & Durandum Leodienfem Præfulem recruduit pro Monafterio Burcitho, (*a*) quod uterque fuæ Parochiæ fubjectum effe contendebat.

Verum Durandi caufa demum prævaluit: agente Gerardo Cameracenfi Epifcopo, ac probante, quod Leodicenfes Epifcopi quinque Abbates illius Monafterii fine ulla contradictione Archiepifcopi confecraverant. Immo & ipfe, rogante Imperatore, & Baldrico Leodicenfi Epifcopo petente in Aquenfi B. M. Ecclefia prædicti Monafterii Clericos ordinaverat, ipfumque Monafterium cum Poppone Treverenfi Archipræfule, & Heymone Virdunenfi epifcopo confecraverat. Eo ergo videri fibi rectius Leodicenfi, quam Colonienfi regimonio fubjacere. Quod ita quoque cæteris teftificantibus, Archiepifcopus, præter ullam fynodalem reverentiam, ira commotus, abfceffit.

Hæc ex Balderico in Chronico Cameracenfi Cap. XXXV. pag. 313. qui addit, quod, dum Synodus celebraretur, tanta ficcitas aeris, & intemperies æftûs excanduerit, ut multi mortalium præ nimio ardore deficere putarentur, multaque animalia fubito extincta fint; & tamen columnæ marmoreæ Aquenfis Ecclefiæ, & pavimenta itidem marmorea tanto madore infudaverint, ut quorumvis lavandis manibus poffent fufficere.

Idem Sigebertus Gemblacenfis ad anni hujus Synodum adnotavit.
Ex his Foullon. hiftoria Leodicenfis ad h. a.
Mabillon. Annal. Benedictini Tomo IV. pag. 287.

(*a*) *Porcetum* hodie dicitur, fuit Ordinis S. Benedicti Monafterium, a Theophania Augufta Ottonis III. conjuge fundatum, dato primo Abbate Gregorio venerabili, apud *Molanum in natalibus SS. Belgii.*

Henricus Rex & Imp. I. anno MXVI. hoc Monafterium donis honorârat. Lapfu temporis, collapfa difciplina difperfi Monachi, nonnulli ad Monafterium vallis Dei relegati fuerunt. Sed fub annum MCCXX. Ciftercienfis inftituti moniales illic collocatæ perilluftres hodieque florent. *Beeck in Aquisgrano fuo Cap. X. & XI. p.* 235. *Pag.* 227. *Synodi hoc anno celebratæ paucis meminit.*

EPISTOLA ENCYCLICA
ARIBONIS ARCHIEPISC. MAG.
PRO CONVOCATIONE CONCILII IN HOCHSTET.

DOmino & confratri Megunhardo Wirtzeburgenfis Ecclefiæ Pontifici venerabillimo Aribo Moguntinæ fedis Provifor, quamvis indignus, fervitutis, & orationis fine ceffatione devotiffimos conatus. Cum nobis antiquorum patrum præcipiant inftituta, bis in anno generalia celebrare Concilia,

lia, bonum & utile mihi videtur, ut hujusmodi institutio nostris temporibus saltem semel annuatim minus negligatur; nam quando prædecessores nostri de Conciliis faciendis vigilanter curabant, multæ virtutes in sancta Ecclesia, quasi in juventute sua fertiles & floriferæ fuerant; quæ nunc proh dolor; propter illius senium, & senectam pene redactæ sunt in cinerem & favillam. Sed cur illius increpo senectutem, cum nostram potius increpare deberem segnitiem: illius enim voce dicitur per Prophetam: *Vetustam fecerunt pellem meam.* Nos ergo sanctæ Ecclesiæ pellis sumus, qui Sacramenta illius, & religionis observantiam amplectimur, & circumdamus, quam pellem ipsa dolet, & loquitur viciis nostris factam fuisse vetustam, quia non aspicit in nobis, quam aspexit in patribus virtutum pulchritudinem solitam. Unde Karissime frater, & Domine, discutiamus nos e pulvere pigritiæ nostræ, surgamus ocyus somno negligentiæ, & quia sanctæ Ecclesiæ pellis sumus, renovemur velut aquilæ, juventute virtutis. Hac de causa cum fratribus nostris decrevi, & statui convenire nos in unum in vigilia Ascensionis Domini in loco vicino; qui dicitur Hostetz juxta Mogum, ut omnibus cordis, & animi viribus occurramus sanctæ Matris Ecclesiæ necessitatibus. Proinde vero seorsum cupio ex tuo cœterorumque fratrum nostrorum consilio discere de legatione sedis Apostolicæ, quid facturus sim? Quia sicut antea tibi per Epistolam meam mandavi ex delatione anathematizatæ, in me Apostolicus mihi interdixit ornatus primos dignitatis meæ. Inde vero cum congredior mecum in conscientia mea, nascitur mihi consolatio summa; sed cum intueor, quid aliis possit evenre, si istud indiscussum tam facile labitur, meror mihi continuo magnus oboritur; unde quoniam omnes sumus inpulsi ad casum, non furoris tumultu, sed orationis obtentu contra pulsantem opponamus communiter clypeum.

Ex codice MS. montis S. Petri Erfordiæ excerpsit Cl. Schannatus.

Hochsteti, nostra ætate & Dialecto Höchst, oppidum est, & arx ad dextrum Mogoni latus, haud procul a confluente Nidda & Mogono uno infra Francofurtum milliari, intra territorium Moguntinæ Archi-Diœcesis. Freherus jam meminit ad annum 849. villæ Hochstedi in territorio Moguntino in *Annalibus Fuldensibus.*

Erchanbaldus Moguntinus Archiep. sedit ab 1011. ad 1020. Aribo ab 1020. ad 1031. *judice Serario.*

Synodi hujus Serarius non meminit, etsi magna diligentia, alias ab Aribone coactas Synodos collegerit. Acta etiam hujus Synodi in Hœchsten non reperi, etsi quæ agenda fuerint, ex ipsa Epistola, clare appareat, nempe de morum reformatione semper necessaria. 2*do*. De causa denegati Pallii forte ob prætensam jurisdictionem in Monasterium Gandesiense.

EPISTOLA

ARIBONIS ARCHI-EPISC. MAGUNTINI

AD CUNIGUNDEM IMPERATRICEM.

Divæ Dominæ suæ Cunegundi, Divina disponente prudentia Romanorum Imperatrici Augustæ. A. Dei gratia quicquid est; affectu cordis avidissimo, debitæ servitutis, & orationis devotissimas exhibitiones in Christo. Inprimis desidero, Karissima Domina, ut nullus nisi tibi familiaris. . . . . legat hujus Epistolæ verba. . . . . . . servitute tibi alligari quanto sine gratiæ suæ dulcedine nihil mihi jucundum potest vel dulce videri. Nam ex quo primum jucundissimo gratiæ tuæ munere donatus sum, tam multiplex inde mihi fluxerat commodum, ut nullis possit divitiis recompensari, nec facundissimi sermonis ornatu digne laudari, ut . . . . nihil exinde mihi, quod sine tuo judicio dulce videretur, & lætum, nihil tam contrarium vel asperum, quod non æstimarem tua clementi benignitate tuoque consilio facilime superare . . . Cœterum mœroris anxietas mentem mihi aliquot dies Apostolicis legationibus turbavit, sed conscientiæ consolatio tranquillam facit: Idcirco, Karissima Do-

mina

mina, abſcondita eſt tam diu pietati tuæ, quia ſperavi illam antequam ad aures tuas perveniret, aliquatenus poſſe leniri: non enim ignoro compaſſionis tuæ mirandum ac laudabilem affectum, quem ſolius Dei dono tibi ſcio conceſſum, ideoque ſolus doloris volui calicem bibere, ne mens tua turbaretur compaſſionis merore, ſed quia non poteſt iſte tranſire, niſi tu bibas paulum inde; fac . . . confido, quid facturus ſim, in Epiſtola tua reſcribito, quoniam erit . . . . . . ſa certiſſima quacunque . . . . . dictaverit ſententia tua . . . . . conditum jam habeo Concilium, ad quod confluet fratrum meorum venerandum conlegium, eruntque ibi Conſilii noſtri cooperatores Piligrimus Colonienſis; Poppo Trevirenſis venerandi protopræſules, ſed quia de nepote meo P. timeo, ut ſenioris mei artificioſo retardetur conſilio, commendo id tuæ fideliſſimæ pietati, ut tu illum aggrediaris ſeorſum, & ſive volentem ſive nolentem in Aſcenſione Domini ad noſtrum venire facias Concilium: Proinde Kariſſima Domina . . . . non poſſum celare te quod adhuc . . abſconditum habeo ab omni . . . . . & quidquid deſidero, ut a te verbis minacibus audiat, quaſi me neſciente . . . Colonienſis Epiſcopus ipſe na . . . . . conſtitutus, quamvis non ignoraret, quam inrationabiliter me illuſum haberet Apoſtolicus, tamen & familiariter ejus dona accepit, & amicabiliter ſuis illum muneribus oneravit; & ubi *mihi honor pallii*, quamvis injuſte eſt interdictus, ibi pallii ſui honor non ſolum eſt melioratus, ſed, ut ajunt, quodammodo deauratus, quaſi ſibi inde ſit aucta dignitas, ſive duplicata feſtivitas, unde mihi aliquantulum oppreſ . . . , perditi honoris amara calamitas . . . & quia pudore non potui perte . . . . quaſi me neſciente . . . . . . rius imputari, proinde . . . celſitudinem tuam obnixius deprecor; ut ſi fratrum tuum Dominum videlicet Metenſem Epiſcopum, (*a*) antequam ego, videas, de mea parte maximas gratias referas, quoniam apud ſedem ſuam tanta ſuſceptus ſum benignitate, ut nec utilius, nec honorificius aliquid mihi poſſet exhiberi. Mogontiæ illius conſiliis, quia poſt Deum, & te maxime confido, quoniam id devotiſſimo promereri . . . . . habeo ſervitio, ſolotenus proſtratus efflagito, ut tuis illum precibus facias apud Hoſteti, juxta Moguntiam intereſſe conventui noſtro . . . qui conventus in vigilia Aſcenſionis Domini fratribus eſt noſtris denuntiatus, valeat ſemper in Chriſto . . . . . veneranda Dominatio . . . .

Ex codice MS. membranaceo Montis S. Petri Erfurdiæ Schannatus deſcripſit.

[*a*] Deodericum, Cunigundæ fratrem, Metenſem Epiſcopum.

SUFFRAGANEORUM MOGUNTINÆ
PROVINCIÆ EPISTOLA AD BENEDICTUM VIII. PONTIF.

DOmno B. [*a*] Apoſtolicæ Sedis Capiti venerabiliſſimo Burchardus Wormatienſis. V. Curienſis. Werinharius Argentinenſis. Eberhardus Bambenbergenſis W. Spirenſis. W. Mur . . . ienſis. Meginhardus Wirceburgenſis. H. Conſtantienſis. S. Hildenesheimenſis. H . . . olacenſis. Brantho Halverſtadenſis. H . . . genſis omnes una intentione . . . tutis & orationis inſtantiam pro . . . . poſſe cecidit corona capitis noſtri, ablatæ ſunt dignitates S. noſtri Metropolitani; illud autem ſicut præmiſſum eſt tantum audivimus, ſed auditum minime credimus, & quin ipſe auditus nos frangit, a paternitate tua diſcere cupimus rei veritas quæ ſit; ſi ſic eſt, ſicut audivimus, *verſa eſt in luctum cythara noſtra, & organum noſtrum in vocem flentium*, quis enim a lacrymis ſe temperet, cum innocens Metropolitanus ex unius mulieris delatione vel particulam dignitatis amitteret, abſit Domine, abſit hoc a te, qui primus poſt Deum in vice S. Petri orbem terræ regere debes in æquitate: Si vel minus presbyter cauſa facti hujus . . . . deponeretur, jam dudum univerſæ religionis ordo in favilla conſenſionis marceſceret. Sed cur . . . . ſcribimus quaſi hæc vera eſſe credimus? ea enim, quæ audiuntur . . . eſſe poſſunt, & vera & falſa

[*a*] Benedictus VIII. Papa ſedit ab anno MXII. ad MXXIV. 27. Februarii.

ſa . . . . autem tribuat , ut iſte auditus. . . . . . , falſitatis exurgat : nam ſi Metropolitanus noſter Dominus *Aribo* propter anathematizatam dignitatis ſuæ aliquantulum perderet , conſequens ac tutum foret, ut omnium noſtrorum Sacerdotium , depoſitionis periculo ſubjacuiſſet ; ille enim extra commune noſtrum conſilium & judicium nil habet in præfata muliere commiſſum, ideoque ſi cum illa aliquid contra Synodale decretum eſt perpetratum, nos naufragia paciemur, ille ſecurus enatet ; credimus autem tibi Domine , & omnibus ubicumque in mundo exiſtentibus de cauſa præfatæ mulieris aures ita eſſe repletas , ut ultra opus non ſit illius ſcribere culpas, cum illud potius procurandum ſit, qualiter amputata a Chriſti corpore aut funditus pereat, aut ſi , quod minime credimus , converti voluerit . . . . . in heremum pœnitentiæ uſque ad finem vitæ gemebunda diſcedat . . . . Nonne quando ſuper illam anathematis vincula dabamus . . . s tuos adjutores, cum rectius poſſimus dicere præceſſores , ipſi enim præceſſerunt , ipſi prima vincula injecerunt , deinde noſter ordo ſicut decuit , quod ab illis factum fuit , firmavit : ipſis pernitioſe luditur , ſi cauſa noſtra durius tractatur , unde vero in commune proſtati rogamus , ut dignitati tuæ conſulas, & ſi quid incaute actum ſit , id caute reſarcias , anathemate obligatam terrore tuæ ſententiæ ſtringas. Domno Ariboni tibi devotiſſimo filio. Cur . . . dilectionis munus impendas . . . . - qui propter avariciæ lucrum nullum palpat peccatum , ſed pro amore juſtitiæ ſemper exerto graditur mucrone. Valeat in Chriſto paternitas tua.

Ex codice membranaceo MS. Bibliothecæ Montis S. Petri Erfordiæ deſcripſit Schannatus C. MS.

Quia Aribo beatum Gothardum S. Bernwardi in Cathedra Hildeſienſi Succeſſorem ſuper Gandeshemenſi Eccleſia ab initio promotionis ſuæ impetivit & per aliquot annos varia vexatione irritavit, ut ait *Chronicon Hildeshemenſe apud Leibnitz. Tom. I. Script. Brunſwicenſium pag.* 744. Hinc ſuſpicor eundem Aribonem a Benedicto VIII. Papa ad querimoniam Godehardi fuiſſe admonitum vel ſuſpenſum forte, aut denegatum ei Pallium : uti Willigiſus anteceſſor mediatus Aribonis fuit a Sylveſtro II. in Synodo Romana anno 1002. increpitus , ac in Synodo Palithi anno 1003. a Friderico, Sylveſtri Legato, ſuſpenſus. Vide *Meinwerci apud Leibnitz. Tomo I. Scriptor. Brunſwic. pag.* 455.

HENRICI II. IMPERAT.
CONSTITUTIO DUPLEX.
De Juramento in propria perſona a Clericis non præſtando.

HEnricus DIVINA pietate II. Romanorum Imperator Auguſtus. Quoniam in legibus cautum eſt , ut nemo Clericorum , jurare præſumat; alibi vero repetitur, ſcriptum, ut omnes principales perſonæ in primo legis exordio ſubeant jusjurandum calumniæ. Nonnullis legis peritis res venit in dubium : utrum Clerici jusjurandum præſtare debeant , aut alii perſonæ hoc officium liceat delegare. Quin illud conſtitutionis edictum , ubi Clerici jurare prohibentur , a Marco Auguſto conſtitutum eſt. propterea quia de Conſtantinopolitanis Clericis promulgatum fuiſſe videtur , idcirco ad alios Clericos pertinere non videtur.

Ut ergo hæc dubietas omnibus penitus auferatur , illam Domini Marci conſtitutionem ita interpretari decernimus , ut ad omnium Eccleſiarum Clericos generaliter pertinere judicetur.

Nam cum DIVUS Juſtinianus jure decreverit, ut CANONES PATRUM VIM LEGUM HABERE OPORTEAT , & in nonnullis Patrum Canonibus reperitur : Ut Clerici jurare non audeant : dignum eſt , ut totus Catholicus ordo a præſtando jurejurando immunis eſſe procul dubio cenſeatur.

Quapropter NOS utriusque videlicet DIVINÆ , & humanæ legis intentione ſervata , decernimus & Imperiali auctoritate irretractabiliter diffinimus , ut

ut nec Episcopi , nec Presbyteri , nec cujuscunque ordinis Clericus, non Abbas , non aliquis monachus , vel sanctimonialis in quacunque controversia , sive criminali sive civili , jusjurandum qualibet ratione compellatur subire, sed Advocatis suis propriis & idoneis; hoc officium debeat delegare.

Quando liceat alterius Clericum accipere vel non?

Ut nulli Episcopo liceat alterius Clericum accipere , aut ordinare in aliquo gradu , sine dimissoria Episcopi sui , de cujus Parochia est.

Cl. Eckhartus in additionibus ad Legem Salicam anno 1720. recusam Francofurti & Lipsiæ.

CONVENTUS MOGUNTINUS

Anno Christi MXXIV. Joannis XIX. Papæ I. Conradi II. Regis I.

Electio & Coronatio CONRADI Secundi, Regis Germaniæ.

ANno ab Incarnatione Domini millesimo XXIV. Imperator Heinricus secundus , bene compositis Imperii rebus , cum jam post longum laborem maturum fructum pacis mereri cœpisset, Imperio incolumi , mente sana , corporis correptus est infirmitate , qua invalescente III. Idus Julii hanc vitam excessit :

Ad electionem Conradi Regis melius cognoscendam , res petit , ut dicam summorum nomina quædam seu Pontificum sive sæcularium Principum , qui tunc in Regnis vigebant , quorum consiliis consuevit Francia Reges eligere, ne ea quæ dicturus sum , quasi fortuitu videantur fieri , sed ut , quod prudentissimorum virorum consultu cernitur actum , utile & honestum atque optimum factum credatur. Eo tempore Archiepiscopatum Moguntiensem rexit Aribo natione Noricus, nobilis , & sapiens , aptus regalibus consiliis : Coloniensem vero Archiepiscopatum Pelegrinus tenuit consanguineus Aribonis providus , & ad id officium idoneus : Treverensem quoque Archiepiscopatum gubernavit Poppo , frater Ernesti Ducis , vir pius , & humilis , qui eodem tempore filium fratris sui Ducem Ernestum cum Duce Alemannico sub tutela habuit: Metensem Episcopatum Theodoricus nobilis , & in virtute strenuus possedit: Argentinæ civitati Werinharius Episcopus præfuit generosus in Divinis , & secularibus officiis studiosus. Wurceburgensi Ecclesiæ insedit (Macelinus) Marcelinus sapiens , & in Ecclesiasticis dignitatibus fidelis : Pabenbergensem Episcopatum Eberhardus rexit primus Episcopus illius Ecclesiæ , vir ingenio , & moribus reip. valde necessarius : Constantiensis Ecclesiæ Præsul erat Heimo , vir sapiens in Deo , modestus , & providus ad sæculum : Augustam Vindelicam regebat Episcopus Bruno frater Henrici Imperatoris , utilis & clarus ingenio , si fraterno odio , quo Imperatori oberat , non obscuraretur : Juvavensem Ecclesiam , quam vulgari sermone Saltzburg dicunt, rexit bonæ memoriæ Guntherus Archiepiscopus , frater Eberhardi [alias Eccardi] & Hermanni Comitum , mitis & bonus , apud Deum & homines : Radesbonensis Ecclesiæ Episcopo erat Burckardus [alias Kebehardus] benevolentiæ gratia conspicuus : Frisingensem Ecclesiam regebat Albertus [Agilbertus] Episcopus ; providus gubernator Cleri , & populi sui; cum istis multi alii Pontifices , & Abbates ex iisdem regionibus aderant , quos singulos nominare operis fastidium generat. Saxoniæ Præsules , quoniam me latuit, quid de vita eorum nominibus addicere conveniret , memorare vitavi ; quanquam & eos summis rebus adesse, consulere, succurrere proul dubio perceperim. Italiam transeo, cujus Principes in brevi convenire ad Regiam electionem nequiverunt , qui postmodum in urbe Constantiensi cum Archiepiscopo Mediolanensi,

nensi, & reliquis Principibus occurrentes Regi, sui effecti sunt, & ei fidelitatem libenti animo juraverunt. Duces autem supradictis viris contemporanei hi fuerant: Benno Dux Saxoniæ: Adelbero Dux Histriæ: Hetzilo Dux Bajoariæ: Ernestus Dux Alemanniæ: Lutaringorum Dux Fridericus: Ribuariorum Dux Gozelo: Cuno Dux Wormatiensis Dux Francorum: Udalricus Dux Boemiæ.

Die ac loco Electionis Moguntiam inter & Wormatiam inter multos candidatos Regni, duo sequestrati fuere Conradi, seu Cunones Franconiæ Duces. Ex quibus major natu, minori asseveravit se ei, cui major pars Procerum faveret assurecturum.

Adhæc minor Chuno respondit totam hanc sententiam sibi acceptam fore: seque illi sicuti cognato charissimo, si eum res summa vocaret, omnem Regiam fidelitatem facturum certissime promisit. Inter hæc verba major Chuno pluribus videntibus, paululum se acclinans, cognatum osculatus est: quo osculo primum deprehensum est, utrumque illorum alteri acquievisse. Hinc sumpto indicio concordiæ, consedere Principes: populus frequentissimus astabat.

Tunc quod quisque diu velatum corde tegebat.
Ferre palam licitum gaudebat tempus adesse.

Archiepiscopus Moguntinensis, cujus sententia ante alios accipienda fuit, rogatus a populo, quid sibi videretur, abundanti corde, hilari voce laudavit & elegit majoris ætatis Chunonem suum in Dominum, & Regem atque rectorem, & defensorem patriæ. Hanc sententiam cæteri Archiepiscopi & reliqui Sacrorum Ordinum viri indubitanter sequebantur. Junior Chuno paululum cum Lotharingis placitans, statim reversus maximo favore illum ad Dominum & Regem elegit: quem Rex manu apprehendens fecit illum consedere sibi. Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis sæpissime repetebant. Fit clamor populi: omnes unanimiter in Regis electione Principibus consentiebant . . . Rex pervenit Moguntiam, ibi honore debito receptus, consecrationem suam omnibus desiderabilem devotus præstolabatur. Ad quem benedicendum in die Nativitatis Sanctæ Mariæ, cum Archiepiscopus Moguntinensis, & omnis Clerus solenniter se præpararent, inter sacra officia Regiæ unctionis Archi-episcopus hoc ad Regem usus est sermone: omnis potestas fluitantis sæculi de uno fonte purissime derivatur. &c. *Vide Wipponem.*

Peractis decentissime Divinis officiis & Regali consecratione, Rex processit, & sicut de Saul Rege legitur, quasi ab humero sursum cunctis altior ibat, & veluti in quandam habitudinem antea non visam in illo transformatus, cum sacro comitatu alacri vultu, honesto incessu ad cubiculum rediit. Inde ad mensem Regali apparatio receptus, eam diem Regiæ speciei officiosissime consumpsit.

Wippo Biographus Conradi Salici, editus a Pistorio pag. 423. *& seqq.*

Duabus de causis hanc Coronationem Conradi Regis inserui Conciliis.

Prima fuit, ut ostenderem evidenter falsam esse opinionem tot scriptorum ante nostrum Sæculum XVIII. qui turmatim asseruerunt a GREGORIO V. Pontifice Romano, & OTTONE III. Augusto utroque Germano statutum fuisse exeunte Sæculo X. seu XI. oriente, quod deinceps Reges & Imperatores Germaniæ a tribus Archi-Episcopis, & quatuor Principibus laicis Electoribus creandi essent: id quod Electio Conradi II. Regis falsissimum demonstrat: cum longe plures Episcopi & Duces ejus electioni communi voto & consensu, nemine contradicente, interfuerint.

Altera causa est, quod Wippo Biographus Conradi Salici coævus, & oculatus autor luculentam & illustrem, brevem licet, characterem det Episcoporum Lotharingiæ, Alsatiæ, Franconiæ, Germaniæ, Bajoariæ: (nam Saxoniæ Episcopos licet intervenisse non dubitet, minus notos habuit) unde Hierarchiæ Ecclesiasticæ Germaniæ excellentia inter & super omnes Dynastas Germaniæ, vita & mores laudatissimi Episcoporum Germaniæ conspiciuntur & metiendi sunt.

Conra-

CONRADUM Salicum quater vel quinquies coronatum fuiſſe, Hiſtorici coævi & ſuppares memorant.

Prima Corona Regni Germaniæ, Moguntiæ, & Aquisgrani.

PRimam Moguntiæ ab Aribone & Epiſcopis Alemanniæ & Alſatiæ anno 1024. 8. Septembris die feſta Natæ Virgini Conrado II. Regi impoſitam fuiſſe, docet

Biographus Wippo pag. 427. apud Piſtorium Edit. ultimæ.

Coronatio Reginæ Coloniæ 1024. *Kal. Octob.*

Inthronizatio Conradi Aquisgrani.

COllecto Regali Comitatu Rex Chuonradus primum per regionem Ribuariorum uſque ad locum, qui dicitur Aquisgrani, Palatium, pervenit, ubi publicus thronus Regalis ab antiquis Regibus, & a Carolo præcipue locatus totius Regni Archi-ſolium habetur.

Wippo Biographus Conradi pag. 429.

Giſela Regina in Eccleſia Colonienſi a Piligrino Archiepiſcopo ex conceſſione Regis Chunradi conſecrata fuit Kalend. Octobris.

Hermann. Contractus in Chron. ult. edit.
Wippo pag. 427. apud Piſtorium.
Leuckfeldius Conradum & Giſelam Aquisgrani coronatos ſcribit in antiquitatibus Halberſtadenſibus ad hunc annum.

II. Corona Regni Italiæ 1026. *Mediolani & Modoetiæ.*

ANno MXXVI. Pentecoſten Conſtantiæ celebravit: ibi Archiepiſcopus Mediolanenſis Heribertus cum cæteris Optimatibus Italicis Regi occurrebat, & effectus eſt ſuus, fidemque ipſe fecit per Sacramentorum & obſidium pignus, ut quando venerit cum exercitu ad ſubjiciendam Italiam, ipſe eum reciperet, & cum omnibus ſuis ad Dominum & Regem publice laudaret ſtatimque coronaret.

Wippo in vita Conradi apud Piſtorium p. 430.

III. Coronatio Imperialis 1027.

ANno MXXVII. Indict. X. Rex Chuonradus Romam ingreſſus a Papa Joanne, & univerſis Romanis regio honore mirifice receptus eſt, & in die ſancto Paſchæ, qui eo anno VII. Kalend. Aprilis terminabatur, a Romanis ad Imperatorem electus, Imperialem benedictionem a Papa ſuſcepit. Quin etiam Regina Giſela Imperatricis conſecrationem & nomen ibidem accepit.

Wippo in vita apud Piſtorium pag. 433.
Hermannus Contractus in Chronico.

IV. Coronatio Regni Burgundici 1033.

ANno MXXXIII. Imp. Cuonradus cum filio ſuo Rege Heinrico Natalem Domini in Argentina civitate celebravit. Inde collecto exercitu per Solodorum Burgundiam intravit, & veniens ad Paterniacum Monaſterium in Purificatione ſanctæ Mariæ a Majoribus & minoribus Regni ad regendam Burgundiam electus eſt, & in ipſa die pro Rege coronatus eſt.

Wippo Biographus.

SYNODUS ATTREBATENSIS

A GERARDO CAMERACENSI ET ATTREBATENSI EPISCOPO CELEBRATA

Anno Chriſti MXXV. Joannis XIX. Papæ II. Conradi II. Regis II.

R. (a) nominis dignitate & prærogativa meritorum Epiſcopo, GERARDUS nullius meriti coepiſcopus, quidquid ad beatam vitam præſtantius.

PRÆFATIO.

CUm nobile ingenium & prudentiam veſtram conſidero, non adeo demiror potuiſſe nefarios homines (*b*) erroris Spiritu magicatos, in aliquam pravi dogmatis conſpiraſſe dementiam: ſed ad inquiſitionem veſtram qualiter diſſimulare potuerint, ut vos fallerent, vehementer ſtupeo. Nam quoſdam, ut ipſe ſcitis, hujuſmodi homines in finibus veſtris cohabitaſſe, ſicut veris indiciis comprobavimus, retulimus charitati veſtræ. Quos, quia terrore ſupplicii ſpeciem religionis mentiebantur, indemnatos velut innoxios abire permiſiſtis. Quod quidem in illis efficacior ad ſubvertendos ſimplices cauſa extitit, ſimplicibus autem ſcrupulum, ne non audiendos æſtimarent, injecit, quos vero examine diſcuſſos audirent, nec cauſam puniendi inventam. Verum illi quoque, qui miſſi ab eis ad ſeductionem hujusmodi ad nos devenerant, comprehenſi, multa diſſimulatione renitebant, adeo, ut nullis ſuppliciis poſſent cogi ad confeſſionem: donec per eos ipſos; quos jam pene eodem ſui erroris maleficio imbuerunt, convicti, tandem ſuæ ſectæ diſciplinam partim nobis expoſuerunt. Et poſt aliqua, quæ ſe tenere ex Evangelica, & Apoſtolica doctrina mentiebatur, dicebant baptiſmatis myſterium, & Dominici corporis, & ſanguinis Sacramentum nullum eſſe; & idcirco rejiciendum, niſi ſimulationis cauſa non intrare: (*c*) pœnitentiam nihil ad ſalutem proficere: conjugatos nequaquam ad regnum pertinere, & cætera, quæ hujus libelli ſequentia indicant. Quod ideo vobis remandamus, ne ſimulatam religionem eorum, aut compoſita verba audire debeatis.

CAPUT I.

ANNO Dominicæ Incarnationis M. XXV. Indict. VIII. Domino GERARDO Eccleſiam Kamaracenſis ſeu Attrebatenſis Urbis Regente, quodam annuæ obſervationis more contigit, ut Dominici Natalis, & Apparitionis diebus in ſede Camaraci ſolemni curſu expletis, idem Præſul per aliquot dies ſtationem in ſede Attrebatenſi facere deberet. Ubi cum de *Eccleſiaſticis functionibus* ſatis pro oportunitate temporis tractaret, relatum eſt ei, quaſdam *ab Italiæ finibus* viros eo loci adveniſſe, qui quandam novæ hæreſeos ſectam introducentes, Evangelicæ atque Apoſtolicæ ſanctionis diſciplinam pervertere tentabant; & quamdam juſtitiam præferentes, hac ſola purificari homines aſſerebant; nullumque in ſancta Eccleſia aliud

(*a*) Reginaldo Leodicenſi Præſuli poſt Durandum anno 1025. defunctum, alii Reginardum vocant, forte idem interfuit Atrebatenſi Synodo, cujus acta Gerardus eidem dedicavit. Extant acta hujus Synodi *Spicilegii D'acheriani Tomo XIII.*

[*b*] Hæretici hac Synodo damnati aut propago erant, aut ſimiles hæreticis anno MXXV. Aurelianenſi in Concilio damnatis, qui Manichæorum errores & Gnoſticorum infamias renovabant, ubi coram Rege & Epiſcopio producti, cum dedoceri nollent, præter duos pœnitentes, cæteri decem flammis abſumpti fuere.

[*c*] *non intrare*; Acherius legit *miniſtrare*; at verius *miniſtraretur.*

aliud esse Sacramentum, per quod ad salutem pervenire potuissent. His auditis Domnus Episcopus perquiri homines jubet, & inventos sibi præsentari. Qui audita inquisitionis causa fugam occulte parabant; sed præventi a quæstoribus trahuntur ad præsentiam Episcopi. Qui in aliis causis definiendis tunc plurimum occupatus, pauca ad tempus de fide illorum sciscitatus est; sentiensque eos quodam pravi dogmatis errore teneri, recludi in custodia jubet usque in diem tertium; & die sequenti Clericis, & Monachis indicit jejunium, ut eos Divina gratia Catholicæ fidei perceptione resipisci donaret.

Tertia vero die, quæ Dominica habebatur, segmentatus Episcopus cum suis Archidiaconis, paratis crucibus, & textis Evangelicis, circumfusa totius Cleri ac populi multitudine, Synodum celebraturus in Ecclesia Beatæ Mariæ progreditur, impositaque antiphona *Exurgat Deus*, totum Psalmi hujus cursum expleverunt. Deinde residente Episcopo in Consistorio suo, & utrimque Abbatibus religiosis atque Archidiaconis, cæterisque secundum ordinationis suæ gradum discumbentibus, homines e custodia educti in medium introducuntur. Et primo quidem Episcopus super his generaliter verbum fecit ad populum. Deinde conversus ad istos: *Quænam est*, inquit, *doctrina vestra, lex atque cultura, quisve autor est disciplinæ vestræ?* At illi referunt, *se esse auditores Gundulfi cujusdam ab Italiæ partibus viri; & ab eo Evangelicis mandatis, & Apostolicis informatos, nullamque præter hanc scripturam se recipere, sed hanc verbo & opere tenere.* Verum quia ad notitiam Episcopi pervenerat, illos sacri baptismatis mysterium penitus abhorrere, Dominici corporis, & sanguinis Sacramentum respuere, negare lapsis pœnitentiam post professionem proficere, Ecclesiam annullare, legitima connubia execrari, nullum in sanctis Confessoribus donum virtutis spectare, præter Apostolos, & Martyres neminem debere venerari.

Illos Episcopus super hujusmodi interrogans: *Quomodo*, inquit, *consequens est vos Evangelica, & Apostolica instituta tenere, & contraria istis prædicare?* Narrat namque textus Evangelicus, quia Princeps Judæorum Nicodemus dum ex signis, & miraculis Jesum a Deo venisse confiteretur, continuo Dominus respondit, neminem hoc solo confessionis munere regnum Cœlorum posse mereri, *nisi renatus* (a) *foret ex aqua, & Spiritu.* Quod quidem regenerationis mysterium aut vos pleniter recipere, aut Evangelicis verbis contraire necesse est, cum constet vere hæc JESUM dixisse.

Hæreseos confessio.

Adhæc illi dederunt hujusmodi responsum: *Lex & disciplina nostra, quam a Magistro accepimus, nec Evangelicis decretis, nec Apostolicis sanctionibus contraire videbitur, si quis eam diligenter velit intueri. Hæc namque hujusmodi est; mundum relinquere, carnem a concupiscentiis frænare, de laboribus manuum suarum victum parare, nulli læsionem quærere, charitatem cunctis, quos zelus hujus nostri propositi teneat, exhibere. Servata igitur hac justitia, nullum opus esse baptismi;* [b] *prævaricata vero ista, baptismum ad nullam proficere salutem. Hæc est nostræ justificationis summa, ad quam nihil est, quod baptismi usus superaddere possit, eum omnis Apostolica, & Evangelica institutio hujusmodi fine claudatur. Si quis autem in baptismate aliquod dicat latere Sacramentum; hoc tribus ex causis evacuatur. Una, quia vita reproba ministrorum, baptizan-*

Mabillon. Annalium Benedictinorum Tomo IV. Lib. LV. No. LXIII. observat hos Hæreticos, similes illis, qui Aurelianis damnati fuerant, Gandulfo Italo auctore in Gallias introductos & seductos fuisse, nec sola auctoritate Synodi, sed rationem ex Scripturis Sanctis depromptarum pondere convictos, demum manus dedisse, ut in fine Synodi narratur.

[a] Joannis III. 5.

(b) Iidem errores hæreticorum Aurelianis damnatorum & combustorum. Negabant vetus Testamentum, veram a Christo carnem, veram in Eucharistia corporis & sanguinis Christi præsentiam, demum Baptismum aqua perficiendum. *Mabillon. Annales Benedictini Tomo IV. pag.* 284. & 308. Imo & pœnitentiæ & matrimonii Sacramenta rejiciebant: nullos Sanctos præter Apostolos & Martyres esse colendos.

tizandis nullum poteſt præbere ſalutis remedium. Altera, quia quidquid vitiorum in fonte renuntiatur, poſtmodum in vita repetitur. Tertia, quia ad parvulum non volentem, neque currentem, fidei neſcium, ſuæque ſalutis atque utilitatis ignarum, in quem nulla regenerationis petitio, nulla fidei poteſt ineſſe confeſſio, aliena voluntas, aliena fides, aliena confeſſio nequaquam pertinere videtur.

Epiſcopi refutatio ſupradictæ Hæreſeos.

Quibus e contra Epiſcopus ait: *Si huic juſtitiæ veſtræ ab Evangelica, & Apoſtolica inſtitutione fidem attribuitis, hanc facile non aliunde ſumptis viribus evacuamus. Natum namque ex Immaculata Virgine Dei Filium nulla peccati corruptione infectum teneri, Evangelica, & Apoſtolica teſtatur auctoritas* : Sed, *ſicut Apoſtolus docet*, ipſe juſtus eſt, [a] & juſtificans omnia, *non quod ipſe extrinſecus donum juſtitiæ accepiſſet, cujus participatione dicatur juſtus; ſed principaliter, & ſubſtantialiter juſtus, ut neceſſario in eo idem, & unum dicamus eſſe juſtum quod juſtitiam: Alioquin fallitur Apoſtolus in eo, quod dicit, juſtificans omnia. Nam ſi aliunde accepit, ut ipſe ſit juſtus, infirmioris juſtitiæ, & inferioris eſt, quam is, a quo accepit; nec erit juſtificans omnia, ſed ille a quo accepit, ut ipſe, & omnia juſtificentur. Verum ipſe a ſeipſo accepit, ut ſit juſtus, & juſtificet omnia, ſine quo nullus ſanctus, nullus etiam juſtus, per quem omne ſanctum & juſtum, & a quo omnis gratia, & omne donum juſtitiæ deſcendit, ſicut ait beatus Jacobus:* Omne [b] datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum. *Quod autem a patre luminum deſcendiſſe donum dicit, non te ſcandalizet, quia dum deſcendit a patre, deſcendit, & a filio, quia ipſe ait:* Ego [c] & pater unum ſumus. *Jure igitur ait Apoſtolus, quod ipſe ſit juſtus, juſtificans omnia: non comparative quidem juſtus ut poſſit augeri vel minui, ſed immutabiliter, & eſſentialiter juſtus.*

Veruntamen talis, & tantus Dei Filius, ſicut narrat Evangeliſta, venit in Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Cui, cum infirmitatis propriæ conſcientia miniſterium recuſaret, ait Dominus: Sine [d] modo, ſic enim decet nos omnem juſtitiam implere. *Quid enim, in quo erat totius plenitudo juſtitiæ, & immutabiliter, & incomparabiliter juſtus, & juſtificans omnia erat; numquid ei aliquid de perfecta juſtitia deerat, ut ad implendam juſtitiam materialis aquæ fluentis, & baptizantis miniſterio indigeret? Porro ſi hoc baptiſmatis myſterio ad ſupplendam juſtitiam indigebat, non perfecte juſtus nec juſtificans omnia erat. Nihil enim impletur, niſi cui de ſumma plenitudinis aliquid deſit. Plenitudo enim crementum non poteſt accipere. Igitur non perfecte erat: Quod nefas eſt de Deo judicare. Si autem juſtus fuerat, nihil a baptiſmo, quo ſuam ſuppleret juſtitiam, accipere poterat: ſed immutabiliter & perfecte, & ſumme juſtus erat: igitur baptizari non indigebat. Cur ergo dicebat:* Sic [e] decet nos omnem implere juſtitiam, *qui nec baptizari indigebat, nec juſtitia, qua plenus redundabat, quo ſuppleretur per baptiſmum habebat? Indigebat certe non ſibi, ſed nobis, Juſtitiam quærebat implere; non ſuam, ſed noſtram. Nam ſemper in æterno ejus conſilio manſit generis humani reparatio, & diſcretis Spiritualius Sacramentorum obſervantiis, quod profuturum, & neceſſarium ad noſtræ reparationis erat effectum, hoc per manus diſpenſatorum viſibiliter voluit adminiſtrari, ſed inviſibiliter operante Spiritu Sancto impleri.*

Cujus rei gratia plurima in ſancta Eccleſia providus Dominus inſtituit Sacramenta, [e] *quibus plurimum ad regenerationis myſterium inſtituit baptismatis uſum. Porro baptiſmum græce, latine tinctio interpretatur, quia ibi homo Spiritu gratiæ in melius immutatur, & longe aliud quam fuerat, efficitur. Prius enim fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipſa tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum. Cujus myſterium non aliter, niſi ſub Trinitatis deſignatione, id eſt, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cognominatione, completur. Unde Dominus ad diſcipulos,* Ite, *inquit,* [*] docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Quod quidem myſterium a ſecretis virtutibus, vel a ſacris Sacramentum dicitur: quod ideo penes Eccleſiam fructuoſe agitur, quia ſanctus in eo deſcendens Spiritus, eumdem Sacramenti latenter operatur effectum. Unde ſeu per bonos ſeu per malos miniſtros intra Eccleſiam diſpenſetur, tamen quia Spiri-*

(*a*) Roman. III, 26.
(*b*) Jacob. I, 17.
(*c*) Joan. X, 30.
(*d*) Matth. III, 15.
(*e*) Ibidem.
(*) Matthæi XXVIII, 19.

Spiritus Sanctus mystice illud vivificavit, nec bonorum meritis amplificatur, nec malorum vitiis attentatur: Quia neque [f] qui plantat, aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. *Unde & ipse minister super baptizatum non dicit,* Ego *sed* Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te generavit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum; ipse linivit chrismate salutis in vitam æternam. *Qua in re perspicuum est, quia vita ministri nihil derogat his, qui de Spiritu Sancto concipiunt virtutem sanctificationis, præsertim cum inter cæteros discipulos Judam, futurum Domini traditorem, baptizasse legamus; & cum rebaptizatos omnes a discipulis Domini fuisse, quos Joannes baptista in aqua baptizaverat, sciamus; nullum tamen, quem Judas baptizasset, iterato fonte ablutum reperimus. Nam si improba vita traditoris nocuisset baptizandis, nequaquam ille, qui omnes venerat salvare, pateretur in illo solo baptisma perire. sed quia malitia hominis non potest imminuere Divinæ opus virtutis, noluit repetere, quod homo ministraverat, Spiritus Sanctificaverat. Porro testante Divina* Scriptura *audivimus Reges Magnos fuisse in Jerusalem, qui administrabant res quasdem pertinentes ad Babyloniam, quosdam vero cives Babyloniæ administrasse res Jerusalem. Sic itaque novimus cives bonæ civitatis administrasse res malæ civitatis, & econtra cives malæ civitatis administrasse res bonæ civitatis. Si ergo respublica bonæ civitatis per cives Babyloniæ sine sui corruptione administrari potuit; Quanto magis Sacramentum, quod vim sanctificationis per invisibilem Sancti Spiritus operationem concipit, a pravis ministris non corrumpitur, cum aliud sit, quod exterius agitur, exhibente ministro, aliud quod interius vivificatur, animante Spiritu Sancto; inde est quod cum Joannes in Evangelio diceret:* Quia (g) audierunt Pharisæi, quod Jesus baptizabat, quamvis ipse non baptizaret, sed discipuli ejus; *in hoc quamdam operantis Dei, & administratorii officii discretionem voluit intelligi: Videlicet in eo, quod Jesum dicit baptizare, invisibilem Divinæ virtutis insinuet operationem; in eo vero quod subdidit,* quamvis Jesus non baptizaret sed discipuli ejus. *Non de operante virtute, sed de visibili exequentium administratione dictum intelligatur. Igitur in baptizandis fidelibus aliud est, quod invisibiliter efficitur per Spiritum operantem, aliud quod visibiliter exhibetur per ministrum obsequentem.*

Quod autem per materialem aquam baptismum datur, hæc ratio est. Voluit enim Dominus, ut res illa invisibilis per congruentem, sed profecto tractabilem rem, & visibile impenderetur elementum; super quod Spiritus Sanctus ferebatur in principio. Nam sicut per aquam purgatur exterius corpus, ita latenter ejus mysterio purificatur, & animus. Invocato enim Deo descendit Spiritus Sanctus de Cœlis, & medicatis aquis sanctificat eas de semetipso, & accipiunt vim purgationis, ut in eis caro, & anima delictis inquinata mundetur. Et sic in morte Christi, & in resurrectione ejus, potentia baptismatis novam creaturam condit ex vetere, ut in renascentibus, & mors Christi operetur & vita, dicente beato Apostolo: An [h] ignoratis, quia, quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, ut quomodo surrexit Christus per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus. *Unde notandum, quia in baptismatis regula & mors intervenit interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio resurgentis instar est de sepulcro. Deinde vero sacri Chrismatis unctione perfunditur infans, ex cujus nomine* Christus *dicitur, & homo post lavacrum sanctificatur. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem Spiritus adhibetur. Quæ licet carnaliter administretur, spiritualiter tamen proficit: Sicut & ipsa baptismi gratia, visibilis actus est, quod in aqua mergimur; sed spiritualis efficitur, quod delictis mundamur. Manus impositio ideo fit, ut per benedictionem advocatus invitetur Spiritus Sanctus. Tunc enim paraclitus post mundata corpora libens a Patre descendit, & quasi super baptismi aquam velut super pristinam sedem recognoscens quiescit. Nam legitur, quia in principio* Spiritus [i] Dei ferebatur super aquas.

Hoc est primum nostræ reparationis Sacramentum, ad quod confirmandum Dominus nullius indigens remissione peccati, nec remedio renascendi, cum non haberet, quod aquis potuisset mundari, tamen ad Joannem aquis Jordanicis baptizandus sicut Evangelista docet, festinavit. Cui recusanti ait: Sine [k] modo,

(f) I. Corinth. III, 7.
(g) Joan. IV, 1.
(h) Rom. VI, 3.
(i) Genes. I, 2.
(k) Matth. III, 15.

do, ſic enim decet nos omnem implere juſtitiam. *Ac ſi diceret exemplum præbere omnis juſtitiæ, ut videlicet diſcant omnes fideles, neminem poſſe abſque baptiſmo juſtificari, quamvis Innocenter ac juſte vivat. Joannes vero ait :* Et [*l*] ego neſciebam eum. *Ac ſi diceret, ignorabam eum primum : ſed videns eum ſibi retinere baptiſmum, intellexi, quia hic erat, qui baptizaturus erat in Spiritu Sancto; & [*in*] remiſſionem pecatorum ſicut ipſe dixit :* Super [*m*] quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper ſe, ille eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto. *Quare notandum eſt, quia impoſſibile eſt quemquam ad perfectum juſtitiæ ſine regenerantis aquæ myſterio aſpirare, maxime cum opera juſtitiæ hanc gratiam Cornelio Cæſarienſi dare non potuerint, donec eum cum omni familia ſua ſalutari unda Petrus innovavit, ſuper quos Spiritus Sanctus ante baptiſmum inaudito præcunctis gratiæ exemplo cecidit, ut hanc manifeſta Dei virtute animatus Petrus regnum Dei gentibus aperiret, quem cum cæteris diſcipulis, ne in viam gentium abiret, Dominus ante monuerat.*

Quod cum ita ſit ; profecto in hoc vobis repugnare convincimini, quod Evangelica vos & Apoſtolica præcepta tenere dicitis, & his contraria prædicatis ; Nam & Evangeliſta refert, quia Jeſus (*n*) venit, & diſcipuli ejus in Judæam, & ibi demorabatur cum eis, & baptizabat. *Qui baptiſmi Sacramentom, & regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere ejus profluerent ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmatis. Unde Joannes Apoſtolus :* Tres (*o*) ſunt, *inquit*, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua & ſanguis. *Petrus vero, cui primatum Eccleſiæ Dominus contulerat, dum credentium numerum promiſſus Sancti Spiritus replevit adventus, tria millia hominum ſua prædicatione converſorum aqua baptismatis conſecravit ; ſicut Lucas teſtatur, dicens:* His [*p*] auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & reliquos Apoſtolos : Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos : Pœnitentiam; *inquit*, agite, & baptizetur unusquisque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum ; & accipietis Spiritum Sanctum. *Aliis etiam pluribus verbis exhortabatur eos, dicens:* Salvamini (q) a generatione iſta prava. *Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt animæ in illa die circiter tria millia. Paulus etiam, cujus vos doctrinam tenere profitemini, Divinæ injuriæ pœnis affectus, ab Anania baptizatus eſt : qui & ipſe poſtmodum Criſpum, & Gajum, & Stephanæ domum ſe baptizaſſe dicit. Philippus etiam Eunuchum Candacis Reginæ ab Jeruſalem redeuntem in aqua baptizavit, ſicut liber Apoſtolicus indicat. Quam ab Apoſtolis traditionem Catholica adhuc ſervat Eccleſia.*

Unde colligitur, quia quamlibet juſte & innocenter quis videatur vivere, ſalvari tamen abſque Divini fontis lavacro non poſſit. Verum utcumque originalis culpæ, aut propriæ actionis reatu teneatur adſtrictus, tamen fonte renatus, mundus & totius peccati ſorde purgatus, adeo innovatur, ut qui filius diaboli in fonte deſcenderat, filius Dei renatus aſcendat; quia filius prævaricationis deſcenderat, filius reconciliationis aſcendat. Et ut cuncta colligam, qualem primum hominem ex virginea terræ maſſa finxit ſapientia creantis, talem etiam hunc ex purificatio fontis utero produxit clementia Redemptoris. Quod contra infideles garrire ſolent, dicentes primum hominem ſi non peccaſſet, immortalitatis munere donatum ; iſtum vero quamlibet juſte & innocenter vivat, nequaquam tamen poſſe mortis vitare jacturam, & ideo multum repugnare a vero, ut qualis ille fuerat factus a Conditore, talis & hic regeneretur ex fonte. Quam eorum repugnantiam facile eſt inflecti ad conſequentiam, ſi quis Divinæ pietatis conſilium conſiderare potuerit. Nam ex uno eodemque fonte Divinæ rationis deſcendit, & quod illum immortalem mirabiliter creaverat, & quod iſtum morti obnoxium miſericorditer reformaverat. Porro facile fuerat iſtum immortalitatis gloria donari tanquam & illum, ſi fuiſſet in conſilio creantis. Sed quia dum illum libera voluntas, & mortalitatis ſecuritas decepit, per prævaricationis culpam traxit ad mortem ; iſtum, ne ſpe immortalitatis deceptus, temporalibus deliciis ardentius inſiſtat, per inevitabilem mortis eventum invitat ad veram vitam. Quia vero ille mortis ſecurus, auctore contempto, aurem aperuit ſuaſori, & ſuperbiæ (r) *audaciam una petiit: hunc pietas Redemptoris voluit ſuſpenſum morte teneri, ut per humilitatis cuſtodiam vitaret hoſtem, audiret conditorem, ſicque ad ſuperna conſcenderet. Nihil igitur*

(*l*) Joan. I, 31. 33.
(*m*) Ibidem ℣. 33.
(*n*) Ibidem III, 22.
(*o*) I. Joan. V, 8.
(*p*) Act. II, 37. 38.
(*q*) Ibidem ℣. 40.
(*r*) *ſuperbiæ*, locus corruptus : forte *& ſuperbiæ audacia periit.*

igitur repugnat a vero, talem hunc regeneratum ex fonte, quem invitat ad vitam, qualem illum, si non peccasset, formatum, quem mox de immortalitate præsumptio coegit subire mortis ruinam.

Sed fortasse objicis mihi, quantum ei præstitit donata immortalitas, ex qua ruinæ causam venturam conditor non ignorabat. Multum quidem ei contulerat, ut videlicet, si sine peccato manere voluisset, & mortem non gustaret, & tam ipse, quam ejus progenies, Angelos semper haberet concives. Sed dum præceptum neglexit conditoris; ipsa sua libertate deceptus, a paradiso seclusus, in ignotis partibus sui generis posteritatem transposuit, atque pœnam, quam ipse prævaricationis reus exceperat, generando transmisit in posteros, de qua non potuisset erui, nisi eum Christus suo adventu revelasset; qui per novæ regenerationis mysterium, omne præteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit, & statum pristinæ libertatis reformavit. Igitur ad vitanda improbi seductoris tentamina, cum primum parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius vitæ fontem adeunt, quam exorcismis & sufflationibus Sacerdotum ab eis spiritus immundus abigatur: ut vere appareat quomodo princeps mundi hujus ejiciatur foras, & prius alligetur fortis, & vasa ejus diripiantur translata in possessionem victoris, qui captivam ducit captivitatem; & dat dona hominibus.

Quod si refugitis credere, ut qui parvulum fidei nescium, suæque salutis ignarum, nec regenerationis curam habentem, de fonte suscipiunt, eorum fides aut confessio illi puero nequaquam proficiat: consequitur, ut nec paralytico offerentium fidem profuisse credatis, de quo Evangelista dicit, quia videns (s) JESUS fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili! remittuntur tibi peccata tua, *sed nec illud recipiendum æstimabitur, quod in Evangelio legimus de muliere Chananæa, ut fides ejus ad impetrandam salutem filiæ profuerit. Porro alius Evangelista dicit, quod* offerebant Jesu parvulos, ut manus eis imponeret; & complexans eos, & imponens manus, benedicebat eos. *Qua in re datur intelligi, quia non parvulorum fides, quæ adhuc nulla fuerat, sed offerentium fidelis credulitas, ut parvuli benedicerentur, obtinuerat, sicut Dominus dixit Centurioni, pro salute servi postulanti:* Vade, (t) & sicut credidisti, fiat tibi, & sanatus est puer in illa hora.

Deinde vos, qui nihil in sancta Ecclesia corporaliter gerendum arbitramini, ut in hoc baptismatis mysterio, aqua, oleum chrismale, Sacerdotis officium, & cætera; quæ usque Catholica servat Ecclesia: vos, inquam, rogo, quid sibi vult illa materialis aquæ alluvio, quam lavandis pedibus invicem exhibere soletis? Nam si hoc ab Evangelio vos accepisse dicitis, ut quia Dominus discipulorum pedes lavans, hoc illis exemplum reliquisse legitur, & vos quoque hujus rei gratia facere vos invicem dicitis: stultum est, imo sacrilegum, cætera & multo majora repudiare, quæ ab ipso rerum auctore Domino sunt constituta, ab Evangelio enuntiata, ab Apostolis tradita, sine quibus nostræ salutis plenitudo non potest consistere: quæ quidem ipse Dominus, & ante resurrectionem & post resurrectionem Discipulis suis servanda instituit.

CAPUT II.

De Corpore & Sanguine Domini.

Fuerant certe satis, quæ de his dici poterant, si horæ suppeterent: sed quia dies ad occasum declivior ad propria quemque commonet redire; jam nunc his omissis, transitum faciamus ad illud sacrum, & immutabile Dominici corporis & sanguinis Sacramentum, quod vos ad vestram confusionem, nisi resipueritis, adversum Divinam & Apostolicam traditionem impugnantes evertere tentatis. Quod quidem mysterium quale quantumcunque in se contineat pondus virtutis, impossibile est humanæ rationis intuitu perscrutari. Quod anima ultra hominem est, infra sensum hominis non potest cohiberi. Non igitur sufficit illud facundia humana comprehendere: hoc enim illud sanctum & admirabile commercium, per quod terrenis cœlestia junguntur, inferna spoliantur, paradisus aperitur, homo exul antiquo horto relocatur: per quod etiam Angeli recognoscunt hominem concivem suum, & supra se positum adorant hominem Deum. Verum nos quia tempus commonet, quantum nostræ fragilitatis sensus percipit, illius, de quo loquimur, gratia confisi, edicimus.

Doctri-

(s) Matth. IX, 2.

(t) Ibidem VIII, 13.

Doctrina catholica de Sacrificio & Sacramento Eucharistiæ.

Sacrificium dicitur, quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Unde hoc ipso jubente corpus Christi & sanguinem credimus, quod dum fit ex fructibus terræ, sanctificatur, & fit Sacramentum, operante invisibiliter Spiritu Dei. Quod quidem ideo Sacramentum esse dixerim; quia tamquam viaticum nobis sit, introducens ad contemplationem æternitatis. Cujus panis & calicis Sacramentum Græci *Eucharistiam* dicunt, quod latine bona gratia interpretatur. Quid enim melius corpore & sanguine Christi? Quod quidem sacrificium, dum de pane & vino cum aqua mixto, ineffabili sanctificatione, cruce & verbis illius in altari consecratur; dumque passionis & resurrectionis ejus, atque in cœlum ascensionis ibidem salutifera memoria agitur, verum ac proprium corpus ipsius Domini nostri JESU Christi, & sanguis verus ac proprius efficitur, quamvis aliud esse videatur. Videtur namque panis materialis, sed verissime efficitur corpus Christi, sicut ipsa eadem veritate attestante didicimus. Nam ipsa nocte, qua sponte per passionis mysterium corpus suum pro nobis in mortem traditurus erat, sicut Evangelista refert: *Accepit* (u) *panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, dicens: sumite, hoc est Corpus meum. Similiter & calicem accipiens, benedixit, & dedit Discipulis suis, dicens: bibite ex hoc omnes, hic est calix novi testamenti, qui pro multis fundetur in remissionem peccatorum.* Quod vero subdit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ad hoc retulit, quod per ministerium Sacerdotum quotidie a fidelibus fieri mandavit, dum passionis suæ memoria agitur, & sub Sacramento communicandæ carnis & sanguinis panis sanctus & calix consecratur. Ad hanc spiritalem alimoniam, ad hoc mysticum & divinum epulum nos Dominus invitat, tantamque necessitatem sumendi hujus alimenti nobis indicat, ut aliter in nobis vitam habere non possimus, nisi carnem ejus manducaverimus, & sanguinem biberimus.

Sed fortasse aliquis nimis carnaliter hoc audiens objiciat, neminem posse vitam habere in semetipso, cum Christus carnem, quam proprio gestabat corpore, nemini edendam erogasse, sed perfecto & integro corpore cœlum penetrasse legatur; aut certe, quod nefas dictu est, Dominum in hoc verbo culpam mendacii subiisse, cum multi vitam in se habere videntur, qui carnem, aut sanguinem ejus gustasse aliquando se non meminerunt. Quod nos, Deo volente, tali modo solvimus. Possunt quidem homines sine hoc cibo temporalem hanc vitam in præsenti sæculo habere; æternam vero vitam habere nequeunt, quæ solis fidelibus, carnem & sanguinem Christi digne sumentibus promittitur. Unde & ipse dicit: *Nisi* (u) *manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* vitam videlicet animæ, ipsum Christum, qui alibi dicit: *Ego* (w) *sum via, veritas & vita.* Filium vero hominis se dicebat, cujus corpus quotidie per Sacerdotes immolatur in altari, de quo Apostolus ait: *Panis* (x) *quem frangimus, nonne corpus Domini est? Et calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est?* Unde cum Dominus diceret: *Ego* (y) *sum panis vivus, qui de cælo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, litigabant Judæi, ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Non enim hunc panem intelligebant, audientes carnem exhorrescebant; non enim erant membra Christi, idcirco scandalizabantur in carne Christi. Sed & cum Discipuli verba ejus carnaliter accipientes dicerent: *Durus* (z) *est hic sermo, quis potest eum audire?* Respondit Dominus: *Hoc* (a) *vos scandalizat? si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius*; suspensa & quasi defectiva oratio fuit. Putabant enim Discipuli, Christum carnem, qua indutus erat, particulatim incisam credentibus distributurum, & quasi hoc contra naturam esset hominum (videlicet humanam carnem in cibum sumere) quasi de

(*u*) Matth. XXVI, 27. Marc. XXII, 19. 23. 24. Luc. XXII. 19. 20.
(*v*) Joan. VI, 54.
(*w*) Ibidem XIV. 6.
(*x*) I. Corinth. X, 16.
(*y*) Joan. VI, 51. &c.
(*z*) Ibidem v. 61.
(*a*) Ibidem v. 62.

de re difficillima & impoſſibili dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire?* Unde & Dominus: *Si*, inquit, *videritis filium hominis aſcendentem, ubi erat prius :* ſubaudiendum, tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, meam carnem credentibus diſtribuo, ſed ſpiritali gratia me illis dando, ipſos in meum corpus transfundo. Et hæc gratia non conſumitur morſibus, nec dentibus teritur, ſed interioris hominis palato, hoc eſt, ratione & intellectu mentis percipitur. Unde & communio Dominici corporis, ſicut ſupra diximus, græco quidem, ſed latinis uſitato ſermone, Euchariſtia, id eſt, bona gratia appellatur. Videtur enim ſanctus ille panis, quo corpus Domini conſecratur, & viſibiliter ore percipitur; ſed virtus Dei verbi, id eſt, divinitas, qua anima percipientis ſanctificatur, videri non poteſt. Aſcendit ergo Chriſtus perfecto corpore ſuo, & reliquit nobis Sacramentum corporis ſui. Denique, ne putarent, ſibi in iſto cibo & potu ſic promitti vitam æternam, ut jam nec corpore morerentur, cum dixiſſet: *Qui* (b) *manducat meam carnem;* continuo ſubjunxit: *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Nam qui digne Chriſti carnem comedit, & ſanguinem ejus bibit; licet mortuus corpore, habet interim ſecundum ſpiritum vitam æternam. Quod vero ad corpus attinet, nec ipſum vita æterna fraudabitur, quia reſuſcitabitur in noviſſima die, ultra jam non moriturum. Hoc igitur modo veritatis ſermo ſine culpa mendacii fuit, dicens, neminem vitam in ſe habere, niſi qui communicandæ carnis ejus & ſanguinis ſpiritalibus alimentis paſceretur.

Poterat vero illud infirmis auditoribus huic ſententiæ contrarium videri, quod ſubditur: *Caro* (c) *non prodeſt quicquam*, cum ſuperius nullam vitam habere in ſe dixiſſet ſine perceptione carnis ſuæ: ſed ita intelligendum eſt; ſi carnaliter verba mea intelligere vultis, ut ſic carnem meam, ſicut alium cibum manducetis, caro nihil vobis prodeſt.

Qui enim poteſt ita ſuum corpus per tot Eccleſias in toto orbe diffuſas diſtribui, per tam innumerabiles populos, & longa tempora, ſingulis diebus, ſingulis hominibus ſumendum diſtribui, & nunquam deficere?

Quo contra vobis reſpondemus, dum fidem Evangelicam, & traditionem Apoſtolicam vos fateri audimus. Verbum, quod in principio erat apud Deum, id caro factum in fine temporum, quomodo totum cum Patre fuit ſemper, & totum ſe clauſit in utero Virginis? Si totus in virgine, quomodo totus cum Patre? Sed audi tantæ virtutis myſterium. Aſcenſurus in cœlum Dei filius, diſcipulis pro diſceſſu ejus ſollicitis, promittit ſe manſurum cum eis omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi, quibus paulo ante prædixerat ſe ire ad patrem. Quod quidem refugeret credere humanus intellectus, niſi virtus diſcretionis adhibeatur. Homo namque corpore circumſcriptus in loco manere, & a loco diſcedere, niſi per ſucceſſum temporis, non poteſt. Æterna vero Dei eſſentia ſicut nec tempore anguſtatur, ita nec loco conſtringitur; ſicut enim ſemper eſt, ita ſemper ubique eſt. Manere igitur ejus eſt, nulli omnino loco deeſſe; redire vero, eſt, corpus in terris ſumptum ab eis ſubtrahere. Manere ergo cum illis, & ire ad patrem ſe dicebat, cum corpus, quod corruptibile induerat, jam incorruptionis gloria ſublimatum ad cœlos evehit, & per Majeſtatis præſentiam, ubique ſe cum illis manſurum promittit. Qui ergo ad patrem, cum quo ſemper eſt, ivit, & cum diſcipulis manſit, non impoſſibile eſt corpus, quod æternum & incorruptibile eſt, & in cœlis ſervare, & in terris communicandum nobis corporis ſui Sacramentum præbere.

Quod vero in tot partibus, temporibus, populis, hominibus quotidie ſumptum, & non imminutum objicitis, nullum incredulitatis ſcandalum parit, ſi quis fidei oculis intueri velit, quod ait Dominus, dum porrigeret illis panem & calicem, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Semel namque Chriſtus paſſus, ſemel mortuus, quotidie in Eccleſia nobis patitur, quotidie nobis moritur, dum ipſo jubente SacroSanctæ paſſionis ejus memoria agitur, & per Sacerdotum miniſterium ſalutaria corpo-

(*b*) Ibidem v. 55. [*c*] Joan. VI, 64.

corporis ejus, & ſanguinis myſteria renovantur. Quæ inviſibiliter eodem Spiritu vivificantur, quo operante in utero Virginis Incarnatus eſt Dei Filius. Quod quidem ex verbis beati Andreæ Apoſtoli intelligi datur, cujus vos doctrinam inter cæteros Apoſtolos imitari profitemini; qui cum ad ſacrificium idolorum compelleretur, ait: " Omnipo-" tenti Deo, qui unus & verus eſt, " ego omni die ſacrifico, non thuris fu-" mum, nec taurorum mugientium " carnes, nec hircorum ſanguinem, " ſed Immaculatum ſanguinem quotidie " in Altari crucis ſacrifico. Cujus car-" nem poſteaquam omnis populus cre-" dentium manducaverit, & ejus ſan-" guinem biberit; Agnus, qui ſacrifi-" catus eſt, integer perſeverat, & " vivus. Et cum vere ſacrificatus ſit, & vere carnes ejus manducatæ ſint a populo, & vere ſanguis ejus ſit bibitus; tamen, ut dixi, integer permanet, & immaculatus, & vivus. Interrogante vero Aegea, quomodo fieri poſſet, ut occiſus viveret Agnus, ſacrificatus vero & comeſtus, quomodo integer, & Immaculatus permaneret: Apoſtolus reſpondit: " ſi diſcipuli for-" mam imitatus crederet, facile ad diſ-" cendum; ſin autem, ad indaginem ve-" ritatis non poſſe attingere. Quod & vobis quoque impoſſibie erit intueri, niſi depoſito incredulitatis rigore, formam, fidemque diſcipulorum receperitis. Verum quia hoc fidei oculis intuendum docuimus, ſi quem magis viſibilia ædificant, quam inviſibilium virtus accendat, pauca de multis edicimus, quæ Dominus ad corroborandas mentes carnalium, oculis carneis contuenda, de hoc ipſo corporis ſui, & ſanguinis Sacramento dignatus eſt oſtendere.

Tempore namque, quo beatus Gregorius Romanæ Eccleſiæ Paſtorali curæ deſerviebat, quædam materfamilias religionis ſtudio oblationes facere, & ſummo Pontifici ad Eccleſiam familiariter offerre conſueverat. Quæ cum ex more quadam die ad communicandum de manu Epiſcopi ordine ſuo accederet; & illi Pontifex Dominici portionem corporis porrigeret, dicens: " Corpus " Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit tibi " in remiſſionem peccatorum, & vitam " æternam; ſubriſit. Quod vir Dei intuens, communionem retraxit, & ſeparatim ſuper Altare repoſitam, Diacono ſervandam, dum cæteri communicarent, tradidit. Expletis vero ſacris myſteriis Epiſcopus riſus cauſam requirit. At illa reſpondit, recognoſſe ſe partiunculam illam ex oblatione, quam propriis manibus factam Epiſcopo obtulerat, & quia corpus Domini eam dixerat, in riſum ſe excitatam. Unde facto verbo ad populum, Epiſcopus omnes in commune orationem ad Dominum fundere hortatur, ut ad corroborandam fidem multórum, manifeſto ſuæ virtutis indicio mulieris incredulitatem compeſceret. Quod & factum eſt. Surgentibus autem cunctis ab oratione, & ad decernendum cœleſte ſpectaculum comprimentibus, Dominus Epiſcopus corporalem palam revelat, & univerſo populo & muliere contuente, partem digiti auricularis, ſanguine cruentatam invenit, & converſus ad mulierem dixit: " Vel nunc experta Divinæ vir-" tutis miraculum, ne differas audire ve-" ritatem dicentem: panis, quem ego do, " caro mea eſt, & ſangnis meus vere " eſt potus. Sed præſcius conditor infirmitatis noſtræ, poteſtate, qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus ſibi ex carne Virginis, operante Spiritu Sancto, fabricavit, panem, & vinum aqua mixtum, propria manente ſpecie, in carnem, & ſanguinem ſuum ad Catholicam precem, ob reparationem noſtram, Spiritus ſui Sanctificatione convertit. Denique omnes rurſum in orationem proſtrati, Divinam potentiam exorant, ut ſanctum Myſterium in priſtinam formam convertat, quatenus ad ſumendum mulieri fiat poſſibile. Quod & factum eſt. Conſequuta igitur mulier Dominici corporis participationem, poſtea in Sancta Religione & Fide, & omnes qui aderant, in amore Chriſti, & credulitate ferventes proficiebant.

Alio quoque tempore quidam vir nobiliſſimus, atque juxta ſæculum potentiſſimus, a beato Gregorio reliquias beatorum Apoſtolorum, & Martyrum petiit ſibi transmitti. Erat enim Epiſcopo familiaris, & erga Dei cultum per admonitionem ejus ſufficienter imbutus. Honorifice igitur legatos ſuſcipiens, aliquamdiu morari fecit. Memorias igitur Apoſtolorum, & Martyrum pro hujusmodi negotio agens, dum reliquias conſecran-

dæ

do Miſſarum ſolemnia expleſſet, particulatim pannos, ſuper quibus ſancta cebraverat, dividit, & ſingulis ſingulatim buxtis impoſuit, quas ſigillo munitas legatis tradit: & ſic proficiſcuntur. Qui dum iter carperent, & quid ſecum ferrent, ignorarent; cœperunt curioſius ſe ipſos reprehendere, quod, quid Domino portabant, penitus ignorarent. Quid longius moramur? Fractis ſigillis, & buxtulis, nihil aliud, niſi pannos contemplantur. Indignati igitur Romam redeunt, accuſantes Epiſcopum, quod ſui Domini petitionem, & ſui itineris laborem tam parvi æſtimaſſet, ut pro reliquiis pannos ei miſiſſet, tamquam hujusmodi genus apud ſe non inveniri poſſet. Quorum ſtultitiam Epiſcopus patienter ferens, eos celebrandis Myſteriis jubet intereſſe. Ut autem ad locum ſermonis ventum eſt, ſuadet populo, Dei gratiam, & Sanctorum exorare; ut ſuæ virtutis poteſtatem in hac re dignetur oſtendere, quatenus quid fides mereretur, ignorantes agnoſcerent. Data igitur oratione, & ab eo, qui ſigna fregerat, accepto cultello, ſuper Altare Sancti Petri unum ex pannis per medium pungens ſecavit, ex quo, viſu mirabile! ſanguis defluens, omnem eamdem panni particulam cruentavit. Stupentibus legatis, & cæteris, qui aderant, ſuper arcanum Sacræ Fidei miraculnm, dixit ad eos beatus Epiſcopus, qui ſacras reliquias parvi duxerant: Scitote fratres, quia in conſecratione Dominici corporis, & ſanguinis, cum ob ſanctificationem reliquiarum in honore Apoſtolorum, & Martyrum Chriſti, quibus ſpecialiter aſſignabantur, ſupra ſanctum Altare libamina offerebantur, ſemper illorum ſanguis hos pannos intravit, qui effuſus eſt pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sic itaque ædificatos in fide legatos Sanctus Gregorius ad Dominum ſuum gaudentes remiſit.

Penſate igitur, ſi ſanguis Martyrum Chriſti in eorum memoria pannos intravit; quanto magis ſanguis Chriſti, & corpus in ſe transformat panem ſanctum & vinum, quoties Dominicæ paſſionis memoria agitur. Supereſt aliud dicendum, quod quidem mirificum, & ad incredulitatem malorum confutandam eſt proficuum.

Quidam vir virtute venerabilis PLEXIS nomine, Monachorum gregem cura pervigili ſervabat: cujus de virtutibus, & miraculis eſſet ſatis ad loquendum. Sed quod ad præſens negotium attinens utiliter occurrit, unum audite. Hic dum quadam die ex more Sacroſancto Altari humili devotione adſtaret, & Miſſarum ſolemnia celebrans, Dominici corporis, & ſanguinis veneranda myſteria conſecraret: Ut ventum eſt ad horam fractionis, vidit ſubito, quod & fideliter credendum, & crudeliter ſit admirandum, id eſt, ſanctificati panis portionem in infantem transformari, & Angelum Domini particulatim ipſum dividere; manifeſto veritatis indicio, quia verum Chriſti corpus & ſanguis eſt, quod ſub Sacramento communicandæ carnis, & ſanguinis de Altari ſumimus. Sæpe etiam, dum hæc Sacra Myſteria celebrantur, viſum eſt a pluribus Angelorum choros menſam Altaris, in quo ſancta conſecrantur, ambire, tamquam milites in obſequio ſui Regis adſtantes.

Talibus dictis Domini Epiſcopi, omnes, qui circumſtabant fideles, lacrymis obortis, Dei virtutem, & Dei miſericordiam laudabant. Et converſus ad eos, qui adſtabant hæretica pravitate ſubducti: Dicite, inquit, ſi quid habetis, quo hæc refellenda arbitremini. At illi gravitate verborum, & cœleſtium virtute magnalium ſtupefacti, vultibuſque demiſſis quandam pœnitudinis ſimilitudinem præferentes, & ex alto ſuſpirantes, gemitum una dederunt, dicentes: nihil hic ſe, niſi Divinum audire, & quod ſe mutos, & pene elingues faceret. Corruenteſque in terra, tunſis pectoribus culpam fatentur. Elevantes autem (vocem) Dei ſe patientiam dicunt admirari, qui tamdiu eos ad ignominiam Chriſtiani nominis toleraverat: nullam ſui erroris veniam poſſe ſperare, qui tanto incredulitatis profundo non ſe ſolos immerſerant, ſed & alios quamplures ejuſdem ruinæ præcipitio necaverant. Quibus Epiſcopus ait: qui lapſis huc uſque veniæ ſemitam interdixiſtis, nec ullum in pœnitentia reconciliationis fructum ſperandum judicaſtis, durum eſt id vobis ſpectare ab eo, qui peccantes vocat in pœnitentia, & gaudet potius ſuper uno pœni-

pœnitente, quam ſupra nonaginta novem juſtis; niſi melioris fidei pretio id ab eo ſtudueritis quærere, qui certe pœnitentibus ſemper ſuæ miſericordiæ ſinum paratus eſt aperire. Si autem perfidiæ veſtræ duritiam Catholicæ fidei perceptione rejicitis, & depoſito incredulitatis rigore fidei Chriſtianæ documenta ſuſcipitis, confidenter vobis a Deo veniam promitto.

CAPTUT III.

De Sancta Eccleſia, quæ eſt domus Dei.

Sed latere in vobis adhuc quaſdam infidelitatis tenebras ſentio, quas dum in cordibus veſtris manere permiſeritis, nullam ſupernæ lucis viſitationem ſperare poteſtis. Hæ ſunt enim tenebræ, quæ vos infidelitatis cæcitate damnatos contra Dei Eccleſiam erigere, & domum Dei vivi ignominioſis verborum ictibus impugnare faciunt, dicentes, in templo Dei nihil eſſe, quod ſit aliquo cultu religionis dignum magis, quam proprii domicilii cubiculum, nihilque in eo ſanctum, præter cæmenta & lapides, artificum opere digeſtos: ſed & menſam Domini, in qua corporis & ſanguinis ejus libamina offeruntur, nullum in ſe aliud, præter acervum lapidum, retinere Sacramentum. De quibus ſi ea, quæ paulo ante de corpore & ſanguine ejus præmiſimus, fideliter tenentur, nihil eſt, quod humana mens jure dubitare poſſit. Sicut enim Dominus & Redemptor noſter in his ſacrificandis myſteriis, quibus ex rebus conficerentur ſpecialiter, quibusve miniſtris conſecrarentur, elegit, id eſt, in Eccleſia ſancta, quæ domus Dei ſpecialiter appellatur, quia veri ſacrificii extra Catholicam Eccleſiam non eſt locus. Hic enim (locus) divinis cultibus agendis eſt conſecratus, de quo ipſe Dominus ait: *Domus* (c) *mea domus orationis vocabitur.* In hoc enim quadrageſimo ſuæ nativitatis die puer cum hoſtiis offerri voluit: in hoc eum Simeon longi deſiderii compos ſuſcepit: In hoc Anna Propheteſſa Redemptorem Iſraël cognovit: cui quidem ad inſigne ſancti propoſiti & vidualis caſtimoniæ conſtantiam hoc ſingulariter ex evangelica lectione crevit in laudem, quod non diſcedebat de templo. Denique Dominus duodennis puer, ignorante matre & cognatis, remanſit in templo. Unde ipſe requirentibus ait: *Quid* (d) *eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Appropinquante vero hora paſſionis ſuæ, Jeroſolymam adiens, ſtatim intravit in templum, formam nobis religioſæ converſationis, quam ſequi debeamus, oſtendens, videlicet, ut cum oppidum, aut caſtellum, ſive aliquem locum, ubi domus orationis Deo ſit conſecrata, ingredimur, prius ad illam feſtinare debemus, ubi orationis noſtræ vota ſolventes, noſmetipſos Deo commendemus. Ingreſſus igitur in templum, cœpit ejicere vendentes in eo & ementes, dicens: *Domus mea domus orationis eſt.* Domus illa Dei ad hoc a Salomone primum, & poſtea a Jeſu Sacerdote, & Zorobabel conſtructa fuerat, non quod Deus in manufactis templis habitet; ſed ut ibi nomen ejus invocaretur, ibique devotæ plebis orationes audiret, vota ſuſciperet, munera & orationes acceptaret. De quo paulo poſt Evangeliſta dicit: *Quia* (e) *acceſſerunt ad eum cæci & claudi, & curavit eos in templo.* Ejectis namque indignis, & profanatoribus templi, cæcos & claudos in eo ſanavit: non quod in platea, aut civitate curationis ei gratia defuiſſet; ſed certa cauſa myſterii ſuæ virtutis potentiam exercuit; ut profecto oſtenderet, præter Eccleſiam nemini locum patere ſalutis, (&) iſtum eſſe locum, in quo uberius divina beneficia quærentibus donantur. In hoc publicanus peccator advenit, juſtificatus rediit. De hoc etiam dicit liber Apoſtolorum, quia *quotidie* (f) *perdurabant unanimiter in templo.* Et paulo poſt: *Petrus* (g) *& Joannes aſcenderunt in templum ad horam orationis nonam.* De hoc Dominus dicit: *Duo* (h) *homines aſcenderunt in templum, ut orarent.* Porro infirmus, quem diuturno languore tabeſcentem, Dominus ſanaverat ſuper probaticam piſcinam, ſuæ ſalutis autorem nequaquam agnoſcere potuit in turba ſedentem, donec eum JESUS invenit in templo, ibique ſe recognoſci voluit: aper-

(c) Luc. XIX, 46.
(d) Ibidem II, 49.
(e) Matt. XXI, 14.
(f) Act. II, 46.
(g) Ibidem III, 1.
(h) Luc. XVIII, 10.

aperte docens, ut ſi gratiam conditoris noſtri cognoſcere, & ad ejus viſionem deſideramus pervenire, confugiamus devoti ad templum Dei, ubi illi de perceptis beneficiis gratias agere, & de percipiendis exorare ſatagamus, nosque ipſos templum Dei, in quo miſericorditer venire, & manſionem facere dignetur, præparare curemus.

Hæc ſemper familiaris fuerat conſuetudo Domini, ut in quamcunque civitatem introiſſet, ſtatim diverteret in templum. Unde Joannes Evangeliſta: *Perrexit JEſus* (i) *in montem Oliveti, & diluculo iterum venit in templum.* Et Lucas Evangeliſta: *Intravit* (k) *JESUS ſecundum conſuetudinem in ſynagogam, & ſurrexit legere.* Ubi audis ſynagogam, templum intellige, ubi conventus Judæorum erat. Hæc ſemper Domino ſedes gratiſſima fuerat, adeo, ut in eam ſemper ingrediens, ſermonem facere ad populum, ac divinitatis ſuæ Sacramenta pandere dignaretur. Unde licet nullum locum vacare a præſentia Majeſtatis ejus ſciamus, in hac tamen præſentius, atque uberius ſuæ gratiæ beneficia petentibus tribuit, ubi corporis ejus & ſanguinis ſacroſancta myſteria celebrantur, & laudes divinæ, & vota ſolvuntur. In templo Dominus Salomoni in nube gloriæ ſuæ apparuit, dicens: ſe ibi petentibus daturum cujuscunque tribulationis, & anguſtiæ remedium, & contra tempeſtates & mortalitatem, adverſus gladium & famem, ſiccitatem & omnem intemperiem aeris, quidquid ibi a petentibus quæreretur, effectum Dei gratia præſtaret. Quotidie certe Dominus ſanctam ſpiritualiter intrat Eccleſiam, non quod ibi altitudine murorum, aut varietate pavimentorum delectetur; ſed quia ibi fit conventus fidelium: ibi grates pro largitis beneficiis a fidelibus accipit: Hymnos & Cantica ſpiritualia, & devotæ laudis ſacrificia ſuſcipit, & ſancta corporis ſui & ſanguinis ſui commercia tribuit. Poſtremo Lucas ad Theophilum ſcribens, ait; quia *Dominus JESUS poſt* (l) *paſſionem ſuam diſcipulis ſe ipſum vivum præbuit in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Quid eſt loqui de regno Dei, niſi de ſtatu Eccleſiæ, quæ regnum dicitur Dei, ordinare?

Igitur quod congeſtis lapidibus domum Dei, quam nos Eccleſiam nominamus, fabricatam, nihilque ſanctum ex ea lapidea materia trahere in ſe contenditis, & ideo nihil differre, quin in domiciliis, & privatis manſionibus veſtris orationes factæ tantum valeant, quantum & in templo Sancto Dei; adverſus hæc conſiderare oportet, cur Dominus tanto cultu tabernaculum fœderis ſibi per Moyſen juſſit fieri, in quo poſthabitis cæteris omnibus locis, ſpecialius gloria ejus apparuerat, ibique ſingulariter in rebus dubiis conſultus, judicia & legem filiis Iſrael expoſuerat. Unde & Apoſtolus ad Corinthios ait: *Numquid* (m) *non habetis domos ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis.* Et paulo poſt: *Itaque* [n] *fratres mei*, inquit, *cum convenitis ad manducandum, invicem exſpectate. Si quis autem eſurit, manducet, ut non in judicium conveniatis.* Monſtrante itaque Paulo, propterea convenimus ad Eccleſiam, ut oremus, & manducemus cœnam Domini. Duo audiſtis, cur conveniat populus ad Eccleſiam: unum ex antiqua traditione, ut judicia rerum, & cognitiones accipiat: alterum ex novo Teſtamento, ut manducet corpus Chriſti. Utraque enim quærimus ad Eccleſiam, ſcilicet, ut in ea audiamus judicia noſtra mala, ſive bona, & cognitionem Dei, & ut manducemus corpus Chriſti. Quia vero quidam viri comam nutriebant, & mulieres nudato capite procedebant in Eccleſiam, glorantes in crinibus, quod non ſolum inhoneſtum erat, ſed etiam concupiſcentiæ fomenta præſtabat; ab hac conſuetudine Apoſtolus eos compeſcens, dicebat: *Decet* [o] mulierem non velatam in Eccleſia orare Deum? Nec ipſa natura docet vos, quod vir quidem, ſi comam nutriat, ignominia eſt illi; mulier vero ſi comam nutriat, gloria eſt illi?

Denique beatum Urbanum martyrem [ſi vere Martyres creditis debere imitari] audire vos oportet, qui domum ſanctæ Cæciliæ ſanctæ Eccleſiæ nomini dicavit. Unde Doctor egregius Auguſtinus in Pſalmo LXXX. "Hæc, quæ " exſtruuntur ad tempus, ad recipienda " corpora, vel vivorum vel mortuorum, " neceſſaria ſunt, ſed tempori prætereunt.

(i)
[k] Luc. IV, 16.
(l) Act. I, 3.
(m) I. Corinth. XI, 22.
(n) Ibidem v. 33. 34.
(o)

" eunt. Numquid post judicium Dei " istas fabricas in cœlum levabimus? Si- " ne his tamen hoc tempore, quæ ad " possidendum cœlum pertinent, agere " non poterimus. Porro ipsa domus idcirco vocabulum habet Ecclesiæ, quia continet Ecclesiam, id est, populum convocatum ab eo, qui facit unanimes habitare in domo. Quæ ideo sanctificatur ab Episcopo, ut in ea velit esse adventus Angelorum, & homines in eam introeuntes ab omni turpiloquio, & scurrilitate, & inutili cogitatione norint se continere. Audiant, qui intrant Ecclesiam, quod audivit Moyses, quando voluit visere rubum ardentem: & Dominus, *Ne* (p) *appropies*, inquit, *huc: solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Et Angelus ad Josue: Solve, inquit, calceamentum de pedibus; locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et Apostolus ait: *templum* (q) *enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Intrantes igitur domum Dei, Ecclesiam, ubi Dominus, & Angeli ejus sunt, oportet nos exuere mortuæ actionis calceamentis, & cogitare de conversatione Angelorum, & de præsentia Majestatis Dei, & assiduis Hymnis & Psalmis spiritualibus invocare nomen Domini, ut illud compleatur in nobis, quod ait Psalmista: *Confirma* (r) *hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.*

CAPUT IV.

De sacro Altari.

Quod autem de mensa Domini, & de materiali structura ejus, fabulas fingitis, quod nihil aliud sit, nisi acervus lapidum, & ideo inani religionis officio illam venerari: non est vox ista hominum, sed diaboli; cum nullus sit locus in orbe alius, ubi legitime veneranda corporis ejus & sanguinis libamina queant sanctificari. Nescit enim crucis pretium, qui non credit manere in altari cœleste mysterium. Altare de terra Dominus per Moysen sibi fieri instituit, super quod holocausta & sacrificia offerri debuissent: de quo liber Leviticus testatur, quia præceperat eidem Moysi Dominus, ut poneret Sacerdos, qui unctus erat, de sanguine hostiæ super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod erat in tabernaculo testimonii. Quod quidem altare in tabernaculo novo, id est, in sancta Ecclesia, imaginem corporis Christi & sepulcri tenet, in quo sanguis vere agni, & immaculati Christi quotidie a fidelibus immolatur, qui seipsum pro nobis obtulit hostiam Deo Patri. Hoc quidem primo a Patriarchis, postea sicut diximus, a Domino per Moysen consecratum est. Nam legimus, quia Noe post diluvium *ædificavit* [s] *altare Domino, & tollens de pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super eum, odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* Similiter & Abraham, Isaac & Jacob. Qui Jacob egressus de Bersabee, vidit scalam a terra cœlos usque eminentem, per quam Angelos Dei ascendentes, & descendentes, ipsum etiam Dominum loquentem sibi, vidit. Qui mane exurgens: *Vere*, inquit, (t) *Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pavensque, quam terribilis est*, inquit, *locus iste: non hic est aliud, nisi domus Dei, & porta Cœli. Surgens ergo mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum; fundensque oleum desuper, vovit Domino*, ibique decimas, & hostias obtulit: ad cujus instar adhuc in sancta Ecclesia oleo sacro Altaria perunguntur. De hoc Dominus in Evangelio dicit: *Si* (u) *offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum.* Et alibi: *Quid*, inquit, (v) *majus est, donum, an Altare, quod sanctificat donum?* De hoc Lucas ait: *Quia dum* (w) *Zacharias Sacerdotio fungeretur in templo, Angelus Domini apparuit ei, stans a dextris Altaris incensi.* Et Joannes in Apocalypsi: *Vidi*, inquit (x) *sub Altare Dei animas interfectorum.* Et iterum: *Alius* [z] *Angelus venit, & stetit ante Altare, habens thuribulum aureum, & data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum super Altare, quod erat ante thronum.* Et paulo post: *Accepit*, inquit, (a) *Angelus thuribulum, & implevit illud de igne Altaris.*

De

(*p*) Exod. III, 5.
(*q*) I. Corinth. III, 17.
(*r*)
(*s*) Genes. VIII, 20. & 21.
(*t*) Ibidem 28, 16, & seq.
(*u*) Matth. V, 23.
(*v*) Ibidem XXIII, 19.
(*w*) Luc. I, 11.
(*x*) Apocal. VI, 9.
(*y*) Ibidem VIII, 3.
(*z*) Ibidem v. 5.

De Thymiamate.

Quoniam de ſacro altari verbum facientes, thymiamatis quoque & incenſi mentionem fecimus, quorum uſum & in cœlis angelico miniſterio, & in terris per antiquos & novos Patres obſervari legimus, talem ex hoc divinæ inſtitutionis auctoritatem habemus. Porro inter cætera, quæ ad cultum tabernaculi facienda Dominus conſtituerat, hæc quoque juſſit Moyſi, dicens: *Facies (b) mihi altare ad adolendum thymiama de lignis Sethim.* Et iterum: *Pones (c) altare contra velum, quod ante arcam pendet coram propitiatorio, ubi loquar tibi, & adolebit incenſum ſuper eo Aaron, ſuave flagrans mane, Quando componet lucernas, incendet illud, & quando collocat eas ad veſperum, uret thymiama ſempiternum Domino.* Dehinc in ſequentibus ait: *Sume (d) tibi aromata, & ſtacten, & onyca, galbanum quoque boni odoris, & thus lucidiſſimum,....faciesque thymiama compoſitum opere unguentarii mixtum diligenter, & purum, & ſanctificatione in remiſſionem, prædicare (e) annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Et paulo poſt intendentibus in eum dicit: *Quia (f) hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.* Sed & Paulus, qui ſemper a veteribus nos docet tranſire ad nova, multa de Moyſe & Prophetis & Pſalmis ſuis ſcriptis inſerit, ut eſt illud in Geneſi: *Factus (g) eſt primus homo Adam in animam viventem.* Quid igitur? Numquid vetus teſtamentum reprobaſſe dicendus, qui in Epiſtola ad Hebræos ita ſcribit: *Tabernaculum (h) factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quod dicitur ſancta: poſt velamentum autem ſecundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam omni parte auro.* & cætera, quæ in eadem Epiſtola de veteri teſtamento proſequitur.

Igitur nos ſanctorum Patrum exempla ſervantes plurima ab illo veteris obſervantiæ cultu in miniſterium novi teſtamenti per miniſtros Eccleſiæ tractanda, Apoſtoli & eorum ſucceſſores tranſtulerunt, ut eſt hæc ipſa, de qua loqui incœpimus, ſacri chriſmatis atque olei unctio, de qua olim Sacerdotes & Reges, jubente Domino, ungebantur. Nam in Exodo ſcriptum eſt, ut populi offerant oleum, dicente Domino: *Præcipe (i) filiis Iſrael, ut offerant tibi oleum de arboribus olivarum puriſſimum.* Nam ut ipſe Iſidorus ait: *Olea ipſa arbor eſt, fructus oliva, ſuccus oleum.* Eſt autem olea arbor pacis inſignis, & habet pinguedinem, qua laſſi atque infirmi artus recreantur, & gratia præſtatur luminis; cujus ſuccus, dum offertur a populo, ſimplex liquor eſt, per benedictionem vero Sacerdotum transfertur in Sacramentum, ſicut de aqua baptismatis ante docuimus. Animales autem hæc non poſſunt percipere, ſed fides ſapiat, quod carnei oculi non poſſunt contemplari, ut fiat illud, quod ait Apoſtolus: *Inviſibilia (k) ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* Unde Beatus Auguſtinus in Pſalmo XLIV. explanat: oleum viſibile in ſigno eſt, oleum inviſibile in Sacramento eſt. Oleum ſpirituale inviſibile eſt. Poteſt Deus per ſe oleum ſpirituale tribuere ſine corporali, ſed propter animales aguntur viſibilia, ut inviſibilia facilius capiantur. Apoſtoli denique hac arte olei utebantur in redintegratione infirmorum & Apoſtolici viri in conſignatione neophytorum. Sic enim ſcriptum eſt in Evangelio: *Exeuntes (l) prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia ejiciebant, & ungebant oleo multos infirmos & ſanabant.* Unde ait Apoſtolus Jacobus: *Infirmatur (m) quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Unde patet & ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctæ Eccleſiæ morem traditum

[b] Exod. XXX, 1.
(c) Ibidem v. 6. & ſeq.
[d] Ibidem v. 34.
(e) Luc. IV, 19.
[e] *Prædicare.* Hic deeſſe non pauca miror Acherium non intellexiſſe. Nam ex ſequentibus liquet, Gerardum, cum de thymiamate dixiſſet, ſermonem inſtituiſſe de ſacro oleo, cujus uſum cum illi objeciſſent non niſi in veteri teſtamento reperiri; ita reſpondet: ex illo non pauca in novum teſtamentum eſſe translata.
(f) Ibidem v. 21.
(g) I. Corinth. XV, 47.
(h) Hebr. IX, 2.
(i) Exod. XXVII, 20.
(k) Roman. I, 20.
(l) Marc. VI, 12.
(m) Jacob. V, 14.

ditum, ut energumeni, & alii quilibet ægroti ungantur oleo pontificali benedictione consecrato; consignantur etiam, ut diximus, neophyti de eo, ad cujus exorcismum jubetur diabolus recedere a catechumeno, qui adhuc pro mortuo deputatur, quia nondum est baptizatus. Chrismatis autem unctio sanctificat viventem ex mortuis, & Spiritus Sancti gratiam in filium adoptionis invitat.

Porro in veteri testamento Aaron a Moyse unctus est, & filii ejus, qui in tabernaculo Dei ministraturi fuerant, sicut Dominus loquutus est ad Moysen, dicens: *Accipe* (n) *Aaron, & filios ejus, & applicabis ad ostium tabernaculi testimonii; cumque laveris patrem cum filiis aqua, indues Aaron vestimentis suis, & oleum unctionis fundes super caput ejus.* Et iterum: *Pontifex, id est, Sacerdos* [o] *maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, & cujus manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino. Super patre quoque suo, & matre non contaminabitur, nec egredietur de Sanctis, ne polluat Sanctuarium Dei, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est.* Unde Psalmista ait: *Unxit te Dominus* (p) *Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quando consortes nominavit, quos alios intuebatur, nisi Episcopos, quos Christi vicarios spiritu Prophetico ad regendam sanctam Ecclesiam prævidebat, qui hanc unctionis gratiam ab eo accepturi erant, qui est verus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech? Porro caput nostrum Christus est, ideo Pontifex in capite ungitur, qui Christi vicarius efficiter. Imitando enim illum, qui est totius caput Ecclesiæ, per hoc unctionis mysterium fit & ipse caput Ecclesiæ sibi commissæ. Et sicut Christus pro universa interpellat Ecclesia, ita Episcopus pro sibi commissa. In eo autem, quod ait Propheta, unctum Christum præ consortibus suis, spiritualis gratiæ donum, quo Christus præ consortibus, id est, cæteris Sanctis, unctus est, insinuat. Cujus unctio illo expleta est tempore, quando baptizatus est in Jordane, & Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit super eum, & mansit in illo. In eo vero, quo Christi consortes unctos oleo dixit, materialis unctionis gratiam, qua vicarii Christi, id est, Pontifices perfunduntur, insinuat. Nam si sacerdotalis gratiæ unctionem singularem solus sibi Christus retinuisset, nequaquam Apostolus hanc cæteris gratiam inesse doceret, cum ait: *Plures* [q] *facti sunt Sacerdotes secundum legem, idcirco quod morte prohiberentur permanere.*

Igitur hunc unctionis morem in ordinandis Episcopis sancta adhuc servat Ecclesia: ipsi etiam Episcopi in consecrandis Presbyteris, manus eorum ungunt de oleo, ut mundi sint ad offerendum Deo hostias, & largi ad cætera officia pietatis. Utrumque enim designatur per oleum, & gratia curationis, & charitas dilectionis, de qua Apostolus ait: quia *Charitas* (r) *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Si quis autem objiciat: Cum Deus sine oleo possit sanare infirmos, effugare dœmones, sanctificare suos, quare tanto studio observatur cultus consecrationis olei? Respondemus: Nonne antiqui justi potuerunt Deo placere sine circumcisione? Potuerunt utique; sed postquam eis præceptum fuit, ut circumciderentur, nisi ita agerent, peccati vinculis tenebantur. Unde beatus Augustinus ait: Antiqui justi, si non circumciderentur, non erat eis peccatum; postea vero quam jussit Deus circumcidi Abraham, ejusque posteritatem, jam nisi fieret, grave peccatum fuit.

CAPUT V.

De signis.

Signorum quoque usus a veteri testamento sumptus est. In quo per Moysen Dominus jussit fieri tubas argenteas ductiles; quam dum Levitæ tempore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus commonitus, ad tabernaculum fœderis ad adorandum festinarent, quarum etiam clangore hortatus ad bellum tela prosterneret adversantium, & fortitudo inimicorum eo sono exterrita in se deficeret. Nam legimus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum muri Jerico, quibus adversantium cingebatur

(n) Exod. XIX, 4. Ibidem v. 5. (o) Levit. XXI, 10. (p) Psalm. XLIV, 8.
(q) Hebr. VII, 23. (r) Rom. V, 5.

gebatur exercitus, corruerunt. Ad hunc modum in ſancta Eccleſia hodie tintinabula fiunt, ut per illorum tactum fideles ad gremium matris Eccleſiæ invitentur, ut depoſitis curæ ſæcularis occupationibus diſcant ſe armare adverſus ſpirituales incurſus. Et ſicut fit, ut audita bellica tuba milites ad prælium animoſius accendantur, hoſtilis impetus formidine fuſus diſpergatur; ita exterritis turbis nocentibus confortetur ad Dominica bella per ſignum populus evocatus, & procul pulſis aëreis poteſtatibus, conventus Eccleſiæ manu Angelica ſervetur.

CAPUT VI.

De ſacris Ordinibus.

Veniendum eſt autem ad ſacratiſſimos ordines, quos veſanæ mentis pertinacia vos ejicere audivimus. De quibus primo notandum eſt; quia eos, qui magis ſunt in Eccleſia neceſſarii, Apoſtolus denominat, & eorum mores depingit, ſine quibus non poteſt rite immolatio altaris celebrari, id eſt, Levitas, & Sacerdotes. Ut enim ſine retractatione Sacerdos circa hoſtias vigilet, neceſſarius eſt Diaconus ad miniſtandum ea, quæ neceſſaria ſunt Sacerdoti. Cæteri ordines his ſubjecti ſunt: creſcente namque Eccleſia, crevit officium Eccleſiaſticum; ut enim multitudini Eccleſiæ ſubveniri poſſit, adjiciuntur inferiores in adjutorio præpoſitorum. De quibus ſunt Oſtiarii, id eſt, janitores, qui pervigili cura ſanctæ Eccleſiæ januam ſervant, & theſauros domûs Dei cuſtodiunt, per quos acceſſum habemus in templum Domini, qui ait: *Ego* (s) *ſum oſtium.* Hi ſuſcipiunt eos, quos prærogativa fidei invitat, & excludunt illos, qui ab unitate disjuncti ſunt, quibus dicturus eſt Dominus: *Neſcio vos.* Poſt inſtituuntur Lectores, id eſt, Dominici verbi relatores, de quibus Apoſtolus ait: *Alii* (t) *datur ſermo ſapientiæ ſecundum eumdem ſpiritum.* Hi ſunt, qui diſtincte, atque ordinate modulantes in Eccleſia, ſanctis moribus fideles inſtruunt. Deinde ſunt Exorciſtæ, qui per impoſitionem manuum, & benedictionem Sacerdotum ſumunt poteſtatem abjiciendi ſpiritus immundos, & gratiam curationum; de quibus Dominus in Evangelio: *In nomine* [u] *meo dæmonia ejicient.* Quam effugandorum dœmonum poteſtatem nulla manuum impoſitione, aut ſacerdotalis benedictionis prærogativa donati olim quidam uſurpare volentes, ab obſeſſis corporibus dœmones per exorciſmum tentabant ejicere, ſicut de filiis Scevæ Judæi liber Apoſtolorum commemorat. Qui cum in nomine JESU, quem Paulus prædicabat, ſpiritus immundos exorcizarent, concito indignantis ſpiritus furore vexati, temeritatisque auſum ultore ſpiritu luentes, audierunt increpantis reſponſum hoc modo: *JESUM novi,* [v] *& Paulum ſcio; vos autem qui eſtis? & continuo inſiluit in eos ſpiritus immundus.* Quibus illa ſui pœna furoris ſane dedit indicium, quia non erant ex eorum numero, quibus hoc donum gratiæ auctoritate ſacerdotali præſtitum fuerat. Hos ſequuntur Acolythi, id eſt, ceroferarii, qui ignem verbi cœleſtis, quo illuminentur fratres ad agnoſcendum, & inflammentur ad diligendum Deum, prædicando miniſtrant. Subdiaconi vero hi ſunt, qui oblationes a populis in templo Domini ſuſcipiunt, & officiis deſerviunt Levitarum: in offerendis vaſis corporis & ſanguinis Domini, & in adminiſtrandis his, quæ aguntur circa altaris officia.

Cui vero otium fuerit vetus teſtamentum revolve, inveniet ab eo hos ſumſiſſe exordium, nec minus etiam eos, qui ſuperſunt, id eſt, Levitas & Sacerdotes, quorum gradus quia altior eſt, paulo plus in eis nobis eſt immorandum. Nam ſicut liber Numerorum refert: Loquutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Applica tribum Levi, & fac ſtare in conſpectu Aaron Sacerdotis, ut miniſtrent ei, & excubent, & obſervent, quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo teſtimonii, & cuſtodiant vaſa tabernaculi, ſervientes in miniſterio ejus. De his ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum: *Quia convocantes* (w) *duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo*

(s) Joan. X, 9. (t) I. Cor. XII, 8. (u) Matth. VII, 22.
(v) Act. XIX, 15. (w) Act. VI, 2. & ſeq.

ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu Sancta, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus; nos vero orationi, & miniſterio verbi erimus inſtantes. Et placuit ſermo coram multitudine, & elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu Sancto, & Philippum, & cæteros, quos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus. Ex hinc jam decreverunt Apoſtoli, vel ſucceſſores Apoſtolorum, per omnes Eccleſias ſeptem Diacones, qui ſublimiori gradu cæteris circa aram Chriſti quaſi columnæ Altaris aſſiſterent. De his Paulus, cujus vos doctrinam tenere dicitis, ſcripſit ad Timoteum. Nam cum præmiſiſſet Epiſcopopum debere irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, moribus ornatum, continuo intulit: *Diaconos* (x) *ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura: Et hi probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.*

Presbyterorum ordo quoque exordium ſumpſit a filiis Aaron, qui tunc Sacerdotes vocabantur in veteri teſtamento, nunc autem Presbyteri vocantur. Porro hi præſunt Eccleſiæ Chriſti, & in confectione corporis, & ſanguinis Domini conſortes cum Epiſcopis ſunt, ſimiliter, & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. De his Paulus Apoſtolus ſcribit ad Titum: *Hujus*, inquiens, (y) *rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, quemadmodum ego tibi diſpoſui, ſi quis ſine crimine eſt.* Et in prima ad Timotheum Epiſtola: *Noli*, inquit, (z) *negligere gratiam, quæ in te eſt: quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.* Igitur cum Presbyteri ordinantur, per impoſitionem manuum Sacerdotalis gratiæ donum ſuſcipiunt. De quibus in libro numerorum ſcriptum eſt: *Congrega* (a) *mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint ac Magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciesque ibi ſtare tecum, ut deſcendam, & loquar tibi, & auferam de Spiritu tuo, tradamque eis.* Et paulo poſt: *Deſcendit Dominus per nubem, & loquutus eſt ad eum, auferens de Spiritu, qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris.* De his etiam in actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, quod cum veniſſet Paulus Apoſtolus Miletum, miſerit Epheſum, & vocaverit Presbyteros ejuſdem Eccleſiæ, quibus inter cætera ait: *Attendite* (b) *vobis, & omni Gregi, in quo vos Spiritus poſuit paſcere Eccleſiam Domini, quam acquiſivit per ſanguinem ſuum.* Sed & Petrus in prima Epiſtola, *Presbyteros* (c) inquit, *qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, & ejus, quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator: Paſcite, qui eſt in vobis, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum, non turpis lucri gratia, ſed voluntarie; neque ut dominantes in Clerum, ſed forma facti gregis ex animo; & cum apparierit Princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.*

Denique Pontificalis Sacerdotii ordo initium ſumſit ab Aaron, ſicut dicit Iſidorus, quanquam & Melchiſedech prior obtulerit ſacrificium, & poſt hunc Abraham, Iſaac, & Jacob: Sed iſti ſpontanea voluntate, non Sacerdotali auctoritate iſta fecerunt. Cæterum Aaron primus in lege Sacerdotale nomen accepit, primuſque Pontificali ſtola indutus victimas obtulit, dicente Domino ad Moyſen: *Accipe*, inquit, (d) *Aaron, & filios ejus, & applicabis ad oſtium tabernaculi. Cumque* (e) *laveris patrem, cum filiis aqua, indues Aaron veſtimentis ſuis, id eſt, linea & tunica, & ſuperhumerale, & rationale, quod conſtringes balteo: Et pones tiaram in capite ejus, & laminam ſanctam ſuper tiaram, & oleum unctionis fundes ſuper caput ejus.* In novo autem teſtamento poſt Chriſtum Pontificalis ordo a Petro cœpit: Ipſi enim primum datus eſt Pontificatus in Eccleſia Chriſti, ſicut dicit Dominus: *Tu* (f) *es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hic ergo ligandi ſolvendique poteſtatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute prædicationis adduxit. Siquidem, & cæteri Apoſtoli cum Petro pari conſortio honoris, & poteſtatis acceperunt, & ipſis Apoſtolis ordinantibus

(x) I. Timoth. III, 8. &c.
(y) Tit. I, 5. & 6.
[z] Tim. IV, 14.
(a) Num. XI, 16. & 17.
(b) Actor. XX, 28.
(c) I. Petr. V, 1. & ſeq.
(d) Exod. XIX, 4.
(e) Ibidem v. 5.
[f] Matth. XVI, 18.

bus ſucceſſerunt Epiſcopi, qui ſunt conſtituti per mundum in ſedibus Apoſtolorum, qui non jam ex gente carnis, & ſanguinis eliguntur ſicut primum, ſed pro uniuscujusque merito, quod in eum Divina gratia contulit.

Quod autem per manus impoſitionem a præceſſoribus Dei Sacerdotibus Epiſcopi ordinantur, antiqua inſtitutio eſt. Sic enim Patriarcha Jacob manuum ſuper caput Jacob imponens benedixit ei: Similiter Jacob filiis ſuis. Moyſes ſuper caput Joſue manum imponens, dedit ei Spiritum virtutis, & ducatus in populo Jſraël. Sic & ſuppletor legis, & Prophetarum Dominus noſter Jeſus Chriſtus Apoſtolos benedixit. Et in actibus Apoſtolorum ex præcepto Sancti Spiritus Paulo, & Barnabæ Apoſtolis manus impoſita eſt in Epiſcopatum, & ſic miſſi ſunt ad evangelizandum. Caput enim principale mentis deſignat; & ſicut mente corpus regitur, ita per Epiſcopos Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti, regitur. De his Paulus Apoſtolus ad Titum: *Oportet*, inquit (g) *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem.* Et ad Timotheum ait. *Si* (h) *quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem.* Et item: *Admoneo* (i) *te, ut reſſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum.* Jam vero, quod ſæculares viri nequaquam ad miniſterium Eccleſiæ aſſumantur, eadem Apoſtolica Auctoritas docet, & dicit: *Manus* (k) *nemini cito impoſueris.* Et iterum: *Non* (l) *Neophytum, ne in ſuperbiam elatus.* putet ſe non tam miniſterium humilitatis, quam adminiſtrationem ſæcularis poteſtatis adeptum, & in condemnationem ſuperbiæ ſicut diabolus per jactantiam dejiciatur. Non enim valebit ſæcularis homo Sacerdotii Magiſterium implere, cujus nec officium tenuit, nec diſciplinam cognovit, ſed neque docere poteſt, quod non didicit.

Quod cum ita ſit ſtultum, & cunctis Catholicis abominabile ſit, quod putatis vos poſſe dare quod non accepiſtis: nec quibus in locis: nec quibus miniſtris detur aliquod gratiæ donum, differentiam facitis, ſed in lucis, aut etiam inrra pudenda ſepta latrinarum veſtras phantaſias, atque ſacrilegas incantationes, quaſi quoddam ſanctificationis myſterium, ſuper eos agitis, quos erroris veſtri conſortio admiſcere poteſtis. Qua in re Paulum Apoſtolum, quem veſtrum Doctorem mentimini, veſtrum potius ſentietis accuſatorem; qui ad Timotheum ſcribens, ait: *Certa* (m) *bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem.*

CAPUT VII.

De ſepultura.

De ſepultura etiam, quam præter ullum ſalutis compendium avaritiæ Sacerdotum adſcribitis, ſermocinabimur. Aſſeritis quidem nihil differe, utrum mortui in atriis domus Domini, an aliis in quibuslibet locis ſepeliantur, fingentes nullum prætendi myſterium ſanctitatis, præter quod de ipſo pretio Sacerdotes ſibi coacervant pecuniam. Sed ſi ſanctæ Matris Eccleſiæ ſinum fidelibus vivis derogare præſumitis, nec mirum, ſi vultis derogare & defunctis. Verum quia de Eccleſia ſuperius certiſſime tractavimus: de ſepultura etiam aliquid diſſeramus. Porro cum fideles Chriſtiani temporalem vitam in unitate Spiritus Sancti ſub Myſterio Catholicæ Fidei in hac temporali Eccleſia communiter exigunt, ut per hanc ad cœleſtem perveniant, ubi, rogo, debent corpora eorum poſt reſolutionem rectius, quam in ſinu Matris Eccleſiæ tumulari? Sicut enim temporali Eccleſiæ temporaliter vivendo per fidem adhærent, ita & temporaliter moriendo in ſinu ipſius requieſcunt, diem videlicet reſurrectionis, & intemporalis Eccleſiæ gloriam exſpectantes. Hæc eſt enim mater credentium, quæ natos ad mortem regenerat ad immortalitatem, quæ filiorum corpora ſervat ſane ad tempus ſopita, in generali tamen reſurrectione ad immarceſſibilem gloriam ſuſcitanda. Si ergo in tanto lumine veritatis caliginem erroris non deponitis, dicite, unde ſpirirus æternæ vitæ vobis promittitis. In Sancta quippe Eccleſia Deo renati offerimur; & per ipſam juxta piæ converſationis qualitatem ad æternitatem tendi-

[g] Tit. XVII. (h) I. Timoth. III, 1. & 2. (i) Tim. I, 6.
(k) I. Tim. V, 22. (l) Ibidem III, 6. (m) II. Tim. VI, 12.

tendimus. Cœterum cum resolvimur, in ipsa sepulti quiescimus, & juxta speciem mortis imitamur futuræ beatitudinem resurrectionis.

Qui ergo hoc Christianæ fidei unicum pignus non amplectitur, a compage corporis Christi proculdubio divellitur. Ad hujus vero fidei unitatem Pater Abraham se noverat colligendum, cum ab Ephron duplicem speluncam emeret; quam etsi sine pretio posset habere, tamen ne cum improbis videretur participari, æstimavit potius comparare. Ibi nimirum saram uxorem sepelivit, & ipse postea sepultus est, nec non Isaac cum Rebecca. Illuc etiam Jacob, cum in Ægypto mori debuisset, filios suos sepeliendum se reportari commonuit. Joseph vero filius suus antequam moreretur, quodam Prophetico contuitu dixit ad fratres suos: *Post* (n) *mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere faciet de terra ista ad terram, quam juravit Abraham, Isaac, & Jacob patribus nostris. Cumque ascenderitis, asportate vobiscum ossa mea de loco isto*, ad patriam videlicet sepulturam. Quod & isti fecerunt. Tobias vero vir plenus Spiritu Sancto Filium suum monuit, ut cum ipse moreretur, funus suum curaret, & juxta eum sepeliret uxorem suam. Notandum enim quod sancti Patres non solum in vita sed post mortem ab alienigenis dissociari volebant; quipe unitatem futuræ Ecclesiæ prætendentes, quæ seorsum fidelibus aggregatis profanos cultus abhorret.

Quodsi Abraham sepulcrum sibi pretio cœmisset, cum gratis possit habere, cur non potius, & nos in sepulturis nostris sanctam Ecclesiam quolibet munere donabimus, quod & ad remedium vivis, & ad veniam prosit defunctis? Si autem objicitis, quia hoc magis avaritia Sacerdotum exigit; nec quidem nos negamus, quin aliqui hoc faciant: faciunt enim aliqui. Nec mirum, cum ex duodecim Apostolis unus avaritiæ inhiasset. Sciendum vero quod vitio malorum boni depravari non debent, aut Divina mysteria infamari. Quidquid enim fiet in nomine Domini, præmio non vacabit. O vos cæci & errantes, Dominicis verbis vos increpo? Nescientes legem, quare non scrutamini scripturas; Hoc habet plane liber Regum, quod Reges Israëliticæ plebis in uno loco omnes sepelirentur, exceptis pravis, & impœnitentibus. Quodsi pœnitentes admissa correxerint, cum cæteris sepulturam sortirentur. Unde datur intelligi, quod cum Salomon cum cæteris tumuletur, veniam criminum meruisset, licet sua pœnitentia non legatur. Ad hoc autem, & alia multa, quæ de sepultura occurrunt mysteria, ipsius Salvatoris eo etiam affuit providentia, quod crux Sancta, in qua pependit, super tumulum protoparentis Adam, ut tradunt Doctores, figeretur. Nec vacat, quod pretio ejus sanguinis ager Acheldamah emitur, ubi peregrinorum corpora tumulantur. Revera enim ejus sanguine Ecclesia comparatur, in cujus sinu pauperes Christi quiescunt.

CAPUT VIII.

De pœnitentia.

Quoniam quidem superius regenerationis mysterium nihil esse dixistis, ob hanc scilicet causam, quia quidquid ex operibus satanæ baptizandus abdicare se profitetur, postmodum in vita repetere non timet: Ex qua sententia pœnitentiæ derogare videmini, & cæteris quæ Deus ad peccantium reconciliationem remedia contulit; restat nobis adhuc super hujusmodi insudare. Necdum enim incredulitatis vulnus ad vivum usque attigimus, quod quidem nos medicantis verbi ferramento opus est recludere, unde latentis putredinis sanies in apertum erumpat. Sciens certe Divina providentia neminem baptismatis gratia renovatum, ad superandas diaboli insidias, & vincendas carnis concupiscentias esse idoneum, ne quis post lapsum in desperationis foveam corruat, adversus singula vitiorum vulnera reservavit convenientia reparandæ salutis medicamenta, parans superbis humilitatem, invidis charitatem, luxuriosis continentiam, gulosis parsimoniam, lapsis pœnitentiam, & cæteris quibusque vitiis congrua medicamenta, per quæ peccator quasi quadam baptismi regeneratione Deo reconcilietur. Sed ut de reliquis sileam, quoniam pœnitentiam abjicitis, cum

(n) Genes. L, 25. & 24.

cum tamen Evangelii auditores vos esse dicitis, interrogo vos, quid Dominus in Evangelio esse voluerit, quod ait: *Gaudeo* (o) *super uno peccatore pœnitente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.* Et alibi: *Non veni* (p) *vocare justos sed peccatores in pœnitentiam.* Satis certe superque abundant exempla pœnitentiæ, per quæ revelante scriptura multos de tumulo vitiorum, & morte animæ resuscitatos cognovimus, de quibus multos ante electionem in malitia sua perdurantes, per pœnitentiam resipisci cognovimus; plurimos vero post electionem lapsos, sed postea pœnitentiæ remedio in pristinam gratiam relocatos. De quibus beatum Petrum primum in medium introducimus, qui, cum pœnitendo fleret culpam negationis, non solum priorem gratiam reimpetravit, sed inter omnes totius Ecclesiæ, quæ in Terris, & in Cœlis est, primatum accepit. Quin etiam prodigum filium a gratia paterna privatum in Evangelio audivimus, pœnitendo non solum in gratiam patris rediisse, sed & stolam primam quam amiserat, recepisse. Primam cum audis, non novam intelligas, sed antiquam, quia prioris innocentiæ vestem, qua se peccando exspoliaverat, pœnitendo reparavit.

Denique qui doctrinam Apostolicam suscipitis, oportet audire, qualiter Paulus fornicantem fratrem compellat ad pœnitentiam: *Omnino* inquit (q) *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris quis habuerit. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis, & meo Spiritu cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Et alibi: *Timeo,* (r) *ne cum venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiam, & fornicationem, & impudentiam, quam gesserunt.* Quid enim tradere hominem satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus fiat, aliud est, nisi hunc, quod per incontinentiam carnis deliquerat, per tribulationem carnis pœnitendo diluere, ut carnis titillantis rubigine pœnitentiæ camino excocta, spiritus purior in diem Domini salvus fiat? Unde ipse postmodum dicit se timere, ne lugeat de eorum interitu, qui non egerunt pœnitentiam super immunditiam, & fornicationem suam.

Denique in Ecclesiastica historia quemdam juvenem apud Ephesum audivimus a beato Joanne Apostolo in Monasterio reclusum: qui Catholicis disciplinis instructus, & baptismatis gratiam adeptus; post multa religiosæ conversationis exempla, diabolicæ suasionis spiritu agitatus Monasterium deseruit, & inter sylvas, & lustra ferarum homicidiis, furtis, & omnigenis flagitiis depravatus est. Quem cum Apostolus requisitum ad Ecclesiam revocaret, & miser ille ab magnitudine criminum nullam reparandæ salutis spem se habere diceret, beatus Joannes jurisjurandi Sacramento ei spem veniæ promittit. Dehinc jejuniis, & orationibus eum intra paucum tempus ita reddidit emendatum, ut cæteros anteiret sanctitate, & ipsius Ecclesiæ regimen illi Apostolus commendaret: Præbens per hoc magna exempla veræ pœnitentiæ, & documentum ingens regenerationis, atque insignia quædam, & trophæa visibilis in eo resurrectionis ostendens. Verum qualiter idem Joannes Apostolus Angelo Ecclesiæ Ephesi scribat, animadvertite: *Memento* (s) inquit, *unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: Alioquin veniam tibi, movebo candelabrum tuum de loco ejus.* Exstat unum, quod ad commendandum pœnitentiæ vim sufficiat, exemplum. Senatoris cujusdam filiam Deo consecratam vir quidam concupiscentiæ furiis agitatus quondam eo usque adamavit, ut per maleficos immundum spiritum consuleret. Cui cum malignus spiritus desiderii effectum promitteret, si Christo abrenuntiare vellet, ille non solum acquievit, verum abrenuntiationis chartam manu propria scriptam illi donavit: Sicque sponsoris sui arte virginis amplexum adeptus, non post multo amare

(o) Luc. XV, 7. (p) Matt. IX, 13. (q) I. Cor. V, 1. & seq.
(r) II. Cor. XII, 21. (s) Apoc. II, 5.

amare deflebat ſtupri mercede auctorem ſuum negaſſe. Tandem beato Baſilio Cappadociæ civitatis Epiſcopo omnem rei ordinem confeſſus, in quodam conclavi per tres dies ſub pœnitentiæ ſatisfactione recluditur, ubi infeſtantis ſpiritus convitia multa patitur. At vir beatus convocata in Eccleſiam cleri ac populi multitudine non deſtitit orare ad Dominum, donec valediſſimo orationis certamine ſcriptum de manu diaboli extorſit, & cunctis intuentibus demiſſam per acrem chartam recepit.

Abſit igitur a fidelium mentibus hanc veſtram execrabilem audire doctrinam, ut lapſis poſt electionem pœnitentiam nequaquam proficere credant, cum luce clarius eſt poſt perpetrata ſcelera homines per eam redire ad innocentiam. Quam quidem adeo efficacem, adeo potentem ad abolenda peccata experti ſumus, ut etiamſi in ultimo vitæ ſpiritu quis admiſſorum pœniteat, & publica lamentatione commiſſa prodantur, fructum tamen & ſpem veniæ ſalutaris non perdat, quia propoſitum, quod decrevit ſalvare, quod perierat, non poteſt immutari: & ideo, quia voluntas ejus non mutatur, etiamſi tempus emendationis non conceditur, ſi tamen in ſupplici confeſſione vita exceditur, fideli propoſito venia non negatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur a perditione pœnitendo, & ſalvatus miſeratione Domini vivat. Quod autem objici poterat de peccato ad mortem, cui nulla patet ad veniam conſolatio, id quidem eorum eſt, qui in deſperationis foveam corruentes, nihil prorſus, quo inde eximi valeant, ſibi reliquerunt.

CAPUT IX.

Quod pœnitentia poſt mortem proſit.

Verum ne quis pœnitentiam ſolis vivis & non defunctis proficere credat, multos, qui a ſæculo tranſierant, ſuorum pietate viventium a pœnis revelatos ſcriptura teſte comperimus, dum pro eis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ fiunt, vel quis vicariam pœnitentiæ ſolutionem defuncto amico perſolvit, dum quod æger præventus morte non potuit, vivus ſupplet amicus. Quod quia cæci lumine fidei non ſolum refugitis credere, ſed penitus deſtruere tentatis; non vere, ut aſſeritis, Evangelii auditores eſtis. Nam ipſa Veritas dicit; quia *ſi quis* [t] *in Spiritum Sanctum blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſæculo remittetur ei, neque in futuro.* In qua ſententia, in Dialogo ſuo beatus ait Gregorius, datur intelligi quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam vero in futuro poſſe relaxari. Quod enim de uno negatur, conſequens intellectus patet, quod de quibuſdam conceditur; ſed hoc de parvis minimiſque peccatis credendum eſt; ſicut eſt continuus otioſus ſermo, immoderatus riſus, vel ali . . . curæ familiaris, & cætera, ſine quibus vita humana non agitur, quæ etiam poſt mortem gravant, ſi adhuc in hac vita poſitis minime fuerint laxata; quæ per ignem purgatorium poſt mortem ipſe paulo poſt dicit purgari, ſi in hac vita poſitus hoc bonis actibus, ut illic obtineat, aliquis promereatur. Unde jure a ſanctis Doctoribus purgatorius ignis eſſe dicitur, quod per eum peccata aliqua purgantur, prout viventes aut eleemoſynis, aut ſacrificiis, aut certe, ſicut ante diximus; vicaria pœnitentiæ ſolutione obtinere poſſunt. Unde Paulus ait: quia *Vir* [u] *fortiſſimus Judas collatione facta miſit Jeroſolymam duodecim millia drachmas argenti, offerre eas pro peccatis mortuorum juſte & religioſe cogitans de reſurrectione: niſi enim eos, qui ceciderunt, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* Deinde dicit: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccato ſolvantur.*

Conſtat igitur, ut diximus, talium operum pretio defunctos poſſe a peccatis abſolvi, alioqui Paulus Apoſtolus, cujus vos auditores eſſe mentimini, nequaquam audiendus eſſet, qui dicit lignum, fœnum, ſtipulam, id eſt, peccata minima atque leviſſima igni purgatorio facile conſumi; quibus nimirum non purgatoria ſed æterna ſupplicia inferrentur, niſi talibus hoſtiis promeruiſſent igne purgatorio reſolvi.

CA-

(*t*) Matth. XII, 32. (*u*) II. Machab. XII, 43. & ſeqq.

CAPUT X.

De connubiis.

De connubiis vero, quæ vos contra Evangelica & Apoſtolica decreta ſacrilega mente abominanda judicatis, dicentes, conjugatos in ſortem fidelium nequaquam computandos, multa ſanctorum Patrum occurrunt exempla, quæ ad infidelitatis hujus blaſphemiam confutandam ſatis ſufficiant. De quibus nos reſponſuros quodam diſcretionis gubernaculo noſtri ſermonis carinam ſubire oportet, ne quaſi inter duos ſcopulos naufragium incurrentes, occaſionem demus in alterutrum, ſcilicet aut omnes indiſcrete a conjugiis exterrendo, aut omnes indiſcrete ad connubia commonendo. Porro ſicut inter ſæculares, & Eccleſiaſticos viros quædam ordinis diſcretio eſt, ita & converſatio eorum quadam diſcretionis ratione ſervanda eſt. Nam vir Eccleſiaſticus, poſtquam relicta ſæculi militia in ſortem Domini computatur, non poteſt, ſalvo poſſeſſionis ſuæ cingulo, conjugali thoro ſe iterum mancipare. At viris ſæcularibus, qui nulli Eccleſiaſtici regiminis jugo ſunt obnoxii, nec Evangelica, nec Apoſtolica decreta legitima præjudicant connubia, ſi tamen ſciunt omni tempore ſibi debere eſſe ſubjectam conjugii voluptatem, & ſi diſcernunt certa concubitus tempora, quando coeundum, & quando ab uxoribus ſit abſtinendum. Non enim talia connubia beneplacita ſunt Deo, quibus homines ad luxuriam, & delicias inſtar animalium provocantur, qui Deum a ſua mente excludunt, & ſuæ libidini vacant, ſicut equus & mulus. Qui autem ita conjugio utitur, ut cum timore Dei in amorem filiorum potius intendat, quam ut petulantis carnis appetentiam expleat, hunc copula conjugii de ſorte fidelium non privabit.

Falluntur igitur, qui conjugatos a regno Dei exterminandos affirmant, præſertim cum in Evangelio hujuſmodi teſtimonium habeamus, & Apoſtolica traditio talem humanæ conſuetudinis legem multis in locis confirmet. De qua re hoc unum ex ore veritatis teſtimonium proferimus. Nam Phariſæis tentantibus & dicentibus, ſi liceret homini uxorem ſuam dimittere quacumque ex cauſa, ille reſpondens ait: *Non* (v) *legiſtis, quia qui fecit, maſculum & feminam ab initio fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Requirentibus autem illis, ut quid Moyſes mandaſſet dari libellum repudii, & dimittere? ait illis: *Quoniam* (w) *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicumque uxorem niſi ob fornicationem dimiſerit, & aliam duxerit, mœchatur.* Petrus autem in Epiſtola ſua ait: *Mulieres* (x) *ſubditæ ſint viris ſuis, ut ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant.* Et paulo poſt: *Sic* (y) *enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubjectæ propriis viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.* Et iterum: *Viri* (z) *ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertientes honorem.* Unde & beatus Paulus ad Corinthios ait: *Bonum* (a) *eſt homini non tangere mulierem; propter fornicationem autem unusquisque ſuam uxorem habeat, & unaquæque virum ſuum habeat. Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro.* Et paulo poſt: *His* (b) *autem, qui in matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari; & vir uxorem non dimittat, ſi quis frater uxorem habeat infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam; & ſi quæ mulier habet virum infidelem, & conſentit habitare cum illa, non dimittat virum: ſanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem.* Et rurſus cum de virginibus præceptum Domini ſe non habere diceret, converſus ad conjugatos ait: *Exiſtimo* [c] *hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.*

(*u*) Matt. XIX, 4. & ſeq.
(*w*) Ibidem v. 8. & ſeq.
[*x*] II. Petr. III.
(*y*) Ibidem v. 5. & 6.
(*z*) Ibid. v. 7.
(*a*) I. Cor. VII, 1. & ſeqq.
(*b*) Ibid. v. 10. & ſeq.
(*c*) Ibid. v. 26.

esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem; si autem acceperis uxorem, non peccasti. Scribit autem ad Ephesios ita: *Mulieres* [d] *viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Et iterum: *Viri* [e] *diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Et iterum: *Qui* (f) *suam uxorem diligit, seipsum diligit.* Scribit autem & ad Titum hoc modo: *Adolescentulas doce, ut viros suos ament,* (g) *filios diligant, prudentes, sobriæ, domus habentes curam, subditæ suis viris.* Et ad Timotheum: *Adolescentulas, inquit, viduas* [h] *devita; cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres-familias esse, nullam occasionem dare maledicti gratia; jam enim quædam conversæ sunt retro satanam.* Et ad Colossenses: *Viri* (i) *inquit, diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.*

Cum igitur hæc humanæ consuetudinis lex tantis divinæ auctoritatis fulciatur institutis, nimirum abjicienda est vestræ hæreseos ac penitus conculcanda doctrina. Nam si conjugalis societas homini causa esset perditionis, qui venit perditos reparare, nullum daret hujus copulæ documentum, nullum præceptum. Paulus denique, qui tanto charitatis igne flagrabat, ut etiam pro fratribus anathema fieri optaret, nullum super hujusmodi daret consultum, si hoc ad detrimentum animæ spectare intellexisset. Sed de his satis ad præsens dictum.

CAPUT XI.

De Confessoribus.

Jam vero quis non videat vos in hoc divini judicii & christianæ communionis reos esse, quod adversum beatissimos Christi confessores pravi dogmatis seditionem sacrilego ausu movetis, dicentes, præter Apostolos & Martyres neminem jure venerari, in confessoribus nullum donum virtutis esse, nec ab eis aliquam salutis gratiam posse spectari, quorum corpora in cineres resoluta nihil a mortuis animalibus differre videntur. Petrus certe Apostolus datam sibi a Domino ligandi atque solvendi potestatem, hanc quoque beato Clementi, Lino etiam & Anacleto ipse tradidit, cæteri quoque Apostoli eamdem gratiam successoribus suis, id est, sanctis Doctoribus atque Confessoribus reliquerunt; quorum quidam gladio occubuerunt, alii in pace Ecclesiæ quieverunt. Sed non idcirco ab hominibus injuste venerantur, quia percussoris gladium non senserunt. Verum si ratio temporum non potuit præstare martyrium, gloria tamen Martyrum non carent, quia & voto & virtute, potuerunt esse Martyres, & voluerunt. Nam & illi pro spe æternitatis multas humanorum dolorum pertulere passiones, famem, vigilias, nuditates, jejunia, opprobria invidorum, insectationes malorum, curam pro infirmantibus; sollicitudinem pro periclitantibus, gemitum pro pereuntibus, cum flentibus flentes, cum scandalizantibus urentes. Quin etiam adversum humanæ spiritualisque nequitiæ diversa certamina semper in eis emicuit fortitudo vincendi, patientia exspectandi, æquanimitas sustinendi. Quibus etsi percussor deesset, ipsi sibi percussoris ministerium suppleverunt. Quid in eis carnifex aliud feriret, quam corpus? Et certe quod ad momentum percussor faceret, ipsi sibi longo cruciatu intulerunt, dum carnis concupiscentias in se occiderunt, & quod suave, quod dulce, quod voluptuosum fuerat, ademerunt.

Porro pœnalis carcer eis non defuit, qui se inter angustam aridioris vitæ custodiam a mundi illecebris concluserunt, quorum mens lucidissima, manus plenæ munditiæ, eo quod in mensa Altaris Sacrosancta Corporis, & sanguinis mysteria celebrantes, & in sui cordis penetralibus hostiam vivam, Deoque placentem, id est, semetipsos sine macula atque admixtione pravi operis offerre non desistunt. Et sicut diximus, licet percussoris non sensissent gladium, tamen per vitæ meritum Deo digni martyrio non privantur, quia martyrium non solum effusione sanguinis, sed abstinentia peccatorum perficitur, alioqui longe a vero differre videbitur, quod ex ore veritatis ad duos fra-

(d) Ephes. V, 22. (e) Ibid. v. 25. (f) Ibid. v. 28.
(g) Tit. II, 4. & 5. (h) I. Tim. V, 11. & seq. (i) Coloss. III, 19.

fratres filios Zebedei dictum est: *Calicem* (k) *quidem meum bibetis*; cum unum quidem gladio occubuisse, alterum in pace Ecclesiæ quievisse legamus. Sed neque ullo auctorum exemplari ostendunt, beatam Dei genetricem MARIAM gladio vitam finisse, etsi per Spiritum Sanctum Simeon Propheta passuram illam dixerat: *Et* (l) *tuam* inquiens, *animam pertransibit gladius.* Unde beatus Hieronymus in hoc animam ejus gladium pertransisse dicit, quod in morte Christi compassionis, atque doloris gladium sensit, dum per eximiæ dilectionis vim mortem Christi suam fecit. Philippum etiam Apostolum, & Lucam Evangelistam non per passionis certamen, sed per pacem a sæculo migrasse legimus. Postremum vero, quis tam lapidei cordis est, ut ad quorum tumulum ægros venientes optatam salutem vident reportare, eorum merita apud æternum judicem vivere non credat? sed quis post Apostolos MARTINO, quis BENEDICTO in miraculis potentior?

Sed fortasse objicitis, quia multi in nomine Christi mira operati sunt, & tamen post a Domino reprobati sunt: de quibus in Evangelio Dominus: *Multi* (m) inquit, *venient, dicentes: Domine nonne in nomine tuo Prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejicimus?* Quibus dicturus est Dominus: *Amen dico vobis, nescio vos, discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Quorum vita quidem, quia non concordabat verbis, idcirco a Domino reprobantur. Quod autem videntur operari, non suis meritis, sed Christi nomini imputatur. Ejecti namque Dœmones, non eos, sed Christi nomen fugerant, quod quondam in filiis Scevæ cujusdam Judæi patuit, qui sicut superius diximus, per exorcismum Dœmones in nomine Jesu, quem Paulus prædicabat, ab obsessis corporibus tentabant ejicere, qui concito indignitatis Spiritus furore vexati audiunt: *JESUM* (n) *novi, Paulum scio, vos autem qui estis? & continuo insiluit in eos Spiritus immundus.* Quibus illa sui pœna furoris sane dedit indicium, quia non erant ex eorum numero, quorum vita Sanctitatis concordabat sanctæ prædicationi. Eorum vero corpora terræ mandata declarant, quales utrique in vita extiterant, cum illi quotidie miraculis vivere, isti nulla virtutis indicia ex se posse dare videantur. Nam in sancta Ecclesia plena redundant miraculis volumina, quæ ad Sanctorum Confessorum tumbam fieri conspiciuntur; cum reprobi post clausas in inferno animas, & sepulcris recondita corpora, nulla sancti meriti relinquunt indicia, præter quod aliquando diabolus ad decipiendos homines phantasticæ lucis signa ad eorum ossa demonstrat, ut ex hoc ad usum venerationis deceptas mentes invitet, sicut tempore beati Martini legimus approbatum, qui vulgi errore dicatum Monasterium tamquam in honore Martyris super latronem inveniens, verbi sui Imperio jussit sepultum confiteri, quia nihil sibi cum sanctis fuerat commune, sed suorum scelerum culpis cum diabolis se in inferno torqueri. In talibus igitur locis, si quid huic simile evenerit, de quo majorum memoria nihil certum ferat, interdicunt, ne ritu (o) gentilium fana idolorum antiquitus constructa pro sacris venerentur, neve sepultis temere Divina solvantur, nisi per Provincialem Episcopum vita sepulti examinetur, si secundum Evangelium Christi fuit.

CAPUT XII.

De psallendi Officio.

Quis autem dubitet vos immundo spiritu agitari, dum hoc quod per Spiritum Sanctum prolatum, atque institutum est, id est, usum Psallendi in Sancta Ecclesia, abjicitis, & quasi superstitiosum errori cultum imputatis. Sumpsit ergo hanc modulandi formam ordo Ecclesiasticus non ex ludicris, & jocularibus insectationibus, sed ex veteris, & novi Testamenti Patribus, sicut de David in libro regnorum legimus, quia cum Arcam Domini de terra Philistinorum reduceret, ipse depositis regalibus insigniis, & sumpta cithara coram ea psallere cœpit, quod ille nullum supernæ gratiæ tunc aptius sacrificium intellexerat. Qui etiam per hanc modulandi dulce-

(k) Matth. XX, 23. (l) Luc. II, 35.
(n) Act. XIX, 15. (m) Matt. VII, 22.
(o) *ne ritu*; optima lectio, quam restituit Baluzius: editum erat *Nericii.*

dulcedinem Saulem Regem a Dœmone liberaverat, quem medicorum ars victa desperaverat. Certe, apud supernos cives legimus hujus modulationis insignia celebrari, ut in Apocalypsi Joannis Apostoli: *Habentes singuli* (p) *citharas, & cantabant canticum novum.* Et iterum: *Et vocem, quam* (q) *audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Hinc ergo colligendum est, quam gratum sit Deo officium psallendi, si intenta mente peragatur, quando in hoc Angelorum choros imitari videmur, quos constat laudes Domini sine intermissione personare. Unde Psalmista sæpe nos admonet dicens: *Cantate* (r) *Domino canticum novum, & bene psallite ei in vociferatione.* Et iterum: *Psalmum* (s) *dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus.* Et in Evangelio Matthæi: *Et hymno* (t) *dicto exierunt in montem olivarum.* Tale namque sacrificium super taurorum pinguedinem aut hircorum sanguinem Deo placere per Spiritum Sanctum psalmista viderat, cum dixit: *Numquid* (u) *manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis.* Et iterum: *Sacrificium* (w) *laudis honorificabit me.*

Denique non solum irrationabilem creaturam, sed cuncta quæ sunt condita, suum Conditorem continuo psallendi tenore laudare jubet, cum dicit: *Laudate* (x) *Dominum de Cœlis.* Et cætera usque in finem Psalmi, quem ita concludit: *Omnis Spiritus laudet Dominum.* Ne ergo Psalmista irrationabilem, aut inanimatam creaturam frustra in laudem creatoris commonere dicatur, tunc vere, quod ore non potest, se in laudem Dei videtur erigere, cum suæ naturæ motibus se ad voluntatem, & imperium creantis conformat, vel potius rationales animos in hoc commonere videtur, ut de beneficiis Divinis laudem Conditori dare meminerint, cujus munera ipsa usibus hominum famulari videntur. Sed & Paulus cujus vos imitatores esse dicitis, in concentum psalmodiæ nos hortatur dicens: *Loquentes* (y) *vobismet ipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus cantantes, & psallentes Deo.* Et ipse alibi dicit: *Psallam* (z) *ore, psallam spiritu, & mente.* Quin etiam in transitu Sanctorum Virorum psalmodiæ cantum cecinisse Angelos multa Divinæ scripturæ exemplaria docent.

Unde constat eos de gremio sanctæ Ecclesiæ exterminandos, qui hoc psallendi officium judicant nequaquam ad cultum Divinum pertinere. Quod autem arbitrantur nobis ipsis psallendo multa adversa imprecari, ubi videlicet psalmista mentis oculum in maleficos intorsit, ut est illud? *Quid* (a) *gloriaris in malitia?* Et, *obscurentur* (b) *oculi eorum ne videant.* Et cætera talia; falluntur nescientes eum Prophetico spiritu intueri ea, quæ superventura fuerant his, quos in mortem Christi, & Sanctorum Martyrum tumentes gloriari inspexerat, quique a malitiæ suæ pravitate nequaquam declinantes, exultant in rebus pessimis, & lætantur, cum male fecerint. Patet igitur tales a capite suo, id est, diabolo, non dissentire, qui est caput omnium iniquorum, qui etiam Scripturam Sanctam intelligens, sinistra eam interpretatione prævertere molitur.

CAPUT XIII.

De veneratione Dominicæ Crucis.

Quoniam vero adversum Crucem Dominicam, & vivificum lignum viperei dogmatis venena funditis, dicentes hoc ex errore hominum venisse, quod venerantur eam, cum nullam magis in se virtutem contineat, quam cætera ligna sylvarum, præter quod opere manuum hominum est efformata, pro quo nulla veneratione digna est: pauca e multis, quæ ad hanc causam utilia videntur, edicimus.

Scimus namque, quia omnis substantia quæ Deus non est, creatura est, & quæ creatura est, Deus non est. Ligno igitur nihil Divinum damus, ut illud adorandum judicemus, quia inter cæteras, quæ Deus non sunt, suæ naturæ substantiam sumit: Sed si rationem mysterii diligenter investigetis, non solum ab hominibus, sed etiam ab Angelis

(*p*) Apoc. V, 8. (*q*) Ibid. XIV, 2. (*r*) Psalm. XXXII, 3.
(*s*) Ibid. LXV, 2. (*t*) Matth. XXVI, 30. (*u*) Ibid. Psal. XLIX, 13, 23.
[*w*] Psalm. CXLVIII, 1. (*x*) Ibid. CL, 6. (*y*) Ephes. V, 19.
(*z*) I. Corinth. XIV, 15. (*a*) Psalm. LI, 3. (*b*) Ibid. LXVIII, 24.

lis Dominicæ Crucis vexillum honorandum videbitis, quæ quidem aperuit Sacramentum, quod nesciebant. Primus namque Adam inobedientiæ mucrone interfectus est a ligno scientiæ boni & mali, & nos secum traxit in mortem: Secundus Adam per palmam obedientiæ a Cruce transivit in vitam æternam, & nos secum duxit. Verumtamen lignum scientiæ boni, & mali non dicimus secundum suam naturam in se mortem habuisse, sed fuit in causa, ut in eo probaretur obedientia parentis nostri, sive vindicaretur inobedientia, quo contra lignum vitæ in causa sempiternæ vitæ est. Hoc lignum attulit vobis Dominus noster Jesus Christus per lignum Crucis in Ecclesia nostra, ut qui morti debitores eramus per lignum scientiæ boni & mali, faceret nos vitæ capaces per lignum sanctæ Crucis. Et sicut illud ex sua natura non habuit mortem, ita lignum, unde nobis vita conceditur; non in se habuit hanc virtutem, sed ex illius virtute, qui infirmus fuit ex nobis, vivit autem ex virtute Dei. Regnavit etiam mors, & diabolus ab inobedientia ligni scientiæ boni, & mali, superata est eadem mors, & diabolus per obedientiam ligni sanctæ Crucis. Quis ergo negare audeat jure ab hominibus venerari, per quam diabolus victus, & mundus Deo operante salvatus est? Quis autem nisi insaniæ furiis agitatus, neget vexillum atque virtutem Dominicæ Crucis esse colendam, qui beatum Andream, quem vos imitari inter cæteros Apostolos mentientes dicitis, tanto eam passionis amore expetere; atque sedula veneratione audiat prædicare. " Cum vero, *inquit Scriptura*, pervenisset ad locum, ubi Crux " parata erat, videns eam a longe exclamavit voce magna dicens: Salve, " Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus tamquam " margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus noster, timorem " terrenum habuisti: modo vero amorem cœlestem obtinens, pro voto susciperis. Sciens enim quanta intra te " gaudia habeas, securus, & gaudens " venio ad te, ita ut & tu exaltans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te, quia amator tuus semper " fui, & desideravi te amplecti. O bona Crux, quæ decorem, & pulchritudinem de membris Christi suscepisti; " diu desiderata, sollicite amata, sine " intermissione quæsita, & aliquando " concupiscenti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me " ab hominibus, & redde me Magistro " meo, ut per te me recipiat, qui per te " me redemit. Et Paulus Apostolus: *Mihi*, inquit, (c) *absit gloriari, nisi in Cruce Domini mei JESU Christi.* Glorificantes igitur Crucem Dominicam, Christum quasi pendentem in ea mente invocamus. Quem vero invocamus, ipsum adoramus. Prosternimur corpore ante crucem, mente, (ante) Deum: veneramur crucem, per quam redempti sumus, sed illum deprecamur, qui nos redemit.

CAPUT XIV.

De Imagine Salvatoris in Cruce.

De Imaginibus quoque, quæ in Ecclesiis fiunt, ratio citius perpenditur, si ex veteri Testamento aliqua similitudo trahatur. Gradiens namque populus Israël per desertum aliquando ignitorum serpentium morsibus ad mortem vulnerabatur, super quod consultus Dominus jussit fieri serpentem æneum, & alto stipite levari, quem percussi respicientes cito sanabantur. Et nos de Ægypto carnalis conversationis per desertum mundani exilii ad terram supernæ promissionis tendentes, per respectum Mediatoris in cruce pendentis antiqui hostis venenum a cordibus nostris evacuamus. Qui enim Christum per Imaginem Filii Dei ac passionem conspexerit, ipse antiqui hostis venena evadere poterit. Hoc certe indicant verba ipsius Domini dicentis: *Sicut* (d) *exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Apte autem æneus serpens ligno suspensus est, ut Dominus, & in serpente mortuus, & in ære significaretur æternus: Mortuus videlicet per humilitatem, æternus per divinitatem. Est vero alia hujus ratio: Simpliciores quippe in Ecclesia, & illiterati, quod per scripturas non possunt intueri, hoc per quædam picturæ liniamenta contemplantur, id est, Christum

[c] Galat. VI, 14. [d] Joan. III, 14.

ſtum in ea humilitate, qua pro nobis pati, & in cruce mori voluit, dum hanc ſpeciem venerantur, Chriſtum in Cruce aſcendentem, Chriſtum in Cruce paſſum, in cruce morientem, Chriſtum ſolum, non opus manuum hominum adorant. Non enim truncus ligneus adoratur. Sed per illam viſibilem imaginem mens interior hominis excitatur, in qua Chriſti paſſio, & mors pro nobis ſuſcepta quæ in membrana cordis inſcribitur, ut in ſe unusquiſque recognoſcat, quanta ſuo Redemptori debeat; dum videlilicet juxta Salvatoris ſententiam, quæ poſtulat imago Cæſaris, redduntur Cæſari, & quæ Dei, Deo.

Similiter de imaginibus Sanctorum ratiocinari licet, quæ ideo in ſancta Eccleſia fiunt, non ut ab hominibus adorari debeant, ſed ut per eas interius excitemur ad contemplandam gratiæ divinæ operationem, atque ex eorum actibus aliquid in uſum noſtræ converſationis trahamus. Verbi gratia; cum imaginem Beatæ Dei genitricis MARIÆ intuemur, profecto divinæ dignationis per eam beneficia recolimus, qui de maſſa perditionis recreavit maſſam reconciliationis. Quæ nimirum ſtudio obedientiæ, & humilitatis exemplo ſuadet nos ſupernam patriam quærere, quam primæ Virginis ſuperbia atque inobedientia clauſerat. Sic itaque Angelos in miniſterio conditori aſſiſtentes, dum per exteriores imagines contemplamur, per eam quam a Deo claritatis gloriam accipiunt, ad eorum numerum ſtudio converſationis incitamur. Apoſtolorum atque Sanctorum Martyrum imaginatas effigies intuentes, quid aliud per eas jubemur, niſi ut calcatis curis ſæculi, ſpretisque corporibus, eorum doctrinis imbuti, & glorioſo certamine roborati, inter mundi triumphatores coronari mereamur? ſimili modo Confeſſorum ac Virginum imagines ſpeculantes, monemur ex eorum imitatione mundi concupiſcentiam declinare, lenocinia carnis calcare, immaculatam hoſtiam Deo nosmetipſos offerre. Sic igitur aliorum Sanctorum ordines inſpecti ad æmulationem virtutum nos inſtruunt, ſic quondam fortia facta virorum ipſis ſuis laudibus ad quæque audendum alios accendunt.

CAPUT XV.

De ordinibus Eccleſiaſtici Regiminis.

Sed neque rebellionis veſtræ tumorem graſſari adverſum divinam ordinationem diutius patior, qua Eccleſiaſticæ adminiſtrationis ordinem in nihilum redigere laboratis. Sancta quippe Eccleſia, quam beatus Paulus Apoſtolus ſupernam Jeruſalem, ac matrem noſtram, & manentem civitatem, & ad ædificationem ex Deo domum non manufactam appellat; ex Angelis & hominibus conſtat. Quæ partim ex hominibus ſocietate Angelica in ordinibus diſtinctis perfruens, jam cum Deo regnat in cœlo; partim vero in ordinibus diſtinctis adhuc peregrinatur in terra, & ad ſupernam ſocietatem ſuſpirat, ubi ſecundum Apoſtolum tabernaculum eſt non manufactum, neque hujus creationis, ad cujus inſtar per Moyſen factum eſt tabernaculum, de quo dixit ad eum Dominus: *Omnia* (f) *fac, juxta quod tibi in monte oſtenſum eſt.* In quo ſuperno & vero tabernaculo, quod finxit Deus & non homo, in interiora velaminis, id eſt, in ipſum cœlum Confeſſionis noſtræ Summus Pontifex *ſempiternum* (g) *habens Sacerdotium per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa,* ſedensque ad dexteram Patris, id eſt, in gloria paternæ Majeſtatis, interpellat, non voce, ſed miſeratione pro nobis. Denique *Rex regum* (h) *& Dominus dominantium*, per quem Reges regnant, & conditores legum juſta decernunt, cœleſtem ac terrenum principatum, cunctam videlicet rempublicam regens, & univerſam militiam tam cœleſtem & ſpiritualem, quam terrenam & temporalem diſtinctis ordinibus diſponens ac moderans, & ſupernæ ac mundanæ curiæ præſidens, miro ordine Angelorum, hominumque miniſteria pro temporum varietate, & oportunitate diſpenſat; & quæ ſingulis quibusque temporibus, vel perſonis congruunt, ſua occulta inſpiratione vel evidenti illuſtratione, vel patefacta præceptione decernit.

Itaque legimus ſacros ordines in cœlo & in terra, & in teſtamento veteri, & in novo diſpoſitos a Deo, ex quo juxta

(*f*) Exod. XXV, 40. (*g*) Hebr. VII, 24. (*h*) I. Timoth. VI, 15.

juxta Apoſtolum omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Unde beatus Dionyſius Areopagites, Antiſtes videlicet & venerabilis Pater, ſicut didicit a Paulo Apoſtolo, qui raptus eſt uſque ad tertium cœlum, vidit cæleſtia ſecreta, duos libros de Angelico & Eccleſiaſtico Principatu ſcripſit. Unde & beatus Gregorius dixit, quia ad hoc divinæ diſpoſitionis proviſio gradus & diverſos conſtituit ordines eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex diverſitate contextio, & recte officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim univerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo ſervaret. Quia vero creatura in una eademque æqualitate gubernari vel vivere non poteſt, cœleſtium militiarum exemplar nos inſtruxit, quia dum Angeli ſint, Archangeli ſint, liquet, quia non æquales ſunt; ſed in poteſtate & ordine differt alter ab altero. Quod per hoc datur aperte intelligi, quia ad explendum de ſupernis miniſterium, alii ſpiritus alios mittunt, Zacharia ſcilicet Propheta teſtante, qui ait: *Ecce* (i) *Angelus, qui loquebatur in me, gradiebatur; & alius Angelus egrediebatur in occurſum ejus, & dixit ad eum: curre & loquere ad puerum iſtum, dicens: abſque muro habitabitur Jeruſalem.* Dum enim Angelus ad Angelum dicit: *curre & loquere*; dubium non eſt, quia alius alium mittit. Minora vero ſunt, quæ mittuntur, & majora, quæ mittunt. Huic autem ſenſui & illud creditur non inconvenienter opitulari; quod per Danielem dicitur: *Millia* (k) *millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Aliud namque eſt miniſtrare & aliud aſſiſtere.

Si ergo inter hos, qui ſine peccato ſunt, iſta eſt diſtinctio, quanto magis inter eos, quos conſtat non poſſe eſſe ſine peccato, hæc gerendi principatus ratio eſt ſervanda? " Liquet, inquit beatus " Gregorius, quod omnes homines na" tura æquales genuit; ſed variante me" ritorum ordine alios aliis culpa poſt" ponit. " Ipſa autem diverſitas, quæ acceſſit ex vitio, divino judicio diſpenſatur, ut quia omnis homo æque ſtare non valet, alter regatur ab altero. Unde beatus Paulus: *Omnis*, inquit, (l) *anima ſublimiori poteſtati ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi a Deo, cui qui reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Item Apoſtolus Petrus: *Subjecti* (m) *eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tamquam ab eo miſſis.* Igitur ordines in Eccleſia veteris populi, quæ uſitato nomine ſynagoga vocatur, fuiſſe legimus per Moyſen a Deo diſpoſitos, qui & quales & qualiter ac quando ordinare cæteros, & ordinari a cæteris deberent, & quantum in ſingulis officiis miniſtrare deberent. Sed & nunc in Eccleſia, quæ regnum cœlorum appellatur, adinſtar cœleſtium ordinum miniſtros Domini inſtitutione & Apoſtolica traditione legimus, & cognovimus diſtincte eſſe compoſitos, quibus inter cæteros quædam dignitas major, & in ſimilitudinem honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, quorum ſollicitudine inferiores tamquam ex quadam diverſitate in unum Eccleſiæ corpus coeant; ne occaſione libertatis ſubintret cauſa prævaricationis. Hujus rei gratia ſtatuta ab Apoſtolis & Apoſtolorum ſucceſſoribus regula eſt uſque in hodiernum diem, per Epiſcopos atque Archi-Diaconos, Decanos etiam atque Præpoſitos totius Eccleſiaſtici regiminis cauſam diſpenſari. Quod cum ita ſit, nihil eſt, quod jure contra hæc repugnare debeatis.

CAPUT XIV.

De eorum falſa juſtitia.

Verum quoniam falſæ juſtitiæ doctrinam introducere tentatis, quam Divinæ gratiæ adeo præponitis, ut omnia propriis meritis adſcribatis, hunc nefariæ præſumptionis errorem Divinæ auctoritatis ictibus labefactamus: Nam nulla juſtitia, nullum boni conſtat meritum, quod non de fonte ſupernæ gratiæ id quod eſt, acceperit. Unde ipſe, quo perhibente Domino, nemo inter natos mulierum major eſt, de ſe Joannes dicit: Non poteſt homo accipere quidquam, niſi ei fuerit datum de Cœlo. Et Apoſtolus dicit: *Omne* (n) *datum opti-*

(i) Zachar. II, 3. & 4. (k) Daniel. VII, 10. (l) Rom. XIII, 1.
(m) II. Petr. II, 13. (n) Jac. I, 17.

optimum, *& omne donum perfectum desursum est*, *descendens a patre luminum.* Et Paulus ait: *Infelix* (o) *homo*, *quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum.* Et iterum: *Gratia* (p) *Dei sum id*, *quod sum.* Et iterum? *Sed plus illis omnibus laboravi; non ego autem*, *sed gratia Dei mecum.* Ad hanc nos professionem ipse instituit, cum ait (*sine intermissione orate*) quia nullum tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio. In prævaricatione namque primi hominis naturalem possibilitatem, & innocentiam amisimus, & nemo de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium potest consurgere, nisi eum gratia miserantis erexerit.

Quæcumque igitur in cordibus nostris, aut in nostro arbitrio sancta cogitatio est, aut pium consilium, aut quilibet motus bonæ voluntatis, ex suæ gratiæ dono descendit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus, sicut ipse discipulis ait: *Sine* (q) *me nihil potestis facere.* Nam omnia hominum merita ab ipsius gratia præveniuntur, per quem fit, ut aliquid boni, & velle incipiamus, & facere. Denique quibus justitiæ operibus Maria peccatrix a peccatis dimissa, Zachæus justificatus, latro ad paradisi gaudia receptus est, nisi sola Divinæ pietatis gratia? de qua Apostolus ad Romanos: *Ubi* (r) *abundavit*, inquit, *delictum*, *superabundavit gratia.* Et alibi: *Omnes* (s) *enim peccaverunt*, *& egent gloria Dei*, *justificati gratis per gratiam ipsius.* Et iterum: *Fuimus* (t) inquit, *& nos natura filii iræ sicut & cæteri.*

Certissime itaque tenemus, omnes homines per semetipsos non solum perfectionem, sed nec initium justitiæ posse contingere, sed universos, qui fiunt boni, divina gratia præveniri. Bonam namque in hominibus voluntatem ipse gratis præparat, gratis donat, ipse adjuvat, ipse consummat. Ut enim *abnegantes* (*u*) impietatem & sæcularia desideria, sobrie, juste & pie vivamus in hoc sæculo, ait: Gratia Dei per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, cujus hæc est inexhausta pietatis munificentia, ut ex insipientibus sapientes efficiat, infidelibus fidem tribuat, errantes non solum vocet, sed etiam revocet, desideriis terrenis expulsis desiderium regni cœlestis inspiret, inserta bonitate malitiam exstirpet, benignitatis dono invidiam expellat, odibilibus quoque, & odientibus invicem donum dilectionis infundat. Ut ergo ex malis boni simus, ut sanctæ charitatis igne flagremus, gratiæ spiritualis opere in nobis inchoatur, ejusque in nobis operatione perficitur.

Proinde nosse debet unusquisque Christianus, neque in viribus naturæ, neque in legalibus præceptis, sed in illuminatione cordis, & voluntario Divinæ voluntatis munere constare gratiæ salutaris exordium, qua fit, ut quod divinitus præcipitur, non solum a nobis agnosci, sed etiam diligi possit ac fieri. Jure igitur gratuito beneficio Divinæ bonitatis adscribitur, qui nos ideo ad bona opera misericorditer excitat, ut habeat, quod in nos juste coronare debeat. Quibus sicut per misericordiam præparavit gratuitum justificationis donum, ita per justitiam præparavit æternæ justificationis præmium. Opus itaque gratiæ in omnibus prædestinatis gratuita misericordia inchoatur, & justa retributione perficitur. Quod vero e contra de injustis occurrere poterat, illis quidem non injusto judicio ignem æternum præparat, quos præviderat dignos ad luenda supplicia, nec tamen prædestinavit ad facienda peccata. Prædestinavit Deus, quod Divina æquitas redderet, non quod humana iniquitas amisisset: Præparavit igitur homini reo non culpam, quam odit, sed judicium, quod diligit; scriptum est enim: *Quia* (u) *misericordiam*, *& judicium diligit Deus.* Proinde bona opera, quæ Deus misericorditer donat, juste coronat, opera vero, quæ non ipse tribuit, juste punit. In istis ergo coronatur Divina largitio, in illis transgressio humana damnatur. Nihil igitur iste habet, quod propriis meritis adscribere, nec ille, quod divino judicio jure possit derogare. Igitur juxta Apostolum non est quod dicat: *Figmentum* (w) *ei qui se finxit*, *Quid me fecisti sic? Quia habet* (x) *potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem*, *aliud vero in contu-*

(*o*) Rom. VII, 24. & 25. (*p*) I. Cor. XV, 10. [*q*] Joan. XV, 5.
(*r*) Rom. XV, 5. (*s*) Ibid. II, 23. & 24. (*t*) Ephes. II, 3.
(*u*) Tit. II, 12. (*v*) Psalm. LXXXIII, 12. (*w*) Rom. IX, 20.
[*x*] Ibid. v. 21.

contumeliam. Ostendit igitur divitias bonitatis suæ in vasis misericordiæ: potentiam vero atque judicium in vasis iræ, dum hos præparat ad gloriam, illos sustinet ire in interitum.

Quænam est igitur vestra justitia, quæ cuncta solis meritis, nihil tamen gratiæ debet? Porro Paulus jam testimonium vobis perhibet, quod æmulationem Dei habetis, sed non secundum scientiam: *Ignorantes* (y) enim *Dei justitiam & vestram quærentes statuere, justitiæ Dei non estis subjecti. Moyses vero scripsit, quoniam justitiam, quæ in lege est; qui fecerit homo, vivet in ea.* Quanto magis autem justitia, quæ ex Evangelio Christi & auctoritate Apostolica est, vitam donabit? Quid enim Apostoli aliud docuerunt, nisi quod ex ore veritatis acceperunt? Quid autem aliud sancta Ecclesia tenet, nisi quod a beato Petro, & cæteris Apostolis accepit? Quis autem nesciat, aut non advertat, quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur ab omnibus, debere servari, nec superduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispaniam, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus, aut ejus successores constituunt Sacerdotes. Aut legant, si in his Provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse: Qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est; ne, dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur amittere.

CAPUT XVII.

Jam dies ad occasum declivior erat; & Dominus Episcopus his, qui audiendi gratia convenerant, circumstantibus ait: Fuerant satis, fratres, quæ de his nos oportuerat ad confirmandam fidem vestram enuntiare, sed ne vos plus onere verborum gravemus, sufficiant ista. Hoc tantum servate fidei vestræ intemeratum signaculum, recolentes hoc, quod Paulus Apostolus prædixerat; *Quia in novissimis* (z) *diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium, & cauteriatam habentium conscientiam suam: Probibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.*

Verum talibus dictis Domini Episcopi, hi, qui paulo ante sibi videbantur insuperabiles verbo, nec ullo verbi genere posse constringi, verborum gravitate, & manifesta Dei virtute ita obstupefacti steterunt, ac si nunquam ullum sermonem didicissent contradicendi, multique ad omnia hoc solum potuerunt respondere, ita sibi videri, nec alio Christianæ salutis summam consistere posse, quam in his; quæ in præsentia Episcopus enarrasset. Ad quos Episcopus: Si hæc, inquit, ita esse creditis, deponentes tantæ perfidiam incredulitatis, nobiscum hanc hæresim cum suis auctoribus, nisi resipuerint, damnantes excommunicate. Tunc Episcopus, & omnes qui aderant Abbates, atque Archidiaconi, Clerusque omnis, simul favente populo, ita incipiunt.

Hanc hæresim, (*a*) quæ hodie contra veram, & Catholicam Ecclesiam inventa est, quæ videlicet baptismum ad abluendam originalis culpæ maculam, & actualia delicta, nihil profuturum contendit, & per pœnitentiam peccata nequaquam posse relaxari profitetur: & quæ sanctam Dei Ecclesiam, & Sacrosanctum Altare, atque Dominici corporis, & sanguinis Sacramentum nihil esse aliud, nisi quod corporis oculis intuetur, & hoc tamqum vile negotium respicit; & quæ legitima connubia devitat: Hanc, & omnes, qui eam affirmant, damnamus, & anathematizamus. Profitemur enim secundum fidem Evangelicam, & traditionem Apostolicam nullum posse salvari, nisi per aquam regenerationis: ut ipse Dominus ait: *Nisi* (b) *quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Peccata vero, quæ post baptismum suadente diabolo, & propria voluntate contrahunt homines, confitemur per pœnitentiam non solum relaxari; verum ipsam Divinam gratiam posse promereri, cum

(*y*) Rom. X, 3. & seq. (z) I. Tim. IV, 1. & seq. [*a*] *abjuratis Hæreseon.* (*b*) Joan. III, 5.

cum per eam videamus peccatricem Mariam mundatam, Zachæum justificatum, Petrum post lapsum relevatum, latronem intra Paradisum receptum.

Credimus autem sanctam Ecclesiam communem omnium fidelium matrem, nullumque ad eam, quæ in cœlis est, posse pervenire, nisi per hanc, quæ in terris est, acquisitus fuerit. Sacramentum autem Dominici corporis, & sanguinis hoc a Deo confitemur esse pignus nostræ redemptionis, & salutis, de quo Dominus ait: *Nisi* (b) *manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Et iterum: *Caro mea* (c) *vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Quod corpus & sanguinem, secundum quod ipse ait: *Accipite* (*d*) *& manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum: & bibite* (e) *ex hoc omnes, hic est enim calix sanguinis mei;* indubitanter profitemur eamdem esse carnem, quæ ex virgine nata in cruce passa, de sepulchro levata, super cœlos exaltata, sedet in paternæ Majestatis gloria. Hoc qui audit incredulus, huic nec Christus natus, nec passus, nec sepultus est, nec cum Christo partem beatæ resurrectionis obtinebit. Quod mysterium non alias potest sanctificari, nisi super Sacrosanctum Altare, quod de terra sibi Dominus per Moysen instituit fieri.

Connubia autem, quibus concessa sunt, Dominus & discipuli ejus, Doctorque gentium, licentiam dedit, & legitima servare instituit. &c.

Si quis autem contra hanc Catholicam institutionem senserit, sortem inter fideles habere non poterit. Verum, quia illi qui paulo (ante) hæretica infidelitate tenebantur, hæc quæ latina oratione dicebantur, non satis intelligere poterant, audita *per interpretem vulgarem* excommunicationis (sententia) expositaque sacræ fidei professione, pari voto se, & quod damnatum fuerat, abjurarunt) & quod a fidelibus creditum fuerat, credere se professi sunt. Sed ad confirmandum suæ fidei testamentum, unusquisque eorum in modum crucis hujusmodi † quemdam characterem conscripsit, ut hoc illis signum in extremo judicio, si fidem hanc servarent, repræsentaretur ad salutem; si autem prævaricarentur, fieret eis in confusionem. Sic itaque omnes Deo gratias in commune reddentes, & a Domino Episcopo benedictionis munere donati, redierunt feliciter in sua.

D'acherii in Spicilegio editionis anni 1723. *Tomo I. a pag.* 607. *ad* 624.

Feliciſſimus exitus hujus Concilii observatione dignus, Concilium lingua latina celebratum fuit, uti & pœna excommunicationis in hæreticos lata: quæ lingua cum hæreticis ignota esset, vulgari populari lingua doctrina catholica Concilii & reprobatio erroris damnati iisdem explicata fuit per interpretem utriusque linguæ peritum: tum Dei gratia promovente & adjuvante zelum Episcopi Gerardi: hæretici pœnitentes veræ fidei professionem sibi propositam palam amplectuntur. 2. Errores suos damnatos abjurant. 3. Cum scribendi rudes essent, formato † signo signarunt factam professionem: & in pace ab Episcopo benedicti ad sua jam Catholici revertuntur.

(*b*) Joan. VI, 54. (*c*) Ibidem v. 55. (*d*) Matth. XXVI, 26. (*e*) Ibidem v. 27.

SYNODUS WORMATIÆ

Anno Christi MXXVII. Joannis XIX. Papæ IV. Conradi II. Regis III. Imp. I. (*a*)

SUMMA. Juramentum insolens a Metropolitano exactum a Suffraganeo Episcopo consecrando, moderante Imperatore Conrado, nonnihil laxatur.

JAm annus fere elapsus erat, ex quo Bruno in Tullensem Ecclesiam regendam cooptatus, necdum tamen ordinatus fuerat, moras nectente Poppone Archi-

chi-Episcopo ob promissum insolitum quod ab eo exigebat. Morarum impatiens Conradus Imperator utrumque Wormatiæ in frequenti Episcoporum ac Procerum cœtu adesse jubet, & formula Sacramenti nonnihil laxata, ut scilicet Bruno in arduis tantum Ecclesiæ rebus Archi-Episcopum consuleret, evicit, ut Bruno quantocyus consecraretur. Consecratus fuit Tulli Episcopus V. Idus Septembris h. a.

Mabillon. Annal. Benedictin. Tomo IV. Lib. LVI. pag. 332.

(a) Fuit Conradus a Joanne XIV. die Paschatis anni hujus Romæ Imperator coronatus: præsentibus duobus Regibus Rudolpho Burgundiæ, Cnuthone Angliæ, tum multis Episcopis, Proceribus & Abbatibus Germaniæ.

SYNODUS IN FRANCONOVORDE

Anno Christi MXXVII. Joannis XIX. Papæ IV. Conradi II. Regis III.

SUMMA. Godehardus Hildesiensis Episcopus testimonio septem Episcoporum probat suam jurisdictionem in Gandesheim. §. 2. Nondum Aribo cedit suo juri. §. 3. Sophiæ Abbatissæ Nonnæ suæ restituuntur. §. 4. Gebehardus frater Regis tondetur.

EOdem item anno Aribo Moguntinus Archi-Episcopus Franconevorde Concilium Synodi habuit cum Episcopis XXIII. in quo iterum beatum Godehardum de sæpius præventilata causa more suo inquietavit. Pulchra siquidem ibi erat etiam rationabiliter tam Regalis, quam & Episcopalis confessio. Nam in *Orientali parte* ante altare Archi-Episcopus Aribo cum suis Suffraganeis, Werinhero Argentinensi, Brunone Augustensi, Meinwerco Patherbrunnensi, Eberhardo Babenbergensi, Meinhardo Wirceburgensi, Brantago Halberstadensi, Godehardo Hildinisheimensi, Hazecone Wormatiensi, Wiggero Fardensi consedit. *In Occidentali parte* Imperator consedit, & *a dextris ejus* Piligrimus Coloniensis Archi-Episcopus cum sibi subditis, Sigiberto Mindensi, Sigifrido Monasteriensi, Bennone Trajectensi. *A sinistris ejus* Hunfridus Partenopolitanus Archi-Episcopus cum suis, Hildiwardo Cicensi, Brunone Mersburgensi, Liuzone Brandeburgensi, Thioderico Misnensi. *In Australi autem parte* Episcopi Rambertus Wirdunensis, Rodolfus Sleswicensis, Hildolfus Mantuanus, Reinoldus Aldenburgensis assederunt. *In Aquilonari etiam* Abbates: Richardus Fuldensis, Reinboldus Lorisheimensis, Arnoldus Herveldensis, Gerbertus Mogontinus cum aliis etiam ejus ordinis sex adfuerunt. Ibi tandem Præsul Godehardus summa veritate, quæ Christus est, miserante pariter & adjuvante, Episcopatus sui proprietatem super totum Gandersheimense territorium testimonio septem Episcoporum, qui prædictam pactionem in Gandersheim & audierant, & viderant, canonice retinuit, scilicet Brunone Augustensi concionante, Werinhero Argentinensi decernente, ipso verò Metropolitano vere invito verbi Dei banno affirmante. Hi enim erant Episcopi, qui suum testimonium sicut viderant & audierant, præbuerunt: Bruno Augustensis, Everhardus Bavenbergensis, Meinwercus Paderbrunnensis, Meinhardus Wirceburgensis, Sigibertus Mindensis, Hilliwardus Cicensis, Bruno Mersburgensis.

§. II. In hac Synodo Donna Sophia Abbatissa Gandersheimensis Nonnas suas, cogente synodali decreto ab Archi-Episcopo recepit.

§. III. In eadem Synodo Gebehardus juvenis frater Imperatoris, arma compulsus deposuit, & clericalem tonsuram invitus accepit.

Mabillon. Annal. Benedictinorum T. IV. Lib. LVI. ex chronico MS. inedito.
Annalista Saxo Eckharti Tomo I. corporis Historici medii ævi pag. 458. 459. ad hunc annum.
Hildenesheimense Chronicon ad h. a.

SYNODUS MOGUNTINA IN GEITZLICE (*a*)
SUB ARIBONE ARCHI-EPISCOPO.

SUMMA. Causæ Gandersheimensis denuo tentata compositio, sed non effecta.

§. I. EO anno iterum Aribo Synodum suam Geislizæ concivit, ad quam item seniorem nostrum Godehardum inquietandum Legatis & scriptis vocavit. Quo ille ire dissimulans, venerabilem virum Tadilonem, (*b*) Decanum nostri cœnobii, cum fratribus obviam ei misit, qui eum honorifice ex parte senioris salutando, de præteritæ Synodi diffinitione commonuit, & plurali altrinsecus auctoritatum, collatione profusa Episcoporum auxilio, eum ab ipsa repetitione tunc tantummodo composuit.

Biographus S. Godehardi apud Leibnitz. Tom. I. Script. Brunswic. p. 493.

Leuckfeld. in antiquit. Halberstadensibus ad annum 1028. *refert Synodum.*

Sed si annus Synodi Francofurtensis legitimus est, quem Schatenus & alii ad 1027. *referunt, sequitur eodem anno in Geitzlice Synodum coactam fuisse.*

§. II. In eadem Synodo in Geitzlere inter cætera Ecclesiastica quidam homo ingenuus de homicidio Sigefridi Comitis incusatus, candenti se ferro expurgavit, qui ex decreto synodali post duas noctes probatus, illæsus apparuit.

Annales Hildesemenses apud Leibnitz. Tomo I. Scriptor. Brunsw. p. 725. *sed ad annum* 1028.

Iidem Annales ultimatam reconciliationem referunt ad 1030.

(*a*) *Geislar* nunc dicitur. (*b*) *Tachilonem* alii legunt.

SYNODUS IN MERSBURCH
ANNO CHRISTI MXXVIII. JOANNIS XIX. PAPÆ V. CONRADI II. REGIS IV. IMPERII II.

EOdem anno Pentecosten *in Mersburch* celebravit, ubi Aribo Archi-Episcopus & Godehardus Episcopus inter se super diutina eorum disceptatione reconciliati sunt. Nam ipse Metropolitanus patrem Godehardum secreto coram Episcopis convenit, seque errasse super Parrochia Gandirsheimensi confessus est, & omnem fraternam satisfactionem, sed & de præterita lite perpetuam taciturnitatem sub vero Christi & Ecclesiæ testimonio promisit, sibique priora errata propter Deum remitti suppliciter petit.

Annalista Saxo Eckharti Tomo I. Script. medii ævi ad 1029.

Leibnitz. in vita S. Godehardi T. I. p. 493. *Anno proximo post Synodum in Palithi, adeoque* 1030. *cui Leuckfeld in antiq. Halberstad. consentit.*

Serarius in Moguntiacis ad annum 1029. *pag.* 732. *primæ editionis.*

SYNODUS IN PALITHI
ANNO CHRISTI MXXIX. JOANNIS XIX. PAPÆ VI. CONRADI II. REGIS V. IMPERII III.

ANNO Dominicæ Incarnationis MXXIX. Imperator in *Palithi* (*a*) Natale Domini celebravit, ubi prædictus Archi-Episcopus iterum Synodo habita veterem querelam contra beatum Godehardum præsente Imperatore incœpit, sed post multa & varia disceptationum colloquia, vix tandem ab Episcopis commonitus, destitit.

Vita Godehardi pag. 493. *videtur referre ad annum* 1028.

Annal. Hildesheimenses pag. 725. *apud Leibnitz. Tom. I. Script. Brunswic.*

Leibnitz. ad annum 1029. *refert.*

[*a*] *cum Episcopis XI.* addunt Annales Hildeshemensis apud Leibnitz. pag. 725.

SYNO-

SYNODUS PADERBORNENSIS

ANNO CHRISTI MXXIX. JOANNIS XIX. PAPÆ V. CONRADI II. REGIS V.

SUMMA. *Aribo Archi-Episcopus Moguntinus ab Imperatore Conrado & confratribus facultatem petit Romæ limina Apostolorum invisendi, & obtinet.*

NAtalem Christi (*a*) Imperator Patherbornæ egit, ubi Aribo Metropolitanus in sancto die inter Missarum solemnia publico sermone habito licentiam ab Imperatore Conrado & confratribus Romam pergendi rogavit, simulque a clero & populo indulgentiam sibi a Deo impetrari postulavit. Sicque post Purificationem sanctæ Mariæ iter assumens, Romam adiit.

Inde vero digrediens VIII. Idus Aprilis, (*b*) obiit anno Ordinationis suæ XI. cunctis certe Catholicis merito flebilis, quia in omni Ecclesiastica Religione erat vere laudabilis.

Biographus S. Godehardi apud Browerum Cap. X. pag. 35.
Apud Leibnitz Tom. I. Scriptor. Brunswic. Cap. IV. pag. 494.
Serarius in Moguntiacis pag. 732.

(*a*) Hic est initium anni 1030. apud Scriptores hujus sæculi: sed nostro hodierno calculo spectat hæc Synodus ad 1029.

Hermannus Contractus, *Lambertus Schaffnaburgensis* anno 1031. Aribonem mortuum scribunt, *Marianus Scotus anno* 1030.

(*b*) Cumis, hodie Novocomi, in Italia mortuum scribunt *Annal. Hildesemenses pag.* 726. *Leibnitz. Tom. I.*

SYNODUS TRIBURIENSIS

ANNO CHRISTI MXXX. JOANNIS XIX. PAPÆ VI. CONRADI II. REGIS VI.

Caput unicum superest de tempore jejunii quatuor temporum in Quadragesima servando.

HOc tempore Triburiæ secus Moguntiam Imp. Chonradus de diversis partibus Episcopos convocavit, ut quæ utilitatis & religionis sunt, adinvicem conferrent. Qui post aliqua dictorum suorum hoc habuerunt capitulum; ut, si quando jejunium primi mensis in ea hebdomada, qua constat caput (*a*) jejunii, sicut solet, eveniret: amborum jejuniorum celebritas una officii expletione compleretur. In hoc rursus moderatissimus Pastor, Gerardus Cameracensis Episcopus, antiquam patrum consuetudinem servari monebat, & in altera hebdomada officium primi jejunii celebrandum pro consuetudine antiqua censebat: Cujus oblata sententia visa est congrua, & ab eis decreta est tenenda.

Balderici Chronicon Cameracense & Atrebat. Lib. III. Cap. LI.

Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad annum 1030. refert; sed in textu addit: *Hoc tempore*, quasi non annum; sed circa hoc tempus factam Synodum denotaret.

Hermannus Contractus ad 1035. Synodum magnam apud Triburiam collectam ab Imperatore scribit: sed de actis vel decretis Synodi nil habet: Baldericus nullum annum addit: hinc secuti Sigebertum retulimus ad 1030.

[*a*] *Caput jejunii* dicuntur 4. dies a feria IV. Cinerum ad primam Dominicam Quadragesimæ: intra eos olim alicubi jejunium quatuor temporum agebatur: nunc in prima hebdomada sequente, uti in hac Synodo Triburiensi definitum fuit, jejunium quatuor temporum servamus.

Martius vocatur ſtilo Eccleſiaſtico primus menſis, etſi jam a tempore Julii Cæſaris tertius eſſet, & nunc ſit tertius anni noſtri menſis; attamen jejunium quatuor temporum quod in prima hebdomada Quadrageſimæ ſervatur; vocatur jejunium primi menſis ſive in Februario, ſive in Martio celebretur.

Tempus hujus Synodi, ſi anno 1030. habita, fuit inter Paſcha & Pentecoſten.

Paſcha anni 1030. celebravit Conradus apud Ingelheim. Ibi Imperator ducatum Alemanniæ Hermanno juniori, fratri Erneſti, hoc ducatu ſpoliati, dedit, eumque Wormanno, Conſtantienſium Epiſcopo, commendavit. Imperator vero commune conſilio omnium Principum Regni eundem Erneſtum, & cunctos juſtitiæ, & paci reluctantes, ab Epiſcopis excommunicari fecit, eorumque res publicari juſſit. Poſt Synodum Triburienſem Pentecoſten in Merſeburg celebravit.

Wippo pag. 436.

GERARDI CAMERACENSIS EPISCOPI,
TUNC PAROCHIÆ REMENSIS IN FRANCIA SUFFRAGANEI,

Confutatio mandati, a quibuſdam Franciæ Epiſcopis vulgati, & fictarum literarum a cœlo ſcilicet delatarum.

Iſtiusmodi decretum a Franciæ Epiſcopis datum eſt ſervari ſubjectis ſibi populis.

Unus eorum dicit, *cœlitus ſibi delatas* eſſe litteras, quæ pacem monerent renovandam in terra. Quam rem mandavit cæteris, & hæc tradendi dedit populis. Arma quisque non ferret: direpta non repeteret: Sui ſanguinis vel cujuslibet proximi ultor minime exiſtens, percuſſoribus cogeretur indulgere: Jejunium in pane, & aqua omni ſexta feria ſervarent, & in Sabbato, a carne, & liquamine abſtinerent: ſoloque hoc contenti jejunio, in omnium peccatorum remiſſionem nullam ſibi aliam adjiciendam pœnitentiam, & hæc Sacramento firmarent. Quod qui nollet, Chriſtianitate privaretur, & exeuntem de ſeculo nullus viſitaret, nec ſepulturæ traderet.

Alia quoque importabilia quam plura dedere mandata, quæ oneri viſa ſunt replicare. Hanc mandatorum novitatem, cum multi cupidi novarum rerum libentius juſto amplecterentur; *Gerardus*, *Cameracenſis* (a) *Epiſcopus*, qui ſolus Lotharienſium appendebat ad Parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad hæc ſuſcipienda, ſed ſingula capitula refellebat; dicens: genus humanam ab initio trifariam eſſe diviſum, in orantibus, pugnatoribus agricultoribus: & unum duorum, & duos unius egere auxilio; ideo debere arma ferri, & rapinas reddi pro authoritate legis & gratiæ, ultorem percuſſi vel occiſi non exacerbari cogendo, ſed ſecundum Evangelium ei reconciliari: jejunium in ſexta, & ſeptima feria, nec omnibus unum eſſe imponendum, quia non eſt una omnibus poſſibilitas: nec omnes hoc uno jejunio contentos eſſe, quia non eſt una omnium pœnitendi qualitas: Hæc Sacramento firmare, vel Sacramentali violationem perjurio augere, non eſſe utile: his contradicentes excommunicari, infirmis viſitationem, vel mortuis ſepulturam negari, eſſe deteſtabile: ſufficere authentica patrum decreta, & ſuper his neglectis impoſitum congruenter pœnitentiæ modum.

Sigebertus Gemblacenſis in Chronographia ex editione Struvii.

(*a*) Cameracenſis, Belgii Epiſcopus, ſpectabat ad Metropolim Remenſem, quæ erat Belgicæ ſecundæ caput, cujus Synodum doctiſſimam retulimus anno 1025. Gerardus hic Cameracenſis ſimul & Atrebatenſis Epiſcopus ſedit ab anno MXI. ad annum Chriſti MXLIX. ita *Bucelinus in Germania Sacra.*

Quæ

Quæ Sigebertus refert ad 1032. Hæc exemplar Sigeberti MS. apud Miræum refert ad annum 1033. De iisdem Baronius ad 1133.

Reapſe hoc tempore multa in Galliis celebrata fuere Concilia: in quo vero vel hæ literæ fictitiæ, vel errores approbati, aut reprobati fuerint, non conſtat.

SYNODUS CONSTANTIENSIS

ANNO CHRISTI MXXXIII. JOANNIS XIX. PAPÆ IX. CONRADI II. REGIS IX.

SUMMA. *Bern, Abbas Augiæ divitis, cogitur uſum Epiſcopalium inſignium, Romæ obtentam, a ſe abdicare.*

BERN, Abbas Augiæ, Miſſis Romam cœnobii ſui privilegiis, a Joanne Papa item privilegium cum ſandaliis, ut Epiſcopalibus indumentis Miſſas ageret, accepit. Unde *permoto* (*a*) a Warmanno, (*b*) Conſtantienſi Epiſcopo, apud Imperatorem (*c*) Conradum, quaſi ſui pervaſor officii & honoris, accuſatus, eo uſque ab utriſque coartatur, donec idem cum ſandaliis privilegium ipſi Epiſcopo traderet, publice in Synodo ſua, id eſt *in Cœna Domini*, ſequentis anni incendendum.

Hermannus Contractus in pleniori editione Struvii pag. 277.

(*a*) forte: *a permoto*, hac uſurpatione Abbatis Epiſcopo Warmanno. Nam alias, quid ſibi hic velit *permoto*, non video.

(*b*) Warmannus: Comes Dillingenſis & Riburgius, Epiſcopus Conſtantienſis ex monacho Augiæ divitis, ſedit ab anno 1026. ad 1034. inſigni doctrina & ſapientia præditus, *judice Bruſchio.*

(*c*) Conradus II. Rex anno 1033. Natalem Domini Argentinæ celebravit, ubi Warmannus accuſavit veroſimiliter Abbatem Bernonem Epiſcopalia indumenta affectantem.

SYNODUS TRIBURIENSIS

ANNO CHRISTI MXXXVI. BENEDICTI IX. PAPÆ III. CONRADI II. REGIS XII.

SUMMA. *I. Renovatio canonum in prioribus Conciliis ſtatutorum.*
II. Augmentum eorum.
III. Divortium conjugum auditis juratis teſtibus de impedimento.

CONRADUS Triburiam tendens poſt Paſcha Ingelheimii celebratum, generali ibidem Synodo præſedit:

I. In qua germanitas Epiſcoporum priora decreta redintegravit,

II. Et etiam ad augmentum ſanctæ Eccleſiæ neceſſaria confirmavit.

III. Ibidem Otto de Suinvord, filius Henrici Marchionis, Machtildem filiam Bolezlavonis Polonianorum Ducis, anno ſuperiore ſibi Bavenbergæ deſponſatam, juramento a ſe abalienavit.

Annales Hildeſemenſes Leibnitz. Tomo I. pag. 328.

Chronographus Saxo pag. 244.

Annaliſta Saxo Eckharti Tomo I. Script. Hiſtoriæ pag. 464.

HOLTHAUSEN CONVENTUS SYNODALIS
SUB GODEHARDO HILDESIENSI EPISCOPO.
Anno Chriſti MXXXVI. Benedicti IX. Papæ III. Conradi II. Regis XII.

SUMMA. Hildewinus quidam Presbyter, ex paupertatis gradu aliquantum ſublimatus, ab Imper. Henrico ob certas cauſas humiliatur; attamen a Godehardo, Epiſcopo Hildeſienſi, cujus callide animum ſibi devinxerat, denuo exaltatus, factus inſolentior & arrogantior, omnium odium ſibi concitavit. Demum mendax reſponſum Epiſcopo datum, morte intempeſta luit.

" PRæſul poſt aliquot annos de talibus clarius certificatus, & ſuper eos, qui injuſte lædebantur, aliquando ad veniam inclinatus, die quadam convenire de noſtra congregatione Præpoſitum & Decanum cum aliquot fratribus, cæterisque ſuis Primoribus *Holthuſen* villa Epiſcopali, ubi tunc forte manebat, mandavit, aſſidente etiam viro venerabili, ſuo ex ſorore nepote, Rathmundo, Altahenſis cœnobii Abbate, præſente eodem Presbytero, omnibus, qui ſe ab eo læſos querebantur, coram licentiam fandi donavit.

" Querebantur enim omnes ſimul, primo generale Eccleſiæ & Epiſcopalis honoris ſcandalum; deinde cives & hoſpites quiſque ſpeciale injuriarum ſui detrimentum. Quibus ille auditis, quaſi inſultando, ut erat callidiſſimus, ſubriſit, & velut admirans, quæ hæc eſſent, inquiſivit, ac deinde commentis mundanæ ſuæ ſapientiæ, qua plane plenus erat, quæ vere ante Deum ſtultitia computatur, ut in ipſo manifeſte patuit, objecta quæque eloquenter repulit, omnesque ſibi adverſantes mirabiliter quaſi mutos & elingues reddidit.

" Pius Præſul tandem Spiritu ſancto compunctus, & inſuper etiam mirabili ſtupore permotus, conſiderans pariter & manifeſtam rerum veritatem, & fiducialem cordis ejus temeritatem, illico omnium voces compeſcuit, & modificato ſermone, cunctis admirantibus, ita incepit: " Hildwine, *inquit*, ſic enim vocabatur, Ecce omnes circumſtantes, ut tibi videtur, viciſti; Ecce omnes ſubtilitate tua, Deo veritatem inſpiciente, quaſi mendaces oſtendiſti: Jam modo ad me convertere, & ſoli mihi, per Chriſtum adjuratus, veritatem reſponde. Evangelica, *inquit*, te ſententia aggredior, & quia ſenſum Evangelicum non plane ſapis, te Teutonico ſermone alloquor: Hilduine, *inquit*, diligis me? Ille ſtatim fiducialiter: vere, ait, diligo te. Item Epiſcopus: Hildewine, *inquit*, diligis me? At ille, certe, *ait*, diligo te. Itemque Epiſcopus tertio: Hildewine, *inquit*, diligis me? Tandem ille miſer, Evangelico illo exemplo ſtupefactus, ſed non rite, proh dolor! compunctus, irato pariter, ac flebili ſermone reſpondit: Deus, *inquit*, qui omnia ſcit, ipſe ſcit, quia vero diligo te. Tunc Præſul: Ecce, *inquit*, ſiquidem verum dicis, mihi ſatis feciſti, ſin autem decipis, temetipſum mirabiliter obligaſti: ſed, ſi me, ut dicis, fideliter diligis, paſce oves meas, id eſt, dilige fratres & amicos meos, etiam hoſpites & pauperes meos: dilige conſervos, & domeſticos tuos. Unde & per Deum te commoneo, ut ſi vere juraſti, te in veritate cuſtodias; ſi quominus, digne pœniteas: & ſub hoc pacto jam domum regredere, & dignitate pariter ac beneficio, ac proprietate tua, in gratia mea, ſiquidem Deus annuerit, utere. Sicque conventum illum, cunctis admirantibus pariter, & paventibus, dimiſit.

Notat

Notat deinde Auctor, quod, cum Hildewinus lætus inde domum regressus fuisset, die sequenti mane celeriter surgens, calciamenta citius induit, sed ad induendas tunicas assurgens, *concitus corruit*, & mirabili celeritate præoccupatus miserabiliter exspiravit. *Biographus S. Godehardi Episc. Hildeshemensis apud Leibnitz.*

ADALBERO,

PRÆPOSITUS S. PAULINI,

VARIA DONAT MONASTERIO S. MATTHIÆ JUXTA TREVIROS.

IN nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Quoniam illas solummodo possessiones credo in æternum mansuras, quas pro Dei amore aliquis expendat feliciter; idcirco ego Adalbero, Dei gratia præpositus S. Paulini Trevirensis, Dominus de Ruxhejo, de Serico, de Sarburgh, & de Berncastel, certissima fide credens secundum scripturam: *Sicut aqua extinguit ignem*, (a) *ita Eleemosynis redimi posse peccata*; quia præsens vita statum nescit præstare beatum, cum sit inæqualis, nunc lucida, nunc pluvialis: timens instabilitatem loci, & personarum: attendens mutationes rerum assiduas, vitamque hominis non esse diuturnam, ignorans, quid crastina dies pariat, illum, qui *redditurus* (b) *est unicuique, prout gessit, sive bonum, sive malum*, mihi placare desiderans. Idcirco Deo, cui omnia debentur, pro animabus parentum meorum, & pro peccatis meis maximis, quibus Deum ultionum, personas Ecclesiasticas, (c) Monasteria nimis graviter offendi, curtes ipsorum destruendo, & deprædando bona ipsorum; aliquid de meis proprietatibus, quas ipso jubente Deo, habere jussus sum, offerre disponens, sanus, & incolumis, quia satis Deo carum non est, qui illi hoc dat, quo ipse perfrui non potest; trado ac tradidi, lego & legavi villas meas *Nenniche* (d) *Palecken*, *Dilmere*, & *Helefelt*. Item villas meas proprias *Hintre*, *Balderingen*, *Lampaden*, & eo attinentia, & curtem meam (e) *Bermeroth*, beatis Patronis, & Dominis meis, EUCHARIO, VALERIO, & MATERNO, cum pascuis ovium, & pecorum, in terminis villarum prædictarum (f) *Wiltinck* videlicet, & *Emmelde*, ego vero, dictus præpositus, Deum habens præ oculis, & justitiam, curtem Abbatis sæpe dictam expedivi in hunc modum.

Pascua curtis prædictæ *Bermeroth* extenduntur in terminis illorum de *Wiltinck* usque ad magnam sylvam illorum de Wiltinck, & ad arborem, quæ vulgariter dicitur Melbaum. Item pascua curtis sæpe dictæ, in terminis illorum de *Emmelde*, extenduntur usque ad rivulum, qui descendit de monte *Pillinck*, & de monte Buysiris juxta vineas eorum de *Emmelde*, mediante censu, quem curia prædicta forestariis, & villicis de *Wiltinck* & *Emmelde*, pastoribus, & villico ab antiquo solebat persolvi, in signum perpetuæ possessionis pascuorum prædictorum. Item jura, & exactiones venationum, quas ego & antecessores mei apud prædictas villas habere videbantur, Wiltinck videlicet, & Emmelde, pro pascuis prædictis, & propter suffragia beatorum Eucharii, Valerii, & Materni (g) Werpivi, & afestucavi, ad petitionem Abbatis prædicti Bertolfi.

Ut autem hæc donatio, sive legatum, sive collatio a me facta, robur habeat perpetuæ firmitatis, & inconvulsa omni ævo, & tempore valeat permanere, sigillum

(*a*) Eccl. III, 33. (*b*) Matth. XVI, 27. Roman. II, 6.
(*c*) Monasteria nimis graviter offendi curtes ipsorum destruendo & deprædando bona ipsorum; confer cartam sequentem ejusdem Adalberonis.
(*d*) Paltzeln. [*e*] *bodie* Benrod. (*f*) Wiltingen.
[*g*] *Werpivi*, & *afestucavi*] hodie significatur rei abdicatio, & traditio alteri facta; qui enim rei Dominium in alium transferebat, aut illius juri renuntiabat, festucam, seu stipulam possessori tradebat in signum Dominii translati; vel eam in terram projiciebat, tanquam re, quam in alium transferebat, se exueret. *Vid. Du Fresne in Glossar. verb. Festuca. & verb. Guerpire.*

gillum Reverendi Patris ac Domini noſtri Popponis, Dei gratia Trevirorum Archiepiſcopi, ad meam ſupplicationem, & humilem petitionem, præſentibus una cum ſigillo meo eſt appenſum.

Et nos Poppo Dei gratia Trevirenſis Archiepiſcopus jam dictus, ad rogationem, & petitionem venerabilis viri, Adalberonis præpoſiti S. Paulini Trevirenſis, ſigillum noſtrum dignum duximus apponendum præſentibus, & appoſuimus in teſtimonium veritatis. Acta autem hæc donatio ſolemniter in Eccleſia Trevirenſi, præſente venerabili Domino Poppone Archiepiſcopo Trevirenſi, (b) Theodorico Epiſcopo Metenſi ſecundo, Bertolfo Abbate prædicti Monaſterii, Godefrido Duce, Gerhardo Comite, Bertolfo Comite, Friderico Comite, ejuſque fratribus Sigilberto, & Theodorico, Hermanno Comite, & duobus Arnolfis, uno de Salmana, altero de Negelbach, & multis aliis Prælatis, Clericis & Laicis. Anno Dominicæ incarnationis MXXXVI. indict. III. Conrado Sereniſſimo Imperatore imperante, Epiſcopatus autem Domini Popponis Archiepiſcopi Trevirenſis XX.

(b) Theodorico Epiſcopo Metenſi, fratre Adalberonis Præpoſiti. Ambo erant filii Sigefridi primi Comitis Luxemburgenſis, & fratres Cunigundæ Imperatricis conjugis S. Henrici.

Illuſtriſſimus Honthemius Tomo I. Hiſtoriæ Diplomaticæ Trevericæ pag. 268. cujus & Notæ adjectæ ſunt.

SYNODUS PROVINCIALIS TREVERENSIS,

Anno Chriſti MXXXVII. Benedicti IX. Papæ V. Conradi II. Regis XIII.

SUMMA. §. I. Tranſlatio Reliquiarum S. Materni, & Dedicatio Eccleſiæ. §. II. Adelberti & Judithæ Lotharingiæ Comitum donatio facta Eccleſiæ S. Matthiæ.

§. I. " Reſolidatam itaque (*Baſilicam*) " & in priſtinum reformatam " ſtatum, pretioſis B. Materni reliquiis " a loco ſepulchri cum comprovincia- " lium Epiſcoporum coram poſitorum " ac totius Diœceſis ſuæ cleri & populi " utpote *Synodum* gratia, jam, ut ita di- " cam, perindie heri & hodie celebrante " ibidem Treveri, congregatorum an- " niſu, XII. Kal. Nov. tranſlatis, illu- " ſtravit, atque dedicavit, dedicatam " donativis pluribus, quibus ab Impe- " ratoribus videlicet Henrico II. & Con- " rado ſimiliter II. Itemque Henrico " Rege quidem III. Imperatore autem II. " ſicut in præceptis illorum de Treveri " continetur, honoratus fuerat, magni- " fice ditat.

Vetus Scriptor geſtorum Treverenſium apud Illmum Hontheim prodromi Hiſtoriæ Trevericæ parte poſteriori pag. 753.

Browerus Annal. Trever. Lib. XI.

" Cum ædem primariam (Poppo) " egregiis operibus jam inſtauraret, " convocatis Trevirim, Theodorico " Metenſi, Lamberto Virdunenſi, & " Brunone Leucorum Suffraganeis ſuis " *Conventum* habuit Provincialem, cui " univerſus etiam Trevirenſis Clerus in- " terfuit. Synodum hanc non præſen- " tia magis ſua, quam ope benignitatis " inſigni & heroica munificentia conde- " corarunt Adelbertus ex Lotharienſium " ſtirpe Dynaſta. & ejus uxor Juditha.

Browerus Annal. Treverenſ. Lib. XI. ad hunc annum.

Adelbertus, Marchio Lotharingiæ, donat Monaſterio S. Matthiæ villam Weiskirchen. Data in Synodo ſancta Venerabilis ſancti Popponis Archi-Epiſcopi Treverenſis, præſente ipſo Archi-Epiſcopo Poppone, Theodorico Epiſcopo Metenſi ſecundo, & Bertolfo Abbate prædicti Monaſterii, & multis aliis Prælatis, Clericis & laicis in Eccleſia Treverenſi MXXXVI. Menſe Junio.

Inſinuatur ab Illmo Honthemio in parte priori Prodromi Hiſtoriæ Treverenſis pag. 318.

§. II.

§. II. *Donatio villæ Momendorff facta Abbatiæ S. Matthiæ Trevir. per Adalbertum Marchionem Lotharingiæ, & Juditam uxorem ejus in hac Synodo.*

IN nomine Domini, amen. Mortalium facta, nė simul cum memoria hominum fragili labantur, scripturæ apicibus solent perennari. Nos igitur (*a*) Adalbertus Marchio Lotharingiæ, & Judita uxor mea, universis tam præsentibus, quam futuris, has literas visuris, seu legi audituris, volumus esse notum, quod sancti David Prophetæ verbis incitati & moti, dicentis: *Dispersit* (b) *dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria*; nostrorum parentum vestigia imitari volentes, qui ob cœlestis Regis gratiæ obtentum de terrenis facultatibus sibi commissis, divinitusque indultis, Ecclesiæ plurima contulerunt, saluti nostræ similiter consulere cupientes, aliquid in Gazophylacium Domini cum vidua paupere mittere studentes, famulantibus in Domo Domini subscripta decrevimus conferre. Quapropter ob reverentiam sanctorum *MATHIÆ Apostoli, EUCHARII, VALERII, & MATERNI, Discipulorum Domini nostri JESU CHRISTI*, vivi & sani mente & corpore, communi manu, voluntate libera, sine omni hæsitationis contradictione, villam nostram Mamendorff cum Ecclesiis, decimis, curtibus, ædificiis, familiis, mancipiis utriusque sexus, campis, agris, pratis, pascuis, sylvis, venationibus, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus in flumine (quod ibidem transit a loco, ubi duo fontes oriuntur, supra villam Selewiggen, quorum fontium unus dicitur Oppenburnen, alius Milburnen, ut nullus in confluxu eorundem fontium aliquod ædificium construere præsumat sine Abbatis, & conventus consensu, usque ad locum illum, ubi dictorum fontium confluxus fluit in magnum flumen Sare) vicis, viis & inviis, exitibus, & reditibus, terris cultis, & incultis, quæsitis, inquirendis, ac cum universis appendiciis, & adjacentiis suis, Monasterio prædictorum Sanctorum, extra muros Trevirenses sito, conferimus, tradimus, & donamus manu communi, per præsentes inter vivos, perpetuo tenendam, quiete & possidendam. Volentes, & stabili testamento confirmantes, ut nullus Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum, Comitum, nepotum, seu hæredum nostrorum, in villa prædicta, seu ejus attinentiis superius expressis, sibi aliquod jus in gravamen, & præjudicium Monasterii præfati possit usurpare, aut de cætero valeat vendicare. Præterea decimam nostram in *Wiis* cum omni jure, & attinentiis suis: item decimas villarum nostrarum, videlicet *Devechingen*, *Beringen*, *Gundelvingen*, *Bettingen*, & *Selvingen*, *Gerlevingen*, cum omni jure, & attinentiis suis; item decimam in *Betersdorff* cum omni jure, & attinentiis suis; item villam *Wegingen* cum decima ibidem; item villam nostram *Weiskirch* cum decima ibidem, & cum omni jure, & attinentiis suis; item curtes nostras in *Couse* & *Berencastell* super Mosellam, cum omni allodio, & jure ad ipsas pertinente; item villas nostras *Munserville*, *Læncamp*, cum omni jure & attinentiis suis, similiter donamus Monasterio Sanctorum prædictorum *MATHIÆ Apostoli, EUCHARII, VALERII, & MATERNI Pontificum, Discipulorum Domini nostri JESU CHRISTI*, nulla usurpatione de cætero ab aliquibus personis, cujuscunque conditionis existant,

[*a*] Adelbertus, Marchio Lotharingiæ. Refert *Calmet. Histor. Lotharing. Tom. I. Lib. XIX. n. 64. col.* 1009. se in archivio Abbatiæ S. Mathiæ vidisse bina præsentis confirmationis originalia instrumenta, in hoc solo sibi dissimilia, quod in eorum uno habeatur: nos Adelbertus Marchio Lotharingiæ & Judittha uxor mea. In altero: Adelbertus Dux & Marchio Lotharingiæ, & Judittha uxor mea Ducissa & Marchionissa. Quo etiam titulo insignitur Adelbero in carta Adelberonis Præpositi, qua hoc anno Monasterio S. Mathiæ donat Nennich, Falsen &c. Sed per prolepsin Adelberonem Lotharingiæ Ducem vocari, recte monet *Browerus Annal. Trever. Lib. XI. num.* 61. *Wippo in vita Conradi Salici pag.* 425. eum Comitem appellat.

[*b*] Psalmo CXI, 5.

ſtant, exceptis perſonis in Monaſterio prædicto degentibus, aliquatenus occupandas. Volumus inſuper, ut anniverſarium noſtrum, & parentum noſtrorum in Monaſterio jam dicto perpetuo ſolemniter peragatur. Si quis igitur violentia, aut fraude aliqua, ſupradicta Monaſterio memorato a nobis collata auferre præſumpſerit, divinam ſentiet vindictam, & pro illicito, & temerario auſu auri libras centum ad Fiſcum Regium componat, irrita tamen manente iſtarum rerum Eccleſiaſticarum alienatione. Facta autem eſt hæc donatio ſolemniter *in Synodo ſancta Venerabilis* S. Popponis Archiepiſcopi Trevirenſis, præſente ipſo Archiepiſcopo Poppone, Theodorico Epiſcopo Metenſi ſecundo, & Pertolpho Abbate prædicti Monaſterii, & multis aliis prælatis, Clericis & Laicis. Regnante Sereniſſimo Conrado Imperatore IV. idus Junii, Pontificatus autem Domini Benedicti (*c*) VIII. Papæ anno (*d*) II. In cujus rei memoriam, & robur præſentibus duximus appendenda (*e*) ſigilla noſtra. Datum anno Domini MXXXVII. in Eccleſia Trevirenſi menſe Junio.

(*c*) *Lege:* IX. [*d*] *Lege* V. *Pagi in Critica Baronii* eundem annum anno 1037. connectit.
(*e*) *Sigilla noſtra.* Sigillum deſcribit *Calmet. Hiſtor. Lotharing. Lib. XIX. n.* 64. cujus hæc Epigraphe: S. Alberti Marchionis & Ducis Lothar. Contra ſigilli vero: Sigillum ſecretum Marchionis Ducis.

Illuſtriſſimus Honthemius in Hiſtoria Diplomatica & Pragmatica Tom. I. p. 370. *cujus & Notæ adjectæ ſunt.*



ADELBERO,

PRÆPOSITUS S. PAULINI, DONAT ABBATIÆ S. MATTHIÆ VILLAS NENNICH, FALSEN, DILMAR ET HELIFELD. (*a*)

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Nos Adelbero, Dei gratia Præpoſitus S. Paulini Trevirenſis, univerſis tam præſentibus, quam poſteris,

(*a*) Hæc donatio, ſicut illa, quam anno ſuperiori huic Monaſterio fecit Præpoſitus Adelbero, fructus ſunt pœnitentiæ, quam ſub finem vitæ egit pro tot direptionibus, Eccleſiis in vegetiori ætate illatis. Rem ſic narrant *Geſta Trevirorum Cap. XLVI.* Quo [Ludolpho Treviris] pontificante, præfuit in Monaſterio S. Paulini Præpoſitus, nomine Adelbero, de Luzelenburg ortus, vir potens & dives, habens caſtella hæc: Sarburc, Berencaſtel, & Rutich; qui inito cum Lutholdo Archi-Epiſcopo pravo conſilio, Eccleſiam S. Simphoriani, quæ Abbatibus S. Martini ſubjacebat, partim vi, partim dolo ſibi vendicat, Epiſcopo, proh dolor! ſibi conſentiente, & deinceps eam S. Paulino retinuit. Lutholdo autem defuncto, ea fiducia, quod ſoror ſua Henrico Claudo Imperatori nupta fuerit, Epiſcopatum invaſit, milites in ſua Sacramenta jurare coegit, Palatium, quod ſitum eſt in urbe, occupavit; pontem quoque Moſellæ turribus munivit. Henricus autem Imperator Megingaudo Epiſcopatum dedit, Præpoſito Eccleſiæ Moguntiæ; qui cum potentiæ Adelberonis reſiſtere pararet, LX. manſos de rebus S. Martini (*Materni*) Navengero [*Ravengero de Madelberc*] & Udelberto de Scalle (*Stalle*) in beneficium dedit, nec tamen prævaluit. Tunc Heinricus Imp. cum exercitu Treberim venit, & palatium obſedit a Dominica poſt Albas uſque ad Kalend. Septembris. . . . . Cæſar ergo, cum nequaquam proficeret, in ejus expugnatione ad Kal. Septembris profectus, pontem dejici juſſit, quem cuſtodiæ Adelberonis obtinuerant, & Megingaudo Epiſcopatum confirmavit, qui uſque ad finem vitæ ſuæ in caſtello Confluentiæ Epiſcopatum adminiſtravit, Adelberone ſupradicto invaſore, maximam Epiſcopii familiam retinente. Tandem circa finem Megingaudi, gravi infirmitate depreſſus, omnia Megingaudo reddidit, ſed Palatium ſibi retinuit. Obeunte Megingaudo, Henricus Imp. Popponem, in Regensburgk educatum, ad offenſam Adelberonis Præſulem conſtituit, ita dicens: *Talem virum debeo dirigere, qui tuæ veſaniæ ſufficiat reſiſtere.* Igitur Adelbero tandem ſera pœnitentia tactus nec valens vires Popponis ſufferre, ſupplex eidem factus, palatium, & ſua caſtella, & omnia ſua contradidit, & dein in Monaſterio S. Paulini uſque ad finem vitæ permanſit.

ſteris, hoc ſcriptum viſuris, volumus eſſe notum, quod nos aliquid cum vidua paupere in Gazophylacium mittere cupientes, corpore incolumi, ſanaque mente, ſalubri deliberatione præhabita, villas allodii noſtri, *Nennich*, *Falſen*, *Dilmar*, & *Helifeld* cum Eccleſiis, curtibus, ædificiis, familiis, mancipiis utriusque ſexus, decimis, vineis, campis, agris, pratis, paſcuis, ſylvis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, vicis, & villis, viis & inviis, exitibus, & reditibus, cultis & incultis, quæſitis & inquirendis, mobilibus, & immobilibus, cum univerſis appenditiis & adjacentiis ſuis, Monaſterio *S. MATHIÆ Apoſtoli*, *ſanctorumque EUCHARII*, *VALERII*, *& MATERNI* extra muros Tevirenſes, legamus & donamus, contulimus, & conferimus per præſentes; volentes, eligentes, & confirmantes, ut Abbas & conventus Monaſterii prædicti in villis jam dictis eo jure, quo nos gaudebamus, nullo ſucceſſorum noſtrorum contradicente, aut impediente, perpetuo valeant gaudere. Hoc dontaxat excepto, ut quælibet domus dictarum villarum uno die ſingulis annis, unius viri labore, pro caſtro noſtro Sarburg laborare tenebitur, & tenetur, ad edictum illius, qui ipſum caſtrum tunc temporis, pro tempore, titulo poſſiderit juſto: Adjicientes, ut, ſi quæ domus dictarum villarum, aut omnes hujusmodi laborem redimere voluerint, vel decreverint, obulo Trevirenſi bono & legali ſingulæ domus ſingulis annis redimere valebunt, ac deinceps anno illo ab omni exactione, & ſervitute, quantum ad prædictum caſtrum Sarburg, liberæ manebunt, & abſolutæ. Amplius in Gazophylacium Domini mittere decernentes villas noſtras *Hempteren*, *Lamperdem*, *Balderingen*, eodem jure cum omnibus earum attinentiis & pertinentiis, & conditionibus ſuperius expreſſis, Monaſterio prædicto dedimus, donamus, legavimus, & legamus ſimiliter per præſentes: conſentientes, & ſtabili teſtamento confirmantes, ut nullus hæredum, ſeu ſucceſſorum noſtrorum in villis prædictis, aut ipſarum attinentiis vel pertinentiis, aliquid juris, vel aliquam jurisdictionem ſibi valeat uſurpare, aut vindicare præſumat; hoc ſolum excepto, quod quælibet domus villarum prædictarum, viduis excluſis, dimidium maltrum avenæ ad caſtrum noſtrum Sarburg prædictum, ſingulis annis dare tenetur. Ratione cujus nos, & ſucceſſores noſtri in caſtro prædicto eaſdem villas ab omnibus ſibi violentiam aut injuriam facientibus defenſare tenebimur, & tenemur. Abbas vero & conventus Monaſterii prædicti, omnia quæ ſibi placuerint, Dei timorem præ oculis habentes, in villis prædictis facere, ordinare, & exercere poſſunt; & debebunt. Volumus inſuper, ut anniverſarium noſtrum, & parentum noſtrorum in Monaſterio prædicto ſolemniter peragatur. Si quis igitur violentia, aut fraude qualibet ſupradicta, Monaſterio ſupra-memorato a nobis collata auferre præſumpſerit, divinam ſentiet vindictam, & pro illicito ac temerario auſu auri centum libras ad fiſcum Regium componat, irrita tamen manente iſtarum rerum Eccleſiaſticarum alienatione. Facta autem eſt hæc donatio ſolenniter anno Domini MXXXVII. præſente venerabili Patre & Domno Poppone Archiepiſcopo Trevirorum, in majori Eccleſia, & Bertulpho Abbate prædicti Monaſterii, & multis aliis prælatis, Clericis, & Laicis. Regnante Sereniſſimo (*b*) Imperatore Conrado nepote noſtro; Pontificatus, autem anno D. Benedicti Papæ octavi (*c*) anno

[*b*] Sereniſſimo Imperatore Conrado nepote noſtro.] Conradus Salicus erat filius Adelheidis ſeu Albertæ, ſororis Adelberti Ducis, Marchionis, ſeu Comitis Lotharingiæ, cujus hic damus Cartam donationis ſeu potius confirmationis de villa Momeındorff, 10. Junii hoc anno Monaſterio S. Mathiæ factæ. *Wippo in vita Conradi pag.* 425. majoris Chunonis (id eſt, Conradi Imp.) mater Adelberta (vel Adelbera vel Adelheyda) ex nobiliſſima gente Lotharingorum oriunda [fuit,] quæ Adelheyta ſoror erat Comitum Gerardi & Adelberti, qui ſemper cum Regibus & Ducibus confligentes, ad extremum cauſa propinqui ſui Conradi Regis vix adquieſcebant. *Conf. Habn Hiſt. Imp. Tom. II. cap. VII. §. I. in not. Lit. H.*

(*c*) Hic Benedictus in *Critica Baronii Pagio* eſt *Nonus*, non octavus, & annus Pontificatus quintus reſpondet anno 1037.

III. in cujus rei teſtimonium, & perpetuam firmitatem præſens ſcriptum ſigillo noſtro, nec non (*d*) Adalberti avunculi noſtri Marchionis & Ducis Lotharingiæ, & Judithæ amitæ noſtræ uxoris ſuæ, ſigillis muniri fecimus.

(*d*) Adelberti avunculi noſtri Marchionis & Ducis Lotharingiæ, & Judithæ amitæ noſtræ) Adalbero Præpoſitus erat filius Sigefridi (& non Giſelberti, uti perperam *Browerus Annal. Lib. XI. n.* 64.) primi Luxemburgenſium Comitis, cui ſoror Juditha, huic vero maritus Adelbertus, de quibus hîc; ſuntque ii ipſi, qui Abbatiæ S. Mathiæ Momendorff donaverunt. *Vid. Calmet. Hiſt. Lotharing. Tom. I. Lib. XIX. n.* 64.

Ex Calmeto Illmus Hontbemius Chartam hanc refert Tomo I. Hiſtoriæ Diplomaticæ Trevericæ pag. 371. 372. *ejusdem Illmi ſunt notæ ſubjectæ.*

CONVENTUS REGIS ET EPISCOPORUM IN MIMIGARDEVORDE SEU IN MONASTERIENSI URBE.

SUMMA. Bardo, Moguntinus Archiepiſcopus, Monaſterii Weſtphalorum conſecrat Suidgerum Epiſcopum Babenbergenſem.

ANNO Domini MXLI. Henricus Rex Natale Domini Mimigardevorde celebravit. Ibi Dominus Suitgerus, Canonicus Halberſtadienſis, Præſul Babenbergenſis Pontificalem promotionem a venerabili Moguntino Archiepiſcopo Bardone in Natali Innocentii, (*a*) die Dominica, Rege cum aliis Primoribus aſtante, glorioſe percepit.

Annaliſta Saxo apud Leibnitz. Tomo I. pag. 577.

(*a*) *Lege: Innocentium die, quæ eo anno in Dominicum incidebat.*

Anno MXLVI. Henricus, Comitibus Adalberto, Bremenſi Archi-Epiſcopo, & Suidgero Babenbergenſi, Italiam adit: cui Placentiæ occurrit Gregorius VI. qui rejectis duobus aliis Benedicto IX. & Sylveſtro III. ſubſtitutus fuerat, eumque *Sutrium* uſque ſecutus eſt: illic menſe Decembri Epiſcoporum cœtu coacto de Gregorii VI. cooptatione actum, quem Rex ob penſionem Joanni aſſignatam vitio creatum Pontificem declarari ac deponi curavit; ejusque in locum ſubſtitui Suidgerum Babenbergenſem Epiſcopum, qui Clemens II. dictus eſt, cui Gregorius Pontifex, alias minime malus, inſigni modeſtia ceſſit. Sutrio inde Romam pridie Natale Domini ventum eſt. Poſtridie ipſo die feſto, Clemens Pontifex conſecratus, Heinricum Imperiali diademate cum Agnete conjuge ornavit. *Mabillon. Annal. Benedict. Tomo IV. Lib. LVIII. pag.* 471. 472.

Clemens II. nono menſe a ſua promotione vix expleto VII. Idus Octobris anno MXLVII, vita functus eſt.

Mortuo Clemente II. Benedictus, nuper ab Imperatore Sutrii depoſitus, novis artibus ad Pontificatum reverſus, illum tenuit per octo menſes, donec Imperator comperto Clementis II. obitu, Popponem, Brixinenſem in Tiroli Epiſcopum, in ejus locum ſubſtitui curavit, qui XVI. Kal. Auguſti anni 1048. conſecratus, *Damaſi ſecundi* nomen tulit, ad paucos dies; nam Idibus ipſis Auguſti Præneſte extinctus eſt, ſicque Synodo Wormatienſi & Brunonis Tullenſis Epiſcopi electioni locum fecit. *Mabillon. ibidem pag.* 482.

SYNODUS CONSTANTIENSIS

ANNO CHRISTI MXLIV. GREGORII VI. PAPÆ I. HENRICI III. REGIS VI.

SUMMA. Pax generalis Germanis omnibus a Rege indulta & ubique publicata; exemplo nunquam ante audito.

REX HENRICUS III. ex Pannonia remeans, Ulmæ generale colloquium habuit. At Conſtantiam tempore Synodi venit, ubi cum Epiſcopis quam-

quamplurimis, cæterisque Regni Optimatibus, intrans Constantiam resedit, & publicus cognitor omnium illic gerendorum fuit.

In quarto autem die, *qui vulgo indulgentiæ* (*a*) dicitur, ipse gradum cum Pontifice Theodorico facundus orator ascendit, & luculento sermone populum ad pacem cohortari cœpit. Ad ultimam vero sententiam suam ita conclusit, ut cunctis sibi obnoxiis ipse dimitteret, omnesque, qui illinc aderant, tum precibus, tum pro potestate idipsum facere cogeret. Hoc igitur salubriter inibi cœptum dilatari præcepit per omne Regnum suum.

Solus Hepidannus in Annalibus brevibus apud Goldastum Tomo I. Historiarum Alamannicarum Parte I. ad annum MXLVIII.

Annales Hildeshemenses ad h. a.

Hermannus Contractus in Chronico ad annum MXLIII. refert hanc Synodum Constantiensem, in qua:

Cunctis, qui contra eum deliquerant, primum omne debitum ipse dimisit: deinde omnes Sueviæ Principes, memoresque personas cunctis inimicitiis destructis pacificari fecit: & pacem hactenus inauditam tam in hac, quam in aliis Regni sui Provinciis, Regis censura per edictum confirmavit.

Pregizerus in Suevia sacra ad ann. 1044. *refert hanc Synodum pag.* 44. *& pag.* 466*:* sed tum Synodus acta fuit sub Eberhardo Episcopo defuncto 1047. antecessore Theodorici.

Crusius in Annal. Sueviæ ad 1044. *fatetur ab aliis referri ad alium annum.*

(*a*) Quinta feria in cœna Domini vocatur antonomastice *dies indulgentiæ:* quia tum peccatores in capite Quadragesimæ ab Ecclesia expulsi, ab Episcopo rursum introducebantur & absolvebantur.

Idem dies erat quartus annuæ Synodi, quæ Feria II. Palmarum inchoabatur, & finiebatur Feria V, quæ erat quarta dies Synodi.

SYNODUS CONSTANTIÆ ANNO MXLVII.

Clemens II. Papa Notperto, Abbate S. Galli orante, canonizat S. Wiboradam coram Episcopo Constantiensi.

NOtpertus Abbas S. Galli mediante Henrico III. Imp. & conjuge ejus Agnete, apud Dominum Clementem secundum Pontificem, Dominum Apostolicum, hoc obtinuit, recitatâ vitâ *B. Wiboradæ*, ejusque miraculis, de tam diu neglecta re ab ipso Papa redargutus, ut ipsam, præsente Theodorico Constantiensi Episcopo, canonizaret, & pro sancta haberi præciperet, & anniversarium ipsius diei solemnizandum institueret.

Burchardus de casibus Monasterii S. Galli Cap. VI. pag. 67.

Apud Goldastum Tomo I. Historiarum Alamannicarum Parte I. Tomi I. pag. 67.

SYNODUS WORMATIENSIS

CORAM HENRICO III, LEGATIS ROMANIS, ET ARCHIEPP. ET EPISCOPIS.

Anno Christi MXLVIII. Rom. Sede vacante.

Henrici III. Regis X.

SUMMA. Bruno Tullensis Episcopus ab Imperatore constitutus Pontifex Romanus.

APud Wangionum urbem ante præsentiam gloriosi Henrici secundi, Romanorum Augusti, fit Pontificum, reliquorumque Procerum, non modicus Con-

Conventus. Inter quos hic Christo dignus Præsul, Bruno Tullensis, convocatur: quippe sine ejus consilio intra Imperialem curiam nihil magni disponebatur. Et repente, illo Brunone nihil tale suspicante, ad onus Apostolici honoris suscipiendum eligitur a cunctis. Quod officium humilitate commonente diutissime refugiens, dum magis ac magis cogitur, triduanum consulendi depoposcit spatium; in quo jejuniis vacans & orationibus, omnino sine cibo, potuque permansit. Cumque denuo repungeretur ad obedientiæ impletionem, spontanee coram omnibus suam dixit confessionem; conatus quasi quadam suorum enormitate scelerum, communem permutare electionem.

Quis autem queat ejus inundantiam fletuum referre, quos in publica confessione emisit; cum etiam omnium affectus in nimias lacrymas excitaverit? Unde unanimiter cunctorum ore hæc pia vox resonabat: Nolit Deus, ut filius tantarum lacrymarum pereat. Videns ergo, se nullo modo posse effugere Imperiale præceptum, & commune omnium desiderium; coactus suscepit injunctum officium, præsentibus Legatis Romanorum, ea conditione, si audiret, totius Cleri ac Romani populi communem esse sine dissidio consensum. Sicque ad propriam, Leucorum scilicet sedem, repedans, cum summa devotione ibidem Domini celebravit Natalem, cum coessentia quatuor Pontificum Hugonis scilicet de Pisa, urbe Italorum, Legati Romanorum, & Everardi Archiepiscopi Treverorum, Adalberonis quoque Metensis, atque Theodorici Virdunensis Præsidis.

Wibertus Biographus S. Leonis noni, editus T. II. April. in vitis Sanct. Antwerpiæ Lib. II. Cap. I. §. 4. p. 657. ex MS. codicibus.

Synodum hanc Wormatiensem anno 1048, mense Decembri celebratam ostendunt *Henschenius & Papebrochius loco citato*, & *Mabillon. in Annalibus Benedictinis Lib. LIX. No. LI. Tomo IV. pag.* 500. qui & itinera, & stationes, & acta S. Leonis IX. de die in diem demonstrat a Synodo Wormatiensi in Decembri mense 1048. ad Synodum Moguntinam in Octobri 1049. celebratam.

SYNODUS MOGUNTINA

PRÆSENTE LEONE IX. PAPA, ET XLII. EPISCOPIS.

Anno Christi MXLIX. Leonis IX. Papæ I. Henrici Regis XI.

§. I. LEO IX. Moguntiam venit, ibique Concilium celebrat. Ad hoc Concilium in Synodo Remensi, citatus fuerat Goffridus Andecavensis Comes, qui Gervasium, Cenomanorum tunc Episcopum in custodia tenebat.

Ejus rei historia fuse refertur in actis Episcoporum Cenomanensium, ubi Goffridus seu Gaufridus Comes Gervasium septem annis in vinculis tenuisse traditur, sed tandem accepto ab eo castello Lit, eum liberavit, eo pacto, ut, quamdiu viveret, civitatem Cenomanicam non intraret. Quod cum ægre ferret Gervasius, ad Wilhelmum Normannorum Ducem se recepit, dum sedem Remensem post mortem Widonis Archi-Episcopi adeptus est.

Mabillon. Tomo IV. Annal. Benedict. pag. 508.

§. II. In eadem Synodo Bardo Moguntinus, Legatus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ declaratus est.

Trithemius in Annal. Hirsaug. edit. ultima.

§. III. In eadem legenda vitæ S. Servatii proposita & lecta fuit, & vita canonizata.

Albericus Monachus trium fontium.

§. IV. In eodem Concilio Sibico Spirensis Episcopus, cui crimen adulterii intendebatur, voluit se expurgare terrifico Sacramento Dominici corporis: sed, ut fertur, maxilla ejus mansit contorta paralysi, quamdiu præsentis vitæ spatium duxit.

Wibertus in vita Leonis. Tomo II. Aprilis Antwerp. pag. 660.

§. V.

§. V. Præterea multa ibidem ſancita ſunt ad utilitatem Eccleſiæ, præ quibus ſimoniaca hæreſis & nefanda Sacerdotum conjugia holographa Synodi manu perpetuo damnata ſunt, quod Archi-Epiſcopus Adalbertus Hamburgenſis, domum veniens nequaquam tacuiſſe probatur. De mulieribus enim ſtatuit eamdem ſententiam, quam memorabilis Alebrandus, & antea Libentius inchoavit, ut ſcilicet extra ſynagogam ac civitatem fierent, ne maleſuada pellicum vicinia caſtos violaret obtutus.

Præſidebant Synodo Dominus Apoſtolicus, & Imperator Henricus, cum Epiſcopis Bardone Moguntino, Everardo Treverenſi, Hermanno Colonienſi, Adalberto Hammaburgenſi, Engelardo Magdeburgenſi, cæterisque Provinciarum Sacerdotibus.

Adamus Bremenſis Hiſtor. Eccleſiaſticæ Cap. 31. *ſed refert ad ann.* 1051.

§. VI. Statutum I. ne Clerici canes vel aves in venatione ſequantur. II. Ne Clerici negotia ſæcularia, nec turpia lucra exerceant. III. Ut nullus fiat monachus, niſi legitima ætate, vel ſpontaneè. IV. Quatuor tempora cum jejunio obſervanda; & tunc ab Epiſcopo jejuno conſecrandos Clericos intra Miſſam.

Andres Ratisbonenſis in Chronico Bavariæ pag. 177.

Anno 1049. Synodum Moguntiæ præſente Papa & in ea Synodo actitatas fuiſſe §. VI. diſtinctas res, dicunt Conradus a Lichtenaco Abb. Ursperg, Sigebertus Gemblacenſis, Alberici Chronicon, Chronicon Auguſtenſe, Chronicon Stederburgenſe, Georgius Heilmannus de rebus Moguntinis, Chronicon Halberſtadenſe, Chronicon magnum Belgicum. Demum *Binius Tomo III. Parte II. Collectio Regia T. XXV.* & Labbeo-Coſſartiana affirmant. Ob hos ſuppares teſtes, recedimus ab Adamo Bremenſi, & Abbate Stadenſi illius deſcriptore, *Krantzio Lib. IV. Saxoniæ Cap.* 43. *Trithemio & Serario*, neque anno 1050. nec 1051. ſed 1049. unice affigimus hanc Synodum. *Schmidius Diſſertatione ad Conciliorum Moguntiæ Hiſtoriam ſubſcribit.*

§. VII. Adelbero Herbipolenſis Epiſcopus, qui vicinæ Fuldenſis Eccleſiæ immunitates, nec non ſimul incrementa, dudum ægre ferebat, Moguntinum Concilium, ſub Leone nono Papa, & reliquis Epiſcopis coactum, occaſionem opportunam credebat, Egbertum Fuldæ Abbatem, reliquis Concilii Patribus aſſidentem, in medium provocandi, & ſuper jure Diœceſano litem movendi. Verum Pontifex Leo IX, cui æque ac Imperatori Henrico, ibidem præſenti, Fuldenſia privilegia paſſim cognita ac perſpecta erant (ea ſiquidem adhuc noviſſime auctoritate ſua ſtabiliverat) auditis hinc inde partium querelis veterem exceptionem firmavit, conceſſa ſoli Abbati, ejusque in Spiritualibus Vicario juris dicundi facultate in locis exemptis, quæ ſibi Herbipolenſis Archi-Diaconus præter fas omne arrogaverat.

Schannatus Hiſtoriæ Fuldenſis Parte III. in vita Egberti Abbatis XXIV. p. 145. qui ad annum 1049. hanc litem refert, alii ad aliud Concilium Moguntinum anno præcedente 1048. celebratum, uti Browerus, qui *Lib. IV. Fuldenſium Antiquitatum p.* 292. hæc addit:

Quia Archidiaconus Würceburgenſis gravius imperitare Fuldenſibus videbatur, penes Clericum, qui Forenſi Eccleſiæ Fuldæ præeſſet, ita jus Eccleſiaſticum reſideret, ſi is a Præſide Würceburgenſi, banno, quod vocant, confirmatus eſſet: deſcriptique limites in prædiis, quæ a Fuldenſi pomerio per rura, quæ Burchfeld appellabant, verſus Hunaham rivulum excurrunt, permiſſumque, ut in villulis, quas tunc vocabant Hunefeld & Ratesdorff, Conventum Clericus is haberet, & jus diceret. Actum Moguntiæ III. non. Februarii, Anno Dominicæ Incarnationis MXLVIII.

Atque hæc origo muneris illius eſt, ex quo Rector Parochiæ Fuldenſis poſtera ætate, conceſſu ampliore Archi-Diaconi titulum geſſit. *Hactenus Browerus: ſed ego cum Cl. Schannato* omnia hæc ad annum 1049. refero, nec duas Synodos facio, alteram anno 1048, alteram 1049.

§. VIII. Jejunium Banni in hac Synodo inſtitutum fuiſſe, docet *Engelbuſius & Chronicon Epiſcoporum Virdunenſium.*

Chronicon Hirſaugienſe ait, anno MXLIX. Synodum Moguntiæ celebratam fuiſſe, cui interfuerunt Apoſtolicus & Imperator. *Leibnitz. Tom. I. Script. Brunſwic. pag.* 852.

SYNODUS ROMANA

Anno Christi ML. Leonis IX. Papæ II. Henrici Regis XI. VI. Nonas Majas.

PRÆSENTIBUS DOMINICO GRADENSI PATRIARCHA, ARCHI-EPISCOPIS VII. EPISCOPIS XLVII. AUGONE ARCHI-DIACONO S. ROMANÆ ECCLESIÆ, PETRO DIACONO, CANCELLARIO ET BIBLIOTHECARIO, SICONE PRIMICERIO EJUSDEM ECCLESIÆ, ABBATIBUS XXXV.

SUMMA. Inter multa acta, canonizatus fuit S. Gerardus, Tullensis Episcopus.

ADerat in Synodo Romana magnæ pietatis Monachus, Albizo nomine, quem Udo, Tullensis Primicerius, interpellavit ad exorandum Deum, ut, quanti apud se meriti esset Gerardus, patefaceret. Albizoni post preces vir sanctus apparuisse traditur, seque beatorum sorte frui declarasse, quod Synodo circa VI. Nonas Maji ab Udone Primicerio relatum est. Hinc visum Patribus, ut Gerardus Sanctorum catalogo adscriberetur, ejusque festus dies VIII. Kal. Maji celebraretur. En Synodicas Literas.

Synodica Leonis IX. PP. ad cunctos Catholicæ Ecclesiæ Filios.

LEO Episcopus, servus servorum Dei, cunctis Catholicæ Ecclesiæ filiis in Christo, salutem, & Apostolicam benedictionem. Virtus Divinæ operationis in omnibus mirabilis, maxime tamen in sanctis suis, quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri Imaginis filii sui, quos etiam vocavit, justificavit antequam sæcula fierent, antequam ipsi existerent. Et quia ipse Dominus in Evangelio dicit: *Pater meus* (a) *usque modo operatur, & ego operor;* verum procul dubio esse quotidie ostendit, quod dicit: scilicet eos sanctificando, quos vocavit, eos vocando, quos prædestinavit sola gratuitæ miserationis bonitate, non humani generis merito; quia naturaliter omnes sumus filii iræ, & filii gehennæ. Cum autem hæc dicere cœperimus, continuo patefaciemus, quia sicut nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum statuit, ut luceat omnibus, qui in domo sunt: Sic & Dominus noster Jesus Christus illos clarificando miraculis in mundo, quos secum vivere & gloriari facit in cœlo, ut quia per adoptionem facti sunt Filii Dei præveniente gratia, pateat illos esse heredes regni, quod promisit Deus diligentibus se. Paulo ergo ante in Episcopatu Tullensi, unde nutu Omnipotentis, & omnia suo arbitrio disponentis, non ullis meritorum nostrorum profectibus ad Apostolicam Sedem translati sumus, fuit Episcopus, nomine GERARDUS, qui duo talenta, intellectum & operationem, a cœlesti Patrefamilias accipiens, Divinam legem, quam medullitus intellexit, sic opere adimplere studuit; ut fieret dignus accipere illam desiderabilem a Deo salutationem: *Euge serve bone & fidelis,* (b) *suprà multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Sic enim Domini sui talenta erogavit, sic animas lucratus est, verba salutis prædicando, & opere, quod prædicabat, exercendo, ut geminatam Domino suo pecuniam præsentaret, & sibi æterna beneficia cumularet. Lumbos sibi præcinxit, castitatem servando; lucernas in manibus portavit, exempla bonæ operationis aliis præbendo; exspectavit Dominum suum a nuptiis sanctæ Ecclesiæ non dormiendo, prima, secunda, tertia vigilia, anxius ad ejus aspectum, secundum

cundum illud, quod quotidie psallebat: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter & caro mea.* At quia sic semper animo suspirabat ad Deum, ejus virtute comitatus, angelicam ducens vitam, quotidie Christum in pauperibus ad mensam suam suscipiens, quotidie piis actibus insistens, nec docendo, nec agendo, nisi quod sanctum, & Deo gratum esset: multis effulsit miraculorum prodigiis, sanctitati ejus testimonium perhibentibus, unde adhuc plures testes exsistunt. Quod & idem post mortem carnis, cum Christo Domino nostro spiritu vivens, & glorians, sæpe operatus est, & sæpe adhuc curans diversos languores, diversasque infirmitates. Quamvis autem venerabile corpus ejus multis, ut diximus, hactenus coruscaret miraculis, & ipso in numero Sanctorum Divino sit deputatus indicio: nondum tamen in catalogo Sanctorum sortitus est humana corroboratione numerum, quod Dei miseratrix clementia nobis servis suis reliquit agendum, ubi ad culmen conscendimus Apostolicum. Residentibus ergo nobis Romæ *in Synodo* in Ecclesia Salvatoris, cum multis Coepiscopis nostris, circa sexto nonas Majas, relatum est auribus nostris ab Udone Tullensi Præposito, eadem nocte ipsum Gerardum in visione apparuisse cuidam venerabili monacho, nomine Albizoni, qui Synodo intererat, quem ipse Udo nimiis precibus constrinxerat exorare Dominum, ostendere sibi cujus meriti esset apud Deum ipse Dominus Gerardus, qui tot miraculorum radiis emicabat. Videbatur ergo illi ipsum assistere sibi, quem numquam corporaliter viderat, etiam nomen ejus audierat, & dicere se ipsum Gerardum esse, pro quo Deum decreverat exorare. Ad quod ille gavisus sedulo sciscitari cœpit, an esset apud Deum in numero Sanctorum. Cui læto vultu respondit, procul dubio se esse cum Deo, dignumque ac justum fore, eos honorari in terris ab hominibus, qui honorantur in cœlis ante Deum ab Angelorum agminibus. Quam visionem ipsi ore proprio divulgavimus in Synodo, exponentes ipsius Domni Gerardi vitam venerabilem, conversationem mirabilem, miraculorum multitudinem, efficaciam Divinæ virtutis ad corpus ejus exuberantem; & sequenter sanctam Synodum interrogavimus, si deberet ut Sanctus venerari, & Sanctus deinceps nominari? Ad quod cuncti tam Archiepiscopi, quam Episcopi: tam Abbates, quam Clerici ac Laici, quorum utrorumque magna intererat multitudo, quasi uno ore clamaverunt, ipsum Dominum Gerardum verum esse Sanctum, adeo inter Sanctos numerandum, nominandum, & venerandum, pro eo, quod vivens in carne testantibus miraculis, vir Sanctus exstitit, & carne exutus, qualis in mundo fuerit, in cœlesti beatitudine positus, mundo quotidie eisdem miraculis innotescit. Decrevimus ergo sic annuente, & laudante Synodo, ut ex hoc Sanctus habeatur, & Sanctus colatur IX. Kalend Majas, tam Leucæ, sicut Sanctus Mansuetus, & Sanctus Aper, quam ubique terrarum, sicut cæteri Sancti, cujus Sancti venerabile corpus per nos ipsos cupimus transferre, & digno loco in Altari proprio collocare, ad laudem & gloriam Domini nostri JESU CHRISTI, qui ideo factus est pro nobis homo, ut non solum salvaret eos a peccatis, sed etiam conferat eis præmium beatitudinis & mansionem in cœlis, ubi ipse cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Nomina Sanctorum Patrum, qui præscriptæ Synodo interfuerunt.

Dominicus Patriarcha Gradensis.
Alinardus Lugdunensis Archiepisc.
Leodegarius Viennensis Archiepisc.
Hugo Bisuntiensis Archiepis.
Humbertus Siciliensis Archiep.
Hildebrandus Capuensis Archiep.
Petrus Consanus Archiep.
Joannes Portuensis Episc.
Wido Volaterrensis Episc.
Crescentius Sylvæ candidæ. Episc.
Johannes Velletrensis Episc.
Johannes Ostiensis Episc.
Johannes Savinensis Episc.
Johannes Tiburtinus Episc.
Benedictus Salernitanus Episc.
Leo Gaïetanus Episc.
Atto Camerinensis Episc.
Johannes Sisinensis Episc.

Adalbero Metensis episc.
Obizo Pisensis epis.
Heinricus Populonii episc.
Atenulphus Fesulanus episc.
Crescentius Cerensis episc.
Azo Centumcellensis episc.
Gerardus Reatinensis episc.
Bonizo Tuscanellensis episc.
Johannes Suanensis episc.
Gerardus Rosellanus episc.
Theodericus Orbiensis episc.
Harduinus Fanensis episc.
Herimannus Castellanus episc.
Herimannus Corbinensis episc.
Aldredus Wigranensis epis.
Leo Murensis episc.
Masio Montis viridis episc.
Bonus Petroinensis episc.
Bernardus Pataviensis episc.
Walterus Veronensis episc.
Heinricus Spoletanus episc.
Isembardus Theanensis episc.
Petrus Buturnensis episc.
Atto Marsicanus episc.
Leo Soranus episc.
Benedictus Berulensis episc.
Azo Fosiensis episc.
Attigrinus Imolensis episc.
Gerardus Florentinus episc.
Fridericus Genuensis episc.
Goffredus Constantiensis episc.
Majnus Redonensis episc.
Hugo Nivernensis episc.
Isembaldus Pictaviensis episc.
Arnolphus Santonensis episc.
Arduinus Tudertinus episc.
Hugo Archi-Diaconus Ecclesiæ Romanæ.
Petrus ejusdem Ecclesiæ Diaconus, Cancellarius, & Bibliothecarius.
Sico Primicerius ipsius Ecclesiæ.
Richardus Abbas S. Benedicti.
Hugo Abbas Cluniacensis.
Hairardus Abbas S. Pauli.
Johannes Abbas S. Sabæ.
Reinerius Abbas S. Cosmæ.
Petrus Abbas S. Bonifacii.
Johannes Abbas S. Vitalis.
Johannes Abbas S. Laurentii.
Bonactus Abbas S. Johannis.
Riquerius Abbas S. Juliani.
Luipfridus Abbas S. Vincentii.
Gozfridus abbas de Vergeliaco.
Walerandus abbas S. Vitoni.
Gerewinus abbas S. Richarii.
Viventius abbas S. Januarii.
Leo abbas S. Cornelii.
Martinus abbas S. Blasii.
Felix abbas S. Andreæ.
Richardus abbas S. Ragneberti.
Dudo abbas S. Mariæ.
Perenesius abbas S. Salvatoris.
Aquis abbas S. Silvestri.
Adam abbas S. Isaac.
Teuso abbas S. Petri.
Bonizo abbas S. Petri.
Viventius Abbas S. Januarii.
Willelmus abbas S. Apollinaris.
Wido abbas S. Severi.
Leuzo abbas S. Mariæ.
Albricus abbas S. Zenonis.
Johannes abbas S. Salvatoris.
Bonactus abbas S. Salvatoris.
Lætus abbas S. Angeli.
Stephanus abbas S. Thomæ.
Rotdulfus abbas S. Petri.

Mabillon. Annalium Benedictin. Tom. IV. in appendice No. LXIV. pag. 738.

CONVENTUS TULLENSIS

ELEVATIO CORPORIS S. GERARDI PER PAPAM LEONEM IX.

Eodem anno ML.

VERCELLIS discedens Pontifex, Alpes transcendit, & in Galliam Belgicam progressus, TULLUM LEUCORUM, uti antea promiserat, statim adiit, corpus S. Gerardi Episcopi, quæ una ipsius itineris causa erat, e tumulo levaturus, qui in basilica sancti Mansueti Monasterii sepultus erat.

Meminit hujus itineris Hermannus post Concilium Vercellis celebratum: indeque Gallias, inquit, *& Episcopatum suum, Leucorum civitatem, revisit Leo Papa. Illuc devotus cætus Sanctorum Pontificum aderat, ut scribit* Widricus Abbas, *testis oculatus, quos pia devotio a remotis climatibus eo adduxerat. Nam cum venerando Lugdunensium Archi-*

Archiepiscopo Domno Halinardo, quem decorabat sacra monachilis religio; accurrerat illuc Domnus Hugo Chrysopoleos Archiepiscopus, quem regalis nobilitas, & jocunda facundia amabilem reddiderat omnibus. Quin etiam Georgius Colocinensis Archiepiscopus de Ungaria advenerat, quem civium legatio, & Apostolicæ Benedictionis cupido a longinquis illuc partibus advexerat. Frotmundus quoque Trecassinus Episcopus cum Herberto Autisiodorensi Præsule, nec non Lugo Anglorum Pontifice, huic tam Divino studio se adjungunt devotissime, Inquit idem auctor.

Sub vesperam inchoata celebritas XII. Kal. Novembris, quæ dies Dominica erat, & sequenti die absoluta. Inventum beati Præsulis corpus fere integrum cum Pontificalibus ornamentis, & repositum a dextris Altaris Stephani Protomartyris, in ara, quam Pontifex ipse consecravit. Huic translationi successere miracula, quæ a Widrico descripta sunt.

Mabillon. Annalium Benedictinorum Tomo IV.

CONCILIUM AUGUSTANUM

SUB LEONE IX. PP. ET IMP. HENRICO.

Anno Christi MLI. Leonis IX. Papæ III. Henrici regis XII.

INitio anni MLI. LEO nonus Papa adhuc trans Alpes versabatur, & ineunte Februario Augustam Vindelicorum progressus est, eodem Imperator cum multis Episcopis & Principibus.

Ad eam Synodum Humfridum Archi-Episcopum Ravennatum, a S. Papa anathematizatum (a) Imperator Augustam accersivit, ubi iis, quæ perverse invaserat, cum justitia redditis, absolutionem est petere coactus. Qui cum, licet corde contumaci, ante pedes sancti Pontificis Leonis stratus jaceret, cunctusque cœtus præsentium Pontificum ei absolutionem peterent, ait vir beatus: Secundum ejus devotionem tribuat illi omnipotens Deus cunctorum scelerum absolutionem. Ille vero surgens, cum subsannatorie subrideret, adhuc superbia tumidus; Venerandus Pastor S. Leo in lacrymas resolutus, inquit secreto circumstantibus: Heu mortuus est miser iste. Nec mora: ille (Humfridus) languore corripitur, & vix in patriam revectus vita & honore, quo tumebat, celeriter privatur. (b)

Wibertus in vita Leonis.

Ex quo Mabillon. Annal. Benedictinor. Tom. IV. Lib. IX.

Hagiographi Antwerp. Tomo II. Aprilis pag. 646.

Augustæ vetustissimum S. Galli templum, Ecclesiam S. Georgii in Achsesheim, & Monasterii S. Crucis Werdeæ intra Diœcesin Augustanam sacra cæremonia initiavit, primamque Monasterii Antistitam Gunderadam, Comitis Munegaldi Fundatoris filiam instituit, atque benedixit. Plurimas indulgentias hinc inde per Diœcesin Augustanam impertivit, festumque Purificationis B. V. Mariæ ritu Pontificio celebravit S. Leo Papa.

Corbinianus Khamm in Hierarchia Augustana pag. 175. *sed ex quo fonte has notitias hauserit, non scribit: forte ex Stengelio.*

(a) In Vercellensi Synodo anno 1050. Papa Leo Humfridum ab officio Archiepiscopali suspenderat. *Wibertus in vita Leonis.*

Ante Pascha anni 1051. Romam redierat Papa, ubi tempore illo sacro Paschali Synodum celebravit.

(b) *Hermannus Contractus plane alium exitum Synodi Augustanæ scribit:* Ravennate Archi-Episcopo apud Papam inibi reconciliato, caritative a se invicem discedentes, Papa Romam revertitur.

SYNODUS GOSLARIENSIS

ANNO CHRISTI MLI. LEONIS IX. PAPÆ IV. HENRICI III. REGIS XIII.

SUMMA. Post discessionem Papæ e Germania in Italiam condemnati & puniti pertinaces Manichæorum sectatores.

IMperator Henricus Nativitatem Domini agens quosdam ibi hæreticos Manichæos, omnem esum animalis execrantes, consensu omnium, ne hæretica scabies serperet in plures, in patibulo suspendi fecit.

Herman. Contract. in Chronico p. 293.

Conferatur Synodus Atrebatensis, sub Gerardo Episcopo celebrata, supra ad 1025. ubi similis farinæ hæretici examinati, & correcti, ad sanam mentem redierunt. Contra in Synodo Aurelianensi pervicaces flammis addicti fuere: Similis pertinaciæ videntur fuisse Manichæi, Golslariæ deprehensi.

Leuckfeldius ex Arnoldo, Historiæ Ecclesiasticæ scriptore protestante, relato conventu Goslariensi, hoc adnotat, multos sæculo undecimo probos, & Innocentes homines, qui Clericorum vitia non approbabant, sed corripiebant, sub titulo Manichæorum hæreseos læsos, imo trucidatos fuisse. Deinde hariolatur, idem Goslariæ accidisse. Dignum Scriptore protestante judicium, contra concordes coævos Scriptores, attestantes, Imperatoris, & omnium Episcoporum & procerum consensu agnitos, & convictos Manichæos, ad furcam damnatos fuisse, quos Leuckfeldius probos, & innocentes viros post octo sæcula scribere audet.

Henricus Imperator apud Goslariam Saxoniæ oppidum quosdam hæreticos, Manichæorum errore fœdatos, qui inter alios pravi dogmatis articulos, esum cujuscunque animalis, quod vitam habuit, ut mortale peccatum, & perniciosum damnabant; comprehendi fecit, & in errore pertinaces, ne macularent alios, laqueo suspendi.

Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ultim. editionis.

CONVENTUS RATISPONENSIS

ANNO CHRISTI MLII. LEONIS IX. PP. IV. HENRICI III. REGIS XIII.

POntifex Leo ab Andrea Rege Hungariæ pro pace cum Imperatore Henrico III. construenda, accitus Ratisponam venit, & B. Wolffgangum in numerum divorum retulit, similiter & S. Erhardum. . . . . .

Ecclesiam item S. Emmerani, nuper incendio vastatam, cum crypta occidentali consecravit. Tabulatum in ejusdem Ecclesiæ summitate suis sumptibus fieri jussit, sed & sacellum Simonis & Judæ Thadæi supra fornicem, capitulo contiguum, in eadem urbe consecravit.

Acta Sanctorum Tomo II. Aprilis in vita S. Leonis ex Wigulejo Hundio Lib. I. Metrop. Salisburgensis.

An corpus S. Dionysii, & quidem Episcopi primi Parisiorum, sit eo tempore inventum, quibus ostensum, quomodo probatum, rejiciunt Hagiographi ad diem III. & XI. Octobris, examinandum.

CON-

CONVENTUS WORMATIENSIS

ANNO CHRISTI MLII. LEONIS IX. PAPÆ IV.
HENRICI III. REGIS XIV. IMP. VII.

LEO Papa defert Archi-Episcopo Moguntino, & in ejus gratiam Lectorem degradatum rehabilitat.

EOdem anno S. Leo Papa IX. Dominicæ Nativitatis festum cum Imperatore, & multis Regni Principibus celebravit in Wormatia, & summam ipse Missam solemniter cantavit. Altera die Luitpoldus Mogontinæ sedis Archiepiscopus, in cujus provinciâ dies agebant festos, à summo Pontifice jussus, se ad officium de S. protomartyre Stephano cantandum in Principum omnium præsentia, præparavit: qui peracta Processione, ut ad hoc ventum est in Missa, ut oratione completa, postquam se in sua fede ante Altare locavit, quidam ex Diaconibus suis, nomine Hiunbertus, sicut multi ob illius festi reverentiam solent, lectionem decantavit. Quod quidam ex Romanis, Papæ assistentes, vituperabant, quod secus, quam Romana haberet consuetudo, ageretur. Suaseruntque Papæ, ut tacere Diaconem Moguntinum præciperet. Misit ergo Papa ministrum ad Diaconem, qui lectionem interdiceret. Quod cum ille juvenum more contemneret, iterum mittendo Papa lectionem interdixit. Qui nihilominus eadem, qua prius, vocis sonoritate cantans lectionem, usque ad finem decenter complevit. Qua finita Papa illum ad se vocavit; & quasi pro inobedientiæ contumacia degradavit, vel ut proprie loquar, ab executione officii suspendit. Archiepiscopus vero misit ad Papam, rogans, suum restitueret ministrum; quod ubi Papa renuit, Archiepiscopus, ut erat antiquæ disciplinæ, licet ægre, patienter tamen interim tacendo, sustinet. Perlecto Evangelio, & offertorio ex more decanrato, ubi sancti Sacrificii tempus advenit, Archiepiscopus in sua Cathedra resedit, vere contestans, nec se, nec alium quemquam completurum inchoatum officium, nisi prius receperit processionis suæ ministrum. Quod ubi Apostolicus præsul intellexit, cessit Archiepiscopo, reïnductumque continuo ministrum ad Dominum remisit. Quo recepto mox inchoatum continuavit officium. Qua in re & Arciepiscopi auctoritas, & Papæ consideranda est humilitas, dum & ille officii sui dignitatem defendere contendebat: Et iste, licet majoris dignitatis, Metropolitano tamen in sua Provincia cedere magis, quam contendere volebat, quod pauci hodie facerent.

Tritbemius in Annalibus Hirsaugiensibus ult. editionis p. 193.

S. LEO ab Henrico III. Rege impetrat Beneventum per concambium pro Bamberga, Fulda, & aliis in Germania locis.

IMperator cum Domino Papa, multisque Episcopis & Principibus Natalem Domini Wormatiæ egit. Ubi cum Papa, sicut dudum ceperat, Fuldensem Abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ sancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore reposcens exegisset; demum Imperator pleraque in Ultramontanis partibus ad suum jus pertinentia pro Cisalpinis illi quasi per concambium tradidit.

Hermannus Contractus ad ann. MLIII. sed hunc inchoat a Nativitate Christi, anni præcedentis.

Tunc inter Apostolicum & Imperatorem facta est commutatio de Benevento & Bambergense Episcopio.

Leo Ostiens. Lib. II. C. 85.

CON-

CONVENTUS IN GOZECK (a)

EPISCOPORUM VARIORUM.

ANNO CHRISTI MLIII. LEONIS IX. PAPÆ V. HENRICI III. REGIS XV. IMP. VII.

SUMMA. Albertus, Bremensis Archiepiscopus, coram Episcopis & Proceribus, ex suo & fratrum patrimonio fundat & dotat Monasterium Gozeka: Advocatiam familiæ, dum superstes erit, reservat; Abbas a Monachis electus, Archiepiscopo Bremensi præsentandus.

NOtum sit omnibus tam futuris, quam præsentibus Christi fidelibus, quod ego Albertus, sanctæ Bremensis Ecclesiæ Metropolitanæ Archiepiscopus, fratresque mei Dedo & Fridericus, Palatini præsides, hoc cœnobium Gozeka, quod in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in honorem Sanctissimæ Mariæ Virginis, Genitricis Dei, & beati Michaëlis Archangeli, pro remedio animarum nostrarum, & Patrum nostrorum, vel parentum, *ex patrimonio nostro* construximus, cum omnibus pertinentiis suis sanctæ Ecclesiæ Bremensi tradidimus, hoc videlicet statuentes, & officii nostri auctoritate confirmantes, ut ordo monasticus, quem secundum beati Benedicti regulam hic instituimus, futuris perpetuis temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea fratres hic servientes, secundum Dei timorem, & regulam beati Benedicti liberam habeant electionem, sed electus Bremensi Archiepiscopo præsentetur. Decrevimus insuper, ut quisquis in hac stirpe nostra Laicus cæteris ætate provectior fuerit, hic nostra constitutione huic loco Advocatus constituatur. Si vero evenerit, quod absit, ut talis de stirpe nostra deficiat, quemcunque Abbas cum consilio fratrum ad defensionem & utilitatem loci expetierit, hunc Archiepiscopus Bremensis Advocatum constituat. Qui Advocatus non quæ sua sunt, quærat, nec populum suæ tuitioni commissum, violenter aut injuste opprimat, sed omnia cum consilio Abbatis agat, atque disponat, nec extra ejus voluntatem aliquid in populo præsumat. Ordinamus etiam atque statuimus, ut in monumentum, & confirmationem hujus ditionis ad supplementum monachorum, hic Christo Regi militantium, quadraginta libræ argenti Frisicæ monetæ levioris, & totidem lanei panni ex ærario Bremensis Archiepiscopi annuatim persolvantur. Ut autem hæc rata, & inconvulsa permaneant per succedentem generationem, in testimonium posteris, literis jussimus commendari, & sigilli nostri impressione formari. Testes hujus rei sunt isti; *Burchardus Halberstadensis* (b) *Episcopus*, *Eppo* Cicensis Episcopus, *Wintherus* Merseburgensis Episcopus, *Harolfus*, *Adelhertus*, *Svidgerus*, *Adolfus* Canonici Bremensis: *Dedo* Marchio, & fratres ejus *Gero*, *Timo* Comites de Bren. De liberis hominibus Rudolfus de Gostilice, Fridericus de Lesvick, Helinpertus de Widesendorpe, Sigeboto de Stuven. Ministeriales Bremenses, Sibeko, & frater ejus, Gerungus, & Godescalcus, Mecelinus. Data III. Octob. Anno Incarnationis Domini MLIII. Episcopatus Domini Alberti Archiepiscopi, Anno VIII. Actum Gozoka in Christi nomine feliciter. Amen.

Leuckfeld in antiquitatibus Halberstadiensibus Num. 49. *inter Diplomata adjecta.*

(a) *Gozeka*, *Goseck*, locus est amœno colli incumbens, in Saxonia inter Naumbergum & Weissenfels, haud procul flumine Sala. Gozeck, vel Gotteseck, idem sonat, quod Angulus Dei, vel Divinus.

(b) Cum Monasterium Gozeko situm esset intra Diœcesin Halberstadensem, necessaria erat Diœcesani Episcopi confirmatio novi Monasterii erecti: Episcopi Cicensis, & Merseburgensis, confines huic Monasterio erant.

SYNO-

SYNODUS BABEBERGENSIS

Anno Chriſti MLII. Leonis IX. Papæ IV. Henrici III. Regis XIV.

SUMMA. Adalbero, Epiſcopus Wurceburgenſis, qui oppida quædam Diœceſis Babebergenſis invaſerat, cauſa examinata, offert ſatisfactionem. Privilegia Eccleſiæ Babebergenſis confirmantur, ſub ſolius Papæ mundiburdio futuræ.

HIs ibi rite peractis, Babebergam cum Henrico proceſſit, (a) & in die *Natali S. Lucæ*, convocato ad templum populo, inter ſacrorum ſolennia, concionem admirabili ſuavitate ad eum habuit. Qua demum finita, & luſtrato ſalutari carmine populo, in præſentia *Leonis* Pontificis, *Henrici* Imperatoris, *Humberti* ſylvæ candidæ Cardinalis, *Amantii* Romani Diaconi, & *Meginardi* Subdiaconi, *Leopoldi* Moguntini, & *Peldingi* Salisburgenſis, Archi-Epiſcoporum: *Gebhardi* Ratisbonenſis, *Gebhardi* Eiſtetenſis, *Acelini* Hildesheimenſis, *Etichonis* Faventini, *Waltheri* Veronenſis, & *Hezelonis* Epiſcoporum, & aliarum diverſarum poteſtatum, relecta ſunt JOANNIS, BENEDICTI, & CLEMENTIS, Pontificum, S. HENRICI & CONRADI Imperatorum jura & privilegia, quibus Epiſcopatus Babebergenſis fundatus, & confirmatus fuerat. Ibi relata quoque conſcriptio & confirmatio *Henrici* Epiſcopi Wirceburgenſis, qua Eccleſiam Babebergenſem a Wirceburgenſi diſcriminatam, & Epiſcopali interdicto (b) firmatum ſuperius in Eberhardo retulimus. His ordine recitatis, cum LEO Pontifex juxta votum omnium, qui aderant, ipſum locum aucthoritate Apoſtolica confirmare vellet; *Hardovicus* (c) in medium progreſſus, adverſus *Adalberonem* Epiſcopum Wirceburgenſem, in Comitatu præſentem, proclamationem fecit, quod is ſuæ ditionis oppida, jura & poſſeſſiones invaſiſſet, & ut ad eorum reſtaurationem adigeretur, precibus vehementer inſtitit. Cæterum Pontifex, ut concordiam inter Epiſcopos faceret, & rationibus utriusque Eccleſiæ conſuleret, Adalberoni Epiſcopo deliberationem dedit; ut aut objecta refelleret, aut juſtitiæ ſatisfaceret. Tum ille, adhibitis prius in conſilium Proceribus ſuis Clericis & laicis, ad ambonem progreſſus, ſe cum ſatisfactione excuſavit, & juribus omnibus, quæ ad bannum & Epiſcopalem juſtitiam ac poteſtatem Eccleſiæ Babenbergenſis pertinerent, in perpetuum renuntiavit. Qua de re Pontifex ea omnia novis privilegiis cohoneſtavit, Epiſcopatum Babebergenſem liberum, & Romano tantummodo mundiburdio ſubditum pronuntiavit, & ne quis Comes aut Judex ibi placitum, ſeu diſtributionem facere, vel tenere præſumeret, niſi quem per conceſſionem Henrici Imperatoris, vel ejus ſucceſſorum, ipſius loci Epiſcopus deliberaverit, indulſit. Ibi Canonicis quoque licentia geſtandi *mitras*, certis ſaltem diebus, ne honor Apoſtolicæ ſedi proprius vileſceret, indulta.

Hoffmann Lib. II. Annal. Bambergenſ. ex editione Ludewigii pag. 72. 73.

BULLA LEONIS IX. PAPÆ.

Confirmatoria Synodi præcedentis, & ampliativa Privilegiorum Eccleſiæ Bambergenſis.

LEO Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, HARTUUICO, Babenbergenſi Epiſcopo, ſibique Canonice in ſede Epiſcopatus ſucceſſuris in perpetuum,

(a) Leo IX. PP. (b) *Lego:* firmatam.
(c) Hardovicus tertius Bambergæ Epiſcopus ab 1047. ad 1054.

um, æternam in Domino falutem. Cum exigente cura Paftorali totius fanctæ Ecclefiæ Dei, nobis Dei Providentia commiffæ, in partes Germaniæ veniffemus, quæ Orientali Franciæ adjacent, prece Dilectiffimi Filii noftri HEINRICI, fecundi Imperatoris, & tertii Regis, ac fupra fati Dilectiffimi confratris noftri Epifcopi HARTUUICI, Babenberc venimus, & in *die Natalis Beati Lucæ* Evangeliftæ, inter Miffarum folennia, cum verbum Dei haberemus ad populum, præfente nominato chariffimo filio, HEINRICO, & Epifcopis quam plurimis, aftantibus etiam Laicis, & diverfis poteftatibus fæculi, relecta funt Prædecefforum noftrorum privilegia, quibus idem locus fundatus, & corroboratus eft; auctoritate Romana fanctæ Sedis Apoftolicæ. Relecta eft ibi, & confcriptio, & confirmatio Wirzeburgenfis HEINRICI Epifcopi, quæ prædictam Babenbergenfem Ecclefiam banno Epifcopali, & Epifcopii termino, acceptâ placitâ commutatione firmavit, quæ fic acta eft.

Dum HEINRICUS, in Imperio primus, in regno fecundus, Divini ignis amore fuccenfus, de prædiis, quæ Dei gratia, hereditario jure in fuæ poffeffionis Dominium perveniant, Dei fervitium augere, & conftruendo Epifcopatum, atque ordinando defideraret; quo id legitime rationabiliterque fieri potuiffet; HEINRICUM venerabilem Wirzeburgenfis Ecclefiæ provifórem, quatenus prædictum locum Babenberc nuncupatum cum pago Ratenzgaue qui dicitur, qui ad fuæ Diœcefeos ftatum pertinere videbatur, de fuo jure in ejus jus, ad id perficiendum, transfunderet, ftudiofe cœpit flagitare. Qui, quoniam juftæ, & rationabiles caufæ videbantur, ejufdem inviĉtiffimi Regis petitionibus acquiefcens, cum communi Cleri fui, atque militum, nec non totius populi confilio atque confenfu, præfatum locum cum prædicto pago, tribus Parochianis Ecclefiis cum fuis adjacentiis exceptis, quarum nomina funt hæc: *Wachenrode*, *Lonerftat*, *Mülbufen*, omni poftmodum remota contradictione, fuæ poteftati tradidit. Alterius autem pagi, qui Volcuelt nominatur, in quo præfatus locus fitus eft, partem eidem Regi conceffit, quantum eft de Babenberc ufque ad flumen Uraha, de Uraha in Ratenzam flumen, & fic juxta decurfum ejusdem fluminis in Moin, & inde ad rivulum Wichibach, deinde ad caput ejufdem rivuli, ficque, qua citiffime ac proxime perveniri poteft ad Uraha. Et ut hæc traditio firma, & inconvulfa permaneret, ipfe prædictus Præful HEINRICUS cum Canonicis fuis corroboravit & fubfcripfit.

Qua fubfcriptione relecta, cum juxta votum omnium, quia femper juftis operibus favorem debemus, & nos prædictum venerabilem locum Apoftolica auctoritate vellemus corroborare, ipfe prænominatus ejusdem loci Epifcopus, HARTUUICUS proclamationem fuam fecit, quia locus fuus a Clericis ADALBERONIS, Wirzeburgenfis Epifcopi, temeraria præfumptione invafus. Quod nos, quia (utrique, *apog. Bamb.*) Epifcopi præfentes aderant, inter quos caufa ftabat, ibidem volentes difcutere, ADALBERONI Epifcopo, a quo injuria illata erat, deliberationem fecimus, ut objectionem hanc, fi poffet, refelleret: Si non; juftitiæ fatisfaceret. Tum ille inito cum fuis omnibus, qui aderant, Clericis & Laicis, confilio, regrediens ad ambonem, de illata injuria fe cum fatisfactione excufavit, & de omnibus, quæ ad bannum, & Epifcopalem juftitiam, & poteftatem Babenbergenfis Ecclefiæ Chrifti pertinerent, & tunc, & deinceps renuntiavit, exceptis his caufis, quas de bonis utriusque Epifcopii, ipfi inter fe Epifcopi poffent legaliter definire.

Verum Nos, ficut femper de profectu gaudemus fidelium, & juftis operibus debemus augmentum, eundem Babenberc locum, ab anteceffor ibus noftris corroboratum Apoftolica auctoritate, viva voce corroboravimus, & eandem corroborationem nunc etiam literis fignavimus, ut eundem locum, & omnia, quæ ibidem Deo, fanctoque Petro a felicis memoriæ HEINRICO, fecundo Rege, & primo Imperatore, tradita funt, & quæ in pofterum jure acquiri poffunt, vel jufte acquifita funt, prædia, mancipia, aurum, argentum, pallia, vafa, ornamenta, & alia utenfilia, nemo audeat in perpetuum furripere,

pere, auferre, aut commutare, nisi ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ. Sed Episcopus ejusdem loci, vel qui in perpetuum ejusdem fuerint successores, secura eas possideant tranquillitate, ac liberam habeant potestatem, aut dominationem, omnes res, & proprietates ejus loci ordinare, atque componere, vel augmentare: dissipare vero atque confundere, nullam habeant inde potestatem aut dominationem.

Insuper pro nostra auctoritate sancimus, ut in terminis ejusdem Ecclesiæ nulla sit infestatio Tyrannorum, vel aliorum quorumlibet hominum pravorum, sive sint in civitate ipsa Babenberc, sive in castellis, villis, servis, ancillis, tributariis, decimis, forestis, silvis, venationibus, piscationibus, molendinis, campis, pratis, pascuis, agris, cultis & incultis, aut quidquid modo illuc pertinet, aut in futurum juste acquiri poterit, per nostræ Apostolicæ auctoritatis privilegium corroboratum, in secura permaneat quiete. Nullus ibi Comes, aut Judex placitum, seu districtionem aliquam facere, vel tenere audeat, nisi quam per concessionem Gloriosissimi Imperatoris secundi HEINRICI, vel successorum ejus, Episcopus ejusdem loci deliberaverit; nulla in aliqua dignitate posita, magna, parvaque persona per violentiam irruat. Sit ille Episcopus liber, Romano tantum mundeburdio subditus, quatenus Episcopus liberius, & delectabilius cum Clericis suis servitio Dei possit insistere, & HEINRICI quoque charissimi filii nostri, secundi Imperatoris, atque omnium, quibus debitores sunt, memoriam jugiter habere. Sed tamen idem Episcopus suo Metropolitano Episcopo Moguntino in Canonicis causis tantummodo sit subditus subjectus, & obediens.

Deliberatis igitur, sancitis, ac corroboratis omnibus supradictis rebus, eidem sancto loco placuit addendum insigne honoris Ecclesiastici, a nostra Apostolica auctoritate, ducti amore & reverentia CLEMENTIS, piæ memoriæ, prædecessoris nostri, quem Deus miro (*a*) dispensationis ordine, a prælatione hujus loci ad sanctæ ROMANÆ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ apicem (*) dignatus est avertere, & mirabilibus e ROMANIS finibus defunctum corpus ejus reducere: Volens hanc Ecclesiam, ut æstimamus, quasi novam, tanto decoratam esse Patrono, & Romanam contentam, & sufficienter præteritis, & futuris Patribus manere ornatam; quin etiam amore & desiderio fratrum, qui nos in suis recepere Ecclesiasticis stipendiis & quotidians, unum nostra (*b*) vicissitudine regere fratrem, mitras gestare concedimus licentiam, ea scilicet ratione, ut ab Episcopo provideantur digniores, & honestiores Presbyteri & Diaconi, qui bonis moribus, vel maturis ætatibus, vel etiam prælationibus ipsius loci emineant, videlicet diebus: *In Natali Domini*, & *Salvatoris* nostri JESU Christi, & in *Cœna Domini*, & *in Sabbatho sancto*, & *in die Gloriosæ Resurrectionis ejusdem* & *sancta Pentecoste*, & *in die S. Georgii*, & *in die Ss. Petri* & *Pauli*, & *Assumptionis Beatissimæ Mariæ* & *S. Dyonisii*, pro reverentia nostri prælibati prædecessoris Domini CLEMENTIS Papæ, cujus anniversarius dies tunc ab eisdem fratribus agitur, & *in anniversario die Domni HEINRICI Imperatoris*, ejusdem loci venerabilis constructoris. His vero concedimus hanc dignitatem, qui tantum specialiter excubant, vel deserviunt apud prædicti prædecessoris nostri sepulchrum. Contentos tamen his sancimus diebus fore, nec ultra a quoquam temere usurpari, ne honor proprius Apostolicæ sedis vilescat.

Hæc vero omnia supradicta observari, & custodiri in perpetuum, nostra Apostolica auctoritate decernimus, confirmamus, & corroboramus. Qui vero, quod absit, hujus nostri privilegii temerarius transgressor exstiterit, Dei & Beatissimæ Mariæ & Beatorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum (*c*) æterna maledictione maledicatur, & perpetui anathematis vinculis innodetur, nisi digna satisfactione resipuerit, & canonice satisfecerit. Qui vero pio corde hujus

(*a*) *dispositionis.*
(*) Suidgerus ab Episcopatu Bambergensi promotus ad Pontificatum Romanum, & Clementis secundi nomine appellatus, Bambergæ sepultus.
(*b*) *nostra vice.*
[*c*] Et nostra. *Apogr. Bamb.*

hujus obſervator privilegii exſtiterit, Dei omnipotentis, & Almæ Mariæ, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli benedictione ditatus æterni regni particeps fieri mereatur. Data per manus Friderici, Diaconi, Bibliothecarii, & Cancellarii ſanctæ Romanæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ anno Dominicæ Incarnationis MLIII. Anno vero Pontificatus Domini Leonis noni Papæ IV.

Gretſerus edidit in Divis Bambergenſibus C. XVIII. vitæ S. Henrici, recudit Ludewigius Tomo I. Scriptorum Bambergenſium pag. 290.

Qui ſibi poſtea ſucceſſit) Fridericus Cancellarius Pontificatum adeptus, Stephani X. nomen tulit: Non tamen immediate ſucceſſit Leoni IX, ſed interjecto Victore II.

Quin etiam amore) hunc locum ita emendavimus ex codice Donawerdano. Nam in Rebdorffenſi, & apographo Bambergenſi plane depravatus erat, licet neque jam mendo prorſus carere videatur.

SYNODUS MOGUNTINA

ANNO CHRISTI MLIV. ROM. SEDE VACANTE. HENRICI III. REGIS XVI.

SUMMA. *Gebehardus, Aiſtettenſis Epiſcopus, in locum S. Leonis IX. Papæ defuncti, Romanus Pontifex deſignatur.*

Defuncto ſanctæ Memoriæ Papa Leone, Hildebrandus tunc Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus ad Imperatorem a Romanis transmiſſus eſt, ut quoniam in Romana Eccleſia perſona ad tantum officium idonea reperiri non poterat, de partibus illis, quem tamen ipſe vice Cleri, populique romani in Pontificem elegiſſet, adduceret. Quod cum Imperator fuiſſet aſſenſus, & Gebehardum, Aiſtettenſem Epiſcopum, Hildebrandus ex induſtria, & conſilio Romanorum expetiiſſet; triſtis ſuper hoc valde Imperator effectus eſt: Nimis enim illum carum habebat. Et cum eundem ſibi omnimodis neceſſarium aſſereret, & alium, atque alium huic officio magis idoneum indicaret: Hildebrando tamen, ut alterum reciperet, perſuaderi nullatenus potuit. Erat enim idem Epiſcopus, ſuper id, quod prudentia multa callebat, poſt Imperatorem potentior ac ditior cunctis in regno.

Hunc ergo Hildebrandus, invito licet Imperatore, invito etiam eodem ipſo Epiſcopo (propter quod utique poſtea dictus eſt, Monachos non amaſſe) Romam ſecum adduxit; eique Victoris nomen imponens, Romanum Papam cunctorum aſſenſu conſtituit, cum jam ferme a tranſitu Papæ Leonis annus elaberetur.

Leo Oſtienſis L. 2. C. 90.

Synodum pro hac electione habitam Moguntiæ fuiſſe teſtatur Continuator *Chronici Hermanni ad annum MLIV.*

Conventus, *inquit*, ab Imperatore Moguntiæ factus eſt, in quo Geberhardus Eiſtetenſium Epiſcopus, ab Epiſcopis electus, Romamque miſſus, ibique honorifice ſuſceptus, in ſequenti quadrageſima (*anni nimirum MLV.*) in Cœna Domini CLIV. Papa ordinatus, Victoris II. nomen accepit.

LEODII SYNODUS DIOECESANA

CUM CANONICIS ET MONACHIS.

ANNO CHRISTI MLV. VICTORIS II. PAPÆ I. HENRICI III. REGIS XVIII.

SUMMA. *Theodoricus, Laubienſis monachus, deligitur Abbas Andaginenſis S. Huberti.*

Interea, dum Theodoricus Laubienſis monachus ad Fuldenſe Monaſterium; ubi ſcholarum rector poſtulatus fuerat, iter parat; ad Theoduinum Leodienſem

diensem Episcopum nuntius affertur de morte Adelardi Abbatis Andagiensis, seu S. Huberti, viri quidem nobilitate clari, sed religionis cura non satis solliciti, sub quo regularis illic disciplina multum intepuerat. Cum igitur nullus ibi ad eam instaurandam idoneus haberetur, & si multi, ut fit laxioribus locis, præfecturam ambirent, convocata *religiosorum Abbatum, & Canonicorum concione* Episcopus de substituendo successore, qui collapsam religionem reformare valeret, tractare cœpit. Tum alii alium pro suo genio ac studio suggerere, quidam ut Monachorum loco substituerentur CANONICI, suadere: in summa, nullus hoc munere dignum proponebat. In his diffidiis Anselmus Canonicus, jam alias laudatus a nobis, Theodericum eligendum censuit; ab ineunte quippe ætate bonis moribus institutum, qui certe dignus esset ampliori præfectura. Assensere multi: At non pauci, quibus religio non ita cordi erat, contra sentiebant, eum potius mittendum esse ad Fuldense Monasterium, ad quod ex Imperatoris mandato destinatus erat. Inter varias illas altercantium sententias Stephanus Abbas sancti Laurentii in publico monte apud Leodicum, vir canitie reverendus, & conversatione Angelicus, imperato silentio, dixit, S. Huberti Monasterium, sub cura & providentia Leodicensis Episcopi positum, indigere strenuissimo rectore ad restituendam inibi disciplinam, nullumque ad id muneris aptiorem esse Theodorico, nec ei parem in aliis Monasteriis facile inveniri posse. Denique præferendam loci domestici necessitatem extraneo, id est Fuldensi Monasterio, cujus cura nihil ad se, nihil ad Leodicensem Episcopum pertineret. Dixerat: tumque conversis omnium studiis ac suffragiis, vocatur ab Episcopo Theodoricus, qui illic aderat; jamque fugam meditabatur; vixque a Gunzone Floriensi Abbate religiosissimo, qui uti & Stephanus, mox laudatus, ex discipulis beati Richardi Virdunensis Abbatis erat, ad Episcopum adductus est; ac demum, postquam diutius reluctatus fuisset, cedere coactus, festo die purificationis Beatæ Mariæ, hoc anno, deducentibus septem Abbatibus ordinatur. Obiit octogenarius anno 1081.

Mabillon. Annal. Benedictin. Tom. IV. L. LX. No. LXXIV.

CONVENTUS COLONIÆ
PRÆSENTE VICTORE II. PP. ET HENRICO IV.

Mediante Victore II. pax stabilitur inter Henricum IV., Balduinum, & Godefridum Lotharingiæ Duces.

Balduinus, Dux inferioris Lotharingiæ, qui anno 1049. intercedente Leone IX. PP. fuerat Imperatori Henrico Aquisgrani reconciliatus, & Godefridus barbatus, Comes Flandrensium, & Maritus Beatricis, viduæ Marchionis Pisarum, Bonifacii, gubernatoris Marcæ Anconitanæ, Domini Hertruriæ, & magnæ portionis Italiæ, Coloniam Agrippinensium venerunt ad Henricum IV. septennem puerum, sub Tutela matris Agnetis constitutum, ubi Victore II. (a) PP. Mediatore, certis conditionibus pacem cum Rege Henrico IV. pacti sunt. Godefrido Beatrix uxor Marchionissa restituta fuit.

Anno MLVII. generali Conventu Coloniæ habito, Balduin pius Comes Flandriæ, & Godefridus Dux Brabantiæ, mediante Papa Victore, ad pacem & gratiam Imperatoris Henrici IV. (b) reducuntur, & omnes bellorum motus sedantur.

Ægidius de Roya Annales Belgici.
Albericus Monachus trium fontium.

(a) Victor Papa eodem anno 28. Julii obiit. Fridericus, frater Ducis Godefridi, filius Gozelonis, Archi-Diaconus S. Romanæ Ecclesiæ & Cardinalis, monachus & Abbas Cassinensis, fuit electus Papa concordi voce Cardinalium, sub nomine Stephani IX.
[b] Henricus IV. Rex per prolepsin Imperator appellatur.

SYNODUS DIOECESANA BAMBERGENSIS,

A GUNTHARIO, BAMBERG. EPISCOPO, CELEBRATA,

Anno Christi MLVIII. Stephani IX. Papæ I. Henrici IV. Regis III.

De Decimationum finibus inter Wurceburgensem & Bambergensem Diœcesin.

IN nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam præsentis ætatis quam futuræ posteritatis, qualiter: Ego *Guntharius*, Quintus Babenbergensis Episcopus, propter multimoda meæ Ecclesiæ negotia, *Synodum* universorum subjectorum tenui; Erat enim plebs hujus Episcopii, utpote ex maxima parte Slavonica, ritibus Gentilium dedita, abhorrens a Religione Christiana, tam in cognatorum connubiis, quam in decimationum contradictione, decretis Patrum omnino contraria. Quapropter communi omnium judicio confirmatum est, ut, qui sponte canonicis Decretis nollent obedire, compellerentur intrare, & qui canonice Banno constrictus, non decimaret, bonis suis a Domino suo abdicaretur, donec resipiscere compelleretur.

Huic Synodo *Eberhardus* Comes, Wirzeburgensis Advocatus, superveniens, Decimationes quasdam Novalium nostrorum per prolocutorem suum *Apelin* de *Cunstat*, Wirceburgensi Ecclesiæ repostulavit: Sed meo advocato *Wolframmo*, per prolocutorem suum *Katzelinum* de *Hamfenfeld*, respondente, ac Domno *Meinnardo* cartam de eadem re coram omnibus perlegente, Synodali judicio expostulatio illa infirmata est, & supradicta decimatio nostræ Ecclesiæ adjudicata, sicut ego, meique fideles, protestati sunt Domnum nostrum Imperatorem *Heinricum* hujus Episcopii terminos suo prædio a Wirzeburgensi Ecclesia commutasse.

Isti autem sunt Testes, qui huic Synodo interfuerunt.

Herimannus hujus Bambergensis Ecclesiæ Præpositus, qui Canonice interrogatus, omnium assensu judicium fecit.
Poppo, Decanus.
Razzelin; Penno, Luitzo; Adelune; Gozebreht; Hartuuic.
Meinnard Scholasticus.
Adalbero Decanus de Duristat.
Huno.
Arnold de *Sieslice*.
Oze de *Stafeleftein*.
Sigelo; Ruothart, Necer; Adalbraht; Odalric; & fere omnis *Clerus Bambenbergensis Ecclesiæ*.

Laici autem isti erant.

Cono, Palatinus Comes.
Pertolt, & *Fridericus* Filius ejus.
Gotescalc, & *Frideric* Filius ejus.
Eppo de *Nubeim*.
Gozuvin, Comes.
Adalbraht de *Vorst*.
Sterchere: Comes.
Goswin Comes.
Reginboto Comes, & Filius ejus Diemar.
Kraft Comes.
Immo, Waltpoto.

Judices isti affuerunt.

Gumpreht, & Filius ejus *Meingoz*.
Heriman, & Volcrat.
Ebo; Vocho; Ascuvin.
Adelolt de *Trubaba*, & frater ejus *Hemmo*.
Erbo de *Wizenaba*.

Ministeriales autem isti.

Wiecer.
Mazelin.
Arnolt de *Sichendorf*.
Teimo.
Tuticho, & frater ejus *Babo*.
Deipolt, & alii plures, quos nominare longum est.

Acta

Acta, idibus Aprilis. Indictione IV. anno Dom. Incarnationis MLVIII. anno Episcopatus Domini *Guntharii* II.

Ex vetusto codice Evangeliorum MS. in Sacrario Ecclesiæ Cathedralis Wurceburgensis asservato, descripsit Cl. Schannatus b. m.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

INDICTA A BURCHARDO, SED NON CELEBRATA.

ANNO CHRISTI MLIX. NICOLAI II. PAPÆ I. HENRICI IV. REGIS III.

De ablatis Monasterio Herveldensi decimis restituendis.

MEginherus, Abbas Herveldensis Cœnobii, cum Burchardo, Halberstadensi Episcopo, diuturnam traxerat litem propter decimationes Saxoniæ, quas de Herveldensi Monasterio ereptas, per occasionem Episcopalis regiminis sibi vendicabat. Contra cujus improbitatem, cum nec forenses, nec Ecclesiasticæ leges quidquam valerent, & Abbas sæpe, querimonia in jus delata, surdis tribunalibus fabulam narrâsset; tandem brevi, antequam vita excederet, mandavit ei per Fridericum Palatinum Comitem, se quidem, tanquam viribus imparem, causa cadere: Deo tamen vires ad luendam æquitatem non defuturas esses: Proinde parati ambo essent, ut intra paucos dies ad tribunal æquissimi Judicis Dei causam dicerent. Victurum ibi esse, non qui plus posset, sed cujus causa justior esset.

Nec fefellit eventus. Nam post dormitionem Abbatis, pauci dies intercesserant; & ecce, Episcopus, cum prædictæ rei gratia Synodum indixisset, & admoto jam equo, illuc properare vellet, repente Divina animadversione ictus corruit; reportatusque ad cubiculum, ascitis ocyus Presbyteris suis per Deum obtestabatur, ut decimationes suas Herveldensi monasterio restituerent; atque omnem in perpetuum super hac re litem præciderent, scirentque, cunctis, qui eadem tentassent, sic infeliciter rem cessuram, ut sibi cessisset, qui injustæ exactionis tam acerbum vindicem ipsum experiretur Dominum. Cumque Magdeburgensis, & Hildenesheimensis Episcopi visitatum eum advenissent, cum magno ejulatu fatebatur, se juxta prædictum eximii Abbatis ad tribunal Dei jam jam abripi, & pro invasis rebus alienis rationem exigi, rogabatque obnixe, ut missis Herveldiam nuntiis, veniam sibi pro admisso supplices precarentur. Nec multo post, diruptis miserabili morbi genere visceribus expiravit. Uto quoque Archi-Presbyter ejus, quo ille potissimum incentore in hanc sævitiam inarserat, quique exactor, atque administer hujus calumniæ vehementissimus extiterat, eodem anno subitanea morte sine confessione, sine sacra communione interiit, a Diabolo (ut fama vulgatior loquitur) suffocatus.

Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1059. *ult. edition.*

Ex quo Baronius ad eundem annum N. LXXXI.

CONCILIABULUM BASILEENSE

ANNO CHRISTI MLXI. ALEXANDRI II. PAPÆ I. HENRICI IV. REGIS V.

AUdita in aula Regia electione Alexandri secundi, Kal. Octobris hoc anno Romæ facta, conclamata est ab omnibus Regis injuria, quod ipso nesciente (*a*) Pontifex Romanus electus esset. Guibertus Cancellarius Regis, Parmensis, mox eligendum a Rege Pontificem affirmans, suæ civitatis intimum fami-

familiarem, Cadalum (alii Cadaloum, alii Cadalaum) Parmensem Episcopum, qui a nulla Synodo, nec nisi a duobus Episcopis Lombardis, Vercellensi & Piacentino, publice concubinatu turpissime infamatis, Basileæ electus fuit, die XXVIII. Octobris, & ne deesset illi electioni omne, quod nefandissimum est, Gerardus Comes Galeriensis, excommunicatus Romæ in Synodo, ob deprædatos ab ipso Anglos, interfuit Basiliensi Conventiculo.

Hæc omnia constant ex Epistola S. Petri Damiani coævi, & Sanctissimi Scriptoris, scripta ad Cadolaum, quam Ill. Baronius integram refert ad h. ann. a N. VII.

Hic Cadalus voluit dici Honorius II, & quantiscunque fulminibus excommunicaretur, non destitit usurpare functiones Pontificias.

(a) Clerus Romanus, auditis his attentatis, Stephanum Presbyterum Cardinalem legavit ad aulam Henrici, causas properatæ electionis relaturum: sed admissus non fuit ad audientiam, aulicis obstantibus, ut S. Petrus Damiani narrat in disceptatione synodali jam jam referenda.

Henricus Rex audito schismate misit Romam Burchardum, secundum hoc nomine Episcopum Halberstadensem, qui videtur retulisse ad Regem pro causa Alexandri II. approbanda contra Honorium secundum, seu Cadalaum.

Postquam S. Anno, Coloniensis Archi-Episcopus, Procerum Germaniæ suasu, Henricum IV. e sinu matris abduxisset, anno 1062. post Paschatis dies, & educandum suscepisset, & simul Regni Germanici curam; Guibertum Parmensem, quem Agnes Imperatrix Cancellarium Regis creaverat[1], sine mora deposuit, præcipuum Cadolai promotorem, & Cancellarii officium dedit Gregorio Vercellensi Episcopo.

CONCILIUM AUGUSTANUM
SEU OSBORIENSE.
Anno Christi MLXII.

ANno archiepiscopus Coloniensis suscepta Regni Germanici, & Regii pueri Henrici IV. educandi cura, episcopos Germaniæ, & Italiæ quotquot apud Regem reperiri contingebat, autumnali tempore Augustam Vindelicorum (quam S. Petrus Damiani ex Germanico nomine Osborium vocat) congregat. Acta latent teste Baronio, sed ex epistola S. Petri Damiani ad Cunipertum Taurinensem, tum ex disceptatione Synodali scripta a Petro Damiani, & in hac Synodo prælecta status controversiæ elucet.

Nempe omnium consensu conclamata fuit damnatio Cadolai, Alexandri electio comprobata, die præcedente Natalem Ss. Apostolorum Simonis & Judæ: quorum die anno superiori in Conciliabulo Basiliensi promotus fuerat.

Baronius ex actis refert hanc Epitomen ad hunc annum; tum ex Leone Ostiensi.

Disceptatio Synodalis inter Regis Advocatum, & Romanæ Ecclesiæ Defensorem, transmissa ad Synodum Osboriensem ex Italiæ & Germaniæ Episcopis coactam 1062. coram Henrico IV. Rege.

ARGUMENTUM.

In hoc libello Romanæ Ecclesiæ Defensor, & Regis Henrici Advocatus altercantes inducuntur. Causa autem eorum altercationis hæc erat: Inoleverat prava consuetudo; ut Romanus Pontifex eligi

non posset, nisi ab Imperatore prius confirmaretur. Cum igitur tunc temporis Henricus IV. puer esset, & adhuc sub tutela constitutus, sine illius assensu Pontifex electus est: quod cum ab Henrici Legatis in crimen vocaretur; in hac disputatione cuncta eorum objecta refelluntur, ut paulatim cogatur Regius Advocatus rationibus convictus, in contrariam transire sententiam. Fingitur autem hæc disceptatio habita coram Synodo Episcoporum, qui, ut hac de re pronuntiarent, in unum convenerant.

SEd ad hæc gloriaris & jactas: *Rex me, & Imperatrix mater elegit: ad hunc apicem me Regia Celsitudo provexit.* Sed cum hinc aula Regia suum tueatur electum, illinc Romana Ecclesia proprium defendat Antistitem, jam in solio constitutum; dignum est, ut Sanctorum atque prudentium Sacerdotum multitudo conveniat; & hanc quæstionem ventilans sub Canonici juris auctoritate discernat. Et quoniam in proximo, ut speramus, fiet hinc Osboriense (*a*) Concilium, hic jam ejusdem Concilii constituamus, velut in quadam tabellæ pictura, præludium. Juxta visionem ergo Danielis (*b*) Patrum throni sint positi, judicium sedeat, libri aperiantur: & solutionis indiga quæstio in medium deducatur. Hinc itaque Romanæ Defensor Ecclesiæ suas allegationes inferat: illinc Advocatus Regius propriæ partis argumenta depromat. Taceat Parma cum suo hæresiarcha, advocatio tantum Regia, & Romana invicem obloquatur Ecclesia, Sanctorum vero Sacerdotum erecti sint animi, ut & quæ utrimque dicenda sunt, conferant, & peroratæ causæ judicialis sententiæ calculum ponant. Age igitur, defensor Apostolicæ sedis incipiat, deinde Regius Advocatus, quæ sibi videbuntur, obtendat.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Cum beatitudo vestra, Venerabiles Patres, super Apostolicæ sedis negotio disputat, ad cunctas Ecclesias pertinere, quod versatur in manibus, non ignorat. Hac enim stante, reliquæ stant: sin autem hæc, quæ omnium fundamentum est & basis, obruitur; cæterarum quoque status necesse est collabatur. Omnes autem sive Patriarchivi cujuslibet apicem, sive Metropoleon Primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cujuscunque ordinis dignitates, sive Rex, sive Imperator, sive cujuslibet conditionis homo purus instituit, (& prout voluntas, aut facultas tulit) specialium sibi prærogativarum jura præfixit; Romanam autem Ecclesiam solus ille fundavit, & super petram fidei mox nascentis erexit: *Qui beato vitæ æternæ clavigero, terreni simul, & cœlestis Imperii jura commisit.* Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud Verbum, per quod conditum est cœlum, & terra, & per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam; illius certe privilegio fungitur; illius auctoritate fulcitur. Unde non dubium, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ jus suum detraxit, injustitiam fecit: qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur; hic procul dubio in hæresim labitur: & cum ille notetur injustus; hic est procul dubio dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ mater est fidei: & illi contumax invenitur; qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur. Cum hæc igitur vestra sanctitas indubitanter agnoscat, vos, qui non quilibet, sed nobi-

(*a*) Augustæ Vindelicorum, germanica dialecto Ausburg, ad quam Synodum anno MLXI. coactam, Petrus Damiani hunc libellum misit, qui inscribitur: *Disceptatio inter Advocatum Regium & Ecclesiæ Romanæ Defensorem.* In quo status controversiæ tam de jure Regis in Cadolao a Rege Basileæ electo, quam pro jure & libertate Romanæ Ecclesiæ, quæ Alexandrum II. elegerat absque Regia confirmatione, clare exponitur.

(*b*) Daniel. VII.

nobiliores, & egregii eſtis filii Romanæ Eccleſiæ, pietatis viſcera circa matrem veſtram compatientes oſtendite: & utrum deſtrui debeat, ſibimet eligendo Pontificem, judicate. Mirum quippe eſt, ſi quod minoribus Eccleſiis Canonicus vigor attribuit, illi ſoli, quæ caput eſt omnium, non permiſit.

Regius Advocatus.

Prolixa declamatio dedit attentionem, benevolentiam, atque docilitatem: Et hoc potius juxta conſuetudinem fori judicialis, quam ſecundum regulam Concilii Synodalis: Ubi ſcilicet non magnopere curare debemus elucubratæ locutionis urbanitatem, ſed vivæ potius ſententiæ puritatem. Ad querelam ergo coram Sanctis Sacerdotibus deponendam, ſufficiat nobis dicere: quoniam inthronizaſtis Papam ſine conſenſu Domini noſtri Regis; ad injuriam ſcilicet, atque contemptum Regiæ Majeſtatis.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Ordinationem Papæ factam diffiteri nec poſſumus, nec debemus; Regis autem injuriam modis omnibus propulſamus. Sed videamus primo, ſi placet, utrum Papa ſine Rege potuerit fieri, & ſic poſtmodum de Regis diſputemus injuria.

Regius Advocatus.

Certe liquido novimus, quia illi debent Pontificem, cum ordinantur, eligere, quos ſibi, poſtquam ordinatus fuerit, Canonica decernit auctoritas, obedire: Papæ vero, quia univerſalis eſt Pontifex, non modo Romanus populus, ſed & Romanus Imperator, qui caput eſt populi, obedientiam debet; Cenſendumne ergo eſt, ut Papam ſine capite ſuo populus eligat, & ei, quem non elegit, Imperator obediat? Conſtat ergo, quia niſi Romani Regis aſſenſus acceſſerit, Romani Pontificis electio perfecta non erit.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Perhibendum eſt itaque juxta veſtræ diſputationis articulum, quia neque Stephanus, neque Sixtus, neque Cornelius, non denique Clemens, non Sylveſter, non ipſe beatus Petrus Apoſtolus, Papali nomine digni ſunt, qui ab Imperatoribus eorumdem temporum electi non ſunt.

Regius Advocatus.

Gentiles Reges non ſunt adhibendi ad hujus, de qua loquimur, electionis exemplum: qui quoniam Chriſtianam ignorabant fidem; Chriſtianorum non poterant ordinare Pontificem. Cæterum Chriſtiani Principes ſemper Romanos elegere Pontifices.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Qui mentitur in communi colloquio, mendax dicitur, qui autem in præſentia venerabilium Sacerdotum falſa protulerit, Sacrilegii procul dubio crimen incurrit. Dixiſti, Chriſtianos Principes Romanos ſemper elegiſſe Pontifices; percurre mecum Eccleſiaſticæ antiquitatis hiſtorias: Romanorum Præſulum catalogum ſtudioſe diſquire: & cum *perpaucis* inveneris in electione ſua Regium acceſſiſſe conſenſum, confitere te perſpicuum protuliſſe mendacium. Quis enim Rex, Antonii filium Damaſum Hiſpanenſem, quis Innocentium Innocentii filium Albanenſem: quis denique Zoſimum Græcum, Ebramii filium elegit? Quis præterea Leonem, Quiriani filium, de Tuſcia? Quis Hilarium, Criſpini filium de Sardinia? Quis Cæleſtinum, Priſci Romani civis filium? Quis Bonifacium? Quis Anaſtaſium, æque Romanos? Denique multos attexerem, niſi faſtidium generarem. Sed ne me putes, non habentem copiam, ab eorum enumeratione deficere; quis Imperatorum elegit Simplicium Tiburtinum? Felicem, natione Romanum? Quis Gelaſium Afrum Valerii filium? Quis Symmachum, Sardiniæ Provinciæ filium Fortunati? Quis Hormiſdam, filium Juſti, natione Campanum, Joannem ordine Tuſcum? Felicem, natione Samnitem: Bonifacium, Sigibaldi filium, Mercurium (*a*) Projecti, Agapitum Gordiani, natura Romanos? Quis enim Regum, electioni cujuslibet iſtorum ſuum legitur adhibuiſſe conſenſum? cum eorum temporibus Romanæ Reipublicæ Chriſtiani Principes præfuiſſe legantur, id eſt, Valentinianus Senior: Valens frater ejus, qui occiſus eſt in pugna Gothica prope Adrianopolim: Gratianus, qui a Maximo Tyranno per-

(*a*) Sic omnes impreſſi codices habent, etſi nullus Papa *Mercurii* nomine notus ſit.

peremptus eſt : Valentinianus junior, qui necatus eſt a Comite ſuo Viennæ : Deinde Arcadius, Honorius, Theodoſius : Joannes ille, qui apud Ravennam occiſus eſt : Valentinianus tertius, qui in campo Martio eſt peremptus : Martianus, Leo, Majorianus, Severus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Zeno : Nepos ille, qui in villa ſua occiſus eſt juxta Salonas : Auguſtulus, Anaſtaſius, Juſtinus, & cæteri Romani Imperatores, quos vitandi lacinioſi ſtili cauſa prætereo. Da mihi ergo eorum, quos enumeravimus, aliquem, vel Præſulem requirentem, vel Principem, aſſenſum in electione præbentem ; & ego do manum, ac te perhibeo laureandum. Alioquin ſi dare non poteris ; in hoc te convictum per omnia neceſſe eſt, fatearis. Quod autem beato Gregorio legitur adhibuiſſe Mauritius Imperator aſſenſum, & *perpauci alii* Principes aliis promovendis : hoc dictavit perturbatio temporum, & tempeſtas horrenda bellorum.

Regius Advocatus.

Si mentiri eſt contra mentem loqui, temerarium eſt, me mendacii tam procaciter argui, qui non utique falſum, ſed verum me dixiſſe putavi, tamen aſſentior, & in hoc ſuperatum me eſſe non abnuo.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Ut autem idipſum adhuc manifeſtius pateat, & te ſuper hac dimicandi materia perdidiſſe, tibimet ipſi clarius innoteſcat : lege *Conſtantini Imperatoris Edictum*, (*a*) ubi ſedis Apoſtolicæ conſtituit ſuper omnes in orbe terrarum Eccleſias Principatum. Nam poſtquam ſupra corpus beati Petri Baſilicam fundator erexit, poſtquam Patriarchium Lateranenſe in beati Salvatoris honore conſtruxit ; mox per Imperialis Reſcripti ſeriem Romanæ Eccleſiæ conſtituit dignitatem. Ubi nimirum beato Sylveſtro, ſuiſque ſucceſſoribus obtulit, ut regali more, & aurea corona plecterentur in capite, & cæteras Regii cultus inſulas uſurparent. Verum beatus Sylveſter ornamenta, quæ Sacerdotali congruere judicabat officio, in proprios uſus aſſumpſit ; coronam vero, vel cætera, quæ magis ambitioſa, quam myſtica videbantur, omiſit. Cui etiam Conſtantinus Lateranenſe Palatium, quod eatenus aula Regalis exſtiterat, perpetuo jure conceſſit ; Regnum Italiæ judicandum tradidit. Nam & ipſius Regis hæc verba ſunt : *Unde congruum*, inquit, *proſpeximus, noſtrum Imperium, & Regni poteſtatem Orientalibus transferri, ac transmutari Regionibus, & in Bizantia Provincia ; in optimo loco nomini noſtro civitatem ædificari, & noſtrum illic conſtitui Imperium ; quoniam ubi Principatus Sacerdotum, & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cæleſti conſtitutum eſt, juſtum non eſt, ut illic Imperator terrenus habeat poteſtatem.* Audiſti, quia terrenus Imperator non habet in Romana Eccleſia poteſtatem ? quomodo ergo ſine illius arbitrio, qui ibi poteſtatem non habet, non licet eligi ſacerdotem ? Ipſe vero Conſtantinopolim, velut in ſecunda Roma, perpetuo Regnaturus abſceſſit. Longe vero poſt Theodoſius Imperator beati Pauli Baſilicam cœpit, quo defuncto filius ejus, Honorius, eamdem Baſilicam ad calcem uſque perduxit. Hi quoque Romanæ Eccleſiæ privilegium nihilominus firmaverunt. Quomodo ergo prærogativam ſibi in Romani Pontificis electione relinquerent, qui Romanam Eccleſiam nequaquam ſibi ſtuduerunt ſubdere, ſed præferre ; non præcipere, ſed parere ; non præcellere, ſed ſubeſſe ?

Regius Advocatus.

Aſſentior plane, & ratum duco, quod loqueris. Sed eſto, quod nunc Regia celſitudo ex antiquorum conſuetudine Principum, hoc ſibimet allegare non poſſit ; verumtamen tu hoc negare non potes, quod Pater Domini mei Regis, piæ memoriæ, Henricus Imperator, factus eſt Patricius Romanorum, a quibus etiam accepit, in electione ſemper ordinandi Pontificis Principatum. Huc accedit, quod præſentius eſt, quia Nicolaus (*b*) Papa hoc Domino meo Regi privilegium, quo ex paterno jam jure

(*a*) Sæculo XI. hoc donationis Conſtantinianæ diploma a multis verum habebatur, uti & Epiſtolæ Romanorum Pontificum, ab Iſidoro Mercatore Sæculo nono prolatæ, & a multis acceptatæ.

(*b*) Nicolaus II. PP. in Synodo Romana anni 1059 : Eligatur, *ait*, de ipſius Eccleſiæ Romanæ gre-

jure susceperat, præbuit, & per Synodalis insuper decreti paginam confirmavit. Cum ergo privatus quisque a suo decidere jure non debeat, donec ventilato negotio, judicialis in eum sententia promulgetur: quo pacto Majestas Regia prærogativam hanc suæ dignitatis amisit, quam & ex Apostolicæ sedis liberalitate percepit, & ex paterno Imperialis fastigii jure suscepit? Quo, inquam, modo in Romana Ecclesia dignitatis adeptæ locum sine judicio perdidit; qui Romanam Ecclesiam non offendit?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Privilegium invictissimo Regi nostro ipsi quoque defendimus, & ut semper plenum, illibatumque possideat, vehementer optamus. Porro autem Romana Ecclesia multo nobilius atque sublimius, quam mater carnis, mater est Regis. Illa siquidem peperit, ut per ejus traducem revertatur in pulverem; ista genuit, ut Christi sine fine Regnantis efficiat cohæredem. Et cuncti liquido novimus, quia Rex, licet egregiæ indolis, tamen adhuc puer est. Quid ergo mali Romana fecit Ecclesia, si filio suo, cum adhuc impubes esset, cum adhuc tutore egeret, ipsa tutoris officium subiit, & jus, quod illi competebat, implevit? Quis enim noscat, quia Sacerdotem eligere puer ignorat? Sæpe mater judicis tribunal irrumpit, testes adsciscit, notarios convocat, sicque per adstipulationes, & rata insuper, & apicum monumenta, omnia bonorum suorum filio jura delegat: Interim tamen, usque dum ille ad juvenilis ætatis incrementa perveniat, & rationis capax fiat, illa cuncta dispensat, omnia ordinat: sicque quod jam alieni juris est, patrimonium ad propriæ disponit provisionis arbitrium. Numquid ob hoc dicenda est mulier illa filio suo concessa subtrahere? Immo verius perhibetur, ut puto, pietatis studio deservire, quia quæ rudis adhuc filius dilapidare poterat; hæc illa sibimet apte disposita, caute retenta, rationabiliter ordinata, conservat. Carnalis ergo mater adjuvat filium in rebus terrenis; & mater Ecclesia filio suo Regi præbere non debet auxilium in Spiritualibus donis? Obmutescat ergo plectenda versutia, quæ scilicet hoc damnat, quod prædicare debuerat; illi crimen imponere nititur, quæ pro benefactis gloriæ titulum promeretur. Huc accedit, quia nonnunquam ob varietatem temporum sæpe mutandus est ordo causarum. Tunc enim, quando Pontificem Romana sibi præfecit Ecclesia; tantæ simulationis fomes in seditionem cives accenderat, tantus livor & odium tumultuantis populi corda turbaverat; ut de tam longinquis terrarum spatiis nequaquam Regiæ Clementiæ præstolari possemus oraculum. Nisi enim quantocyus ordinaretur Antistites, perniciosus in populo gladius mutuis vulneribus desæviret, & non parva Romanorum civium strages fieret.

Regius Advocatus.

Obtende quod vis, argumentare quod placet; dummodo constet, quia nullatenus debuit immutari, quod Papa concessit, quod decreto constituit, quod scriptione firmavit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Quid mirum, si hominis, carnis adhuc fragilitate circumdati, statuta mutentur; quando etiam Omnipotens Deus, qui videlicet omnia, quæ futura sunt, novit; ea quoque, quæ a semetipso constituuntur, immutat? Nam ex eo, quod promittit, aliquando aliquid minuit, vel etiam totum subtrahit: aliquando mala minatur, & non infligit.

Regius Advocatus.

Ea, quæ proposuisti, Scripturæ declarentur exemplis. Quid est ergo, quod Deus unquam promisit, & minuit?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Si non excidit, reminisci potes, quia dixit Dominus ad Noë: *Non* (b) *permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia*

gremio, si reperitur idoneus. Vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur, salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator speratur, sicut jam sibi concessimus & successoribus illius, qui ab Apostolica Sede personaliter hoc jus impetraverint. *Gratianus Dist.* 23. *Cap. In nomine. Baronius ad A.C.* 1059. *No. XXV. & seq.*

(c) Genes. VI.

quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum. Sed cum Scriptura commemoret quingentorum tunc annorum exstitisse Noë, quando hæc sibi Dominus loquebatur: sexcentorum vero tunc jam esse, cum cataclysmus erupit; liquido patet, viginti annos de præscripti numeri spatio fuisse subtractos. Vitæ itaque spatium, quod humano generi Deus promisit, imminuit, quia perversitatis eorum reatus excrevit. Judæ quoque per os Patriarchæ Jacob promisit Spiritus Sanctus dicens: *Non* (c) *auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.* Et tamen nec temporibus Judicum legimus, viros de tribu Juda semper super Israël tenuisse Ducatum, nec Reges ex eadem tribu Principatum tenuisse usque ad Christi reperiuntur adventum. Constat ergo, quia sæpe Deus omnipotens, quod homini promisit, imminuit, quoniam homo, quod Deo debuerat, non implevit.

Regius Advocatus.

Doce etiam, ubi Deus promisit bonum aliquod, & efficaciter non implevit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Recordare, quia dicit Dominus ad Josiam Regem Judæ: *Pro* (d) *eo*, inquit, *quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores ejus: & scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me; iccirco colligam te ad Patres tuos, & colligêris ad sepulchrum tuum in pace.* Et tamen paulo post Scriptura dicit: *In* (e) *diebus ejus ascendet Pharao Nechao Rex Ægypti contra Regem Assyriorum ad flumen Euphraten, & abiit Josias in occursum ejus, & occisus est in Magedo, cum vidisset eum.* Ad Sedechiam quoque Regem Juda per Hieremiam dicitur: *Audi* (f) *verbum Domini Sedechia, Rex Juda: Hæc dicit Dominus ad te, non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secundum combustionem Patrum tuorum, Regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te: & væ Domine, plangent te: quia verbum hoc ego locutus sum, dicit Dominus.* Quod nimirum, quomodo potuerit fieri, qui seriem scrutatur historiæ, nunquam poterit invenire. Nam postquam a Rege Babylonis semel est captus, Babyloniamque translatus, ulterius numquam legitur ab ejus vinculis absolutus. Justo ergo judicio subtrahit Deus homini nonnunquam bona, quæ promisit, cum rebellis homo illius servare mandata contemnit.

Regius Advocatus.

Prosequere etiam, quomodo Deus, quod minatus est, non infligit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Nemo, qui limen Ecclesiæ terit, ignorat, quia Jonas ad Niniven a Domino missus, exclamavit dicens: *Adhuc* (g) *quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Sed quia civitas illa ad Deum toto est corde conversa, nequaquam juxta minacem Domini sententiam excidii est eversione deleta. Cum ergo Deus Omnipotens non modo verax, sed & ipsa sit veritas, inviolato consilii sui manente proposito, exterioris judicii sui sæpe variat ordinem, juxta humani sive probi, sive improbi meriti qualitatem, quatenus & a pravitate correctus, quod Deus juste minatur, evadat: & prolapsus in culpam, nullatenus, quæ pollicetur, bona percipiat. Hinc est, quod per Hieremiam dicit: *Bonas* (h) *facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri: & pœnitebit Dominum mali, quod locutus est adversum vos.* Hinc est, quod ad Heli quoque per virum Dei Dominus ait: *Loquens* (i) *locutus sum, ut domus tua, & domus Patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem, dicit Dominus, absit hoc a me, sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Regius Advocatus.

Recte plane cuncta, quæ proposueras, perspicuis roborasti testimoniis scripturarum; nunc autem paulisper ad superiora revertere, & juxta tuæ sponsionis elogium, de Domini Regis injuria rationem redde.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Glorioso Regi, nobis eligendo Pontificem, absit, ut nos intulissemus injuriam, cum ad hoc nos, sicut superius

 dictum

(c) Genes. XLVI. (d) IV. Reg. XXII. (e) IV. Reg. XXXIV.
(f) Hier. XXXIV, 4. (g) Jonæ III. (h) Hier. XVII.
(i) I. Reg. II.

dictum eſt, neceſſitas impulerit, non rapina: ad hoc, inquam, nos invitos attraxit imminens periculum civilis belli, non lædendi, vel minuendi livor imperii.

Regius Advocatus.

Civile bellum objicis: imminens periculum in tuæ allegationis defenſione prætendis: dicatur etiam, ſi placet, quia ſi cœlum rueret, terra cædem civium pateretur. Perge adhuc addens: quia pontus areſceret, terram diluvium inundaret. Quid mihi omnia hæc, dum conſtet, quia quidquid accideret, nullo pacto ſancti Papæ ſententiam debuiſti infringere, nulla ratione Synodalis decreti myſterium licuit violare. Sicut enim Scriptura perhibet: *Melius eſt, ut oriatur ſcandalum, quam ut veritas relinquatur.* Nam ſi hoc bellum timuiſſent beati Martyres, fierent procul dubio ſanctæ militiæ deſertores.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Non ignoras, quod inter omnes Sanctos Martyres Petrus & Paulus in Apoſtolici ſenatus culmine poſſident principatum.

Regius Advocatus.

Hoc ſicut negare ſacrilegum eſt, ita & affirmare ſuperfluum.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Eorum ſunt nobis tenenda veſtigia, eorum forma noſtris eſt actibus imprimenda, ſub eorum magiſtra debemus vivere diſciplina.

Regius Advocatus.

Hoc utique clarum eſt, perſpicuum eſt: ſed quid a te portenti, quid præſtigii, ſub hoc funiculo inductionis alatur, ignoro.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Tolle præſtigium; intellige veritatem; Times me, tamquam tibi tendiculas ſubſtruentem: audi Paulum, de Coapoſtolo ſuo Petro veraciter perhibentem: *Priuſquam venirent quidam a Jacobo, cum gentilibus edebat: cum autem veniſſent, ſubtrahebat ſe, & ſegregabat, timens eos, qui ex circumciſione erant.* Cernimus ergo Petrum non rigidum, ſed diſcretum. Timebat enim Judæos, ne per occaſionem gentium a fide recederent Chriſtianorum, & ne perderet gregem creditum, boni paſtoris eſt imitatus exemplum. Factus eſt enim Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrifaceret. Sic Chriſtus apparuit in forma carnis peccati, ut a peccatis hominem liberaret: & cum legem Moyſi non ambigeret abolendam, conſulens tamen adhuc rudibus, & infirmis fratribus, tenuit ad tempus umbram legis, ut eos quandoque proveheret ad perfecte noſcendam plenitudinem veritatis. In hoc ergo beatus Petrus diſcretionis nobis regulam dedit, quatenus aliquando, ubi tamen non plurimum noceat, declinemus aliquantulum a tramite rectitudinis, ut conſulere valeamus infirmis.

Regius Advocatus.

Qui dicis, quod Petrus aliquando legem Judaicam tenuit, cur non etiam dicis, quod in eadem Epiſtola legitur, nimirum, quia Paulus eum in faciem reprehendit: *In* (k) *faciem*, inquit, *ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Eique dicit: *Si tu, cum ſis Judæus; gentiliter, & non Judaice vivis, quomodo cogis gentes Judaizare?* Cum ergo illud præmiſiſti, iſtud quare ſilentio ſuppreſſiſti?

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Quod Petrus egit compaſſione miſericordiæ: hoc Paulus arguit pro magiſterio diſciplinæ: ille quod fecit diſpenſative, ut infirmis tolleret ſcandalum; hoc iſte corripuit, ne indiſcretus quilibet paſſim adduceret in exemplum. Ab Petro diſcamus, ut periculo ſimus imminente diſcreti; in Pauli ſermonibus inſtruamur, ut ſanis rebus vita noſtra mere deſerviat rectitudini.

Regius Advocatus.

Laudo quidem redditam rationem. Sed cum duorum Apoſtolorum propoſueris Magiſterium, mirum, cur prætermiſſo Paulo, ſolum Petrum adduxeris in exemplum.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Noli frater, pueriliter currere; immo noli volare, ſed perge; pro gravitate quippe negotii prolatio eſt quoque moderanda ſermonis. Audi etiam conſequenter & Paulum, diſcretionis aureæ

(k) Galat. II.

aureæ lineam noſtris oculis opponentem, ejuſdemque diſpenſativæ compaſſionis auctorem. Sicut enim Apoſtolicorum actuum teſtatur hiſtoria: *Perambulabat Paulus* (l) *Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias, pervenitque in Derben, & Lyſtram: Et ecce diſcipulus quidam erat, nomine Timotheus, filius mulieris viduæ fidelis, patre autem gentili.* Hunc ergo, ut ad compendium veniamus, Apoſtolus *circumcidit*, quoniam Judæos, immo Judæis, qui in illis erant Regionibus, timuit. Cur itaque citcumcidit fidelem hominem, non Judæum, qui videlicet incircumciſus erat, ſed natione gentilem; niſi diſcretionis ſtudio deſerviret, ne Judæi fideles in ſcandalum corruentes, a fide recederent? Hoc etiam nunc ad memoriam redit, quoniam aliquando juxta morem Nazaræorum, comam ex voto nutrivit, & poſtquam navigaſſet in Syriam, in Cenchris poſitus, caput juxta legis mandata totondit. Refert adhuc Lucas Sacræ Scriptor hiſtoriæ: *Cum veniſſemus* (m) inquit, *Hieroſolymam, libenter ſuſceperunt nos fratres, & ſequenti die Jacobus, & omnes ſeniores, qui cum eo erant, Evangelio illius comprobato, dixerunt ei: Vides, frater, quot millia ſunt Judæi, qui crediderunt in Chriſtum, & ii omnes æmulatores ſunt legis. Audierunt autem de te, quod diſceſſionem doceas a Moyſe, eorum, qui per gentes ſunt, Judæorum, dicens: non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi. Quid ergo eſt? Utique oportet convenire multitudinem: Audient enim, te ſuperveniſſe. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor: votum habentes ſuper ſe, his aſſumptis, ſanctifica te cum ipſis, & impende in eos, ut radant capita; & ſciant omnes, quia, quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. Tunc Paulus aſſumptis viris, poſteriori die purificatus cum illis, intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offeretur pro unoquoque eorum oblatio.*

Cur itaque Paulus juxta cærimonias Judæorum caput raſit, nudipedalia exercuit, ſacrificia obtulit, & legem deſtruens, legis præcepta ſervavit? Cur, inquam, hæc omnia, niſi ut his, qui ex Judæis fideles extiterant, ſcandalum tolleretur? Formam ſuſcepit ægritudinis; ut morbos auferret ægrotis: ſervavit cæremonias legis, de quibus tamen in Epiſtola ſua dicit: *Quæ* (n) *mihi fuerunt lucra, facta ſunt detrimenta, & propter Chriſtum arbitror velut ſtercora.* Circumcidit hominem; & tamen hoc terribiliter clamat: *Dico*, (o) inquit, *vobis, quia ſi circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit.* Quod, quæſo, majus peccatum eſſe poterit, quam Chriſtum perdere, Chriſtianæ religionis regulam violare, Judaicæ legis ritus inducere, novam Evangelii gratiam impugnare? Et tamen hæc Apoſtolus Paulus in ſuperficie feciſſe conſpicitur, ne in ipſis novæ fidei rudimentis mentes adhuc teneræ ſcandala paterentur. Quantum namque in exterioribus cernitur, Cerinthus, & Ebion nihil pene pejus inveniuntur egiſſe, quam Paulus. Qui nimirum in Chriſtum credentes, propter hoc ſolum a parentibus anathematizati ſunt, quia legis cæremonias Chriſti Evangelio miſcuerunt; & ſic nova confeſſi ſunt, ut vetera non mutarent. Sed ecce, cum dicitur, quoniam Jacobus, & omnes ſeniores hoc Paulo conſilium dederunt; omnes ergo diſcipuli, quod Paulus fecit, pariter fecerunt; unum ſcilicet in hoc habent meritum, & qui fecit, & qui faciendi dedere conſilium.

Si ergo ipſi Principes mundi, quorum legibus parent non modo Regna terrarum, ſed ultra etiam celſitudo cœlorum, non dubitavere, perpaucis, qui tunc erant, hominibus in tam periculoſo negotio condeſcendere; cur nobis, utique parvulis, & infra illorum veſtigia longe jacentibus, non licuit, innumerabili Romanæ urbis multitudini ſubvenire? Sed quid Apoſtolos loquimur ſcandalum caviſſe debilium, & noviter converſorum; cum & ipſe illorum Magiſter, & Dominus, cujus nimirum omnia ſæcula ſubſternuntur Imperio, ad noſtræ imitationis exemplum, ſcandalum præcaverit Judæorum? *Simon,* (p) inquit, *Reges terrarum, a quibus accipiunt tributum, a filiis ſuis, an ab alienis?* Quo reſpondente: *Ab alienis;* præſto ſubjungit: *Ergo liberi ſunt filii. Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, mitte hamum, & eum piſcem, qui, prius aſcen-*

(*l*) Actor, XVI. (*m*) Actor. XVIII. Actor. XXI. (*n*)
(*o*) (*p*) Matth. XVII.

ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem: Illum sumens, da eis pro me, & te. Ad molliendum ergo rigorem rectitudinis, ad tenendam virtutem discretionis, si tibi Petrus non sufficit ad exemplum, junge simul, & Paulum. Quod si procaci contumaciæ nequeunt uterque sufficere, pudeat te ultra JEsum per dicacitatis ineptiam prosilire: *Finis* (q) *enim legis Christus ad justitiam omni credenti.*

Regius Advocatus.

Discretionis virtutem, tot scripturarum testimoniis approbatam, improbare non possumus. Sed absit, ut ulla virtus sit tam sublimis, tamve præcipua, cujus tenendæ studio in anathematis barathrum corruere debeamus. Nam cum omne, quod nobis ex Divina lege præcipitur, ad hoc procul dubio tendat, ut nos Creatori nostro societas æterna conjungat: Si nos ab eo, quod absit, per maledictionis sententiam contingat abscedere; quæ virtus, quæ discretio, quæ, sicut dicitur, pia compassio, tam incomparabile damnum nobis poterit compensare? Sane, si propter hoc solum virtus appetitur, ut omnipotentis Dei societas acquiratur, qualis jam illa virtus erit, quæ nos a Divini contubernii societate repellat?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Hæc cur prosequaris, quia nobis occulta sunt, evidenter expone.

Regius Advocatus.

Synodalis enim decreti pagina, quam cum Concilii totius assensu beatus Nicolaus (*) Papa constituit, cui propriæ manus articulum indidit, quam tot Episcoporum venerandus, celebrisque conventus subscriptione firmavit, anathematis vinculo juxta morem carere non potuit. Unde vos pro compassione, vel condescensione, nescio, quam dicitis, furentis populi, nequaquam vosmetipsos deberetis tam inenodabilis sententiæ nexibus irretire. Ridiculum quippe est, sic obrutum de voragine marini fluctus eruere, ut ipse compellatur ereptor sub undosis procellarum spumantium cumulis remanere.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Cum hæc inconsultius loqueris, Andabatarum adversum me more confligis: qui nimirum, dum clausis semper oculis pugnant, alios quidem vulnerant; sed quomodo semetipsos a vulneribus tueantur, ignorant. Dicis, quia nequaquam debemus in anathema corruere, etiamsi per hoc valeamus infirmis fratribus subvenire. Ecce vibrasti gladium, tentasti vulnus infligere, sed tibimet, ubi clypeum opponeres, non vidisti. Numquid tibi jam de memoria excidit, quod superius protuli, quoniam beatus Paulus in Epistola sua dicit: *Quia* (r) *si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit?* Et tamen, quod jam districte prohibuit, ipse pro charitate fratrum infirmantium, ne scandalum paterentur, implevit. Quod enim majus, sive deterius, poterit quis anathema subire, quam cui negatum est, Christum pro sui reatus damnatione prodesse? Nam cui Christus non prodest, procul dubio anathema est, nihilque est aliud, anathema quemlibet fieri, nisi a Christi, in quo benedicuntur omnes gentes, societate repelli. Si ergo Paulus hoc anathema pro charitate fratrum subire non timuit, immo prorsus evasit, cum non qualemcunque hominem, sed Christianum utique discipulum circumcidit; tu, quæso, ubi cordis oculos misisti, qui, quod Apostolus fecit, non faciendum esse testaris? Ipse enim dicit: *Quæcumque* (s) *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.*

Regius Advocatus.

Verisimile est, quia sicut Paulus Coapostolum suum Petrum de judaizandi rediviva usurpatione corripuit; ita nihilominus, & in semetipsum, postquam discipulum circumciderat, reprehendit: Nec mihi hoc aliter umquam poterit persuaderi, nisi fortassis in ejus verbis aliquatenus valeat inveniri.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Ut nullus ambiguitatis nævus in tua mente remaneat: ut nulla cor tuum super hoc negotio deinceps caligo confundat; audi, quid idem Paulus ad Romanos dicat: *Veritatem* (t) *dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia*

(q) Rom. X. (*) Anno 1059. (r)
(s) (t) Rom. IX.

ſcientia mea in Spiritu Sancto, quoniam triſtitia eſt mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraëlitæ. Ecce Paulus, cum non ſit, ſicut nos neceſſitate coactus, ſponte ac voluntarie deſiderat anathema eſſe pro fratribus, & tu mihi proponis anathema timendum, ubi me perſpicis, & inevitabili prorſus neceſſitate fuiſſe conſtrictum, & charitatis ſtudio, ne tanta fratrum multitudo corrueret, inclinatum? Audi etiam, quid Moyſes pro populo Iſraelitico poſtulans, dicat. *Obſecro* (u) *Domine, peccavit populus iſte peccatum magnum, fecerunt ſibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facias, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Quod nimirum tunc pleniter fiet, cum reprobis in judicio dicet: *Ite* (v) *maledicti in ignem æternum.* Ecce hinc Paulus optat anathema pro fratribus fieri: Ecce illinc Moyſes poſtulat ex Dei libro, pro populi, quem ducebat, charitate deleri; & ſola Romana Eccleſia, quæ pietatem, & charitatem toto terrarum orbe ſpecialiter, & principaliter docet, ex imminentibus, & jam vibratis undique gladiis, filios ſuos, quos quotidie per ſacri baptiſmatis myſterium generat, liberare non audet? *Maledictus* (w) *vir*, ait Saul, *qui comederit panem uſque ad veſperam, donec ulciſcar me de inimicis meis.* In hoc, ſicut legitur, anathema Jonathas cecidit, ſed eum ab imminenti mortis ſententia charitas, qua pro populo ſtrenue dimicaverat, liberavit. Vis audire, quid etiam de ipſo JEſu, totius benedictionis auctore, idem Apoſtolus dicat? *Chriſtus*, inquit, (x) *ut nos liberaret a maledicto legis, factus eſt maledictum.* Si ergo ipſe auctor benedictionis æternæ, ut nos a vinculo maledictionis abſolveret, maledictioni non eſt dedignatus ſubjacere: Si ſancti quique vel novi, vel veteris teſtamenti, dum ſui capitis imitantur exemplum, & infirmis ſubvenire fratribus in periculis concupiſcunt, & anathematis ſubire ſententiam nullatenus perhorreſcunt; cur unum mihi niteris imputare peccatum, & charitatem ad hoc induxiſſe non perſpicis, quæ operit multitudinem peccatorum? quomodo autem me cujuslibet hominis ſententia ligat, quem charitas ipſa, quæ Deus eſt, liberat? Erubeſcat ergo humani anathematis imputator, cum per charitatis gratiam mecum ſit æternæ benedictionis indultor.

Regius Advocatus.

Cuicumque in diſputatione certanti veritas ipſa defecerit; ineptum eſt, adhuc per ambages, atque verſutias pertinaciter niti: ridiculum eſt, diutius verbis prolixioribus immorari: De vinculo ſiquidem anathematis, quo te hactenus arbitrabar aſtringi, ita te noviter expediſti, ut nihil de cætero valeat tibi objici, nihil ſuper hoc capitulo rationabiliter poſſit opponi. Verumtamen adhuc mihi video materiam ſupereſſe, quam tibi valeam non ſine cauſa reluctator objicere. Dicitis, quia neceſſitate conſtricti, & velut anguſti temporis brevi ſpatio coarctati, nequaquam potuiſtis in electione Pontificis exſpectare conſenſum Regiæ Majeſtatis: Quod profecto frivolum eſſe perſpicuum eſt. Conſtat enim, tres plus minus menſes interim decurriſſe, ex quo ſanctæ memoriæ Papa Nicolaus occubuit uſque ad Kalendas Octobris, cum iſte ſucceſſit. Videamus ergo, ſi per tam moroſam longitudinem, trimeſtris videlicet ſpatii, non potuerit ab aula Regia pragmaticæ ſanctionis vobis apocha reportari.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Ecce compellis me, vulgato ſermone depromere, quod ob Imperialis Palatii reverentiam decreveram ſilentio præterire: Sed juxta veſtræ ſcilicet exactionis inſtantiam, jam proferatur in medium opus egregium veſtrum, ſæculis omnibus inauditum. Rectores autem aulæ Regiæ cum nonnullis Teutonici Regni Sanctis, ut ita loquar, Epiſcopis conſpirantes, contra Romanam Eccleſiam Concilium collegiſtis, quo Papam, quaſi per Synodalem ſententiam condemnaſtis, & omnia, quæ ab eo fuerant ſtatuta, caſſare incredibili prorſus audacia præſumpſiſtis: In quo nimirum, non dicam judicio, ſed præjudicio, idipſum quoque privilegium, quod Regi

(u) Exod. XXXII. (v) Matth. XXV. (w) I. Reg. XIV.
(x) Galat. III.

Regi prædictus Papa contulerat, si dicere liceat, vacuastis. Nam dum quidquid ille constituit, vestra sententia decernente, destruitur; consequenter etiam id, quod ab eo Regi præstitum fuerat, aboletur. Sed absit a nobis, ut propter cujuslibet hominis insolentiam Rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem sui juris amittat, & quem auctore Deo votis omnibus præstolamur ad Imperiale fastigium, non permittimus ob alienam culpam Regiæ dignitatis incurrere detrimentum.

Sed ut totam inauditæ calamitatis nostræ percurramus historiam, Stephanus Cardinalis Presbyter Apostolicæ sedis, vir videlicet tantæ gravitatis, & honestatis nitore conspicuus, tantis denique, sicut non obscurum est, virtutum floribus insignitus, cum Apostolicis litteris ad aulam Regiam missus, ab aulicis administratoribus non est admissus: sed per quinque fere dies, ad beati Petri & Apostolicæ sedis injuriam, præ foribus mansit exclusus. Quod ille, utpote vir gravis, & patiens æquanimiter tulit. Legati tam officium, quo fungebatur, implere non potuit. Clausum itaque signatumque mysterium Concilii, cujus erat gerulus, retulit, quia Regis eum præsentari conspectibus, curialium plectenda temeritas non permisit. In qua nimirum inopinatæ præsumptionis audacia tanta disputandi videretur inesse materia, ut & Demosthenis eloquentiam vincat, & copiam Tullianæ facultatis excedat. Unde, si vellemus injuriam nostram districtius persequi; jure possemus obtendere, quia vos Romanæ Ecclesiæ vosmetipsos ipso dono privastis: quia scilicet ei præjudicii vestri gratis contumeliam intulistis. Ille quippe fœdus amicitiæ violat, qui gratis amicum per offensionis molestiam pulsat. Nam & Dominus Judæis per Hieremiam ait: *Ecce* (y) *feriam domui Israël, & domui Judæ fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, pactum, quod irritum fecerunt.* Ille ergo irritum reddit beneficii pactum, qui prior violat amicitiæ Sacramentum. Verumtamen Romana Ecclesia non vult exaggerare, quod pertulit, sed perservare cupit in munere, quod Regio culmini liberaliter prærogavit.

Regius Advocatus

Quod Domino nostro Regi reverenter adscribis innocentiam, digne facis: Quod autem administratoribus Aulæ publicæ devolvis e diverso calumniam, videtur injustum. Quidquid enim circa vos in hujusmodi casibus actum est, ad hoc nos Regiæ matris impulit Imperiale præceptum, non propriæ libertatis arbitrium.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Et ego tibi secundum cordis tui duritiam respondebo: dico enim, quia Dei omnipotentis obtemperare sermonibus, aliquando peccatum est.

Regius Advocatus.

Ad hoc, quod asseris, mens humana concutitur, & Christianæ pietatis ferre non valet auditus.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Quia hoc tantopere miraris, illud etiam consequenter adjicio, quia propter hoc, quod Deo quidam promptus obedivit, funditus periit: alius ob id, quia obtemperare contempsit, ad cumulum gratiæ plenioris ascendit.

Regius Advocatus.

Incredibile est valde, quod dicis: verumtamen, si vales exemplis approbare, quod loqueris, dic, quis unquam Deo obedivit, ac propterea periit?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Non te latet, quia Judæ Iscarioti, qui jam accepto consilio eum traditurus erat, Dominus ait: *Quod* (z) *facis, fac citius.* Postmodum quoque, cum ad ejus osculum accedere præsumpsisset, adjecit: *Amice, ad quid venisti?* Subauditur: perficere. Sed quia miser his sermonibus efficaciter obedivit, irrevocabiliter periit.

Regius Advocatus.

Hujus propositionis ratione reddita, redde consequenter alterius: Quis scilicet Dei omnipotentis obedientiam sprevit, & propter hoc copiosorem gratiam meruit?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Si placet, hoc in memoriam revoca, quod Dominus ad Hieremiam [illegible]

(y) Hier. XXXI. (z)

xit : *Vade* (a) *ad Domum Rechabitarum* , & *loquere eis* , & *introduces in domum Domini* , *in unam exhedram thesaurorum* , & *dabis eis bibere vinum.* Et paulo post Propheta subjungit : *Et posui coram filiis Rechabitarum scyphos, plenos vino* , & *calices* , & *dixi ad eos : Bibite vinum. Qui responderunt : Non bibemus vinum; quia Jonadab, pater noster* , *præcepit nobis dicens : Non bibetis vinum vos* , & *filii vestri* , *usque in sempiternum.* Unde postmodum Hieremias ait eis : *Hæc dicit Dominus Deus exercituum : Non deficiet vir de stirpe Jonadab* , *filii Rechab* , *stans in conspectu meo cunctis diebus.* Ecce, ille male obediens, perfunctus obedientiæ munere, cucurrit ad laqueum : Isti feliciter inobedientes perpetuum Conditoris sui meruere conspectum. Hoc etiam ad hoc valet, quod superius dictum est ; quia cum Papam sine consensu Regis eligimus , non præsto , quod extrinsecus actum est dijudicare, sed potius, quo animo , & qua intentione sit factum , deberetis diligenter attendere.

Regius Advocatus.

Hæc argumenta nobis domestica sunt , & numquam deficiunt , quia de promptuariis proferuntur ; semper enim possumus in pravi operis exhibitione delinquere , & quia occulta est , ad puræ mentis debemus patrocinium convolare.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Censesne, semper debere juxta rerum atque verborum superficiem judicari ? Quid enim juxta verborum strepitum magis est absonum , quam cum Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus , mediatorem Dei & hominum dicitur tradidisse ? Ecce Christum tradidit Judas , tradidit & Deus Pater : numquid non quasi simile factum videtur ? Ergone traditor est Judas , & traditor Deus Pater ?

Regius Advocatus.

Unde probas, quia Pater, & Filius , & Spiritus Sanctus tradiderint Salvatorem ?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Audi Apostolum dicentem : *Qui* (b) *proprio filio suo non pepercit* , *sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Cui & Salomon ait : *Cum* (c) *sis justus* , & *omnia juste disponas* , *ipsum quoque* , *qui non debet puniri* , *condemnas.* Quod autem se Filius tradiderit , idem dicit Apostolus : *Qui me dilexit* , & *tradidit seipsum pro me.* Quod autem & Spiritus Sanctus tradiderit Filium , Sapientia perhibet , dicens : *Benignus* (d) *est enim Spiritus Sapientiæ* , & *non liberabit maledictum a labiis suis.* Maledicti apud veteres dicebantur omnes , qui pendebant in ligno. Christus autem , ut Apostolus dicit , ut nos liberaret a maledicto , factus est maledictum : Spiritus vero Sanctus non liberavit maledictum a labiis suis , quia quæ per ora Prophetarum de Christi passione locutus est , non prohibuit ; sed super eum sine diminutione compleri, cuncta permisit. Ergo secundum te, qui non de cordis intentione , sed semper ex operis vis superficie judicare ; si Pater tradidit Filium , & ipse se tradidit Filius, insuper & Spiritus Sanctus; Judas quid mali fecit ? Facta est traditio a Patre , facta est a Filio, nec non a Spiritu Sancto : Facta est & a Juda. Una res a pluribus facta est; sed eadem res in operatoribus discernenda est. Quod enim Deus Omnipotens ex charitate; hoc Judas fecit ex pecuniæ acquirendæ cupidine. Quod Deus fecit ad nostræ salutis remedium ; hoc ille fecit ad explendum insatiabilis avaritiæ votum. Vides ergo , non quid homo faciat , debemus attendere ; sed quo animo & voluntate faciat, diligenter examinare. Nam si sola duntaxat exteriora perpendimus , invenimus ipsum Dominum Salvatorem & dixisse, quod prohibet , & aliter fecisse, quam jubet : *Quisquis* (e) ait : *dixerit fratri suo: Fatue, reus erit gehennæ ignis :* Et tamen ipse resurrectionis suæ die duobus de se dubitative loquentibus ait : *O stulti* (f) & *tardi corde ad credendum.* Dixerat etiam in monte discipulis : *Si quis te* (g) *percusserit in dexteram maxillam, præbe illi* & *alteram.* In passione vero positus percutienti se in maxil-

(*a*) Hier. XXXV. (*b*) Rom. VIII. (*c*) Sapient. XI.
(*d*) Sapient. I. Galat. III. (*e*) Matth. V. (*f*) Matth. XXV.
(*g*) Matth. V.

maxillam puero Sacerdotis, non modo non alteram præbuit, ſed inſuper dixit: *Si male locutus* (h) *ſum, exprobra de malo; ſin autem bene, cur me cædis?* Et quomodo jam verum erit, quod de illo Lucas ait: *Quia* (i) *cæpit facere & docere;* ſi, quod docuit, non implevit? Sed procul dubio intelligendum eſt, hoc unum præcepiſſe ad præparationem cordis, non ad oſtentationem operis. Quomodo enim paratus corde non fuit, in maxillam alteram cædi, qui pro hominum ſalute decreverat toto corpore crucifigi? Paulus etiam palma percuſſus juſſione Pontificis, ait: *Percutiet* (k) *te Deus, paries dealbate.* Quod minus intelligentibus videtur in verbo convicium, ſed in ſenſu Prophetici tenet oraculi Sacramentum. Paries enim dealbatus hypocryſis eſt, Sacerdotalem ſub hoc nomine præferens dignitatem, ſed occultans intrinſecus luteam malitiæ turpitudinem: nam quod humilitatis fuit, mirabiliter cuſtodivit. Cum enim illi diceretur: *Principi* (l) *Sacerdotum maledicis?* Reſpondit: *Neſcivi, frater, quia Princeps eſſet Sacerdotum. Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices.* Ubi patenter oſtenditur, quanta illud tranquillitate dixiſſet, quod iratus intuliſſe videbatur. Quibus Scripturarum teſtimoniis quid aliud edocemur, niſi quia non juxta nuda verba ſemper debemus ſententias judicare: ſed quo animo, qua mentis intentione proferantur, inſpicere?

Regius Advocatus.

Dubia, quæ proponis, luculenter elucidas per exempla, quæ ſubjicis. Sed quæſo te, ut ad ſuperiora pauliſper redeas: & cur nos calumnieris, vobis præjudicium intuliſſe, qui regiæ ditioni paruimus, patenter exponas.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Recte plane, ordinabiliter, & congruenter, poſtquam omnis veſtræ partis objectio non rhetoricis argumentis, non coloribus oratoriis, non denique dialecticis ſyllogiſmis, ſed vivæ potius, atque perſpicuæ veritatis eſt ratione purgata: verſa vice jam dignum eſt, ut de veſtris exceſſibus vel breviter diſſeratur. Enimvero damnatio Papæ tam gravis & inexplicabilis eſt, ut non humano, ſed divino dumtaxat ſit tractanda judicio. Reges autem noſtros cum ætatis infirmitas, tum fragilitas ſexus excuſat: quibus utique non reatus adſcribitur, ſed eorum conſiliariis, ut dignum eſt, imputatur. Omiſſis itaque perverſitatibus cæteris, ut quid ignorante Roma, reprobum hominem in Romanum Pontificem eligere præſumpſiſtis?

Regius Advocatus.

Electionem quidem, ut palam eſt, fecimus: ſed longe prius Gerardo Comite, aliisque Romanis, ut dicebatur, civibus infatigabiliter inſiſtentibus, ad hoc inducti ſumus. Nam & Abbas Monaſterii, quod dicitur Clivus Scauri, non defuit. Non ergo, ut aſſeris, ignorante Roma, ſed præſente, atque petente, Romani Pontificis electio facta eſt.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

In hoc pro me facis, dum Gerardo, ſub anathemate conſtituto, te communicaſſe teſtaris: nam, ut de Abbate, & aliis interim ſileamus, de Gerardo liceat tantummodo dicere, Eccleſiæ hominem non fuiſſe, & Chriſti nequaquam pertinuiſſe fidelibus. Illud enim unum caput anathemati, maledictionique ſubjacuit omnium fere Pontificum, quicumque Romanæ Eccleſiæ ſuis temporibus præfuerunt: demum paulo ante, quam moreretur, propter Ducem & Archi-Epiſcopum Anglorum, quos a beati Petri liminibus redeuntes invaſit, ſpoliavit, & uſque ad mille Papienſis monetæ libras appendentia rapuit. Propter hoc itaque in plenaria Synodo, Papa Nicolao præſidente, excommunicatus eſt, & extinctis luminaribus ſub perpetuo fuit anathemate condemnatus. Perpendat igitur ſancta Synodus, ſi illius, ejusque complicum, rata jure videatur electio, qui tam terribiliter, atque irrevocabiliter eſt ab Eccleſiæ viſceribus Evangelica, atque Canonica falce præciſus, ut ne in morte quidem ad Chriſtianitatis fuerit titulum reformatus: & ſi per eum ordinari Romanam Eccleſiam dignum fuit, qui ejus ſemper cruentus exſtitit inimicus; qui eam ſemper eſt feraliter perſecutus? Et quomodo ſummam debet Eccleſiam ordinare, cui cujuscunque limen Eccleſiæ non

(*h*) Joan. XVIII. (*i*) Act. I. (*k*) Act. XXIII.
(*l*) Ibidem.

non licet attingere? Clamat Dominus ad Israël: *Anathema in medio tui, Israël: nec poteris stare contra hostes tuos, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.* Et hoc quare? Quoniam Achar filius Charmi de anathemate Hiericho ducentos dumtaxat argenti siclos, regulamque auream quinquaginta siclorum, & coccineum abstulerat pallium, & ob hanc vilem videlicet summam auctor sceleris non modo lapidatur, sed & lapidum acervis obruitur. Si propter illum hominem, qui dumtaxat unum sacrilegium fraude commiserat, Israel ante suorum hostium faciem ruiturus erat; quomodo stabit Ecclesia, si per virum tot criminibus involutum, fuerit ordinata? Præsertim cum & talem elegerit, in quem, teste mundo, omnium vitiorum sentina confluxit, Pseudo-Episcopum, Apostolum Antichristi, adversarium Christi, animam puellarum, mangonem Ecclesiarum. Quis ergo istorum justo videbitur examine præferendus? Utrum is, quem elegit unus vir perpetuæ maledictionis anathemate condemnatus? An ille potius, quem Cardinales Episcopi unanimiter vocaverunt? Quem Clerus elegit, quem populus expetivit, non in extremitate terrarum, sed intra mœnia Romanorum, & in ipsius Sedis Apostolicæ gremio?

Regius Advocatus.

Tot a te rationibus redditis, possemus fortassis adhibere consensum, si semel emissam deceret Regiam Majestatem mutare sententiam. Principali quippe gloriæ velut inconstantiæ nævus imprimitur, si quodcumque suæ constitutionis edictum leviter annulletur.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Quis nesciat, Rege Deum esse majorem? Et tamen dicere non erubescit: *Pœnitet* (m) *me, quod constituerim Saul Regem.* Et per Samuelem ei denuntiat, dicens: *Projecit te Dominus, ne sis Rex super Israël.* Si pœnitere se Deus asseruit, qui futura cuncta cognoverat; cur homo suam commutare in melius sententiam erubescat, qui, qualis & ipse quoque sit futurus, ignorat? Ille de bono factus est malus; iste videlicet Cadalous, de malo utique, quod jam erat, fit quotidie diaboli more deterior.

Regius Advocatus.

Quam inconsulte nunc loqueris, qui diabolum deteriorari posse testaris, qui certe tam malus est, ut deterior esse non possit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Mentior, si, quod proposui, scripturæ testimoniis comprobare non valeo. Nam Isaia teste dicebat superbus in mundi principio: *Ascendam* (n) *super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Paulus autem dicit: *Qui* (o) *in fine mundi veniens, adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Quia ergo tunc affectavit, Deo se similem esse, in fine mundi jam deterior factus, vult quasi superior eminere. Per quod manifeste colligitur, diabolum adhuc in deteriora posse corruere: & quia diabolus interpretatur, deorsum fluens, Cadalous a cadendo dictus, ruinam populi sonat, ipsis quoque nominibus aptissime invicem uterque concordat. Dic ergo, quomodo iste Pontifex erit, quem non Romanus populus, sed unus homo cum suis complicibus, idemque non Romanus, sed suburbanus; & non Ecclesiæ filius, sed maledictus, & anathematizatus, elegit? Illene erit tuo judicio Pontifex, qui suam vendidit, ut Romanam Ecclesiam obtineret? qui Romanos occidit in ore gladii, ut Romanus Pontifex fieret? Dicis, non debuisse me Pontificem sine consensu Regis eligere; & magnipendendum mihi non fuisse, ut populus non periret? Ecce hinc beatus Augustinus Hipponensi Ecclesiæ, Valerio vivente, præficitur: Ecce illinc Ambrosius octavo die, postquam baptizatus est, perceptis cunctis Ecclesiasticis gradibus Episcopus ordinatur, in quibus utique ob nil aliud Canonicæ auctoritatis ordo deseritur, nisi dumtaxat, ut saluti populi consulatur. Et tu mihi dicis, in servando populo ipsi Regi me non debuisse consulere, ut sibimet in dando consensu unius Epistolæ gloria proveniret. Nam unde postmodum Romanus Imperator fieret, si nunc se Romanus populus mutuis vulneribus peremisset? Porro autem, quia in constituendo Pontifice Romana Ecclesia a charitate Regia non recessit, hoc etiam indicio est, quia cum

(m) I. Reg. XV. (n) Isa. XIV. (o) II. Thess. II.

cum in clero suo religiosis viris & sapientibus abundaret, non de propriis, sed eum, qui Regi tamquam domesticus & familiaris erat, elegit.

Regius Advocatus.

Quisquis veritati, postquam patefacta claruerit, obstinate renititur, Dei omnipotentis adversarius non immerito judicatur: cujus adversum se iram inextinguibiliter provocat, si veritatem, quæ ipse est, pertinaciter & arroganter impugnat. Nam, ut ipse disputationi tuæ velut epilogum faciam, cum inter nos quæstio moveretur, utrum sine Regis assensu Romani Pontificis fieri possit electio; recensitis historiarum catalogis, tantam Romanorum Imperatorum atque Pontificum copiam coacervasti, & velut nubem mihi testium opposuisti; ut his conspectis ne mutum quidem me adversum te sub hoc ulterius facere libuisset. De anathemate vero, quod Nicolaus Papa constituit, ubi, ut jam verum fatear, totam victoriæ vim intentio nostra posuerat, tam invictis scripturarum testimoniis, tam lucidis certe, modo beatorum Apostolorum, modo ipsius Salvatoris, tuæ disputationis assertio se purgavit exemplis; ut nos eatenus ignota doceret, & vos ab illius sententiæ vinculo potenter absolveret. Deinde a Domini mei Regis, quam dicebamus, injuria, quæ scilicet nos adversum vos acrius accendebat, tam strenue tua se purgavit oratio; ut evidenti clarescat indicio, quia in eo, quod sibi Pontificem populus Romanus elegit, Majestati Regiæ potissimum ministravit, nec ei, sicut dicebatur, privilegium tulit; sed potius roboravit: dum non de Romana Ecclesia, sed ex aula Regia Sacerdotem ad Apostolicæ Sedis culmen evexit. Postremo de electione Parmensis Episcopi quid dicemus? loquar, an sileam? Sed, juxta Scripturam, *conceptum* (p) *sermonem tenere qui possit?* Et certe, ubi nuda veritas cernitur, turpis ignominiæ est, si commento fallaciæ deservitur. Ipsi plane liquido novimus anathematizatum esse Gerardum, nec ignoramus, ejus instinctu potissimum hunc Episcopum in hoc negotium fuisse pellectum. Ut igitur ita loquar, arbor, quæ de venenata radice anathematis oritur, antequam perniciosum prorumpat in fructum, modis omnibus, necesse est, evellatur, testante veritate: *Omnis* (q) *arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Ecce audivit beatitudo vestra, Venerabiles Patres, quoniam qui inspector est mentium, confœderat nos in concertatione verborum. Vidit enim nos non malitiæ causa confligere, sed inveniendæ veritatis studio deservire; ideoque dignatus est, motam inter nos sopire querelam, & suam nobis inspirare concordiam. Pax enim nostra, quæ fecit utraque unum, conflavit in eodem sensu corda duorum. Agamus illi gratias, qui prius sagenam Petri periclitari permisit, & turbine ventorum, & procellis undarum: sed ecce, ut regrediens manum tetendit, Petrum erexit, ventis imperavit, & discrimina marina compescuit, confestim mare, quod in cumulos erigebatur, obruitur, tempestatis procella sedatur, ventorum turbo reprimitur, & aurea Cœli facies serenatur.

Clausula dictionis.

Amodo igitur, Dilectissimi, illinc Regalis aulæ Consiliarii, hinc Sedis Apostolicæ Comministri, utraque pars, in hoc uno studio conspiremus elaborantes, ut summum Sacerdotium, & Romanum simul confœderetur Imperium; quatenus humanum genus, quod per hos duos apices in utraque substantia regitur, nullis, quod absit, partibus, quod per Cadaloum nuper factum est, rescindatur: sicque mundi vertices in perpetuæ charitatis unionem concurrant, ut inferiora membra per eorum discordiam non resiliant; & quatenus sicut in uno mediatore Dei, & hominum, hæc duo, Regnum scilicet, & Sacerdotium, Divino sunt conflata mysterio; ita sublimes istæ duæ personæ tanta sibimet invicem unanimitate jungantur, ut quodam mutuæ charitatis glutino, & Rex in Romano Pontifice, & Romanus Pontifex inveniatur in Rege, salvo scilicet suo privilegio Papæ, quod nemo præter eum usurpare permittitur. Cæterum & ipse delinquentes, cum

(p) Job. IV. [q] Matth. III.

cum causa dictaverit, forensi lege coerceat, & Rex cum suis Episcopis super animarum statu, prolata sacrorum Canonum auctoritate, decernat. Ille, tamquam parens, paterno semper jure præemineat; iste, velut unicus ac singularis filius, in amoris illius amplexibus requiescat. Attalus plane Rex Asiæ, & Nicomedes Rex Bithyniæ, in tantum Romanam Rempublicam dilexerunt, ut uterque moriens Romanum populum testamento reliquisset hæredem. Sanctæ ergo Ecclesiæ Principes quam propensiori invicem debent charitate congruere, quibus injunctum est, charitatem præcipue Christiano populo prædicare; ut ex eorum, quæ procedat ex pietate concordia, sancta universalis gratuletur Ecclesia, ac gemino utriusque studio Christianæ Religionis refloreat disciplina? Verum nos Piscatoris nostri, naviculam ex hiatu scyllææ voraginis trahentes, dum successorem Petri, fidei labente vestigio mersum, ad littora quieta deducimus, pro ereptore nostro Celeusma cantemus:

Te Deum laudamus: Te Dominum confitemur.
Ultio Divina, populi, Cadaloe, ruina,
Te manet, ut diro medium transverberet ictu.
Altipetax Simonem sequeris Simon, astra petentem:
Te quoque tartareus simul absorbebit hiatus.
Sit nomen Domini benedictum.

SCHOLIA CONSTANTINI CAJETANI.

Beato Sylvestro (Constantinus Imper.) *suisque successoribus obtulit, ut regali more, & aurea corona plecterentur in capite, & cæteras Regii cultus infulas usurparent. Verum B. Sylvester ornamenta, quæ sacerdotali congruere judicabat officio, in proprios usus assumpsit: Coronam vero, vel cætera, quæ magis ambitiosa, quam mystica videbantur, omisit.* Dum Sanctus Cardinalis ait, S. Sylvestrum oblata a magno Constantino Principatus insignia repudiasse, ea vero ornamenta sibi desumpsisse, quæ dignitatem Pontificiam condecorarent; a vero abhorrere non videtur. Nam quæ fuit ardens ejusdem Constantini, ad fidem præcipue Christianam recenter conversi pietas, ut voluisset omnia Imperii decora in Pontificem summum conferre; fuit tamen singularis cujusdam prudentiæ in S. Sylvestro, ea tantum deligere, quæ spiritualis potestatis culmen ac fastigium significarent. Id quod etiam habetur *Cap. Constantinus dist.* 96. verbis istis: *B. Sylvestro, & omnibus successoribus ejus de præsenti tradidimus palatium Imperii nostri Lateranense, deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium; nec non & superhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare assolet collum.* Et nonnullis interjectis: *Ipse vero beatissimus Papa super coronam Clericatus, quam gerit ad gloriam beatissimi Petri, ipsa ex auro non est passus uti corona; Phrygium vero candido nitore splendidum, Resurrectionem Dominicam designans ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus.* S. Sylvestri porro mitræ Platina hunc in modum meminit: *Eugenius IV. S. Sylvestri mitram, Romam Avenione delatam ipsemet e Vaticano ad Lateranum detulit.* Hujus autem, vel alterius ejusdem S. Sylvestri mitræ medietas coloris viridis holoserica, & phrygiata, in qua Beatissimæ Virginis, in gremio filium gestantis, Imago picta, & alatis puerulis, ac stellis circumsepta cernitur, Romæ ad S. Martinum in montibus inter reliquias honorifice custoditur.

Neque hoc sic intelligas velim, ut Pontificalis dignitatis ornamenta tunc primum in Ecclesiam invecta fuerint, quidquid dicant Aimonius, atque Sigebertus, vel etiam alii. Nam quod Constantinus gentilium vanitatem detestatus, B. Sylvestro videtur concessisse, hoc ipsum Sanctissimos ejus antecessores ob immanem atque frequentem aliorum Imperatorum persecutionem deposuisse apparet. Jacobus enim Alphæi, cognomento justus, idemque frater Domini nominatus, a Petro Apostolorum Principe, ut optime Chrysostomus animadvertit, ordinatus Hierosolymorum Episcopus, laminam, seu bracteam auream, in capite gestare consuevit: Ut testatum reliquere Epiphanius, Hieronymus, ac omnes alii fere scriptores Ecclesiastici. Hujus vero rei hanc affert rationem idem Epiphanius: *Folium, sive bracteam in capite gestare ipsi licebat, quemadmodum relati fide digni viri Clemens, & Eusebius*

ſebius in ſuis commentariis teſtati ſunt. Sacerdos itaque eſt, velut dixi, Jeſus Chriſtus in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: Simulque Rex juxta ordinem ex ſupernis, ut transferat Sacerdotium ſimul cum lege; ex ſemine vero David propter Mariam, ſedens in throno in æternum, & Regni ejus non erit finis. Oportebat enim ipſum nunc transferre ordinem tum Sacerdotii, tum Regni. Et quibusdam interjectis: *Largitus eſt autem ſub ſe conſtitutis Regnum, ut ne diceretur a parvis ad majora procedere. Manet enim thronus ipſius; & Regni ejus non erit finis: Et ſedit ſuper thronum David, ita ut Regnum David una cum Pontificatu tranſtulerit, ac largitus ſit ſervis ſuis, hoc eſt, Pontificibus Catholicæ Eccleſiæ.* Plura de his apud eumdem Epiphanium habes. In ſignum igitur Regalis Sacerdotii (ſic ipſum appellat Petrus) ejusmodi capitis ornamentum geſtare conſueviſſe, non Jacobum tantum, ſed & cæteros Apoſtolos par eſt credere. Nam etſi hæc de ſingulis non ſcribantur, ſatis tamen ad veritatem rei demonſtrandam eſſe videtur, quod non modo Jacobus, ut vidimus, ſed & Joannes Evangeliſta, eo uſus eſt capitis ornamento. Teſtatur id Polycrates, Epheſiorum Epiſcopus, ad Victorem Papam inter alia ita ſcribens: *His accedit Joannes, qui ſupra pectus Domini recubuit: qui Sacerdos fuit, qui laminam auream geſtavit. Erat autem ejusmodi capitis ornamentum, quod in amplius atque perfectius Chriſtianæ legis Sacerdotium translatum eſt, antiquæ legis Sacerdotibus olim a Deo conceſſum. Sic namque Sacra Scriptura: Facies & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris ſanctum Domino: ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram imminens fronti Pontificis.* Quale autem fuerit capitis ornamentum ſummi Sacerdotis, Joſephus exacte deſcribit, monſtratque, non tantum lamina aurea, ſed & corona aurea, triplici ordine ducta, mitram ornatam fuiſſe. Sunt ejus verba: *Porro pileo* (ita vocat cydarim, ſeu mitram communem pariter cæteris Sacerdotibus) *utebatur, quali cæteri Sacerdotes, ſuper quem extabat alius conſutilis ex Hyacintho variatus: Hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua ſpectabantur calculi aurei, quales videmus in herba, quæ apud nos vocatur daccharus: Apud græcos herbarios; hyoſcyamus:* Sed & divina ſcriptura pulchre quidem hoc ipſum innuiſſe videtur ſub illis verbis: *Corona aurea ſuper mitram ejus, expreſſa ſigno Sanctitatis*, Nam cum Sacerdotibus aliis uti Cydari, ſeu mitra, conceſſum eſſet; lamina tamen aurea, ut dicebam, ornari caput ſummi tantum Pontificis, erat peculiare. Quod mitræ ornamentum cum tribus aureis coronis intexeretur; corona etiam in ſacris litteris jure merito appellatur. Cæterum, cum omnia fere veteris Legis Pontificum ornamenta una cum ſummo Sacerdotio, in Eccleſiam Romanam jure optimo translata fuerint; illud etiam ſcitu dignum videtur: quod Bonifacius, ejusdem Eccleſiæ Pont. Max. (præter ſalutarem Jubilæi, ſacramque inſtitutionem, centeſimo quoque anno celebrandam) hujuſmodi etiam tiaram, quam regnum vulgo appellant, tribus diſtinctam, ornatamque coronis, (cum eandem antea tiaram, una tantum corona inſignitam, ejus anteceſſores deferrent) ad Pontificum Romanorum uſum primus revocavit. Hic eſt ille octavus Bonifacius ex nobili, ac vetuſta Cajetanorum familia, patre Livifredo equite, matre, Alexandri IV. nepte, progenitus; qui (ut inter alios Antoninus Archi-Epiſcopus Florentinus, ſanctitate ac doctrina conſpicuus, teſtatur, æmulator magnus, & jurium Eccleſiæ conſervator, propter Sedis Apoſtolicæ patrocinium, adverſus ditionis, ac bonorum illius detentores, animo fortiſſimo ſuſceptum, & ad finem conſtanter perductum, innumeris malevolorum calumniis ſe obnoxium reddidit.

Operum S. Petri Damiani, Monachi Benedictini, Cardinalis S. R. Eccleſiæ, Epiſcopi Oſtienſis Tomo III. ex editione Cajetani pag. 21. & ſeqq. editione Pariſinæ anni 1663.

SYNO-

SYNODUS SLESVICENSIS

Anno Chrifti MLXI. Alexandri II. Papæ I. Henrici IV. Regis VI.

Indicta ab Adalberto Hammburgenfi Archi-Epifcopo, patet ex Encyclica fcripta ad Wilhelmum Rofchildenfem Epifcopum Suffraganeum fuum.

Adalbertus, Sanctæ Romanæ & Apoftolicæ Sedis Legatus, nec non & univerfarum fepentrionalium nationum Archi-Epifcopus, Hamburgenfis quoque Provifor indignus, Vuillelmo Rofchildenfi Epifcopo falutem.

AD Synodum, quam apud Slasvich celebrandam effe conftitui; vos veniffe, aut nuntium veftrum miffiffe, grato perciperem animo; fed de hoc alias. Nunc autem fraternitatem veftram latere nolo, quid moleftiæ mihi Adalvardus Epifcopus intulit, quem vobis teftibus, qui ordinationi ejus interfuiftis, *Sictonienfis* Ecclefiæ confecravi Pontificem, quem dum barbara gens fibi præeffe noluit, *Scarenfem* Ecclefiam invadere cœpit. Peto igitur, ut nuntium meum, qui illic iturus eft, ad Dalbienfem velitis Epifcopum dirigere. Hæc habui de Synodo, quæ dicerem, cum & alia multa fint, quæ faftidii caufa omitto.

Huc ufque recitat Adamus Bremenfis.

His fubjicit fequentia de Propagatione ejufdem Ecclefiæ per Adalbertum:

Ipfi vero, quos Metropolitanus ad gentes ordinavit, plures funt, quorum fedes & nomina didicimus ipfo narrante: In Daniam itaque novem conftituit: Rudolphum ad Slasvich, Oddonem ad Rippam, Chriftianum ad Arhus, Heribertum ad Viburg, Magnum & Albritum in Vendilam Infulam, Edbertum in Vionem Infulam, & Falftriam, Vuillelmum in Seland, Eginonem in Scaniam provinciam. In Suediam vero confecravit fex, Adalvardum & Accilinum, item Adalvardum & Tadicum, nec non Simeonem atque Joannem. In Norvegiam duos tantum ipfe confecravit, Tolff & Sivardum. Cæterum aliunde ordinatos, cum fatisfacerent, & fecum tenuit mifericorditer, & abeuntes dimifit hilariter; ficut Meinardum, Osmundum, Bernardum, & Asgotum, aliosque multos præterea. Turolfum quendam pofuit ad Orcadas, Ifteph ad Islanæ, Infulam. Sunt Epifcopi, quos ordinavit, omnes viginti, quorum tres abortivi, extra vineam otiofi remanferunt, fua quærentes, non quæ JESU Chrifti. Quos univerfos gloriofus Archi-Epifcopus decenti honore habens, ad prædicandum barbaris verbum Dei prece & præmio commendabat. Ita fæpiffime vidimus eum quatuor aut quinque ftipatum Epifcopis (prout ipfum audivimus dicentem) absque multitudine effe non poffe.

Et inferius, de cultu, quo profequi foleret Romanos Pontifices, ifta habet:

Eodemque ftudio benignitatis utebatur erga Romanæ Sedis Legatos, quorum clientelam & contubernium in fummo coluit amicitiarum loco. Pariter gloriatus, fe duos tantum habere Dominos, hoc eft, PAPAM & REGEM, quorum Dominio jure fubjaceant omnes Sæculi & Ecclefiæ poteftates. Illos nimirum fibi effe timori & honori. Apparuit hoc in fide viri, quam ita integram fervavit utrisque, ut auctoritati Apoftolicæ nihil præponens, antiqui honoris privilegia Sedi Apoftolicæ commendaret integra fervari debere, ejusque Legatos fummo recipiendos honore cenferet. Majeftatem vero Imperatoriam quanti faceret, Epifcopatus ejus teftis erit, ideo vel maxime deftructus, quod a fidelitate Regis fui nec minis, nec blandimentis Principum refcindi potuit. *Et inferius:* A Papa vero meruit hoc dignitatis privilegium, ut totum jus fuum Domnus Apoftolicus in illum transfunderet, fuc-

ſucceſſoreſque ejus: adeo, ut ipſe per totum Aquilonem, in quibus locis opportunum videbatur, ſæpe invitis Regibus, Epiſcopatus conſtitueret, ordinaretque Epiſcopos, ex Capella, quos vellet, electos.

Idem Adamus refert Alexandri II. Epiſtolam ad Haraldum Normannorum Regem, qua jubet, ut ipſe Rex, & ejus Epiſcopi, Alberto Bremenſi Archi-Epiſcopo, uti Papæ Vicario, reverentiam ſubjectionis impendant.

ALEXANDER Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, omnibus Epiſcopis in Regno Danorum conſtitutis, Apoſtolicæ Sedis & noſtro Vicario obedientibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Hamburgenſis Epiſcopus, Venerabilis Vicarius noſter, litteris & Legatis ſuis conqueſtus eſt, quod quidam Edbertus, Farienſis Epiſcopus, multis criminibus involutus, ad *Synodum ſuam* per triennium vocatus, venire contempſit. Quod quia conſilio quorundam veſtrorum dicitur eſſe factum; mandamus, & Apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ab hujuſmodi recedatis omnino conſilio, eumque ad audientiam prædicti fratris noſtri ire admoneatis; quatenus poſt factam examinationem canonice judicetur. *Et alia, quibus ibi præcipitur, ut ei obediant, & ſatisfactionem exhibeant.*

Hæc Adam. Brem. coævus & oculatus Script. vitæ Adalberti.

" Metropolitanus Hamburgenſis Adalbertus, ſucceſſu propagatæ per Daniam,
" Sueciam, & finitimos populos, fidei & Eccleſiarum elatus, & quia Papam &
" Cæſarem ſuæ voluntati pronos videbat; multo ſtudio laboravit, in Hamma-
" burch Patriarchatum conſtituere. Præter enim Epiſcopatus, jamtum ſibi
" ſubjectos, diſpoſuit XII. novos Epiſcopatus ſibi ſubjicere, quos e ſua Pa-
" rochia divideret: ita, ut primus eſſet in Palmis, ſecundus in Heliganſtad, ter-
" tius in Razizpurg, quartus in Aldinburg, quintus in Michilinburg, ſextus
" in State, ſeptimus in Liſmona, octavus in Wildishuſen, nonus in Bremis,
" decimus in Ferda, undecimus in Ramſola, duodecimus in Freſia. *Adamus*
" *Bremenſis Lib. III. Cap. XXXIV.*

Utrum hæc idea Patriarchatûs Hamburgenſis in Synodo Slesvicenſi propoſita & examinata fuerit; neſcio. Veroſimiliter de ea perficienda tentati & explorati animi Provincialium Epiſcoporum.

Sane Joannes Adolphus Cypræus in Annalibus Epiſcoporum Slesvicenſium hæc acta in Synodo Slesvicenſi anni 1061. collegit ex variis.

§. I. *Conciliatio Suenonis Daniæ Regis cum Archiepiſcopo Adelberto.*
§. II. *Qualitates neceſſariæ in novis ordinandis Epiſcopis per Daniam.*
§. III. *De modo propagandæ fidei, & ad quos Epiſcopos referendi populi converſi ad fidem.*

ADelbertus Sleswicum ſe recepit, ubi & propter loci commoditatem Synodum cogere SOLEBAT: & omnibus familiariter utebatur.

§. I. Sueno II. Daniæ Rex, qui Slesvici agebat, de Epiſcopi adventu certior factus, eum invitat, & convivio acceptum liberaliter tractat: Epiſcopus viciſſim Regem laute accepit: octo diebus continuata convivia more barbarorum: & ita Rex Epiſcopum ex inimicitiis in gratiam recipit, odio, quo hactenus illum proſequutus erat, depoſito.

§. II. Cumque inter alia de Epiſcopis & Paſtoribus in Dania conſtituendis Archi-Epiſcopus verba facere & agere cœpiſſet: Rex ſatius eſſe reſpondit, ſi ad Eccleſiaſtica munera & miniſteria vocarentur indigenæ in Regno Daniæ nati & educati, quibus ſermo Danicus vernaculus & notus eſſet, quàm exteri & alienigenæ, qui ejus uſum nullum haberent, idque ſibi placere: ita enim interpretibus opus non eſſe. Quæ cum ita ſint, cupere ſe ut inpoſterum, Albertus in Epiſcopis deſignandis & creandis ejus rationem haberet, & indigenas exteris præferre vellet.

§. III.

§. III. Sed & de pace Christianorum & paganorum conversione actum & transactum fuit.

Atque ita inter Regem & Episcopum convenit, & Slesvico discessum est, consentientibus animis & rebus bene compositis.

Hactenus Cypræus in historia Ecclesiastica Slesvici & Holsatiæ pag. 102. *edition. Colon.* 1634.

Ill. Baronius Annal. Ecclesiasticis nonnulla ex Adamo Bremensi de hac Synodo inseruit, sed refert eam ad 1067.

EPISTOLA S. PETRI DAMIANI

AD ANNONEM ARCHI-EPISCOPUM COLONIENSEM.

ARGUMENTUM.

Laudat Archi-Episcopum Coloniensem, quod Imperatoris filium pupillum, suæ fidei commissum, egregie tutatus esset, & eidem, cum adolevisset, paternum Imperium restituisset. Deinde, quod Cadaloum Pseudo-Pontificem persecutus esset, & quantum in ipso fuit, Ecclesiastico mucrone jugulasset. Hortatur, ut extremam operi manum imponat: adhuc enim ejusdem Cadaloi rabiem perniciosius in Christianam Rempublicam grassari: posse tamen coerceri, si ejusdem Archiepiscopi opera generalis Patrum conventus cogeretur.

DOMNO ANNONI REVERENDISSIMO ARCHI-EPISCOPO, PETRUS PECCATOR MONACHUS DIGNE DEVOTIONIS OBSEQUIUM.

IN expeditionis exercitio constituti, digne non possumus eisdem manibus & styli currentis articulum texere, & frænis equorum fluitantibus, ut dignum est, deservire. Sed licet melius sit luculenter eloqui, quam mutire; verumtamen cum necessitas imminet, melius est utcumque mutire, quam penitus obmutescere. Cum nobis ad memoriam, venerabilis Pater, labor tuus & studium venit, nobis illa fides atque prudentia Jojadæ Sacerdotis menti nostræ subsequenter occurrit. Sicut enim Sacra, ut optime nosti, testatur historia, Athalia uxor Joram, cum Ochoziam filium suum Regem videlicet Israël, videret extinctum; cœpit in omne semen Regium immaniter fremere, posteritatemque David crudelis Bellona tentavit funditus abolere. Sed ille insignis Sacerdos Joas filium Ochoziæ, pia & multis laudibus efferenda fraude surripuit, & occulte usque septennium intra templi septa servavit. Cui postmodum regalis sceptri jura contradidit, eumque ad præsidendum Israëlitico populo juxta proavorum suorum consuetudinem roboravit: mox vero tamquam hoc egregio non sufficeret sacerdoti, confirmato Regis Imperio, ad utilitatem Sacerdotii, sive templi, suam porrexit industriam; & cum præfato Rege ad ordinandam, & disponendam consacerdotum suorum se contulit disciplinam. Nam & sacra tecta templi, ut instaurarentur, instituit, & nonulla, quæ Sacerdotibus competebant, edicta deprompsit. Sciebat enim, quoniam utraque dignitas alternæ invicem utilitatis est indiga: dum & Sacerdotium Regni tuitione protegitur, & Regnum Sacerdotalis officii sanctitate fulcitur. Sed quid mihi per sacræ lectionis seriem currere; nisi quia in te video ejusdem operis similitudinem nostro tempore convenire? Servasti, venerabilis Pater, relictum tuis manibus puerum, firmasti Regnum; restituisti pupillo paterni juris Imperium: Ad Sacerdotium quoque manum

tuæ prudentiæ protinus extendisti, dum & Parmensis bestiæ squamea colla Evangelici mucronis vigore præcidere, & Apostolicæ sedis Antistitem in suæ dignitatis elaborasti filium (a) reformare. Sed cœpto operi nisi postrema manus accedat, nisi adhibeantur adhuc illa, quæ restant, sanctum vestri operis ædificium minatur, ut corruat. Cadalous enim, ille sanctæ perturbator Ecclesiæ, eversor Apostolicæ disciplinæ, inimicus salutis humanæ: Ille, inquam, radix peccati, præco diaboli, Apostolus Antichristi, sagitta nimirum, producta de pharetra Satanæ, virga Assur, filius Belial, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; velut draco teterrimus adhuc sufflat, adhuc fœtore venenatæ pecuniæ nares hominum fœdat, fidemque multorum, vento perfidiæ vacillantem, novus hæresiarcha perturbat. Sicut enim Jovem in Dianæ gremium per aureum imbrem descendisse fabularum commenta confingunt; sic iste per aurum de suæ Ecclesiæ sacrilega dejectione quæsitum adulterum sedis Apostolicæ concubitum quærit, & tamquam petulcus adulter suam explere libidinem in Romanæ Ecclesiæ violatione medullitus inardescit.

Quamobrem, venerabilis Pater, ut sanctus studii tui labor ad effectum omnino perveniat, & per caudam titionis hujus, immo per unum putridum diaboli membrum, apud opinionem hominum Romana Ecclesia non vilescat, & hac occasione, quod absit, Christianus populus in errore permaneat; necesse est, ut vestra prudentia totis nisibus elaboret, quatenus generale Concililium quantocyus fiat, & pernitiosi hujus erroris spinas, in quo miser mundus versatur, evellat. Præterea libenter ad vestræ Sanctitatis alloquium, si occasio daretur, attingerem, ut communicandum consilium, quod absentia prohibet, viva conserti sermonis verba conferrent. Sed quoniam id fortasse non mereor, peto, quæso, & humiliter suggero, ut Sancta vestra Prudentia Cadaloïcam rabiem, quæ latrare non desinit, omnino conetur extinguere, quatenus Christiana religio pacifica per vos valeat tranquillitate gaudere; ut dum regnum ac Sacerdotium optata per vos pace perfruitur, is qui utriusque dignitatis auctor est, pacis æternæ digna vobis præmia largiatur, sed dum equus offertur, dum socii omnes iter arripiunt. Ecce brevem sperno, strevi vestigia sterno.

S. Petri Damiani ex editione Cajetani Tomo I. Epistolarum Lib. III. N. VI.

(a) *Lege:* folium.

SYNODUS ULTRAJECTINA

Ante annum Christi MLXIII. Alexandri II. Papæ III. Henrici IV. regis VIII.

Concordia inter Wilhelmum Trajectensis Ecclesiæ Episcopum, & Regimbertum Abbatem Aspernacensem, de variis bonis synodali auctoritate, & Episcopali banno (quo anno incertum) scripturâ corroborata. Coloniæ 1063.

Notum sit omnibus in Christo fidelibus, tam præsentibus, quam futuris, qualiter ego Wilhelmus, Trajectensis Ecclesiæ, licet indignus, vocatus Episcopus, per manus advocati mei Gerolphi, Regimberto, venerabili sanctæ Absternacensis Ecclesiæ Abbati, ejusque Advocato Theodorico, *in sancta Synodo* recognovi mediam partem Ecclesiarum earum, quæ infra nominatæ sunt, quarum matres, videlicet hæ, Flardinge, Kirckwerve, Velsereburgh, Heilegelo, Pethem, aliquando a Carolo, & orthodoxis Patribus aliis, beato WILLEBRORDO Patrono nostro, ac primo sedis nostræ Archiepiscopo; ad eandem Eccle-

Ecclesiam Absternacensem traditæ fuerant. Sed a Theodrico Comite, & filio ejus Theodorico, fratreque ejus Florentino invasæ, atque propter continuam bellorum seditionem, omni Episcopali jure neglecto, in potestatem Episcopi *Synodali auctoritate* redactæ fuerant cum capellis infra nominatis: Harago, Schro, Rinesburg, Warmonde, Liethemuthon, Rinsaterwald, Asclekerwald, Agathenkyreca, Hemezenkyreca, Ascunannedef, Spernerewald, Sloten, Eemunde, Alcmere, Scirmere, Alisven, Woggungen, Aldenthorp, Vronlo, quæ neque in termino earum, quæ modo matres sunt, quippe ubi neque consecratio, neque terminatio ulla erat, neque ipsæ consecratæ erant, atque ideo omnis decima, secundum constituta canonum, in manibus Episcopi erat: ea scilicet conditione, ut idem venerabilis Abbas, omnesque ejus successores, ad eandem Ecclesiam Absternacensem medietatem habeant earundem Ecclesiarum omnium liberam ab omni servitio Episcopali, neque circaturam, neque oblationes Episcopo, neque servitium Præposito, neque ad ædificandas, sive consecrandas, vel ad terminandas easdem Ecclesias ullum supplementum præbeant. Neque *ad Synodum* coacti veniant. Ipsi ministros locare poterint, qui suam partem colligant. Ipsi præsbyteros ponere, qui ad easdem Ecclesias serviant. Similem cum Episcopo potestatem habeant. Ipsi in omni utilitate, quæ de eisdem Ecclesiis provenire possunt, sive in redemptione earum, sive in acquisitione decimarum, sive in compositione illati damni, excepto Episcopali banno, in omnibus mediam partem accipiant. Si quid vero culpa Presbyterorum neglectum fuerit, nullum inde damnum incurrant, &c. Actum Coloniæ anno salutis M.LXIII. Anno Domini Henrici quarti Regis XI. Regni vero septimo.

Heda in Historia Episcoporum Ultrajectinæ Sedis, pag. 298.

Wilhelmus Episcopus Ultrajectinus, ordine XXI, sedit in ea Ecclesia annis XXII. Obiit mense Majo anni 1076. Hic anno 1056. *Synodali* decreto renovavit donationem per Balduinum factam de libertate Bergæ atque Linnæ, atque erectione Ecclesiæ in Loinderkirche. *Heda in historia Episcoporum Trajectensium pag.* 297, 298, 299.

TRIBURIENSIS CONVENTUS

Anno Christi MLXVI. Alexandri II. Papæ VI. Henrici IV. Regis XI.

Bremensis Archi-Episcopus aula & administratione Regni abire cogitur.

HOc adeo fiebat odio Bremensis Archiepiscopi, quem omnes criminabantur, sub prætextu Regiæ familiaritatis, Monarchiam usurpasse manifestæ tyrannidis; & ipsi ergo consueta Regi servitia mittere detrectabant, & ille in alias Regni partes Regem abducere nolebat; ne scilicet cum aliis Principibus communicando principatum consiliorum & familiaritatis, ipse sibi aliquid imminueret de fastigio usurpatæ singularitatis. Sed non ultra laturi injuriam videbantur Principes Regni Archiepiscopi, Moguntinus, & Coloniensis, cum cæteris, quibus curæ erat respublica: crebra conventicula faciebant, atque omnes in commune, quid facto opus esset, consulere rogitabant. Deinde jam adulta conspiratione, diem generalis colloquii omnibus indixere Regni Principibus, ut Triburiam convenientes, Bremensem Archiepiscopum, communem omnium hostem, communibus omnes studiis oppugnarent, Regique denuntiarent, aut Regno ei cedendum esse, aut familiaritate & amicitia Bremensis Archiepiscopi defungendum. Perlato Goslariam atrocis rei nuncio, Rex ad statutam diem concitus properabat, cum quo & Wernher Comes veniens in villam Ingilneheim, cujus pars aliqua ad nostrum quoque Monasterium pertinet, hospitatum diver-

divertit. Ubi dum milites ejus ab incolis prædas agerent, & illi ad aram conclamantes, manu vindicare se niterentur, atrox pugna coorta est. In quam dum Werner Comes ad ferendam suis opem impigre discurreret, a quodam nostri Monasterii vilissimo mancipio, vel (ut alii ferunt) a fœmina saltatrice clava percussus in capite corruit, atque ad Regem semivivus est reportatus. Admonitus ab Episcopis, qui præsentes erant, ut pro peccatis suis Deo in extremo jam spiritu constitutus satisfaceret, seque Herveldensium monachorum precibus interemptum recognoscens, villam Kirchberg, quam injuste invaserat, redderet, nullo modo adquievit; donec Episcopi consensu facto minarentur, se ei sacram communionem morienti non daturos, nisi prius tanti peccati pondere se exonerasset. Sic tandem pudore magis, quam religione victus reddidit, statimque vita excessit. Statuta die tristis in Regem omnium vultus, tristis erat sententia, ut aut Regno se abdicaret, aut Archiepiscopum Bremensem consiliis suis atque a Regni consortio amoveret. Tergiversanti, & quid potius eligeret, hæsitanti, Archiepiscopus consilium dedit, ut proxima nocte, ablatis secum Regni insignibus, clam aufugeret, & Goslariam, aut in alium locum se reciperet, ubi ab injuria tutus foret, donec turba hæc conquiesceret. Adveniente vespera, thesauros Regios per satellites, & socios fraudis suæ jam exportare cœperat; cum repente ad ministros Regis consilium hoc (nescio, quo indicio) permanavit, qui statim raptis armis, curtem Regiam circumdederunt, totamque deinceps noctem ducentes pervigilem, ne quid novi accideret asservabant: facto mane infensis adeo animis omnes in Archiepiscopum coorti sunt; ut nec manibus temperassent, nisi Regia Majestas vix & ægre iracundiam cohibuisset. Contumeliose itaque ejectus est de curte Regia, cum omnibus Tyrannidis suæ fautoribus, misitque cum eo Rex amicorum suorum non modicam manum, ne scilicet ab æmulis suis insidias in via pateretur. Sic iterum rerum publicarum administratio ad Episcopos rediit, ut singuli suis vicibus, quid Regi, quid reipublicæ facto opus esset, providerent.

Lambertus Schaffnaburgensis ult. editionis. pag. 336.

Ex quo Serarius edition. primæ L. XXII. pag. 751.

SYNODUS TREVIRENSIS

INTRA ANNOS MLXVII. & MLXXIII.

In qua Richerius Diaconus beneficium in Ecclesia Virdunensi mala fide acquisivisse convictus est.

Constat de hac Synodo ex Epistola Alexandri II. Papæ ad Udonem Trevirensem, & Theodericum Virdunensem Episcopos data.

ALexander Episcopus, servus servorum Dei, Udoni Treverensi, & Theodorico Virdunensi, Episcopis, salutem perpetuam.

Præsentium lator Cosaldus Presbyter, ad limina Apostolorum veniens, querelam Apostolicæ sedi deposuit, beneficium & Altaria, quæ per Canonicam Virdunensis Ecclesiæ obtinere solebat, a quodam Diacono, Richerio nomine, sibi ablata esse. Dixit enim, quod quondam in infirmitate, fervore passionis oppressus, monachum se facere promiserit, non tamen ut Monasterio, vel Abbati se tradiderit, vel promissionem scripserit: sed confitetur, quod beneficium in manu Advocati Ecclesiæ refutaverit. At postquam convaluit, monachum facere mox negavit. Dixit etiam, quod cum infirmus jaceret, prædictus Richerius beneficium suum ab Episcopo Virdunensi acquirere potuisset, quia dixit, eum monachum jam factum esse. Causa differtur *in Treverensem Synodum, in qua præfatus Richerius Diaconus mala fide acquisisse, ac male intrasse convictus est.* Quapropter, quia beati Benedicti, Canonicaque, & præcipue Patris & prædecessoris nostri, sancti Gregorii Papæ constitutio interdicit, ante unius anni probationem effici monachum;

chum; si ita est, ut dixit, judicamus, & auctoritate Apostolica præcipimus, ut diligentia vestra atque clementia harum portitor, Cosaldus Presbyter videlicet, beneficia & Altaria recipiat, habeat, & quiete retineat.

Hardouin. Concil. Tom. VI. P. I. p. 1096. *hanc Epistolam refert inter literas Alexandri II. Papæ n. XXVI.*

CONVENTUS WORMATIENSIS

Anno Christi MLXIX. Alexandri II. Papæ VIII. Henrici IV. Regis XIV.

Deliberatio Regis & Episcoporum de divortio Bertæ Reginæ.

POst Pentecosten WORMATIÆ cum Principibus Regni colloquium habuit, ibi primum cum Episcopo Moguntino rem secreto agit, ejusque opem ad perficiendum, quod mente machinetur, obnixe implorat: si impetret, se deinceps ei subditum, & dicto obtemperantem fore: ad huc Thuringos armata manu, si aliter nequeat, coacturum, ut decimas sine ulla in perpetuum contradictione persolvant. Annuente Episcopo, & pactione utrimque firmata, Rex ad publicum refert, sibi cum uxore sua non convenire, diu oculos hominum fefellisse, ultra fallere nolle: nullum ejus crimen, quo juste repudium mereatur, afferre, sed se (incertum quo fato, quo Dei judicio) nullam cum ea maritalis operis copiam habere: proinde per Deum orare, ut se male ominata compede absolvant, patianturque æquo animo discidium fieri, ut illa sibi, & ipse ei, si ita Deus velit, felicioris matrimonii viam patefaciat: & ne quis violatum semel pudorem causetur obstare iterum nupturæ, se sub jurejurando confirmare, quod eam, ut acceperit, sic incontaminatam, illibatoque virginitatis pudore conservaverit. Fœda res, & ab Regia Majestate nimium abhorrens, visa est omnibus, qui aderant: negotio tamen, cui Rex tam fervide animum adjecisset, detrectare, singuli religiosum arbitrabantur. Episcopus quoque tam pretiosa pollicitatione redemptus, quantum poterat salva verecundia, haud ægre causam Regis tuebatur. Itaque cunctis id fieri decernentibus, Synodum conficiendo negotio indixit Moguntiæ, proxima post festum Sancti Michaëlis hebdomada. Hac exspectatione rebus suspensis, Regina Loresheim, ut statutum tempus ibi præstolaretur, missa est; Rex alio, quo Regni negotia vocabant, abiit.

Lambertus Schaffnaburgensis ult. edition. pag. 338.

EPISTOLA INFORMATORIA

SIGEFRIDI ARCHI-EPISC. MOGUNTINI

AD ALEXANDRUM II. PP.

Super conjugis repudiatione ab Henrico IV. attentata, & indicto Concilio Moguntino ea de causa.

DOmino Beatissimo, & vere Apostolici culminis honore Reverendo Alexandro, Sigefridus Moguntinæ Ecclesiæ speculator, debitæ subjectionis reverentiam & omnimodæ servitutis (*a*) obsequentiam. Licet universalis Ecclesiæ status generaliter innitatur super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, & in ipso sui verticis culmine angularem gestet lapidem, Dominum scil. Jesum Christum; specialiter tamen ille magnus Petrus juxta solidissimam nominis sui firmitatem, & firmissimam fidei confessionis suæ soliditatem ejus & totam susten-

(*a*) obsequelam *Cod. Zwet.*

ſuſtentat fabricam, ad hoc quidem electus a Domino veſtro dicente: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* (*b*) Illi namque omnis Apoſtolicorum Patrum ſucceſſio beata, auctoritate ipſius (*c*) Dei, ſedi ejus, Romanæ ſcilicet Eccleſiæ, hanc dedicavit excellentiam, & in cunctis ſemper hujus privilegii ſervavit revererentiam, ut majora Eccleſiæ negotia, & difficiliores cauſarum exitus ad (*d*) ipſam velut ad caput referantur, ejuſque judicio cuncta ſalubriter examinata in portum ſalutis dirigantur. Quia vero Divina miſerationis gratia (*e*) nos in hanc ſedem intronizavit, & vice ipſius Petri omnium Eccleſiarum ſollicitudinem impoſuit, neceſſarium duximus, veſtro reſervari judicio ea, quæ novimus (*f*) non poſſe, non debere, ſine veſtra auctoritate, noſtro terminari (*g*) judicio. Inter multimoda Eccleſiæ negotia, quæ veſtrum expectant examen, ſollicitudini noſtræ quiddam tale incubuit, quod & Eccleſiaſticis Judiciis valde eſt inſolitum, & omni moderni temporis ætati pene inauditum. Filius enim veſter H. Rex noſter, ante paucos *dies conjugem ſuam voluit dimittere*, *& eam, quam legitimis ſponſalibus & conjugali dote, regali conſecratione, & publicis nuptiis, regali corona, & ſacroſancta, ſibi firmatam ſociavit*, nullam primo interponens diſcidii culpam & cauſam, omnino a ſe ſeparari voluit. Quo nos veluti monſtro attoniti, & inſolita rei facie permoti, *conſilio Magnatum*, quotquot tunc aderant in palacio, in faciem ei reſtitimus, & niſi certam diſſidii cauſam exponeret, ſine reſpectu Regiæ poteſtatis, ſine metu gladii imminentis, eum, ſi veſtra præcederet auctoritas, a ſinu & communione Eccleſiæ nos ſegregaturos prædiximus. Ille vero retulit nobis, ea de cauſa ab ea ſe velle ſeparari, quod non poſſet ei tam naturali, quam maritali coitus fœdere copulari. Quod inquiſitum, cum & ipſa fateretur, omnium noſtrorum animos nimio mœrore affecit, & ipſa rei magnitudo nimia dubietate turbavit. Super qua re ſanctiſſimum Apoſtolatum veſtrum, ſicut Divinum conſulimus oraculum, & veluti membra ad caput, tantum referimus negotium, & quod hoc valde rarum quæſtionibus occurrit Eccleſiaſticis, & de Regiis pene inauditum eſt perſonis, veſtræ Sanctitatis erit, quod ſuper tanta re facto opus ſit, decernere, & ad conſulta noſtra de Sanctuario ſacri pectoris veſtri reſponſalia remittere: ut & inſtans negocium ad ſalutem *modernæ ætatis Eccleſiaſtica pace firmetur*, & de tam inſolita & dubia re veſtra auctoritate poſteritas inſtruatur. Denique fratres noſtri, qui tunc huic rei intererant, condixerunt, *ut Concilium*, quod tanto negotio competeret, *in noſtra urbe* congregaretur, & utrique Regi ſcilicet & Reginæ *ad Synodalem venire audientiam* (h) indiceretur. Nos autem dubia tantæ rei conſideratione habita, nullo modo hoc ſine veſtra auctoritate fieri decrevimus, & totius negotii terminum ad veſtræ expectationem ſententiæ ſuſpendimus, poſtulantes Sanctitatem veſtram, ut ſi id, quod inſtat, ratum ducitis per nos *ſynodaliter terminari*, *de latere veſtro perſonas cum ſcriptis veſtræ auctoritatis ad examen & judicium tantæ rei mittere dignemini*, quorum & audientia res ventiletur, & convenientia in beneplacito Dei terminetur.

Ex Epiſtolis Udalrici Babenbergenſis Eckharti Tomo II. pag. 120. *Script. Medii ævi.*

Zwetalenſis Bibliothecæ codicis variantes annotavimus ex Schedis Cl. Schannati.

(*b*) Zwetal. codex *Inde* pro *illi.* [*c*] Domini (*d*) ipſum
(*e*) vos. [*f*] nec poſſe nec debere. [*g*] ſtudio
(*h*) & ſuper hac re terminalem ſubire ſententiam.

CON-

CONCILIUM MOGUNTINUM

Anno Chrifti MLXIX. Alexandri II. Papæ IX. Henrici IV. Regis XIV.

Divortium Bertæ a Rege Henrico prætenfum rejicitur interventu Legati Pontificii, & Epifcoporum, & Procerum Germaniæ.

IMminente jam die, qui fcindendo Regis conjugio dictus fuerat, Rex MOGUNTIAM concitus properabat. Et ecce inter eumdem comperit Legatum (*a*) Sedis Apoftolicæ fuum Moguntiæ adventum præftolari, qui difcidium fieri prohibeat, & Epifcopo Moguntino Apoftolicæ animadverfionis fententiam minitetur, quod tam nefariæ feparationis fe authorem promiferit. Conflernatus illico, quod rem diu exoptatam perdidiffet e manibus, pariter, quo venerat, in Saxoniam redire volebat. Vix & ægre tamen amicorum confiliis fuperatus, ne Principes Regni fruftraretur, quos fumma frequentia fibi Moguntiæ occurrere juffiffet, Franconefort abiit, ibique eos, qui Moguntiæ convenerant, ftatuto die adeffe juffit. Quo dum frequentes veniffent, Petrus Damianus (is Legatus erat Sedis Apoftolicæ, vir ætate & vitæ innocentia admodum Reverendus) mandata expofuit Romani Pontificis; " Peffimam rem, & " ab nomine Chriftiano, nedum ab Re- " gio multum abhorrentem effe, quam " moliatur: fi minus humanis legibus " vel Canonum fanctionibus terreretur, " parceret faltem famæ exiftimationi " propriæ, ne fcilicet tam fœdi exempli " venenum, ab Rege fumpto initio, " totum commacularet populum Chri- " ftianum, & qui ultor effe debuiffet " criminum, ipfe author & fignifer fie- " ret ad flagitium; poftremo fi non fle- " cteretur confiliis, fe neceffario vim " Ecclefiafticam adhibiturum, & Cano- " num lege fcelus prohibiturum. Ad- " hæc fuis manibus nunquam Impera- " torem confecrandum fore, qui tam " peftilenti exemplo, quantum in fe " effet, fidem Chriftianam prodidiffet." Tum vero in eum coorti omnes, qui aderant, Principes ajebant, æqua cenfere Romanum Pontificem, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriæ fuæ, & Regii nominis Majeftatem tam turpis facti colluvione macularet; præterea, ne parentibus Reginæ caufam defectionis, & juftam turbandæ Reipublicæ occafionem daret, qui, fi viri effent, cum armis & opibus plurimum poffent, tantam filiæ fuæ contumeliam procul dubio infigni aliquo facinore expiaturi effent.

Hac oratione fractus magis quam inflexus, fi id, inquit, fixum obftinatumque eft vobis, imperabo egomet mihi, feramque, ut potero, onus, quod deponere non valeo. Ita efferato magis per ftudium concordiæ odio, annuit quidem, ut in Regni confortium Regina revocaretur, ipfe tamen, ut congreffum ejus confpectumque vitaret, adhibitis fibi vix 40. militibus in Saxoniam concitus rediit. Regina cum cætera multitudine & Regni infignibus paulatim fubfecuta eft; cumque ad eum Goslariam veniffet, vix compulfus ille a familiaribus fuis, ut ei obviam procederet, fatis fuperque pro confuetudine eam benigne fufcepit, fed protinus refrigefcente amore, ad ingenium fuum, atque ad priftinum rigorem animi rediit, & quia confilia fcindendi conjugii fæpe jam tentata non proceflerant, ftatuit deinceps, *communicato cum ea folum Regni nomine*, fic eam habere, quafi non haberet.

Hermannus Contractus ad h. a.
Ex quo Baronius, Synodographi, Pagi.

SYNO-

(*a*) Petrum Damiani, Cardinalem & Epifcopum Oftienfem, Pontificis Legatum.

SYNODUS MOGUNTINA

IN CAUSA CAROLI, CONSTANTIENSIS EPISCOPI.

Anno Christi MLXXI. Alexandri II. Papæ XI. Henrici IV. Regis XV. Ordinationis XVII.

IMperante super omnia æternaliter Regum Rege Domino nostro Jesu Christo, & sub eo regnante temporaliter Serenissimo Heinrico, Rege hujus nominis Quarto, Venerabili quoque Sigefrido, Moguntinæ Ecclesiæ Primate, & Apostolicæ Sedis Legato, aurigante currum Dei, anno jam XII. qui volvebatur annus incarnati verbi M. LXXI. octava indictione Romani census, celebrata est sancta Synodus apud Moguntiam, Metropolim orientalis Franciæ, principalem vero Pontificii sedem totius Germaniæ & Galliæ Cisalpinæ, cui præsedit idem memorabilis Sigefridus, assidentibus & cooperantibus sibi venerabilibus Archi-Episcopis, Gebehardo Juvavensi, & Utone Trevirensi; considentibus verò, & collaborantibus Reverendis Episcopis, Adelberone Wirtzburgensi; Gundecharo Eistetensi, Embrichone Augustensi, Herimanno Babebergensi, Werenhero Argentinensi, Heinrico Spirensi, Bennone Osnaburgensi, Ermenfrido Sedunensi, Heriberto Mutinensi: Considentibus vero & annitentibus Sanctissimis Abbatibus nec non inferiorum ordinum quamplurimis magnæ auctoritatis & sapientiæ viris. Aderant autem etiam Legati reliquorum fratrum, videlicet suffraganeorum ejusdem Metropolitani Antistitis, Epistolas & mandata ferentes, quibus excusati haberentur, quod invitati Concilio interesse non possent, certis quibusdam impedientibus causis, alii quidem corporeæ infirmitatis urgente molestia, alii in quibusdam Regni negotiis Regiæ jussionis detinente potentia. Qui dum Canonice sunt excusati, ipsi Legati competenti loco & ordine eorum funguntur unusquisque vice Antistitis sui.

Hæc denique Sancta Synodus cum propter multa pastoralis curæ negotia, pluresque causas, quibus juste adhibenda erat Ecclesiasticæ correctionis censura, tum maxime indicta & habita est, propter KAROLUM quendam, qui Constantiensis Ecclesiæ designatus erat Episcopus; sed, ut post rei exitus docuit, non satis canonice electus, & provectus. Hinc, ut solenne est, accepta a Rege Pontificalis annuli, & pastoralis ferulæ investitura, & in sede Episcopii receptus, Regiæ potestatis jubente censura, postulabat a Primate Moguntiensi, ejusdem Constantiensis Ecclesiæ se Episcopum consecrari. Sed venerabilis Sigefridus columbino oculo serpentinæ prudentiæ omnem præcavens impietatem, dicebat, hoc Apostolicæ benedictionis Sacramentum non debere, nec canonice posse in eo sine examinatione celebrari, pro eo, quod fidelium, graviumque personarum relatione didicerit; quin imo, & fama usque quaque vulgaverit, quod non per ostium in ovile ovium vellet intrare, sed per furtivam Simoniacæ impietatis scalam aliunde niteretur ascendere; se quoque talis introitus ejus nolle ostiarium fieri, cui Christus ipse, qui ostium est, videtur obniti. Quin ipsam impietatis scalam in lapide offensionis, & petra scandali se velle conterere, ipsumque a Mercenaria Dominici gregis occupatione longe longeque repellere. Ille, e contra, se hujus criminis, & hæreticæ impietatis immunem multis asserere nitebatur, seque, si ei copia, tempusque detur, hujus infamiæ notam a se propellere velle testatur, indeque petit Synodalis Concilii audientiam, in qua super hac re suam probare possit innocentiam, ibique consecrationem, quam pete-

Henricus III. anno 1056. 5. Octobris in Bodefeld ad Sylvam Hercyniam in confinio Thuringiæ & Saxoniæ obiit. Sepultus Spiræ, die Simonis & Judæ natali suo, a quo die 18. Septembr. 1071. fluxerant anni XV. Regni Henrici IV.

petebat, aut canonice ſibi dari, aut canonice negari.

Mittuntur interea ad Venerabilem Metropolitanum crebræ de Palatio Legationes, miſtis precibus minas, & imperioſa de hac conſecratione mandata ferentes. Mittuntur & Literæ a Præſule Apoſtolicæ Sedis, mandantes, ne ullo modo conſecretur, ſine ſcrutinio canonicæ purgationis: Et quod Rex poteſtate jubebat, Romanus Pontifex auctoritate prohibebat. Accedunt & Canonici Conſtantienſis Eccleſiæ, ex communi totius Cleri, & populi Legatione, unanimiter aſſerentes, Karolum nulla ratione conſecrari debere: Quia, ex quo eum inviti, & ſub conditione elegerunt, & receperunt, nullam eis paſtoralis officii impendiſſet curam; quin potius tyrannicæ dominationis non ceſſaſſet ſuper eos exercere preſſuram: nec manum continuiſſet a ſacris, nec pepercifſet in diripiendis Eccleſiæ theſauris; & quodcunque rapaci violentia corradere potuiſſet, hoc totum Miniſtris magni, imo, magi illius Simonis, id eſt, ſuis fautoribus diſtribuiſſet, ut, quorum anniſu adulterinam meruiſſet electionem, earum venali mercimonio, conſequeretur mercenaria pro conſecratione execrationem, pro benedictione maledictionem.

At Metropolitanus Antiſtes inter harum legationum varietates, velut inter duras tempeſtatum turbines, laudabili conſtantia in ſe ipſo fixus hæret immobilis, & nusquam favore vel gratia, tenore vel munere inflectitur a ſtatu canonicæ rectitudinis. Multis itaque nunciis hinc inde miſſis & remiſſis, multis quoque diebus huic audientiæ delegatis, & cognitionibus cauſæ, Principis occupante præcepto, non impletis, cum Eccleſia Conſtantienſis ſuo viduata Paſtore, jam fere biennio Sacerdotali careret benedictione, tandem, miſeratione Divina, poteſtati præponderavit auctoritas, & Chriſti Sacerdotibus Divina aſpiravit voluntas. Unde eorum communi aſſenſu Synodalis Concilii certa legitimaque dies denunciatur, & Coepiſcoporum unanimitas ad Concilium invitatur, quorum alii, ut oportebat, ſine dilatione affuerunt, alii vero, qui certa de cauſa adeſſe non poterant, canonice excuſati ſubparem præſentiam vicaria legatione ſuppleverunt.

Primo igitur Concilii die, quem Sanctæ MARIÆ Dormitio tunc celeberrimum exhibebat, cum Spiritualis Curiæ Senatores, patrocinante Spiritu Sancto, intra Regiam majoris Eccleſiæ, ante cancellos Altaris Protomartyris Stephani, quod in Orientali abſide confectum eſt, conveniſſent in unum, primo, ut par erat, Sanctæ & individuæ Trinitati debitas referunt gratiarum actiones, & pro incolumi totius Eccleſiæ ſtatu ſupplices Deo offerunt preces. Deinde poſt mutuam fratrum ſalutationem, & debitam ſedium recognitionem juxta authenticam paternæ traditionis Synodum, conferunt ad invicem de veritate Catholicæ fidei, damnantes Simonem, & omnes hæreſiarchas cum dogmatibus ſuis, & ſequacibus ſuis, pauca pro tempore tractant de qualitate inſtantis negotii; ac ſic demum propter celebranda tantæ ſolennitatis officia, ſolvunt Concilium, craſtino maturius redituri in idipſum. Poſtea vero die, certa Concilii hora, cum iterum Apoſtolici Sacerdotes in unum conveniſſent, & præmiſſis Deo laudibus & precibus, & ſalutari ſede conſediſſent; quod cuique Sacerdoti in ſua Diœceſi venit in dubium, rationabili diſciplina deducunt in medium, & prout res poſtulabat, unumquodque tractatum, aut terminatum eſt Synodali judicio.

Illud vero, quod maxime in cauſa fuit, de Conſtantienſi appoſito inter fratres ſtudioſe ventilatur; ſed, interveniente Principis mandato, in ſequentem diem procraſtinatur, agentibus internunciis, ut Sacerdotes Domini a conſtantiæ ſuæ rigore, ad Regiam ſe inflecterent voluntatem; aliis inſtantibus, ut deſignatus ille, male uſurpatum ſponte dimitteret honorem. Tertia vero die Chriſti Sacerdotes, hujus negotii longa exſpectatione ſuſpenſi, & libera quadam indignatione, imo zelo juſtitiæ accenſi, Sacerdotali conſtantia Principem ſuum adeunt, eumque de ſalute animæ ſuæ, de pace Eccleſiarum, deque ſtatu Regni ſpirituali diſciplina conveniunt: proponentes ei de ſcripturis, & geſtis veteris, ac novi Teſtamenti, congrua doctrinæ ſalutaris exempla, quibus animus ejus adhuc ce-

reus & indocilis formaretur ad ſimilia, dicentes, & docentes; Solium Regni ejus nullatenus poſſe ſtabiliri, niſi firmetur juſtitia & obſervatione mandatorum Dei.

Summus autem ille Dominorum Dominus, qui omni potentatui dominatur, ita temperavit animum Principis, ita mitigavit eum ad verba Sanctæ exhortationis, ut nulla juvenili moveretur acerbitate; &, quod in poteſtatibus difficile eſt, nulla Sacerdotes inſolenti læderet reſponſione: multum tamen ſe excuſans, in hoc ſuæ poteſtatis dono nullam ſe exercuiſſe venalitatem, nullam ſuper hac re cum eodem Carolo ſe pepigiſſe conventionem. Siquid autem cum domeſticis & familiaribus ſuis, propter opem interceſſionis, ipſo ignorante, pepigerit, ſuum non eſſe accuſare, vel excuſare. Hoc ipſe viderit. De dextera vero ſua, quam illi propter antiquam in præpoſitura benevolentiam, gratiæ ſuæ donum porrexit, omnem avaritiæ labem dixit ſe excutere; & quod ipſe ſimpliciter fecit, ſi ille veneno alicujus malitiæ corruperit, ſe ob id Divinæ juſtitiæ nolle contraire.

Hac autem ſalubri ſermocinatione cum Sacerdotibus habita, cum eis venit in Concilium: & ille Conſtantienſis deſignatus intromittitur ad audiendum. Adſunt etiam pro foribus Conſtantienſes Clerici, poſtulantes per Legatos, ut & ipſi mererentur admitti. Tunc vero videres lætiſſima Sanctæ Eccleſiæ gaudia, & vera mundi conveniſſe luminaria, quando circumfulgebat nobilis corona ſacrorum Ordinum, vivis gemmata lapidibus Chriſti Sacerdotum, velut fulgoribus micantium aſtrorum. Tunc Cœli narrabant gloriam Dei, & verbum eructabat dies diei, quando Sacerdos Sacerdoti ſententiam juſtitiæ exponebat, & ſanctam Eccleſiam ſalutaris eorum doctrina inſtruebat. Tunc vaſa electionis ſupereffluebant ambroſium liquorem Sancti Spiritus, & juſti fulgebant ſicut ſplendor firmamenti, quando Sacerdotes Domini verba ſapientiæ, velut nubes pluebant, & corda audientium, velut terram fructiferam ad germinandum infundebant.

His ergo ita diſpoſitis, & digito Dei ordinante, diſtinctis, utrique admittuntur, prædictus ſcilicet Carolus, & hi, qui accuſationibus pulſabant perſonam. Prima actione regularis Prælatus Conſtantienſis Eccleſiæ protulit libellum accuſationis, in quo continebantur cauſæ, quibus indignus haberetur, & judicaretur Sacramento Apoſtolicæ benedictionis. Quarum prima & maxima erat, quod exemplo magiſtri ſui Simonis peſtiferi, per pecuniam invaſiſſet ſedem: cætera omnia, quæ ibi legebantur, proclamabant violentam ejuſdem Eccleſiæ devaſtationem. Ille idem Prælatus, & fratres ejus, qui aderant, item offerunt ſuæ teſtificationis libellos, in quibus ſinguli nomen & officium ſuum deſignantes, quidquid accuſando, vel teſtificando propoſuerant, aſſerunt, ſe canonice probaturos.

Carolus econtra nititur improbare perſonas, dicens, quod ejus infamiæ nota eſſent reſperſi, quod nec ſe, nec quenquam alium poſſent canonice accuſare. Adjungit quoque, ſe omnia objecta Synodali judicio purgaturum, & in omnibus, quibus eum impetebant, ſe eſſe innoxium. Longa igitur altercatione hinc inde diſceptatum eſt, & multis tota die in adverſum nitentibus, uſque in profundam noctem Concilium pertractum eſt: Dum inter multos ambigitur de numero accuſatorum & teſtium: Dum longa deliberatione quæritur judicium, utrum iſti liceat ſe excuſare, adverſus excuſationem iſtorum: Dum res inter fratres diutiſſime differitur, Concilium propter intempeſtatam noctem adhuc ſine operæ pretio dirimitur.

Quid autem ipſe Carolus ſecum illa nocte egerit, quibus retractationum verberibus ream conſcientiam flagellaverit, ſequens utique dies declaravit. Nam, ut ex ipſo effectu geſta res probari poteſt, vere credimus, quod Deus, conſcientiæ judex & teſtis, in corde ſuo ſederit pro tribunali, & cum eo exercuerit cenſuram judicii ſui; ubi peccati conſcientia cogitationum accuſantium, non excuſantium, teſtimonio, ne veritati, & æquitati reſiſteret, damnata eſt, & conſtricta. In craſtinum namque, quando ſperabamus, qui juxta promiſſum ſuum objecta purgaret, & conſecratione dignum, innocentiam ſuam

ſuam monſtrando, ſe probaret, ille jam mente confuſus, non ultra ferens aſpectum Concilii, & interius judicatus, non extra ſuſtinens pondus imminentis judicii; ultroneus ipſe in ſe ſententiam tulit, & annulum & ferulam paſtoralem ei, a quo injuſte acceperat, reſignans, Sacerdotum ſpem & metum, quem pro eo gerebant, labore longioris quæſtionis abſolvit, culpam ſuam uno tegens pallio excuſationis, quod juxta decretalia Cæleſtini Papæ: *Epiſcopus dari nollet invitis.*

Videntes autem Sanctiſſimi Sacerdotes magnalia, quæ fecit Dominus, & fideli admiratione retractantes, quam incomprehenſibilia ſint judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus, corde, & ore, & omnimoda devotione benedicunt Deo altiſſimo, qui longos eorum labores tam inopino terminavit compendio, orantes & deprecantes, ut de Regno ſuo eliminet omnem apoſtaſiam, & omnia ſcandala, nec ultra ſatanam, ejusque Apoſtolos in ſua ſancta regnare ſinat Eccleſia, Sed in omnibus Conſiliis & operibus eorum dignetur ſervos ſuos conſolari, & clementer implere, quod Eccleſiæ ſuæ ſe promiſit affuturum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.

Communi autem decreto præcipiunt, quæ in hac Synodo geſta ſunt, Eccleſiaſticis inſeri geſtis, & in Archivis Sanctæ Moguntinæ Eccleſiæ ſervari ad perpetuam memoriam, & eruditionem venturæ poſteritatis, ut hoc majorum exemplo minores inſtructi, non timeant reſiſtere, ſi in hujuſmodi negotio ſe viderint prægravari, certiſſime ſcientes, nullo modo gratiam Spiritus Sancti fidelibus defuturam; ſi in ſanctitate & juſtitia reſtiterint injuſtitiæ uſque ad perſeverantiæ coronam.

Decernunt præterea ex antiqua Patrum traditione, & authentica priſcorum Conciliorum rectitudine, ut hæc omnia Romano Pontifici ſeriatim literis inſerta nuncientur, ut cujus mandato, & hortatu cæpta, & perfecta ſunt, ejus Apoſtolica auctoritate roborata firmentur, & omnipotenti Deo, qui omnium bonorum auctor eſt, Romæ & Moguntiæ, & ubicunque terrarum hæc lecta, vel audita fuerint, debitæ gratiarum actiones fideli devotione ſolvantur.

Acta ſunt autem hæc apud Moguntiam Metropolim Orientalis Franciæ anno ab Incarnatione Domini MLXXI. Indictione VIII. (a) XVIII. Septemb. regnante Sereniſſimo Heinrico Rege hujus nominis IV. anno Regni ejus XIII. ordinationis vero ejusdem XVII. apud Moguntiam vero Præſulante Reverendiſſimo Primate Sigefrido, anno ordinationis ejus XII. ſuper omnia autem Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui non accedit cras futurum, nec recedit heri præteritum, ſed permanet ſempiternum hodie, & in ſæcula ſæculorum Amen.

Gretſerus Operum novæ editionis Tomo VI. pag. 534. & ſeqq. ex pervetuſtis membranis primus edidit.

(a) Anno 1071. currebat Indictio IX. uſque ad Septembrem. A Septemb. Ind. X.

EPISTOLA

SIGIFRIDI, *alias* SIFRIDI,

MOGUNTINI ARCHI-EPISCOPI,

AD ALEXANDRUM II. PAPAM.

SUMMA. Narrat, quanta paſſus ſit ob dilatam conſecrationem Caroli Conſtantienſis Epiſcopi. 2. Quod Concilium celebrari non potuerit ob bellum. 3. Orat, ne Papa Epiſcopum Conſtantienſem abſolvat, vel ordinet, Metropolita præterito.

APoſtolico Sacerdoti, & univerſali Papæ, Sigifridus Moguntinæ Speculator Eccleſiæ debitam, ut Patri, reverentiam, & promptam, ut tanto Paſtori, obedientiam.

Altiſſimus ille deorum Deus, qui cœle-

cœleſtis militiæ ordines ita diſpoſuit, ut alter alteri præemineat, & ad obſequium Conditoris minor dignitas majori pareat; ipſe in Eccleſia ſua ita diſtinxit cœlos ſuos, opera digitorum ſuorum, ut, ſicut ſtella ab ſtella differt in claritate, ita alter alterum præcedat excellentiæ dignitate. Hanc autem graduum & officiorum diverſitatem ita ad unam reducit concordiam unitas charitatis, ita, ut ſicut in ſanctis Angelis, ita & hic non ſit invidia imparis claritatis. Quia ergo idem Altiſſimus vos, mi Reverende Pater! conſtituit in hac arce Prælationis, ut vice illius Magni PETRI ſitis caput totius Eccleſiaſticæ dignitatis, jure ſe vobis omnis inferior ordo ſubmittit, merito omnis membrorum articulata contextio vobis, ut capiti, obedit, juxta quod præcipit vas electionis: *Omnis anima* (a) *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Ad hanc ergo formam, cum vobis exhiberem debitæ ſubjectionis obedientiam; multis ſane injuriis affectus ſum, multa vobis indigna, ut mihi intolerabilia paſſus ſum. Namque mihi Romæ poſito, viva voce, & poſtea Apoſtolica legatione interdixiſtis, ne eum, qui deſignatus eſt in Conſtantienſem Epiſcopum, ullo modo conſecrarem, quia audiſtis elogio Simoniacæ hæreſeos eum eſſe notabilem. In quo, quia vobis obedivi, multa, ut præmiſſum eſt, a Domino meo adverſa ſuſtinui, timeoque me adhuc graviora paſſurum, & Eccleſiæ meæ magnum fore detrimentum, niſi benignus ille PETRUS clave ſua me defendat, & veſtræ auctoritatis poteſtas adverſus Regiam poteſtatem zelo juſtitiæ, me protegendo, ſe accingat.

Accepi autem literas veſtræ Sanctitatis in quibus continebatur, ut ex præcepto veſtro Colonienſem Archi-Epiſcopum invitarem, & convocatis fratribus Concilium celebrarem, in quo ejusdem deſignati Epiſcopi cauſa juxta veritatem diſcuteretur, ut, aut reus criminis, quo inſimulatur, a dignitate rejiceretur, aut innocens canonice conſecraretur. In hoc etiam parui veſtræ auctoritati, invitatis prædicto Archi-Epiſcopo, & fratribus, locum & diem præſcripſi, ſed Concilium celebrandum perturbavit indictio Regiæ poteſtatis, cogens me, & alios Regni Principes, in militiam ſuæ expeditionis. In qua re obſecro, ut Sanctitas veſtra obſequium meum habeat excuſatum, & niſi impedirer, impleſſem præceptum veſtrum.

Præterea relatum eſt nobis, quia Regia legatio eundem deſignatum Epiſcopum ad vos diſcutiendum, conſecrandumque deducat. In qua re, quid æquitatis & juſtitiæ ſit, diſcretionis veſtræ libra recte dijudicet. Rogo autem excellentiam veſtræ Paternitatis, quod, ſi ita verum eſt, ne ipſe hoc a vobis accipiat, quod mihi, qui hoc canonice facere debeo, auctoritas veſtra interdixerat: quia ſi ita fiet; inde magis videbor peccaſſe Principi meo, quod plus odio eum conſecrare noluerim, quam juſta cauſa, vel præcepto veſtro. Si ergo a vobis diſcuſſus, innocens fuerit inventus, remittite eum mihi & fratribus meis conſecrandum; ut, ſicut oportet, a nobis Canonice accipiat oleum conſecrationis. Hoc autem in fronte & in calce noſtra teneat Epiſtola, quod non eſt homo vivens, qui promptior me ſit ad omnia veſtræ juſſionis obſequia. Qui vos prævenit in benedictionibus dulcedinis ponat ſuper caput veſtrum coronam æternæ beatitudinis.

Gretſerus Tomo VI. novæ editionis pag. 537. primus ex vetuſta membrana edidit.

(a) Rom. XI.

SIGIFRIDI, Archi-Episcopi Moguntini, EPISTOLA AD ALEXANDRUM II. PP.

Anno Chriſti MLXXI. Alexandri II. Papæ XI. Henrici IV. regis XVI.

De actis Concilii Moguntini, quæ petit confirmari. In fine auxilium ejusdem contra Thuringos implorat.

Reverendiſſimo Patri, & Sanctiſſimo Primæ Sedis Antiſtiti Alexandro, Sigefridus, Moguntinæ Speculator Eccleſiæ, cum Fratribus & Coepiſcopis ſuis

ſuis debitam, ut ſummo Sacerdoti, ſubjectionem, & ſedulam, ut tanto Patri, devotionem.

Gratias agimus Domino Deo Omnipotenti, qui ad ſalutem animarum elegit Sacerdotium veſtrum, & in Kathedra Petri vobis tradidit claves Regni Cœlorum, quique ſuper hanc Petram ita ædificavit Eccleſiam, ut portæ Inferi non prævaleant adverſus eam. Ad hoc namque opus ea inſtruit & confirmat fides, quam beatum Petrum caro & ſanguis non docuit, ſed Pater de Unigenito ſuo per Spiritum Sanctum ei revelavit: quæ utique fides, ſicut Dominus JESUS pro eo rogavit, numquam deficiet; ſed per beatas ſucceſſiones Apoſtolicorum Præſulum ad confirmandos Fratres uſque in finem proficiet. Hujus itaque fidei ſoliditate fundatus beatus Petrus, Simonem, Donum Spiritus Sancti per impoſitionem manus precio affectantem, & Kathedram Eccleſiæ venalitatis quæſtibus obnoxiam facientem, a ſorte Apoſtolicæ benedictionis excluſit, & perpetuæ maledictionis inexpiabili pœna damnavit. Ex illo uſque in hodiernum diem, ſicut tunc Apoſtolica Petri fides, ita deinde ejus Apoſtolica Sedes diabolum, ejusque Antichriſtos, ejusdem fidei firmitate perdomuit, omnes quoque inferi portas, hæreſiarchas ſcilicet, cum dogmatibus & ſequacibus ſuis, non quidem abſtraxit, ſed penitus deſtruxit. Inde eſt, quod cum nos multis jam diebus expetiſſet Satanas, ut cribraret nos, ſicut triticum, & nos ad veſtrum, cui Chriſtus claves Cœli, & vicem Petri in manus dedit, confugeremus patrocinium, ita veſtra ſumus auctoritate firmati, ut Apoſtolum Sathanæ, qui nos impugnabat, expugnaremus gladio verbi Dei, & cum peſtiferi Simonis virulenta ſatio in Conſtantienſem Eccleſiam, malam extendiſſet radicem, nos ei ad ſuccidendum adhiberemus juſtitiæ falcem. Nam cum Regia poteſtas nos urgeret quendam de execrabili perditiſſimi Simonis, ſchola eidem Eccleſiæ ordinare Epiſcopum, nos vero diceremus, quia ſacris Canonibus omnibus modis cautum eſſet, hoc in noſtrum nos facere non poſſe præjudicium: cumque Rex jugiter inſtaret, nos ſuper hac re conſentire ad nutum præcepti ſui, & nos objiceremus ei, hoc Apoſtolica auctoritate prohiberi; tandem huic ſchiſmati ſopiendo Sanctitas veſtra ſalubre dedit conſilium, præcipiens ſuper hac re Concilium celebrari, in quo idem appoſitus, aut innocens purgaretur, aut reus objectionum rejiceretur. Quantis autem laboribus, quibusve difficultatibus ad ejusdem Concilii celebrationem perventum ſit, quibus vero modis, & quam multiplicibus argumentis, Regia poteſtas, præfinitum Concilii tempus anticipando, ad voluntatem ſuam inflectere, aut omnino illud diſſipare voluerit, non eſt modo referendum per ſingula, quia nec veſtrum debeo fatigare animum divinioribus intentum, & Regali Excellentiæ ducimus aſſurgendum. Vicit tamen Chriſtus in Petro, & Petrus in vobis, & vos in nobis, & collectum eſt Concilium, eo quo fuerat tempore præfinitum, in quo Apoſtolica ſunt functi legatione Reverendiſſimi Sacerdotes Domini Gebehardus Archi-Epiſcopus Juvavienſis, & Uto Archi-Epiſcopus Trevirenſis: aderant & Coepiſcopi & Cooperatores noſtri, nec non & inferiorum ordinum, quam plures magnæ auctoritatis & ſapientiæ viri: omnesq; in unum collecti, unanimiter poſtulabamus Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, ut quia in nomine ejus fueramus congregati, ſe nobis ſecundum promiſſionem ſuam dignaretur exhibere medium. Prima ergo & ſecunda Concilii die, de his qui unicuique fratri in ſua diœceſi obvenenerant, actum & determinatum eſt. Illud autem, quod maxime in cauſa erat, dilationibus protractum eſt, regentibus internunciis aliis quidem, ut ad Regiam voluntatem a propoſiti rigore non inflecteremus: Aliis vero inſtantibus, ut deſignatus iſte propter pondus judicii, & magnitudinem periculi, male affectatum ſponte dimitteret honorem. Tertia vero die, omnes, quotquot aderamus Epiſcopi, invocata in auxilium Divinitate, audivimus Principem noſtrum, viva voce admonentes eum de ſalute animæ ſuæ, quodque Divinam voluntatem ſemper ſuæ debeat voluntati anteponere, neque Regnum ejus ullo modo poſſe firmari, niſi juſticia, & obſervatione mandatorum Dei. Deus autem in cujus manu ſunt corda Regum, & omnia jura

ra Regnorum, ita Principis animum mitigavit, ut ad exhortationem Sacerdotum nihil reſponderet aſperum, nihil Chriſtianæ diſciplinæ adverſum; dixit tamen, ſe id, quod fecerat, ſi poſſet juſte, vellet defendere. Quo ſi minus procederet, nihi ſe Divinæ auctoritati contraire. Ita verbis Sacerdotum delinitus nobiſcum Concilium intravit, & ille, de quo quæſtio erat, ad audientiam venit. Vocati vero intraverunt, & filii Conſtantienſis Eccleſiæ, libellos accuſationis porrigentes, & ſe canonice probaturos ea, quibus pravum inſimulabant, poteſtantes. Multis autem accuſationibus ultro citraque decurſis, quia multis in adverſum nitentibus, res in profundam noctem protracta eſt, Concilium hujus diei infecto adhuc negotio, neceſſario direptum eſt; In craſtinum autem deſignatus ille, Deo, ut credimus, ejus conſcientiam coarctante, non ultra exſpectans audientiam Concilii, nec ſuſtinens pondus imminentis judicii, ipſe in ſe ſententiam tulit, & annulum & ferulam paſtoralem ei, a quo acceperat, reddens, nos longa quæſtione & fatigatione abſolvit hoc tantum prætendens excuſationis, quod juxta Cæleſtini Papæ decretalia, *Epiſcopus dari nollet invitis.* Super his omnibus ergo beneficiis miſericordiæ ſuæ gratias primum agimus Patri miſericordiarum, qui nos humiles ſervos ſuos in tentatione clementer exaudivit, dein Apoſtolicæ Sedi, ejusque Reverentiſſimo Præſuli, a qua Petra profluxit hæc tota perſeverantiæ noſtræ fortitudo, orantes & poſtulantes Dominum Deum noſtrum, ut interventu ſui Petri, hujus Sacratiſſimæ Sedis apicem ſtabili Fide, pace, & in confeſſione ſui nominis ita ſolidare & confirmare dignetur, quatenus univerſalis Eccleſiæ plenitudo, quæ eſt corpus Chriſti, hujus capitis ſanctitate perpetuo proficiat & glorietur. Ratum autem duximus hujus Concilii ordinem, & exitum veſtræ ſignificare Sanctitati, ut cujus auctoritate cœptum & confectum eſt, ejus aſſenſu mereatur roborari. Rogamus etiam Sanctiſſimam paternitatem veſtram, ut ſicut in hoc, ita & in cœteris Eccleſiæ negotiis, nobis dexteram porrigatis, ſcilicet contra rebelles Thuringos, contra quosdam præpotentes & nobiles, adverſus quos, propter conſanguinitatis conjugia, multum laboramus. Occurrunt etiam multa, quæ ſicut ſpecialis filius, & ex antiqua traditione Apoſtolicæ Sedis Legatus, veſtra debeo auctoritate & præcepto terminare, ut dum in omnibus vobis obediens fuero, veſtræ Sanctitati ſicut membrum capiti valeam cohærere. Sanctiſſimum Apoſtolatum veſtrum, Domine Pater, longævum & incolumem Samarites ille cuſtodiat, qui in cuſtodiendo ſuum Iſraël non dormit, neque dormitat.



SYNODUS TULLENSIS DIOECESANA
Anno Chriſti MLXXII. Alexandri II. Papæ XII. Henrici IV. Regis XVII.

Pibo Epiſcopus cum Archi-Diaconis & Primicerio, Abbatiæ S. Apri donat, & confirmat bona ab anteceſſoribus donata.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, omnium quæ ſubſiſtunt æternaliter creatricis atque moderatricis, PIBO, Sanctæ Tullenſis Eccleſiæ humilis Præſul, Divinæ diſpoſitionis gratia. Agitur quotieſcumque animus uniuscujusque, ad bonum velle inſpiratur; maxime ille, qui plus cæteris in hoc mundo aliquid habere cernitur, cum invigilat, ut ex rebus terrenæ dominationis Dei Clementia ſibi propitietur. Nobis tamen, Paſtoribus Eccleſiæ, pia ſollicitudo indicitur, ut grex Dominicus in ea conſtitutus, noſtra providentia paſcatur, & gemina vitæ ſubſtantia ſub temporali amminiſtratione fulciatur. Iccir-

Iccirco univerſis Eccleſiæ noſtræ, cui Deo authore præſidemus, tam præſentibus fidelibus, quam etiam poſt longe ſequentibus, certa ratione manifeſtum eſſe volumus, quod ad locum Sancti Apri devenientes, & victualem Monachorum adminiſtrationem pie conſiderantes, nobis in futuri diſtrictione judicii non modice profuturum eſſe credidimus, ſi ea, quæ ad alimenta fratrum, illic Deo ſervientium pertinent, augeremus; ut per hoc & memoriale noſtrum in eo loco certius conſiſteret, & ſervorum Dei pro adoptione ſalutis noſtræ perpetualiter oratio non ceſſaret.

Hujus itaque rei gratia ducti, noſtrorumque prædeceſſorum provocati exemplo, qui de rebus ad ſe pertinentibus quædam eidem loco pro ſuarum remedio animarum contulerunt, conſilio noſtrorum fidelium, eis donatione firma conceſſimus duo altaria pro noſtræ remedio animæ, noſtrorumque anteceſſorum & ſucceſſorum, hujus Sedis Pontificum: ſcilicet *altare de Bladenaco* ſuper Moſellam ex integro, cujus medietatem hactenus ab antiquo retinebant, ſicut etiam adhuc medietatem retinent Eccleſiæ ejuſdem villæ: & *altare Eccleſiæ de Fain* ultra Moſellam juxta Barrum Caſtrum, ea videlicet lege, qua cætera altaria totius Abbatiæ antiquitus tenuerant: id eſt, ut decedentibus vicariis, quibus tantummodo curam animarum per eorum electionem committimus, ipſi eadem altaria redimere nequaquam compellantur; ſed ſolummodo, ut dictum eſt, ſucciduos vicarios exhibeant, qui de manu noſtra curam animarum ſuſcipiant. Noſtro etiam Pontificali dono tradimus loco & fratribus Sancti Apri, cum laude noſtrorum fidelium, quandam mulierem nomine Peilam, cum duobus filiis ad noſtram poteſtatem dudum pertinentem Gavalonem, ac de noſtro jure ad eorum jus perpetualiter retinendas transfundimus, ut pro noſtræ remedio animæ, noſtrorumque anteceſſorum, atque ſucceſſorum, omnis eorum poſteritas in fratrum prædicti loci ſervitio permaneat.

Confirmamus quoque eidem loco cuncta, quæ in privilegiis noſtrorum anteceſſorum, videlicet Gauzilini, Gerardi, ac beatæ memoriæ Brunonis, in ejuſdem loci armario continentur, & quæ adhuc Dei gratia ſolide retinere videntur. Nec non etiam confirmamus ea, quæ temporibus prædicti venerabilis, idem cœnobium acquiſivit, id eſt, cellam de Danguiliaco, cum omnibus ſuis appenditiis, ſicut in chyrographo felicis memoriæ Walteri Comitis, qui ejuſdem cellæ donum Sancto Apro ob ſuæ remedium animæ contulit.

Quin etiam confirmamus ea, quæ temporibus noſtri anteceſſoris Udonis apud Baini-villam ab Holdierde & filio ejus Odelrico, ſicut in eorum chyrographo continetur, prædictum cœnobium adquiſivit.

Hæc ergo omnia præſenti charta noſtra, Pontificali auctoritate, prælibato monaſterio perpetualiter poſſidenda corroboramus; quatenus ex hac pietate fratres præſentialiter in memoriam reducant, quantum pro bona voluntate Omnipotenti Deo pro nobis inſtanter ſupplicare debeant.

Petimus denique, & obſecrantes deprecamur ſucceſſorum noſtrorum paternam benevolentiam, ut hæc noſtræ largitatis oblatio firma habeat & rata, ſicuti & ipſi quoque ſua decreta conſtituturi ſunt, ſervari perenniter illibata; ſcientes procul dubio, ſe ita pro bona voluntate remunerandos, ſicuti pro temeritate ea, quæ pro animarum remedio inſtituta ſunt, ab auctore mundi gravius puniendos. Ut autem hæc noſtræ traditionis conceſſio in futuris temporibus firmior habeatur, & perpetualiter illæſa conſervetur, manu omnium fidelium noſtrorum ea corroborari fecimus, & auctoritatis noſtræ gratia durare per ſuccedentia tempora decrevimus.

Ego Pibo, gratia Dei Leucorum Epiſcopus, ſignavi.
Sign. Hugonis Primicerii.
Sign. Milonis Virdunenſis Primicerii, & hujus ſedis Archid.
Sign. Lamberti majoris Archid.
Sign. Rudolphi Archid.
Sign. Hugonis majoris Archid.
Sign. Lamberti junioris Archid.
Sign. Albrici Archid.
Sign. Luitulfi Archid.
Sign. Hugonis junioris Archid.

Sign. Theoderici Archid.
Sign. Friderici hujus urbis Comitis.
Sign. Haimonis Comitis, & filii ejus Odelrici.
Sign. Everardi Comitis, & filiorum ejus Gilberti & Henrici.
Sign. Milonis, & fratris ejus Walteri.
Sign. Hugonis, & fratris ejus Warneri.
Sign. Henrici Advocati.
Sign. Domni Widonis Abbatis cœnobii S. Apri.
Sign. Domni Vinbaldi Abbatis cœnobii S. Manſueti.

Data IV. Idus Octobris, in plenaria Synodo, anno ab Incarnatione Domini MLXXII. Indictione decima, regnante Henrico IV. Romanorum Rege, anno Regni ejusdem XVII. Duce Theodorico.

Ego Waltherius Cancellarius, Decanus, & Archidiac. recognovi, & ſubſcripſi, atque ſignavi.

Calmet. Hiſtoriæ Lotharingiæ Tomo IV. Probationum pag. 472. 473. 474.

PRODROMA SYNODI ERPHURDIENSIS

ANNO CHRISTI MLXXIII.

INVITATORIA PAPÆ VEL LEGATORUM.

Sigefridus, Moguntinus Archi-Epiſcopus, Alexandro II. Summo Pontifici. I. Orat Legatos Apoſtolicos mitti ad Synodum Moguntinam Erphordiæ celebrandam contra Thuringios recuſantes ſolutionem Decimarum. II. Significat necem Cunonis deſignati Archiep. Treverici: quæ canonica vindicta latronibus infligenda?

DOmino Beatiſſimo, & vere Apoſtolici culminis honore Reverendo, Sancto Patrum Patri, & Summo Præſulum Præſuli, Alexandro, Sifridus Moguntinæ ſpeculator Eccleſiæ, quicquid Filius Patri, & membrum capiti.

Apoſtolicæ inſtitutionis documento didicimus, Matrem ac radicem virtutum eſſe charitatem, cui quidquid inſeritur boni operis, Chriſto incrementum dante parit fructum æternæ beatitudinis. Hæc in Sanctiſſimo pectore veſtro æternam poſuit ſedem, & in fœcundiſſima cordis veſtri terra altam fixit radicem, de qua, rore cœleſtis gratiæ irrigante, per totam Sanctæ Eccleſiæ aream multiplices ſacræ doctrinæ, & bonorum operum protenduntur rami: quorum fructifera ubertate aluntur, & umbra proteguntur oves, quas paſcendas ſuſcepiſtis, vice illius magni Petri. Hac ergo dictante, nos quoque, qui Sanctiſſimo Apoſtolatu veſtro in fructiferam olivam ſumus inſerti, & ſub clavigera tanti Pontificis manu, in opus miniſterii aſſumpti, nos, inquam, ſemper paternæ dilectionis benevolentia gratanter accepiſtis, & quicquid vel conſulendum, vel corrigendum, ad Apoſtolici veſtri culminis verticem retulimus, veſtræ favendo parti, ut patrem decuit, ad meliora direxiſtis. Unde ſicut oportet Reverentiſſimæ Celſitudini veſtræ multiplices gratiarum actiones, & humile exhibemus inclinium, continuis orationum victimis, Divinam exorantes clementiam, ut ad ſtabilitatem Sanctæ Eccleſiæ ſuæ, longævum & incolumem cuſtodiat Apoſtolatum veſtrum.

Porro ſicut in proximis, quas ad Sanctam Sedem veſtram direximus, litteris, ita nunc quoque humili ſupplicatu veſtram deprecamur Sanctitatem, ut quia corona Regni, & diadema Romani Imperii in manu veſtra eſt per manum Petri; Filii veſtri, Domini mei Heinrici Regis, ſemper in bono meminiſſe dignemini, & ſicut a primitivis Sanctæ Inthronizationis veſtræ exordiis primitias Regni ejus adhuc pueriles, conſilio & auxilio foviſtis & enutriſtis; ita Apoſtolici vigoris conſtantia, uſque ad coronam Imperii cum eo perſiſtatis.

Præterea adhuc antiquam noſtram ſuper rebellibus Thuringiis quæſtionem ad notitiam almæ ſedis veſtræ referimus, ob-

obnixe rogantes, ut armata manu gladio Spiritus Sancti, usque ad expugnationem eorum nobis dexteram feratis auxilii. Suggerimus ergo Sanctitati vestræ, quod Synodum super his post Pascha celebrare decrevimus, ad quam de latere vestro legatos mitti postulamus; qui auctoritate vestra, & ipsi Synodo præsint, & hæc, quæ de Thuringis agimus, canonice terminent, & si qua alia corrigenda occurrerint. Quod si fieri nequit, aliis vos occupantibus negociis; saltim petimus ipsam Synodum nostram, quæ utique & vestra est, Apostolicis Sanctitatis vestræ litteris roborari, quæ etiam rebellibus anathema denuntient, & quæcumque inibi canonice gesta, auctoritate vestra confirment.

Quia vero maxima quæque Ecclesiasticæ disciplinæ negocia, ab ipso Præsulum vertice debent examinari, cujus, ex injuncta omnium Ecclesiarum sollicitudine, speciale privilegium est, quod per nos non possumus corrigere, ad patrocinium Almitatis vestræ referimus, quod etiam jam pridem ad vos pervenisse cognovimus, de crudelissima, & inaudita nece designati Trevirensium Episcopi, (*a*) qui Christianis temporibus nefandissima & sceleratissima Neronianæ & Decianæ persecutionis cruciamenta expertus, horribili, & execrabili pœnarum genere addictus est morti. Ad monstruosæ necis ulcionem, Testamenti sui recordatus, primum assurgat Dominus JEsus Christus: dein vestræ auctoritatis fortissima & patrocinalis manus. Sacris namque Canonum decretis sancitum est, sicubi Episcopus ordinetur, qui vita, vel moribus a tanta discrepet dignitate, vel qui ad tantum ascendat apicem subreptione, non electione; ei audientiam non negari, & hoc etiam præter sententiam Romani Pontificis non debere fieri. In qua re, si se Clerus & populus cujuslibet civitatis seculari potentia viderit prægravari, ad sacram sedis defensionem, habeat confugium, cui, præcipiente Domino, delegatus est Primatus omnium Ecclesiarum. Nunc vero nedum isti, de quo agitur, canonica daretur audientia, nedum vestri examinis exspectaretur sententia, quasi furtiva latrocinantium manu spoliatus, dein gravissima de loco ad locum transportatione afflictus, tandem, ut asseritur, communi illorum consilio, morte turpissima multatus est. Qua de re, quam graviter unanimitas fratrum sit concussa, quam atrociter audax facinorosorum hominum violentia, ad sacri ordinis injuriam sit erecta, vestræ Sanctitatis & prudenter perpendere, & hoc nefarium scelus canonice ulciscendo, ne de cætero tale quid præsumatur, posteris exemplum relinquere. Orat ergo Sanctitatem vestram socialis fratrum nostrorum concordia, & hoc a vestri culminis patrocinio tota implorat Ecclesia; ut tanti sceleris auctores diligentissime perquiratis, inventos districtissime puniatis: qui si forte dissimulando laterent; gladio Spiritus Sancti, velut putrida membra de corpore Christi abscindatis, & ut omnes cæteri Consacerdotes nostri eos perpetuæ maledictionis anathemate feriant, firmissime præcipiatis.

Ex codice Zwetalensi descripsit Cl. Schannatus bonæ memoriæ.

(*a*) Cuno designatus Episc. Treverensis cæsus anno MLXVI. Kal. Junii Gretserus eandem Epistolam ex MS. refert, paulo aliter, licet quoad substantiam conveniat. *Tomo VI. novæ edition. pag.* 539.

SYNODUS ERPHESPHURDENSIS

CORAM HENRICO REGE, ET ARCHI-EPISCOPO SIGEFRIDO MOGUNTINENSI, ET IV. EPISCOPIS.

Anno Christi MLXXIII. Alexandri II. Papæ ultimo. Henrici IV. Regis XVIII.

SUMMA. *Facta nova partitio Decimarum Thuringiæ inter Archi-Episcopum Moguntinum, & Abbates Herveldensem & Fuldensem, magis*

magis ex arbitrio & Imperio Regis, quam ex consensu paciscentium. Interdicta appellatio ad Romanum Tribunal.

VErum ne manifestæ tyrannidis notaretur Henricus, si contra innocentes, atque in Regnum proprium tam barbara crudelitate grassaretur, ut impietatem suam quadam religionis specie palliaret; Archiepiscopum Moguntinum modis omnibus instigavit, ut decimationes Thuringiæ, sicut ante plures annos instituerat, exigeret, pollicens, se ei in exigendo summa ope affuturum, & dicto obtemperare nolentes Regia Majestate coacturum, ea tamen pactione, ut ipsarum decimationum partem sibi, quæ & Regiæ Magnificentiæ, & tanto labore suo digna foret, tribueret. Ita Episcopus, vanissima spe animatus, SYNODUM indixit in ERPHESFURT *VI. Idus Martii.* Statuto die aderat Rex, aderat Archiepiscopus, stipatus uterque magno grege Philosophorum, imo Sophistarum, quos ex diversis locis summo studio conciverant, ut canones sibi non pro rei veritate, sed pro Episcopi voluntate interpretarentur, & causam ejus, quomodo veris non poterant, Sophisticis allegationibus roborarent. Assidebant ergo cum Rege, & Archiepiscopo Moguntino, Herimannus Babenbergensis Episcopus, Hecel Hildenesheymensis Episcopus, Eppo Citicensis Episcopus, Benno Osenbruggensis Episcopus. Qui non ad discutiendam *juxta Ecclesiasticas leges*, causam fuerant evocati; sed ut id, quod Rex volebat, arte dictionis & sententiarum pondere, postremo quaqua possent ratione & consilio obtinerent. Quamquam plerique eorum id, quod Rex moliebatur, vehementissime improbarent: sed ne libere, quod sentiebant, eloquerentur; & Regis terrore, & privata Archi-Episcopi amicitia inhibebantur. Habebat præterea Rex circa se armatorum copias non modicas: quibus eos, si qui forte negotium interturbare conarentur, militari manu coerceret. Thuringorum spes, & fiducia potissimum in Abbate Fuldensi, & Abbate Herveldensi nitebatur, quod hi Ecclesias decimales plurimas, & prædia infinita haberent in Thuringia, & hi, si causa cecidissent, sibi una cadendum esset. Qui publica discussione interpellati pro decimarum redditione, *Primo* per Deum rogabant Archiepiscopum, ut antiquitus tradita Monasteriis suis legitima, rata inconvulsaque manere sineret, quæ & sedes Apostolica & veteribus, & recentibus scriptis crebro sibi firmâsset, II. & præcessores ejus Moguntini Pontifices, Summi, ac Sanctissimi viri usque ad Luidpoldum Episcopum, nunquam infringere tentâssent. Id atroci responso Archiepiscopus repulit, scilicet "Præcessores suos sua ætate, pro suo arbitratu, Ecclesiæ Dei moderatos fuisse, eosque rudibus in fide auditoribus, & pæne adhuc neophytis lac potum dedisse, non escam, & sapienti dispensatione multa indulsisse, quæ processu temporis, dum in fide convaluissent, successorum suorum industria resecari vellent. Se autem jam adulta, vel potius senescente Ecclesia, spiritualia comparare spiritualibus, nec jam parvulis lac, sed perfectis solidum cibum ministrare, atque a filiis Ecclesiæ leges Ecclesiasticas exigere. Proinde esse eis aut ab unitate Ecclesiæ secedendum, aut legibus Ecclesiæ æquanimiter acquiescendum." Tum illi rursus per Deum orare, ut III. si in Romani Pontificis auctoritate, si IV. in Caroli, aliorumque Imperatorum privilegiis, si V. in præcessorum ejus Moguntinorum Pontificum indulgentia, nihil sibi præsidii, aut spei reliquum esset; ipsarum saltem decimarum eam ipse partitionem fieri sineret, quam & canonum scita æquam judicassent, & cæteræ per orbem terrarum Ecclesiæ usitatam haberent, scilicet ut *quarta* parte ipse pro suo, suorumque missorum servitio contentus, *tres reliquas portiones Ecclesiis*, quibus antiquitus attitulatæ fuissent, permitteret. *Contra Episcopus:* Non ea mente se, *ait*, tantum laborem trivisse, & jam per X. ferme annos laboriosum hoc saxum volvere, ut tandem aliquando voti compos effectus, ultro jure suo cederet, & tanto molimine extortas eis decimas ipsis pro libito suo partiendas addiceret.

Primus ac *secundus dies in* hac concertatione

ne jam fluxerat ancipiti adhuc fortuna, utra pars utri cessura foret. Jamque in eo res vertebatur, ut Thuringi, improbata Synodo, sedem Apostolicam appellarent. Sed Rex sub attestatione nominis Divini affirmabat, se in eum, si quis id præsumpsisset, capitali sententia animadversurum, & omnia quæ ejus essent, usque ad internecionem dissipaturum, cladem que ejus diei multis postea sæculis non abolendam. Ita Abbas Herveldensis suorum periculo conterritus, quoniam aliud in arctum conclusis rebus non patebat effugium, rem *consilio Regis* permisit; quatenus prout ipse bonum, & æquum judicaret, causam inter se & Archiepiscopum terminaret. Diu igitur habita deliberatione, in hanc tandem pactionem, mediante Rege, Abbas & Archiepiscopus consenserunt, ut Abbas in decem suis decimalibus Ecclesiis, duas partes decimarum, tertiam Archiepiscopus acciperet. In reliquis vero ejus Ecclesiis dimidia Abbati, dimidia Archiepiscopo contingeret. Ubi vero Ecclesia decimalis propria Archiepiscopi esset, tota illic ei decima cederet. Præterea ut omnes Dominicales Archiepiscopi curtes, in quacunque essent Parochia, penitus decimarum exactione immunes manerent. Sub jugum misso Abbate Herveldensi, statim Thuringi omni spe adempta, eo quod in illius prudentia, & eloquentia plurimum fiduciæ sibi posuissent, non ultra restiterunt, sed decimas in reliquum absque retractatione dare professi sunt. Fuldensis Abbas aliquantis postea diebus obstinatus in proposito perstitit. Sed cum nec Regis gratiam recipere, nec ad sua redeundi licentiam impetrare posset, nisi in communem sententiam concederet; tandem rerum difficultate superatus, ad hanc conditionem non tam consilio, quam imperio & metu Regis coactus est, ut in cunctis decimalibus Ecclesiis suis partem dimidiam decimarum ipse, dimidiam Archi-Episcopus acciperet. Dominicales autem curtes suas, sicut Archi-Episcopus, omnes ab omni decimarum redditione liberas haberet. Tum Rex sciens haud bene placitura Romano Pontifici, quæ gesta fuerant, sub interminatione gratiæ suæ, utrique Abbati præcipit, ut neque per se ipsos, neque per nuncium, neque alio quovis modo pro insimulanda Synodo Apostolicam Sedem interpellarent.

Ex Lamberto Schaffnaburgensi refert Serarius Lib. V. pag. 757. *& seqq.*

Conciliabulum vocat Binius Tomi III. Conciliorum Parte II. pag. 252. *& causa Decimarum, Tyranni vel Latronum more, non consilio, sed armis decisa fuit.*

Anno hoc 1073. 21. Aprilis, hoc est, XI. Kal. Maji, Romæ obiit Alexander II. Papa. Postero die, X. Kal. Maji, quo sepelitur, sive 22. Aprilis Hildebrandus, mœrens & invitus, eligitur Papa, Gregorius VII. dictus. Qui statim a Rege Henrico agnitus, & per Gregorium, Vercellensem Episcopum, Italici Regni Cancellarium, in urbem missum, confirmatus fuit. Observat Pagius, Gregorium VII. ultimum fuisse, cujus electio ante Consecrationem Imperatori significata fuerit, & ordinatio coram Legatis ejus peracta. Ergo hoc Sæculo XI. cessavit mos, transmittendi ad Regem Decreti electionis Pontificiæ. *Pagi ad h. a. in Critica.*

SYNODUS LEODIENSIS
Anno Christi MLXXIV. Gregorii VII. Papæ II. Henrici IV. Regis XIX.

Theodoricus Abbas Sancti Huberti in Synodo Leodiensi coram Episcopo accusatus de exemtione quæsita, excusat se modeste, quod Romam non iverit, nisi orationis causa, & cum licentia Episcopi, nec aliud a Papa obtinuerit, quam confirmationem bonorum, Ecclesiæ S. Huberti donatorum.

ITerum vero (Theodoricus) paratis, quæ in itinere usui forent, cum Hermanno Mettensi Episcopo Romam profectus, veneratis Apostolorum & Marty-

Martyrum ſepulchris ad Gregorium VII. jam poſt Alexandrum præſidentem Romanæ ſedi, venit; a quo, quia ab adoleſcentia maximum familiaritatis obtinuerat locum, & affectuoſe ſuſceptus, & per aliquot dies ſecum remoratus. Qui privilegii libellum, ipſius & præfati Hermanni precibus, Eccleſiæ Sancti Huberti per eum miſit, in quo continebatur Dei, & Beati Petri & ipſius Gregorii auctoritate, horribilis interminatio, ne quis Imperator, aut Rex, aut Epiſcopus, aut Dux, aut Comes, aut alia ulla poteſtas, quicquam de poſſeſſionibus antiquitus, vel noviter acquiſitis, Eccleſiæ S. Huberti auderet tollere, vel ſuo, vel alterius juri mancipare. Quod privilegium Remenſi, vel Trevirenſi Archiepiſcopo, ac Laudunenſi, & Leodienſi Epiſcopo, cujus juris erat ipſa Eccleſia, per eundem Abbatem, cum litteris Apoſtolicis miſit, obſecrans, ut quod utiliter ſupplicanti Abbati pro utilitate ſuæ Eccleſiæ conceſſerat, ipſi ſua adſtipulatione firmarent, & ſua ſubſcriptione corroborarent. Acceptis litteris Apoſtolicis, cœteri conſenſerunt. Solus Leodienſis Antiſtes, Theodwinus, impulſus conſiliis eorum, quibus omnia honeſta atque inhoneſta vendere mos erat, litteras Apoſtolicas repulit: Abbatem, quem pro vitæ merito ante valde dilexerat, turbida indignatione de conſpectu ſuo exire juſſit. Deinde uſus eiſdem conſiliatoribus, *conventum Abbatum & Clericorum* adverſus illum evocavit, eoque ſtatuto in medio, cur Romam ire? Cur Eccleſiam S. Huberti, quæ Leodienſis Epiſcopi eſſet, Apoſtolico juri mancipare? Cur eam S. Mariæ, Sanctoque Lamberto vellet tollere? Poſtremo cur, cum ipſe ſuus Abbas eſſet, nec ejus legatione functus fuiſſet, Epiſtolas a Romana ſede ſibi contrarias afferre præſumſiſſet, requiritur. At ille: Cauſa orationis, reſpondens dixit, mihi fuit Romam, veſtra licentia, ſi recordari placet, ire: Eccleſiam autem Sancti Huberti, neque ſanctæ Mariæ, neque S. Lamberto tollere, neque Apoſtolico juri unquam habui animum mancipare; ſed poſſeſſiones, quas vel primum habebat ipſa Eccleſia, vel quas Deus addidit, ſcilicet, quæ a Duce Godefrido, vel Remenſi, vel Laudunenſi Epiſcopo ad Dei ſervitium ſunt condonata, confirmari feci auctoritate Apoſtolica. Si in hoc peccavi, quia, quod non habebat Eccleſia S. Huberti, illi adjeci, idque, quod ab externis Epiſcopis multo ſudore & labore acquiſivi, ne ulterius perdat, quod providi, videat, & judicet prudentia veſtra, & qui aſſident Concilo veſtro Abbates & ſapientes Clerici: nec, ſi ſit opus, refugio in hoc quoque Sapientum Laicorum uti judicio: Apoſtolicus autem, cum ei me veſtrum Abbatem indicavi, gratiam Apoſtolicæ benedictionis, ſi placet, vobis per me miſit: Epiſtolæ vero ab eo miſſæ; quia non adverſum vos, ſed pro gloria & honore veſtro ſint, ecce (& eas porrigit) poteſt & a ſapientibus judicari. Plura parantem dicere iidem incentores Epiſcopi occupant, loquentis verba impetu clamoſo vocum perturbant, Epiſcopum, libenter & placide aures excuſanti accommodantem, avertunt, quibus impellentibus Antiſtes inde ſurrexit iratus: Abbas autem, remiſſo comparendi in aliud tempus judicio, ad Monaſterium eſt regreſſus.

Ex vita B. Theodorici Abbatis Andaginenſis refert Mabillon. ſæculo VI. Benedictino.

Iterum, vero, atque ſæpius revocatus Abbas, veritate nixus & rationis ope, ſemper receſſit tutus. Poſtremo apud Noyenſe caſtrum revocatus, atque iterum pro cauſa ſua reſpondere juſſus, converſis omnibus, Deo favente, judicio Epiſcopi, & omnium, qui prius maligne contra eum egerant, diſceſſit abſolutus.

Ex eodem Biographo Mabillon. loc. cit.

Annum Synodi verum eſſe, ex eo conjicias, quod Abbas Theodoricus fuerit electus anno 1073. & Theodvinus, Epiſcopus Leodienſis, obierit anno 1075.

Eandem querelam Romam delatam fuiſſe, diſces ex Epiſtola LXI. Libri I. Regeſti Gregorii VII. ſcripta ad Theodvinum Leodienſem. *Hæ notæ ſunt Cl. Schannati.*

GREGO-

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, UDONI TREVIRORUM ARCHI-EPISCOPO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

SUMMA. *Committit ei, & Episcopo Metensi causam, quæ inter Tullensem Episcopum & quendam ejus clericum versabatur. Monet, ut illum tutum reddat, & omnia ablata ei restitui jubeat: tum convocatis Tullensibus Clericis inquirat de moribus Episcopi, de quibus certior vult fieri ante Synodum.*

Admonere te, Frater, ut ea, quæ tibi committimus, fideliter agas ex caritate: ut vero velociter, ex considerata causarum, vel temporum sit competentia & necessitate; quæ quidem utraque in subscripto negotio ita te observare volumus, ut quemadmodum credimus, fidum te & indefessum nobis cooperatorem cognoscamus. Frater iste Tullensis, ut fatetur, Clericus ad nos veniens, conquestus est nobis, quoniam iratus sit ei Dominus suus, videlicet Tullensis, ut dicitur, Episcopus, se exsulem factum, & omnibus rebus suis exspoliatum; supplicans, ut apud Apostolicam pietatem tantarum miseriarum aliquam inveniret consolationem. Nobis vero, cur hoc sibi acciderit, diligenter inquirentibus, retulit, se ab Episcopo quamdam Ecclesiam postulâsse, quæ ad officium custodiæ, quod tenebat, legali constitutione dicitur attinere. Qua de re commotus Episcopus, cum ei non solum hanc denegaret Ecclesiam, sed totum officium per summam interdiceret obedientiam; respondit, se non debere sibi obedientiæ reverentiam; quoniam Archi-Diaconatus, consecrationes Ecclesiarum, & ipsas Ecclesias vendendo, Simoniaca hæresi se commaculâsset; cum muliere quadam in publica fornicatione jaceret, de qua filium genuisset, quamque rumor esset, Sacramento & desponsatione, laicorum more, sibi copulasse; & præterea, quod nonnulli eum ad Episcopatum pactione præmii pervenisse dicerent. His auditis, Episcopus quasi de manifestis culpis pœnitens, & de sua correctione tum cum hoc solo, tum cum cæteris fratribus loquens, tandem manifesta indignatione, & ira super istum inflammatus est. Egressoque ab urbe Episcopo, paulo post milites ejus, utpote non ignorantes voluntatem Domini, huic omnem securitatem abnegavere, & intra claustrum ei minati sunt in faciem. Quos cum insidiari vitæ suæ & honori intelligeret, clam discessit, ut sua absentia temperaret severitatem hujus furoris. Episcopus vero confestim sua omnia diripi & publicari præcepit: & ita iste exsulem se & egenum jam diu fuisse conqueritur. Verum hæc nobis inordinata, & valde iniqua videntur: quoniam, si illa vera sunt, Episcopus, immo Exepiscopus, non hunc, sed conscientiam suam odisse, & persequi debuerat. Sin vero falsa, & utinam falsa, non tamen milites, sed disciplinam Canonum, istum corripere, & flagellare æquum fuerat. Quocirca Fraternitatem tuam Apostolica auctoritate commonitam, & in hac causa suffultam esse volumus: ut convocato & adjuncto tibi dilecto confratre nostro Herimanno, venerabili Episcopo Metensi, Tullensem conveniatis: eumque, ut Clericum istum sine omni periculo vitæ, & securum ab omni contumelia in claustrum suum recipiat: Et officium custodiæ cum Ecclesia, quam postulavit, si juste attinet, cum cæteris omnibus justis pertinentiis, & utilitatibus suis, & præposituram suam, & officium Scholarum, nec non omnia ablata sibi bona, & tam irrationabiliter illata damna restituat, Apostolicis jussionibus commoneatis. Deinde *convocatis Tullensibus Clericis* per veram eos obedientiam, immo sub comminatione anathematis constringite, ut quidquid de introitu, & vita Episcopi sciunt, vobis aperiant: & vos undique explorata veritate, quid nobis inde credendum sit, *in Synodo*, vel ante Synodum, quam *in prima hebdomada Quadragesimæ celebraturi sumus*,

sumus, per litteras vestras notificare nullatenus prætermittite. Quod si Episcopus, ut optamus, innnocens de tot ac tantis criminibus apparuerit, quod Clericus temere peccavit, quoniam ad nostram venit audientiam, qualiter juste corrigatur, Deo aspirante, procurabimus. Si vero Episcopus ea, quæ sibi intenduntur, veraciter removere non poterit, (*a*) nullo modo ferendum est Nobis vel vobis, ut locum pastoris lupus obtineat. Has autem litteras idcirco aperte sigillari præcepimus, ut certiorem vobis auctoritatem traderemus. Datæ Romæ decimo septimo Kalendas Novembris, Indictione decima tertia.

Epistola X. Gregorii VII. Registri Lib. II. apud Binium Concil. Tom. III. Part. II. pag. 284.

Indict. XIII. currebat usque ad Septembrem anno 1075. Indictio XIV. incipiebat a Kal. Septembris: ergo hæc Epistola scripta fuit 1074.

(*a*) Cum Pibo Tullensis Episcopus injuncta sibi a Metropolita Treverico facere omiserit, & Regem Henricum pro sua defensione sollicitaverit, scribit idem Gregorius anno 1076. Indictione XIV. currente eidem Udoni Treverensi Archi-Episcopo, Theoderico Virdunensi, & Herimanno Metensi Suffraganeis, ut Pibonem ad emendationem omnium admoneant. *Epistola XII. Lib. III. Registri Gregorii VII. Apud Binium Concilior. Tomo III. Parte II. pag.* 310.

SYNODUS RATISBONÆ

Anno Christi MLXXV. Gregorii VII. Papæ III. Henrici IV. regis XX.

SUMMA. *Bennoni Osnabrugensi restituuntur decimæ a Monasteriis Corbeiensi & Herveldensi detentæ.*

Tempore Ludovici Imperatoris, COBBO Comes Diœcesis bona distraxerat, (a) *eo quod Goswinus Episcopus, ad declinandas in Diœcesi sævientes turbas, Fuldæ, ubi professus erat, moraretur, sicque Diœcesis conservationi non intenderet. Erat autem ea tempestate, post ablatæ decimationis tempora, ejusdem decimationis rehabendæ commodissima ratio, imprimis videlicet omnium Ecclesiarum, vel Episcoporum, sua omnium potestative possidere, vel disponere debere, libera facultas & consuetudo communis: tum etiam quod ipse Episcopus pro Regis fidelitate, omnibus & amplissimis divitiis dimissis, ad eum nudus & profugus venisset, quam utique Rege digna munificentia remunerari oporteret: dehinc alios Regi fideliores futuros, si hujus devotioni digna fuisset præmiorum recompensata largitione, ejusque voluntaria paupertas, cui nunc Rex tantis necessitatibus præpeditus, pleniter subvenire non potuit, spe aliqua futuræ abundantiæ recreari exspectaret. Deinde qui eam haberent, essent hostes publici, & omnimoda a Rege, pro suæ perfidiæ meritis, calumnia & clade plectendi: & quicquid ex eadem decimatione, emolumenti & utilitatis acciperent, Regiæ esset procul dubio Majestatis minutio, hostiumque pervicaciæ & turpissimæ desertionis munitio. Si itaque Regiis impensis armandi essent hostes, non sufficere utique Regi donativa, unde suos in hostes armaret. Postremo, quia jam Rex pro peccatis suis in tantis miseriis a Deo derelictus esse videretur, omnibus eum jam viribus niti oporteret; ut juste judicando reconciliari posset supernæ justitiæ, quam plurimis iniquitatibus, & secularium maxime justitiarum neglectu omni pene vitæ suæ tempore offendisset. His itaque, aliisque perplurimis, & idoneis assertionibus Regi tandem constat esse persuasum, ut rem Episcoporum, aliorumque Christi-fidelium judicio permitteret, eorum diffinitivæ sententiæ se submitteret, licet majores sui multo jam tempore Episcopalium & Abbatialium Ecclesiarum investituram usurpâssent.*

Commu-

(*a*) Vide Tom. II. Concilium Moguntinum anni 848. De restitutione facienda Ecclesiæ Osnabruggensi pag. 164.
Schatenus Tom. I. Annal. Paderbornens. ad annum 1077. refert restitutionem Ecclesiæ Osnabrugensi ab Henrico IV. imperatam.

COmmuni itaque ſententia *concluſum Ratisbonæ*, Eccleſiam Osnabrugenſem ſpoliatam, publice reſtituendam. Igitur Rex Heinricus decimationem ſuam Osnabrugenſi Eccleſiæ, ſuoque Epiſcopo Bennoni præſenti, omnium, qui aderant, conſilio, judicio, & conſenſu, recognovit & reddidit, & in æternum omnis conditionis exceptione ſepoſita, immobiliter ſemper, & fixe poſſidere donavit, nec jam Abbati Corbejenſi, vel Herfordienſi Abbatiſſæ, ullam deinceps querimoniam ſuper hac re fore reſiduam, ſed utraque monaſteria illa, ſua ſe facultate ſuſtentarent & prædiis. Osnabrugenſis autem Eccleſia decimationem ſuam cæterarum jure & conſuetudine Eccleſiarum liberrima ſemper poſſeſſione teneret. Quod ut firmius, & ab omni ſemper poſſet manere impiorum præſumptione ſtabiliter; Rex hujus rei ſeriem continenter aureis litteris, ipſe tamen manu propria manum inſigens, chartulam juſſit conſcribi, Regio inſignitam ſigillo, in cujus videlicet negotii teſtamentum perpes, & memoriam ſempiternam, quod cyrographum in Osnabrugenſi Eccleſia cura tanto diligentiore ſervatur, quantum contra omnes irruptiones & tentationes inconvulſus ſemper & firmiſſimus murus haberetur.

Norbertus in vita Bennonis Epiſc. Osnabrugenſis apud Eckhart. Tomo II. Script. Germaniæ pag. 2175.

Erdmannus in Chronico Osnabruggenſi: Hic Reverendus Pater Henrico III. ſemper fidelis, Papæ tamen nunquam infidelis fuit; imo a Papa Gregorio VII. Patavienſi Epiſcopo Altmanno fuit commendatus pro terminanda lite ſuæ Eccleſiæ Osnabrugenſis contra Corbejenſem Abbatem. *Epiſtolam* vide *in Hundii Salisburgenſi Metropoli in additionibus ad Epiſcopatum Patavienſem.*

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, ANNONI COLONIENSI ARCHI-EPISCOPO SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

SUMMA. Monet, ut cauſam inter (a) *Oſſenburgenſem Epiſcopum, & Corbeienſem Abbatem, & quamdam Abbatiſſam ab Apoſtolicis Legatis ei commiſſam definiat. Quod ſi perficere non poſſit, commoneat eos ad Synodum venire. Præterea clericis caſtitatem ſervandam inculcet.*

UT diligentia tua, diligentiſſime Frater! reminiſci poteſt, Legati noſtri Ubertus Præneſtinus, & Giraldus Oſtienſis Epiſcopi ad partes veſtras deſtinati, litem, quæ inter Bennonem Oſenburgenſem Epiſcopum, & Wernherum Corbeienſem Abbatem, ac quamdam Abbatiſſam verſabatur, ad ſe ut dirimeretur delatam, tuæ venerandæ ſolertiæ juſte diffiniendam commiſerunt. Verum neſcio, qua obſtante cauſa adhuc indiscuſſa remanere nobis perhibetur. Quapropter caritatem tuam, frater cariſſime! iterum duximus adhortandam, ut præfatum negotium diligenter audias, & legitime diffinias. Ceterum ſi aliqua ratio, qua hoc perficere nequeas, obſtiterit, his ſibi litteris oſtenſis, nos ad Synodum in prima proximæ Quadrageſimæ hebdomada agendam adire commoneas; quatenus controverſia inter eos diu protracta, omni occaſione propulſa, Canonicum finem accipiat. Præterea ſollicitudinem tuam ex parte beati Petri, communis Patris & Domini, inſtanter admonemus; ut non ſolum in Eccleſiæ tuæ Diœceſi, ſed etiam in omnibus Suffraganeorum tuorum Parochiis, Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos admonitionibus tuis caſte vivere

(*a*) *al.* Osnabrugenſem. Benno II, *aliis* Bernardus, fuit decimus octavus Epiſcopus Osnabrugenſis, anno 1069. Kal. Januarii conſecratus ab Annone Metropolita ſuo Colonienſi, cooperantibus Friderico Monaſterienſi ex Marchionibus Misnenſibus, & Eilberto Mindenſi. *Erdmann. in Chronico Osnabrugenſi.*

re facias: quoniam, ut fraternitas tua novit, cæteræ virtutes apud Deum ſine caſtitate nihil valent, ſicut nec ſine cæteris virtutibus caſtitas. In hoc igitur diligens & ſollicitus ſtudeas, quatenus, ſicut in aliis virtutibus tuis, tibi Petrum Apoſtolum debitorem facias. Data Romæ decimo quarto Kalendas Decembris, Indictione decima tertia.

Epiſtola XXV. Libri II. Regiſtri Gregorii VII. apud Binium Tomo III. Concilior. Part. II. pag. 288.

In multis Synodis agitata fuit hæc cauſa decimarum Eccleſiæ Osnabrugenſi reſtituendarum. In Synodo Moguntina anni 848. Tomo II. pag. 154; Ingelheimenſi anno 972. Tomo II. pag. 654; demum in Concilio Ratisponenſi anno 1075. Bennoni Osnabrugenſi iterum hæ decimæ adjudicantur.



GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, (*a*) LEMARO BREMENSI ARCHI-EPISCOPO.

SUMMA. *Invehitur in eum, quod Legatos Apoſtolicæ Sedis Concilium, ſicut ipſe juſſerat, celebrare prohibuerit, quodque ab eisdem Romam vocatus, venire contempſerit: quare ſuſpendit eum ab officio, quousque Romam ad Synodum accedat.*

QUia ſuſcepti beneficii, quo te ſancta Romana Eccleſia voluit honeſtare, te immemorem, potius ingratum cognovimus, oblitum etiam promiſſionem, canonicamque obligationem, qua ſanctæ Romanæ Eccleſiæ te fidelem, te diligere, eique ex corde obedire canonice obligaſti; non immerito ſuper te dolendo movemur; non ſine cauſa tibi, quem fidelem filium credebamus, iraſcimur. Heu inverſi mores, & tempora immutata! Quem murum inexpugnabilem pro ſancta Romana Eccleſia, cui licet indigni præſidemus, putabamus; quem ſcutum fidei, quem gladium Chriſti ſumere debere, ſi oporteret, tum officio tuo, tum prædicto debito pro ſancta Romana Eccleſia, pro nobis etiam noſtrisque ſucceſſoribus credebamus; jam eum noſtrumque inimicum, noſtrumque oppugnatorem invenimus: tuas injurias (*b*) a te turpiſſimam & inauditam repulſam licet injuſte patimur. Legatis quippe noſtris, (*c*) Alberto Præneſtinenſi, & Giraldo Oſtienſi Epiſcopis, quos ad partes illas ad id deſtinavimus, ut in unum Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, religioſisque Clericis convocatis, vice & auctoritate noſtra fulti, quæ corrigenda eſſent corrigerent, quæ *religioni addenda*, adderent, pro viribus impediſti. Adhæc, ut & Concilium fieret, prohibuiſti. Ab eisdem etiam Romam vocatus, ad inſtitutum terminum, feſtivitatem ſcilicet ſancti Andreæ, non veniſti. Ad hæc igitur, & quam plura etiam alia corrigenda, ad proximam *Synodum, quæ proximæ Quadrageſimæ prima hebdomada* celebrabitur, Deo annuente, Apoſtolica auctoritate, tibi venire præcipimus, & invitamus. Prædictis etiam delictis nobis perſuadentibus, ab omni Epiſcopali officio prædicta auctoritate, donec ad nos venias, te ſuſpendimus. Data Romæ, ſecundo (*d*) Idus Decembris, Indictione decima tertia.

Epiſtola XXVIII. Libri II. Regiſtri Gregorii VII.

Apud Binium Concil. Tomo III. Parte II. pag. 288.

GREGO-

(*a*) *alias Liemaro, ut apud Lambertum anno* 1073. *& alibi.* *Liemarus*, aliis *Leimarus*, ab anno 1072, quo Albertus obiit, ſedit in ſede Bremenſi annis XXX, cui Papa Alexander II. Pallium miſit.

(*b*) *forte*: atque. [*c*] *forte*: Huberto.

(*d*) *forte*: Nonas.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, HENRICO REGI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

SUMMA. Lætatur, quod Legatos Apostolicos benigne exceperit, & sibi devotæ servitutis obsequium præstiterit, & det operam, ut in Regno suo Simonia & fornicatio Clericorum exstirpetur. Monet, fidos ac prudentes consiliarios sibi adsciscat; Mediolanensi Ecclesiæ jus suum restituat, & Episcopos vocatos ad Synodum venire curet, quibuscum Legatum mittat.

QUamquam, fili cariſſime; cauſam Mediolanenſis Eccleſiæ non ita compoſueris, quemadmodum litterarum ad nos miſſarum ſeries pollicitatioque continebat; tamen, quia legatis noſtris te benevolum tractabilemque præbuiſti, eorumque interventu quasdam res Eccleſiaſticas laudabiliter correxiſti, nobis quoque per eos congruæ ſalutationis, & devotæ ſervitutis exhibitionem transmiſiſti, gratanter accepimus. Sed & illud, quod piæ memoriæ Agnes mater tua Imperatrix Auguſta apud nos conſtanter teſtificata eſt, iidemque legati Epiſcopi atteſtati ſunt; ſimoniacam ſcilicet hæreſim funditus de Regno tuo exſtirpare, & inveteratum morbum fornicationis Clericorum toto anniſu corrigere velle, vehementer nos hilaravit. Filiæ quoque noſtræ, fideliſſimæ veſtræ, Beatrix Comitiſſa, & filia ejus Mathildis, non modice nos lætificavere, ſcribentes nobis de amicitia, & ſincera dilectione veſtra: quod libentiſſime accepimus. Quarum conſilio, ſed & perſuaſu dilectiſſimæ veſtræ Auguſtæ, ad hoc inducti ſumus, ut has vobis litteras ſcriberemus. Quamobrem, licet peccator, memoriam tui inter miſſarum ſolemnia ſuper corpora Apoſtolorum, & habui, & habebo: ſuppliciter obſecrans, ut Deus omnipotens, & hæc tibi bona ſtabiliat, & ad profectum Eccleſiæ ſuæ ampliora concedat. Moneo autem te, fili excellentiſſime, & ſincera caritate exhortor, ut in his rebus tales tibi conſiliarios adhibeas, qui non tua, ſed te diligant, & ſaluti tuæ, non lucro ſuo, conſulant. Quibus ſi obtemperaveris, Dominum Deum, cujus cauſam tibi ſuggerunt, protectorem, propitiumque habebis. Porro de cauſa Mediolanenſi, ſi viros religioſos & prudentes ad nos miſeris, quorum ratione & auctoritate clareſcat, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ bis Synodali judicio firmatum, poſſe aut debere mutari decretum; juſtis eorum conſiliis non gravabimur acquieſcere; & animum ad rectiora inclinare. Sin autem impoſſibile eſſe conſtiterit, rogabo & obſecrabo ſublimitatem tuam, ut pro amore Dei, & reverentia Sancti Petri, eidem Eccleſiæ ſuum jus libere reſtituas; & tunc demum Regiam poteſtatem (a) recte obtinere cognoſcas, ſi Regi Regum Chriſto ad reſtaurationem, defenſionemque Eccleſiarum ſuarum faciendam, dominationis tuæ altitudinem inclinas, & verba ipſius dicentis cum tremore recogitas: *Ego diligentes* (b) *me diligo, & honorificantes me honorifico: Qui* (c) *autem me contemnunt, erunt ignobiles.* Præterea noverit ſublimitatis tuæ dignatio, nos Sigefredo Moguntino Archiepiſcopo litteras miſiſſe, evocantes eum ad Synodum, quam, Deo auctore, proximæ quadrageſimæ prima hebdomada celebraturi ſumus. Quod ſi venire non poſſe patuerit, tales mittat legatos, qui vicem ejus Concilio repræſentent. Similiter Bambergenſem, Stratzburgenſem, Spirenſem, adeſſe præcipimus, introitus ſui, & vitæ rationem poſituros. Qui ſi forte, ut eſt hominum protervia, venire diſtulerint, Regiæ tuæ poteſtatis impulſu petimus, ut venire cogantur; cum quibus volumus a latere tuo legatos tales transmitti, qui nos fideliter doceant, & de ingreſſu &

[a] *forte:* recte te. (b) Proverb. VIII. (c) I. Reg. II, 30.

& de vita eorum : quorum relatione, cognita veritate, ad liquidum certius poſſimus de indubitatis proferre judicium.

Data Romæ ſeptimo Idus Decembris, indictione decima tertia.

Epiſtola XXX. Lib. II. Regiſtri Gregorii VII.
Apud Binium Tomo III. Concilior. Part. II. pag. 289.

CONVENTUS NUREMBERGENSIS

REGIS HENRICI IV, ET QUINQUE LEGATORUM PONTIFICIORUM.

§. I. Regi pœnitenti de Simoniacis collationibus abſolutio promiſſa.

§. II. Legatis petentibus indictionem Synodi in Gallia, ubi Clerici Germanici Simoniæ punirentur, denegatum: Moguntinus & Bremenſis ſe eſſe Legatos Papæ profeſſi ſunt. Liemarus Bremenſis poſtea ſuſpenſus fuit a Gregorio VII.

REX celebrata in Babenberga Paſchali ſolemnitate Nurenberg perrexit obviam Legatis Apoſtolicæ Sedis. Erant autem hi, mater ejus Imperatrix, Epiſcopus Oſtienſis, Epiſcopus Præneſtinus, Epiſcopus Curienſis, Epiſcopus Comenſis, Miſſi a Romano Pontifice, componere, ſi poſſent, multo jam tempore vacillantem ſtatum Galliarum. Nec tamen cum Rege ſermonem communicare, ſæpius rogati, conſenſerunt, donec ſecundum Eccleſiaſticas leges pœnitentiam profeſſus, per judicium eorum anathemate abſolveretur, pro eo, quod propter venditas Eccleſiaſticas dignitates *Simoniacæ hæreſeos inſimulatus fuiſſet apud Sedem Apoſtolicam.* Quod ad hanc partem pertinet, eum pœnitentem abſolutum fuiſſe, ejusdem Gregorii litteræ poſtea ad eum datæ, & aliæ ad Matrem ejus ſcriptæ, ſignificant, inferius recitandæ. *Quæ præterea per eosdem Legatos tunc ſint geſta ex Bertoldo ſic accipe.*

Itaque, inquit, petierunt verbis Romani Pontificis ipſi Legati, ut Synodum tenere *intra Galliam* pace Epiſcoporum ſinerentur. Vehementer hoc abnuerunt omnes Epiſcopi, tamquam inuſitatum, longeque a ſuis rationibus alienum. Nec ſe hujus auctoritatis privilegium ulli alii, præterquam ipſi Romano Pontifici unquam delaturos, affirmabant. Siquidem intenderat Romanus Pontifex, ut omnes Epiſcopos & Abbates, qui ſacros gradus pretio redemiſſent, diſcuſſione habita, deponeret; jamque hac de cauſa Babenbergenſem Epiſcopum, & alios nonnullos ab omni Divino officio *ſuſpenderat*, donec coram venientes inuſtum ſibi crimen hæreſeos digna ſatisfactione purgarent. Et Rex quidem cupide hoc volebat, odio Wormatienſis Epiſcopi, & quorundam aliorum, qui eum bello Saxonico offenderant, quos hac calumnia involvendos, & dignitatis ſuæ detrimenta paſſuros ſpe certiſſima præſumpſerat. Sed quia per Legatos res tanta poſſe confici deſperabatur: conſulto in audientiam ipſius Romani Pontificis delata eſt. *Hucuſque de hac Legatione Lambertus. Qui autem res geſtas Papæ Gregorii proſecutus eſt, Petrus Bibliothecarius, de eadem hac agens Legatione, hæc addit :*

Re-
1074. hoc tempore Legati Sedis Apoſtolicæ, Agnes Mater Regis Henrici, Gerardus Epiſcopus Oſtienſis, Ubertus Epiſcopus Palæſtrinæ, Rinaldus Epiſcopus Comenſis, Henricus Epiſcopus Curienſis, in Alemanniam venere pro ipſius Regis moribus corrigendis. In quorum manibus ſe Rex ipſe, ſub correctionis ſponſione commiſit, ſuumque auxilium Domino Apoſtolico ad deponendos Simoniacos firmiſſime promiſit. Ipſi etiam Regis Conſiliarii omnes res Eccleſiarum, injuſte acquiſitas, ſe reddituros coram ejusdem Legatis ſub Sacramento promiſere: quippe qui easdem res a Simoniacis emerint, conſilio ſuo indignos ad Eccleſiaſticum honorem adjuvando. His itaque diſpoſitis, Legati Sedis Apoſtolicæ redierunt. *Bertoldus Conſtantienſ.*

Receptis igitur affectuose Legatis Episcopis, & digno cum honore tractatis; cum dies plurimos Rex de sua emendatione sanctæ commonitionis verba mansuete & pacifice audivit: quinque nobiles viros suos familiares, ab Alexandro Papa excommunicatos, vix a consortio & societate sua removit. SYNODUM vero in ratione ipsa celebrare Legatis nequaquam permisit, allegans Liemarus, Bremensis Archi-Episcopus, vices Romani Pontificis sibi, sicut & Moguntino Archi-Episcopo in Germania, antiquis privilegiis esse concessas.

An Vicariatus Apostolicus Moguntini & Bremensis exspiraverit morte primi Papæ concedentis.

Cui Legati Sedis Apostolicæ de Legationis officio responderunt. Venerabilis Frater, certum tibi esse debet, quod neque auctoritas canonica, neque mos Ecclesiasticus est, ut ultra obitum ejus, qui dederat, Romani Pontificis auctoritas protendatur. Hæc idcirco, quod tam Bremensis, quam Moguntinus, se etiam esse Legatos jactarent Sedis Apostolicæ, accepto privilegio ab ejusdem Gregorii Papæ prædecessoribus: *Pergit vero*

Præterea sicut in *primi Leonis Papæ quodam Capitulo* legitur: Pontifex Romanus vices suas ita committit; ut qui accipiunt, in partem sollicitudinis sint vocati, non in plenitudinem potestatis. Sed ut ad finem hujus contentionis breviter veniamus: Synodus hac sagacitate est deturbata, Bremensis vero pro inobedientia & rebellione ab officio sacerdotali est *suspensus*, (*b*) & Legati a Rege amplis muneribus honorati, cum ejus gratia, & benigno responso incolumes ad urbem Romanam redierunt.

Bertoldus Constantiensis ad annum 1074. *Illmus Baronius ad annum* 1070. *Ex Lamberto Schaffnaburgensi, & Petro Gregorii VII. Bibliothecario hæc adnotavit de gestis in Conventu Norimbergensi.*

(*b*) Literæ suspensionis Liemari Bremensis, a Gregorio VII. scriptas, refert *Baronius ad hunc annum No IV.*

CONCILIUM PATAVIENSE

SUB ALTMANNO EPISCOPO.

Anno Christi MLXXIV. Gregorii VII. Papæ II. Henrici IV. Regis XIX.

SUMMA. Promulgantur Decreta Synodi Romanæ de continentia Clericorum & vitanda Simonia: Oppositio violenta Cleri.

SEd promotor, ut dixi, ante alios fuit Altmannus, qui, *ut author vitæ refert*, collecto undique fratrum Concilio, in ipso Ecclesiæ Pataviensis gremio Epistolas, ab Apostolico missas, coram omnibus recitari præcepit, canonica jura proposuit, consecratos viros ab uxoribus abstinere censuit. Qui graviter dolentes se assueta relinquere, & insuetis colla submittere, responderunt: *Se nec velle, nec posse hanc consuetudinem deserere*, quam ab antiquis temporibus constaret, eos sub omnibus antecessoribus Episcopis habuisse. Quibus ipse respondit: *Nec se velle, nec posse eis consentire ad hoc flagitium.* Sed cum ei nulla ratione assensum præberent, magis autem pravo consilio de interitu ejus tractarent; ut sapiens medicus interim conticuit, & secretum consilium cum sapientibus super hac re habuit. Adveniente autem *Festo S. Stephani*, cum plurimi convenirent primates & populi, fortis præliator Christi, accensus zelo Dei, tota arma justitiæ convertit in ipsam arcem iniquitatis, & fortiter aggressus est debellare impugnatores castitatis. Nam coram omni frequentia Cleri, & populi ascendit in ambonem, & publice recitavit Apostolicæ Epistolæ tenorem, gravi interminationis authoritate

ritate interdicens Canonicis & Presbyteris conjugia secundum canonum, & Apostolica instituta. Qui omnes unanimiter furore repleti, jam tunc in præsentiarum Dei famulum furibundis manibus discerpsissent; nisi Divinum auxilium, & optimatum præsentium præsidium furentibus obstitisset. *Hæc ille*: *quæ facta omnino videntur eodem Anno* 1074. *Festo S. Stephani*, *ut dictum.*

Inter seditiosos præcipuus fuit Egilbertus, Præpositus majoris Ecclesiæ, & Scholasticus, qui Episcopo decretum pronuntianti, ausu temerario in faciem restitit (*ita memorant gesta Trevirensia*) Dicebat is, Imperatori licere, nec idcirco Ecclesiæ consortium amittere, si non spiritualia, sed regalia sua gratis, pretiove, cui voluerit, impendat. Multis itaque sermonibus pro hujusmodi ad invicem collatis, cum vidisset eum Episcopus incorrigibiliter Simoniacæ parti, & nihil Ecclesiasticæ assentire; jussit eum a communione Ecclesiæ alienum existere, usque dum universali Papæ præsentatus, unitati Ecclesiæ per ipsum meruerit sociari. Proinde cum diutius hæsitasset, demum voluntas ei Romam proficiscendi incidit. &c.

Hansiz. Tomo I. Germaniæ sacræ.
Ex Biographo S. Altmanni, *& gestis Treverensibus apud Gretserum Tomo VI. operum novæ edition. p.* 451. 452.

Ab hoc tempore Pataviensis Diœceseos vastatio per Henricum IV. Altmanni exilium, iter in Saxoniam, Romam, fere septennio. Intrusio novi Episcopi schismatici Thyemonis. Quæ Hansizius loco citato fuse describit.

SYNODUS TULLENSIS

ANNO CHRISTI MLXXIV. GREGORII VII. PAPÆ II. HENRICI IV. REGIS XIX.

SAncti Apri Tullensi Monasterio cum præesset Wido Abbas, exorta est inter eum & Odelricum militem controversia de portione prædii Paini-villæ, quod idem miles cum matre sua Holdierde, cellæ ejusdem loci ad subsidium fratrum inibi Deo servientium, contulerat tempore Widrici Abbatis, ejusdem Widonis antecessoris. Eidem militi hujus loci mansionile ad vitam concesserat Widricus, ea lege, si hæres illi ex legitima uxore præveniret, ei relinqueretur: Si vero non esset, ipse quidem illud vitæ suæ tempore ad usum fructum possideret. Postea vero idem miles rem datam denuo invasit, fratrésque ejusdem loci cum eorum familia non modicis injuriis affecit. Id cum animadverteret Pibo Episcopus, qui visitationis causa ad eandem cellam diverterat, hanc litem diremit, & donationem factam prædictæ cellæ vindicavit, ut ex ejus authentica carta discimus. *Acta Tulli publice in plenaria Synodo, V. Idus Octobris; anno ab Incarnatione Domini MLXXIV.* Indict. XIII. a Septembri inchoata, *regnante Henrico IV. Romanorum Rege, anno Regni ejus XVIII. Duce Theodorico.* Huic carta affixum erat Sigillum Pibonis Episcopi, & apposita signa cum ejus, tum Hugonis Primicerii, aliorumque Canonicorum, in his etiam *Hugonis Cardinalis sanctæ Romanæ sedis.*

Mabillon. Annales Benedictini.

EPISTOLA GREGORII VII. PAPÆ

AD DIETWINUM EPISCOPUM LEODIENSEM.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, (*a*) LEODICENSI EPISCOPO SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Reprehendit eum tamquam Simoniacum, monetque, ut resipiscat: fornicationem e clero extirpet, & a contumeliis, Abbati de sancto Huber.

(*a*) *Leodiensi*) qui Dietuuinus, & Theoduuinus, dicebatur, ut apud Lambertum.

Huberto, inferendis abstineat, utque Ecclesiam quandam in sua Diœcesi, vel per se, vel per Metensem Episcopum consecret, eique suorum peccatorum absolutionem impartitur.

JAm multo tempore audivimus, & multorum relatione comperimus, te per plura in Episcopatu adversus instituta Sanctorum Patrum fecisse, videlicet in venditionibus Ecclesiasticarum dignitatum, & Canonicarum Præbendarum. Unde tibi multum condolemus, & satis obstupescimus, cum tantum honorem gratis susceperis, & cum prudentes & religiosos viros inveneris, honores Ecclesiasticos gratis non erogaveris, sed declinasti ab exemplo tui antecessoris, introductione novæ consuetudinis. Ratione igitur justitiæ his de causis sententia in te esset animadvertenda: Sed parcimus propter senilem ætatem, & quia charissimus frater noster, Hermannus, Metensis Episcopus, tuæ Ecclesiæ filius, te multum apud nos excusavit, imputans aliis, quæcunque super his male disposueris, quorum consilio usus fueris. Commonemus ergo te Apostolica auctoritate, ut quid egeris, attendas, & judicium, ad quod properas, expavescas, & amplius desistas ab hujusmodi transgressionibus; & in quibuscunque poteris, studeas corrigere, immutando, quæ egeris. Præcipimus etiam, ut admoneas, & coerceas quoscunque sacri ordinis ministros, caste vivere, & concubinas omnino derelinquere, & extermina nefas secundum Patrum traditionem, quod temporibus modernis inolevit ex taciturnitate Pastorum; ne cum male operantibus propter silentium damneris, & ipsi æternæ mortis incurrant periculum. Compertum est nobis, te contumelias, quorundam consilio intulisse Abbati de S. Huberto, propter privilegium, quod a nobis suscepit. Sed excusamus eum, quod contra detrimentum, & honorem Ecclesiæ tuæ nihil fecerit. Unde te monemus, & rogamus, ut permittas eum in pace, & in omni tranquillitate. In Diœcesi etiam tua Manucensis Comitis Ecclesiam, quam adhuc consecrare distulisti, rogamus, ut consecres. Si vero ex debilitate corporis id agere nequiveris, committe hanc obedientiam Charissimo Filio nostro Metensi Episcopo. Quod si non acquieveris, justam & rationabilem causam, quare dimiseris, rescribas. Et quia in extremo videris positus, fraterna compassione ducti, auctoritate B. Petri Apostolorum Principis absolvimus te a peccatis tuis, & Dominum pro te exoramus, ut interventu Beatorum Apostolorum inter electos æternum merearis consortium. Data Romæ 10. Kalend. April. Indict. 13.

Lib. II. Regesti S. Gregorii VII. Epistola LXI. apud Binium Part. II. T. III. Concilior.

Laudatissimæ memoriæ Episcopum Theodwinum Fullonius, Fisen, & Chapeauville, cæterique Historiographi Ecclesiæ Leodiensis testantur, & mirantur, quo accusatore calumnia de Simonia, de qua hic scribitur, ad aures Papæ pervenerit. Cæterum ipsus Pontifex, excusare conatur optimum Antistitem, & discordiæ inter Abbatem Hubertinum & Episcopum conciliandæ viam aperit.

EPISTOLA
SIGEFRIDI, ARCHI-EPISC. MOGUNTINI, AD SUFFRAGANEOS, ET PROVINCIÆ SUÆ ABBATES.

Encyclica de decreto Synodi Romanæ, de continentia Clericorum.

SIGEFRIDUS MOGUNTINUS ARCHI-EPISCOPUS, EPISCOPIS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS IN PROVINCIA SUA CONSTITUTIS, SALUTEM IN EO, SINE QUO SALUS ESSE NON POTEST.

PLacuit Domino Papæ, ut mitteret quosdam de Curia pro reformando Ecclesiarum statu, & maxime manifesta cohabitatione mulierum Clericis pro-

prohibenda. Illi autem diligenter executi, quod eis injunctum fuerat, quibusdam per suspensionem, aliis per excommunicationem præceperunt, ut concubinas dimitterent, & ulterius non admitterent; sed parum in aliquibus profecerunt.

Nos igitur videntes, quod occasione hujus mandati facti sunt plurimi transgressores, scandalumque, quod exinde ortum est, & infamiam Clericorum, quæ secuta est; significavimus Domino Papæ. Unde ipse nobis dedit in mandatis, ut, quia multitudo est in causa, propter quam detrahendum est severitati, talibus misericorditer consulamus.

Inde est, quod mandamus vobis, qui subditos habetis, ut, quemcunque inveneritis (a) cautilatam habentem conscientiam, eo quod tali vitio laboraverit, & concubinas a se non removerit; eum ad nostram præsentiam transmittatis, ne indigne accedens ad Altare Dei, judicium sibi manducet, & bibat. Interdicimus enim, sicut nobis injunctum est, cum tali, auctoritate Apostolica dispensare.

Ex veteri codice MS. Bibliothecæ Metropolitanæ Moguntinæ descripsit Cl. Schannatus, b. m.

(a) *forte:* cauteriatam.

CONCILIUM PASSAVIENSE

ANNO CHRISTI MLXXV. GREGORII VII. PAPÆ III. HENRICI IV. REGIS XX.

SUMMA. *Literæ Synodi Romanæ de continentia Clericorum prælegguntur & commendantur.*

FUit eo tempore per universum fere Regnum Teutonicum grave scandalum, & communis querela de incontinentia Sacerdotum. Neque enim occulta latebat, sed *frons* (a) *meretricis facta erat eis*, & erubescere erubescant. Delata est res ad aures Romani Pontificis, visumque, ut *decretalibus Epistolis* tantam enormitatem argueret, & prohiberet. *Annuunt*, & *congratulantur Episcopi*: Et pro posse, salutaribus mandatis cooperantur. Quam ob rem B. ALTMANNUS collecto fratrum *Concilio*, *in Pataviensi Sede*, literas super hac re ad se directas recitari jubet, obsecrans & exhortans, ne gravis judicetur pudicitia, quæ speciali apud Deum remuneratur corona. Quæ, cum omnis fidelis animæ insignis sit ornatus, eos tamen permaxime debet adornare, qui sanctam, & immaculatam hostiam corporis & sanguinis Christi, pro universis nobis, Divinæ offerre debent Majestati. Quid plura? Pluribus verbis bonus Pater, & prudens Doctor, tantæ virtutis, & tam amplectendæ puritatis suadet amorem; sed, non persuadet. Tuentur se illi antiquitate temporum, & auctoritate antecessorum suorum, quorum neminem in hujusmodi severum tulerunt, & violentum. Respondet servus Christi, se quoque ab his velle quiescere, Si mandatum Domini Papæ indulgeat. Nunc autem timere se sibi; timere illis, pro eo, quod scriptum est; *Non* (b) *solum eos*, *qui faciunt*, *sed &*, *qui consentiunt facientibus*, *dignos esse morte*; Nihil ergo proficiens, solvit consessum.

Gretserus Tomo VI. novæ editionis p. 451. *ex Biographo S. Altmanni.*

[a] Epistolam & Concilium Romanum refert *Baronius.*
(b) Roman. I.

GREGO-

GREGORIUS EPISCOPUS,
SERVUS SERVORUM DEI, ANNONI COLONIENSI ARCHI-EPISCOPO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

SUMMA. Ut habito suorum Episcoporum Concilio decreta Apostolicæ Sedis de castitate Clericorum promulget, & servanda curet. Exponit quoque se in Synodo contra Simoniacos statuta confirmasse.

Constat Ecclesiam Coloniensem inter cæteras Regni Teutonici Ecclesias sanctæ & Apostolicæ Sedi, cui, Deo auctore, deservimus, ita fide & dilectione atque obsequiis ab annis prioribus esse devinctam, ut singulari familiaritate, & gratia caritatis apud eam tamquam apud matrem dulcissima filia præpolleat. Quem benevolentiæ laudabilis usum ab antecessoribus nostris ad nos usque deductum, non solum observare sed etiam ampliare, augmentare pro rerum opportunitate & temporum modis omnibus sum paratus. Hinc etiam, carissime frater; de obedientia tui securior fiducialius adhortor & moneo atque communis Domini beati Petri auctoritate præcipio, ut ad castitatem Clericorum prædicandam atque inculcandam, *juxta patrum decreta, & auctoritatem canonum*, cum suffraganeis tuis omnibus studiosius accingaris, ut sponsæ Christi, quæ maculam nescit aut rugam, candidatæ & immaculatæ familiæ gratiosum exhibeatur officium. Novit enim fraternitas tua, quia præcepta hæc non de nostro sensu exsculpimus, *sed antiquorum Patrum sanctiones* Spiritu Sancto prædicante prolatas, officii nostri necessitate in medium propalamus: Ne pigri servi subeamus periculum, si dominicam pecuniam, quæ cum fenore reposcitur, sub silentio abscondamus. Quamquam huic sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper licuit, semperque licebit, contra noviter increscentes excessus nova quoque decreta atque remedia procurare: Quæ rationis & auctoritatis edita judicio, nulli hominum sit fas ut irrita refutare. Urget nos etiam timor illius maledicti, quod per Salomonem depromitur, *usque* (a) *ad id quod in superiore Epistola ait*: Obedientia ergo est, sine qua licet fidelis quisque videatur, infidelis esse convincitur. Sed ut ea, quæ dilectioni tuæ injungimus compendiosius efficaciusque prosequaris cum fratribus, & Coepiscopis tuis *Concilium* (b) cogere suademus: In quo quam maximo poteris Clericorum cœtu congregato, leges canonicas, & Sedis Apostolicæ auctoritatem, tuamque & confratrum omnium patenter promulgabis; quanta castitatis sit virtus, quamque Ecclesiasticis gradibus necessaria, seu quam sponsi virginis & virginis sponsæ cubiculariis sit competens, ut Deo donante nosti, latius expones. Subinde firmiter pronuntiabis, non ulterius sibi licere, quod in perniciem sui hactenus usurparunt; cum tolerabilius omnino sit cessare ab officio, quam incestam vel etiam molestam suo Salvatori ingerere servitutem; & inde sibi iram coacervare atque supplicium, unde præmium debuit emereri. Quod si te fideliter hæc, & firmiter exequentem tribulatio ac persecutio invenerit, respice ad eum, qui dixit: *Confidite* (c) *ego vici mundum.* Nos quoque clypeo beati Petri munitos indubitanter noveris, seu ad repellendos hostes, si possumus, seu ad protegendum te, omni hora paratissimos inveniri. Illud quoque fraternitati tuæ notum esse volumus, contra Simoniacam hæresim in Synodo confirmasse (nam a sanctis Patribus longe ante statutum est) ac vehementer prohibuisse, ut neque Ecclesiæ ullatenus vendantur, aut pro manus impositione pretium accipiatur. Quod si hoc

(a) Gregorius Libro 35. Moral. cap. 10.
(b) Infirmitates & mors S. Annonis hoc anno insecutæ videntur Concilium Coloniense petitum impedivisse. Sed Morckensius censet strenue ab S. Annone Pontificio præcepto paritum fuisse, & Concilium Coloniæ coactum: etsi Biographi non meminerint.
[c] Joannis XVI, 33.

ſi hoc modo ordinatus aliquis fuerit, eum a Miſſæ celebratione, & Evangelii lectione omnimodis removemus, &, ut hæc diligenter obſervetis, enixius admonemus. Data Romæ, quarto Kalendas Aprilis, Indictione decima tertia.

Epiſtola LXVII. Lib. II. Regiſtri Gregorii VII. Apud Binium Tomo III. Concil. Part. II. pag. 300.

LATROCINALE CONCILIABULUM
WORMATIENSE MENSE MARTIO,
Anno Chriſti MLXXVI. Gregorii VII. Papæ IV. Henrici IV. Regis XXI.

EOdem anno in menſe Martio Henricus Concilium XXIV. Epiſcoporum, compluriumque Abbatum, & Clericorum, atque Principum celebrari fecit in Wormatia, in quo Rege ipſo Henrico præſente pene omnes Epiſcopi Teuthonici *præter Saxones*, Gregorium, non ſanctum Dei Vicarium, ſed Anti-Chriſtum; non Petri ſucceſſorem, ſed invaſorem ſacroſanctæ ſedis nimis temere blaſphemantes, inter quos multi ex ignorantia, ac ſiniſtre informat, ab æmulis juſtitiæ in ejus damnationem conſentientes vel ſponte, vel invite ſubſcripſerunt.

Interea ſupervenit quidam e Roma Cardinalis propter ſua ſcelera & improbos mores per S. Papam Gregorium VII. a Cardinea dignitate per ſententiam dejectus, nomine & cognomine *Hugo Blancus*, homo perjurus, iniquus, & minarum & crudelitate plenus, nihil magis appetens, quam vindicare ſuam a Cardinalatu dejectionem; deferens ſecum de vita & inſtitutione Papæ Gregorii *ſcenicis figmentis tragœdiam conſimilem*; videlicet unde oriundus? qualiter a juventute converſatus? quibus dolis & artibus malis ſedem invaſerit Apoſtolicam? quæ ante Pontificatum, & quæ poſtea commiſerit horrenda, & incredibilia penitus flagitia? Natum ex fornicatione, necromanticis ab ineunte ætate ſtudiis operam dediſſe, ac Dœmonum patrocinio ſedem obtinuiſſe Petri, Commentator fabulæ ſanctum virum perverſa delatione mendaciſſime compoſuit. Hujus viri Apoſtatæ præſentiam, & auctoritatem omnes, qui cum Rege ſenſerant, quaſi divinitus ſibi Paracletum miſſum, & deſtinatum, cum magna veneratione ſuſceperunt, cunctis, quæ contra S. Pontificem mendaciter produxit in medium, indubitatam fidem adhibentes. Quocirca ſententiam promulgarunt, Hildebrandum Papam eſſe nec poſſe, nec debere, nec ullam poteſtatem ligandi, vel ſolvendi penitus habere, qui tantis vitam probris & criminibus commaculâſſet. Itaque depoſitionis ab omni Pontificatûs ejus officio ſententiam fulminantes, ſcripto commendarunt, & quatenus univerſi præſentes in Concilio Epiſcopi ſubſcriberent, decreverunt. Cumque omnes ad complacendum Regi Heinrico damnationi Gregorii Papæ nihil cunctati ſubſcriberent.

ADALBERO HERBIPOLENSIS Epiſcopus, & HERMANNUS METENSIS Epiſcopus, aliquamdiu fortiter coram omnibus reſtiterunt, auctoritatem ſacrorum Canonum allegantes: qui dicunt *Epiſcopum ſine audientia ſynodali non debere, nec poſſe deponi.* Tandem vero poſt longam concertationem WILHELMUS Trajectenſis Epiſcopus, qui Papæ Gregorii nimio laborabat odio, & partes ſchiſmatici Regis ultra condignum tuebatur, ſuis comminationibus duorum recte ſentientium conſtantiam vincens, ut cum aliis ſubſcriberent, effecit. Nomine itaque totius *Concilii* præſcriptæ *literæ* Romam diriguntur ad Papam, injuriis, probris, & contumeliis plenæ, in quibus illum denuntiant a ſummo Pontificatu auctoritate totius Concilii depoſitum, in quarum fine ita concludebant: "Quia ergo introitus tuus tantis " perjuriis eſt initiatus, & Eccleſia Dei " tam gravi tempeſtate per abuſionem novi-

" novitatum tuarum periclitatur, & vitam conversationemque tam multiplici infamia dehonestati, obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cætero ullam servaturos esse, renunciamus. Et quia nemo nostrum, ut tu publice declamabas, tibi hactenus fuit Episcopus: tu quoque nulli nostrum eris Apostolicus." Cum has Papa Gregorius litteras sibi Romam destinatas, recepisset, nihil motus, Episcoporum & Cleri Synodum convocans, eas publice coram omnibus legi præcepit, mirantibus cunctis, & nimium indignantibus temeritatem Præsulum Teuthonicorum, qui sanctum sane ac innocentem Papam tantis contumeliis temerare præsumpsissent.

Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ult. editionis ad 1076.

Lambertus Schaffnaburg. ad 1076. *feria II. secundæ hebdomadæ in Quadrag. quem Trithemius descripsit.*

Sigebertus in Chronographia ad 1077.

Muratorii Annales Italiæ ad 1076. *Dominica Septuagesimæ, Indict. XIV.*

EXITUS CONCILIABULI WORMATIENSIS.

Ex nomine omnium, qui convenerant Wormatiam, Episcoporum, & Abbatum, plenæ contumeliarum literæ Romam destinantur per Rolandum, Clericum Remensem... Legati summo conatu iter accelerantes, pridie, quam Synodus indicta celebraretur, Romam ingressi literas tradunt. *Ita Lambertus Schaffnaburgensis pag.* 404. *edit. Struvianæ.* Sed *Paulus Bernriedensis in vita Gregorii VII. pag.* 144. *edit. ult. Gretseri Tomo VI. rectius sic.* Statuerunt Wormatiæ, ut non ante literæ darentur, & verba, quam Synodus, quæ congregata in Romana Ecclesia fuerat, plenius hoc audire posset, quod etiam factum est.

Nam & Papa Synodum faciente, quidam Parmensis Clericus Domni Apostolici ad injuriam, cum eisdem literis præsentare se non abhorruit, & easdem blasphemias in facie totius Ecclesiæ & Conventus proferre, non formidavit.

Postquam finito hymno, facturus sermones exhortationis omnibus Papa consederat; Legatus Wormatiensis sic Papam alloquitur: " Dominus meus Rex, & Episcopi omnes Ultramontani, & Italici præcipiendo mandant, ut invasam sedem B. Petri, & Romanam Ecclesiam, amodo dimittas. Non est enim dignum, sine præcepto illorum & Imperiali dono tantum honorem scandere." Et conversus, Clero Romano dixit: " Vobis dicitur, Fratres, ut ad futuram Pentecostes solemnitatem Regio conspectui vos repræsentetis, suscepturi de manibus Regis Papam, & Patrem; quia hic non Papa, sed lupus esse dignoscitur rapax.

Ad cujus verba mox Joannes, Portuensis Episcopus, morum honestate & Religione vir præclarus, facto impetu surgens, immensa voce clamavit: *Capiatur.* Tunc præfatus facto impetu cum judicibus, militibus, & Romanis nobilibus, tantum impostorem in ipsa Ecclesia Salvatoris Lateranensi, evaginatis gladiis interimere voluit, & fecisset, nisi Pius Pater toto corpore se super eum projecisset, omnibus de ejus morte clamantibus.

Hoc facto Papa Gregorius vitam impudentissimo bipedi salvavit, & pulcherrima oratione facti sui rationem ex Evangelio reddidit.

Submoto e Synodo Rolando, Papa sciscitatus est mentem Patrum Synodi de Wormatiensi Epistola. Omnes contra blasphemiam Henrici & Fautorum vindictam postulârunt, Sedis Apostolicæ tutelam. Rursum omnibus acclamantibus, definitum est, ut Rex honore Regio (*a*) privaretur, & anathematis vinculo tam Rex, quam omnes ei assentanei sui colligarentur. Tum demum Papa pronuntiavit sententiam.

Paulus Bernriedensis apud Gretserum Tomo VI. pag. 144. *& seqq.*

Bruno de Bello Saxonico Fol. 123. 124. *apud Freherum Tomo I. Scriptor. German.*

Author vitæ S. Anselmi Lucensis pag. 471. *ex editione Gretseri Tomo VI.*

Binius Tomo IV. Concilior. Parte II. pag. 396. 397. *& judicat in tertio Concilio Romano sub Gregorio VII. has literas Wormatiensis Conciliabuli præsentatas fuisse; anno* 1076. *Idem judicat Lupus Tomo VI. Operum pag.* 49.

CON-

[a] Non in hoc tertio Romano Concilio Henricum IV. Regem degradatum fuisse, sed excommunicatum duntaxat fuisse censet *Christianus Lupus operum Tomo VI. pag.* 49. 50.

CONVENTUS ULMENSIS

ANNO CHRISTI MLXXVI. GREGORII VII. PAPÆ IV. HENRICI IV. REGIS XXI.

Episcopi & Proceres, Catholico Papæ adhærentes, statuunt diem Conventus habendi Triburiæ XVII. Kal. Novembr. pro pace Ecclesiastica restituenda, missis Encyclicis ad omnes Principes Sueviæ, Bajoariæ, Saxoniæ, Lotharingiæ, Franciæ.

INterea Rudolfus Dux Suevorum, Welf Dux Bojoariorum, Bertholdus Dux Carentinorum, Adelbero Episcopus Wirtzburgensis, Adelbertus Episcopus Wormatiensis, & alii, quos Reipublicæ calamitas movebat, in loco, qui dicitur Ulma, conventu habito, statuerunt; ut omnes, quicunque Reipublicæ consultum vellent, XVII. Kalendas Novembris Triburiam convenirent, & variis cladibus, quibus per multos jam annos *Pax Ecclesiastica* turbabatur, tandem aliquando malorum pertæsi finem facerent. Hoc *Sueviæ*, hoc *Bojariæ*, hoc *Saxoniæ*, hoc *Lotharingiæ*, hoc *Franciæ* Teutonicæ Principibus denuntiarunt, universosque in commune per Deum obtestabantur, ut omni excusatione relegata, cuncta privatæ rei solicitudine posthabita, hanc singuli communibus commodis vel extremam operam dependerent.

Lambertus Schaffnaburgensis ad h. annum.

CONVENTUS TRIBURIENSIS

ANNO CHRISTI MLXXVI. GREGORII VII. PAPÆ IV. HENRICI IV. REGIS XXI.

Novem Archi-Episcopi, Abbates & Proceres reconciliantur Romano Pontifici, Rex Henricus cedere se velle simulans, sub quatuor conditionibus Rex habendus decernitur. Subscribuntur conditiones a Legatis & Episcopis. Tullensis & Spirensis Episcopi Romam tendunt.

STatuta, die, juxta condictum, Principes Sueviæ, & Saxoniæ Triburiam convenerunt, obstinatis mentibus, ad submovendum a negotiis Regni Regem Henricum, & alium creandum. Aderant una legati Apostolicæ Sedis, *Sigehardus Patriarcha Aquilejensis*, & *Altmannus Episcopus*, vir Apostolicæ conversationis, & magnarum in Christo virtutum, cui Papa vices suas in dispositione Ecclesiasticarum causarum delegaverat: & laici nonnulli, qui nec Principi, nec privato cuiquam, qui Henrico Regi dicto vel facto aliquatenus post excommunicationem communicasset, communicare volebant, donec publice professus pœnitentiam, per Altmannum, Vicarium Romani Pontificis, anathemate absolveretur. *Hæc Lambertus, cui consentanea narrat Bertholdus Constantiensis, cujus fragmentum manu scriptum habet Hansizius, multo locupletius exemplaribus vulgatis.*

Illuc, nempe Triburiam, Sedis Apostolicæ Legati literis huic causæ congruis allatis advenerant, in quibus etiam nunc Pataviensi Episcopo, vice sua Apostolicâ Papa jam dudum concessâ, imposuit; ut omnes, præter Regem solum, ad satisfactionem, dignamque pœnitentiam digne venientes, canonice reconciliaret, illos videlicet, qui deinceps in parte S. Petri stare voluissent. Ex quibus Moguntinus Archiepiscopus cum sua militia, Trevirensis, Argentinus, Virdunensis, Leodiensis, Monasteriensis, Trajectensis electus, Spirensis, Basile-

Basileensis, Constantiensis autem ultimo: Episcopi scilicet hi, & Abbates plures, nec non majorum, & minorum, non modica turba ibidem reconciliati sunt, & in communionem recepti. Diebus decem, (*Lambertus habet*: septem) in hujusmodi studiis transactis, cum Rex (qui Oppenhemii trans Rhenum ex adverso Triburiæ cum copiis sedebat) videret & audiret, tot & tantos Apostolicæ dignitati humiliter cessisse, eosque Regem alium pro se constituendum deliberasse; & ipse quanquam nolens & invitus, & præ dolore hoc ferre ultra spiritum non habens, cessisse se vix simulavit. *Hæc & alia Bertholdus, qui & leges Henrico tunc impositas recitat, cujusmodi etiam apud Lambertum & alios legere est:* Summa erat, 1. Ut se judicio Pontificis, ad Purificationem S. Mariæ anno proximo ad Augustam urbem venturi, subjiceret: 2. Interim Spiræ privatus degeret; 3. Si intra diem anniversarium excommunicationis, sua culpa non absolvatur, Regno cadat, sine spe recuperandi; 4. Idque Sacramento a Primatibus firmatum. Quod Sacramentum primus fecit Patriarcha, & in literas redactum apud se reposuit. Idem fecit Pataviensis Episcopus, Romanæ Sedis Legatus; & post hos omnes, qui aderant, Episcopi, Duces, Comites, cæterique majores. Ita colloquium circa Kalendas Novembres finitum est. Tullensis autem Episcopus, *ut scribit laudatus Bertholdus*, nec non pariter Nemetensis, mox cum aliis, quibus hoc per obedientiam a Pataviensi Episcopo impositum est, Romam pervenientes, Papæ se reos cum sanctificatione, & obedientia debita dederant. *Hæc Bertoldus in MS.*

SYNODUS TULLENSIS

ANNO CHRISTI MLXXVI. GREGORII VII. PAPÆ IV. HENRICI IV. REGIS XXI.

Pibo, Episcopus Tullensis, Ecclesiam Beatæ Mariæ a Sophia Comitissa extructam, a se dedicatam, cum variis bonis & immunitatibus, olim synodaliter laudatis, confirmat in Synodo Tullensi.

IN Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Utile summopere & necessarium est Rectoribus Ecclesiarum, gestarum rerum dispositiones ad notitiam posterorum litterarum memoriæ firmissime commendare. Innotescat igitur universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis & fratribus, quoniam ego Pibo, gratia Dei Tullensis Episcopus, precibus & gratia Comitissæ Sophyæ, dilectæ filiæ nostræ, quamdam Ecclesiam in honore Beatæ Mariæ, quam ipsa a fundamento construxerat, consecravi. Sed quia Parrochiani Asmantiæ priscis temporibus subjecti ad Domnum-Martinum fuerant, sicut & aliarum circumjacentium villarum, scilicet de Layo, de Oemunt, de Blanzeyo, & de Sechamp: Et nunc & illi de Asmantia, & de prædictis villis, omnes certis ex causis a tali subjectione remoti erant; consilio nobilium suorum rogavit nos prædicta Comitissa Sophya, ut quid juris, qui Ecclesiæ Beatæ Mariæ deservirent, habuissent, vel habituri essent, vel quibus ex causis Parochiani de Asmantia a subjectione Domni-Martini remoti essent, ne aliqua contentio vel controversia in posterum oriretur, scripto mandaremus.

Noverit igitur omnis, Ecclesiam B. Mariæ cum sua capella de castro, ita liberam a Dominis & Principibus castri taliter constitutam fuisse, quod nec censum, nec respectum aliquem Ecclesiæ Tullensi debeat. Ita ut tamen, quod Clericus a Comitissa, vel successoribus ejus, de præbenda Beatæ Mariæ investitus, Tullum veniet, & a sede nostra curam animarum suscipiet, & pro Christianitate conservanda fidelitatem faciet. Quibus enim ex causis Parochiani de Asmantia a subjectione Domni-Martini remoti sint, sicut ab ipsa Comitissa, vel fidelibus ejus, didicimus, fideliter scribimus, Theo-

Theodericus Dux, Comitiſſæ avus, qui jure hæreditario Comiti Folmaro in Aſmantia ſucceſſit, mediam partem decimarum Eccleſiæ Domni-Martini hoc pacto dedit & conceſſit, ut Presbyter de Domno-Martino in ſabbato ſanctæ Paſchæ oleum & chriſma Capellano beatæ Mariæ daret, & *in omnibus Synodis, & Conciliis* per omnia, & pro ipſa decima ipſum Capellanum excuſatum haberet. Prædeceſſor etenim meus bonæ memoriæ Bertholdus Epiſcopus, ad memoriam priſtinæ ſubjectionis duas oblationes ad Domnum-Martinum quoquo anno ferendas inſtituit; & quia illi de Aſmantia duri & feroces ſemper extiterant, ita ut Archidiaconus vel Decanus aliquis oppidum eorum tam cauſa minime auderet intrare; hoc ſimiliter idem Epiſcopus conſtituit, ut ad Domnum-Martinum *ad Synodum vocarentur & irent.* Præterea muneribus & precibus ipſius Theoderici Ducis interpellatus, laude & aſſenſu Berengarii, illius Caſtri Archidiaconi, & conceſſione ſui capituli, *in plena Synodo conſtituit*, & in poſterum tenendum cenſuit, ut nullam ſubjectionem vel redibitionem, vel exactionem aliquam Eccleſia Domni-Martini ab Eccleſia beatæ Mariæ; vel a Parochianis ejus exquireret, vel haberet amplius. Igitur Comitiſſa Sophya Eccleſiam beatæ Mariæ, a nobis, ut prædiximus, dedicatam, quam ipſa novam de veteri reddiderat, ſatis plenarie diligens, duos manſos inibi a priſco tempore datos pro eleemoſyna ut Eccleſia poſſideret, libenter conceſſit, & in augmento eleemoſynæ item alios duos manſos, cum duabus ancillis, & uno ſervo, eo tenore, quo ipſa tenebat, laude filii ſui Comitis Theoderici; dedit ad altare Beatæ Mariæ, dedit & omnes decimas groſſas, & minutas de caſtro & oppido, ſcilicet de omnibus dominicaturis, de cenſalibus, de arigalibus, de ſtyrpalibus. Nos itaque pro honore Dei Genitricis Mariæ tale donum laudamus & confirmamus, libertatem & Eccleſiæ in præſentia noſtra teſtimonio multorum nobilium & ignobilium recognitam, & laudatam recognoſcimus, & laudamus, & impreſſione Sigilli noſtri in perpetuum conſervandam ſub anathemate confirmamus. Signum Pibonis Epiſcopi. Sgn. Alberici Abb. ſancti Manſueti. Sign. Richardi Abb. ſancti Apri. Sign. Hugonis Primicerii. Sign. Riquini Archidiaconi. Sign. Stephani Archidiaconi. Sign. Dodonis Decani. Sign. Theoderici Archidiaconi, & Cancellarii. Sign. Ibini Scabini. Sign. Theoderici Comitis. Sign. Rainardi Comitis. Sign. Wirici de Belrain. Sign. Wirici de Danubre. Sign. Walteri & Arnulfi fratrum.

Acta ſunt hæc Tulli in majore Eccleſia anno ab Incarnatione Domini MLXXVI. Indict. XIV. Ordinationis vero noſtræ X. Imperante Henrico IV. regnante per ſæcula Domino JESU Chriſto feliciter. Amen.

Calmet. Tom. IV. Probationum Hiſtor. Lotharing. pag. 475. 476.

SYNODUS COLONIENSIS

Anno Chriſti MLXXVII. Gregorii VII. Papæ V. Henrici IV. Regis XXII.

Summa. De prædio Cloteno reſtituto Monaſterio Brauweilerenſi.

OCCASIO SYNODI.

Tunc Dominus Papa Hildebrandus, qui & Gregorius ex auctoritate B. Petri Apoſtoli, per Epiſtolas ſuas denuntiat Domino HIDOLFO, *ne ſub ſpecie pietatis, defenſor exiſtens impietatis, Brunvilerenſi Eccleſiæ violenter ablatum, diutius patiatur irrevocatum, Non eget*, (a) inquiens, *O Fili, Deus offerri quicquam ex injuſtitia ſibi, quia*, ut legimus, *ſic* ei fiunt victimæ (*b*) ex rapina,

(*a*) Fragmentum hoc Epiſtolæ Gregorianæ non ſupereſſe in Regiſtris S. Gregorii VII. obſervat *Schannatus.*

(*b*) Hidolfus impar genere & moribus Anteceſſori ſuo Annoni 1075. 11. Non. Decembris defuncto ſucceſſit. Sedit Coloniæ ab 1076. ad 30. Auguſti 1079.

pina, quomodo si mactet quis filium in patris præsentia. *Patratorem quidem multorum bonorum agnovimus fratrem nostrum ANNONEM Archi-Episcopum, sed tamen in hac parte minime defendendus est, non errâsse, dum quod Beato Nicolao præripuit, Sanctæ Genitrici Dei gratum holocaustum æstimavit. Dicente Domino per Prophetam:* Quia ego Dominus (*c*) diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto, *nec fas est a fidelibus credi; matrem discrepare a voluntate filii, dum id prorsus constet utrisque proprium, atque commune, eadem velle, & eadem nolle; at tu, ne defendendo injustitiam videaris offendere Deum, tolle de medio, quod, alias licet bonus, hic male consultus commisit Episcopus Anno: ne & illius detrimentum sit coronæ, & tibi occasio culpæ.*

Hujusmodi paternis admonitionibus a Sedis Apostolicæ auctoritate susceptis, prædicti Pontificis Hidolphi magis in furorem versus est animus, quam ad justitiam vel misericordiam provocatus. Denique *convocat Ecclesiæ Coloniensis Primores,* se diffamatum & accusatum per virum Dei conquerens apud Apostolicum. Tunc Vir mitissimus, (*d*) his humiliter renitens objectionibus, " Proferatur, *inquit*, o Domine! in medium, si placet, " accusationis testimonium, si nequeo " me excusare, de quibus criminor a te, " tunc demum digne convincar, offensam meruisse. " Episcopus itaque Domni Apostolici Epistolam tenens præ manibus, legendam tradit in publico, æstimans per ejus relationem cunctos in servi Dei armari contradictionem. Qua recitata, plures assensere, nil actum dignum offensione. Quidam vero Bezelinus, domûs Ecclesiæ Cathedralis B. Petri Apostoli *Custos*, cum aliis, quibus erat animus rem potius perturbare, quam ex æquo determinare, cum aliud non invenirent, quod obtenderent, *non absque suo consultu Papam super hac re asserunt licuisse expetere.*

Dum facili responsione hanc Domini famulus objectionem quivisset refellere, Episcopi magis furentis odio, quam justo judicio, injuriatur, calumniatur, conviciis quoque & contumeliis secus, quam pati dignum fuerat tantæ reverentiæ virum, attrectato, postremo etiam terribilibus Sacramentis, pastoralis curæ baculum adempturum minatur. Tunc Vir beatus, in injuriis patientissimus, virtute constantiæ roboratus, timore nudus, adversariorum conatibus respondit intrepidus (nesciebat quippe mens justi pavere, quæ nulla torquebatur conscientia culpæ) " Divina nos comitante " clementia, non hic hodie præjudicium " veremur incurrere, puram gerentes " conscientiam, totius prorsus criminationis innoxiam." Hic sermo videtur completus, ubi dicitur: *ut Leo confidere justus.* Dum hæc & his similia vir Deo plenus efficacissime loqueretur, oris gratiam, mentisque constantiam omnes æmuli mirabantur, & veluti nox quædam & tenebræ mentibus eorum infusæ, quid agerent, quo se verterent, dubii nutabant, dolentes, se casso consumtos labore, non invenientes, qua parte eum caperent in opere & sermone.

In his perturbationum, angustiarumque pressuris, ex Primoribus præcipue favebant beato viro, Bertulfus vir probus, Ecclesiæ B. Andreæ Apostoli Præpositus, & quidam Wigmannus de Heversbach, vir militaris & nobilis, sed & eloquentia insignis. Hi duo medium habentes eum, ut olim cœlitus directi Machabæum, pro defensione justitiæ non sunt reveriti injustitiam oppugnare, adeo, ut nec minis, nec terroribus concuti, nec a proposito aliquo possent munere frangi.

Instabant igitur viriliter ex Apostolica auctoritate, precantes judicium Ecclesiæ Brunwilerensi fieri, juxta Mandatum & Legationem Apostolici. Quorum vocibus & instantia non mediocriter exacerbatus Episcopns, cum gravi indignatione inquit: *Habitote* vobis Cloteno: Meum erit, tam & injuriam meam vindicare, quam & utiliora pro Cloteno data recipere, itaque raptum ex ore ejus verbum, & cum velocitate diriguntur Legati idem bonum vindicaturi.

Ex vita S. Wolphelmi tertii Abbatis Brauweilerensis.

Apud Surium & apud Mabillon. Sæculo VI. Benedictino Parte II. pag. 675. *Hagiographi Tomo III. Aprilis.*

HEN-

(*c*) Isaiæ LXI, 8.

(*d*) Wolffhelmus, Abbas Brauweilerensis.

HENRICI IV. Regis promissiones juratæ & oblatæ Gregorio VII. CANUSIÆ. Testibus variis Cardinalibus.

ANNO CHRISTI MLXXVII. GREGORII VII. PAPÆ V. HENRICI IV. REGIS XXII.

EGo Rex Heinricus: De murmuratione, & dissensione quam nunc habent contra me Archi-Episcopi, & Episcopi, Abbates, Duces, & Comites, cæterique Principes Regni Teutonicorum, & alii, qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur; infra terminum, quem Dominus Papa Gregorius constituerit, aut justitiam secundum judicium ejus, aut concordiam, secundum consilium ejus, faciam, nisi certum impedimentum mihi, vel sibi obstiterit, quo transacto, ad peragendum idem paratus ero.

Item, Si idem Domnus Papa Gregorius ultra montes, seu ad alias terrarum partes ire voluerit; securus erit ex mei parte, & quos constringere potero, ab omni læsione vitæ, & membrorum ejus, seu captione, tam ipse, quam qui in ejus conductu, vel comitatu fuerint, seu, qui ab illo mittentur, vel ad eum de quibuscunque terrarum partibus venerint, in eundo, & redeundo, vel alicubi morando; neque aliud aliquod impedimentum habebunt ex meo consensu, quod contra honorem suum sit. Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelica.

Actum Canusiæ; V. Kalend. Febr. Indict. XV. anno Dom. nostri Jesu Christi MXXVII. Præsentibus Episcopis: Umberto, Prænestino, Giraldo, Ostiensi: Cardinalibus Romanis: Petro, Titulo S. Chrisogoni, & Conone. Tit. S. Anastasii, Romanis Diaconibus: Gregorio, & Bernardo, & Subdiacono Umberto. Item; ex parte Regis interfuerunt: Bremensis Archiepiscopus, & Episcopi Vercellensis, & Osnabrugensis, & Abbas Cluniacensis; & multi nobiles Viri.

Ex codice MS. membranaceo Bibliothecæ Vaticanæ Numero 3835. *descripsit Cl. Schannatus b. m.*

Binius idem jusjurandum refert Lib. IV. Registri Gregorii VII. Epist. XII. pag. 318.

In qua & narrat Pœnitentiam Henrici Regis Canusiæ actam, confer *Lambert Schaffnab.*

Bertoldum ad annum 1077.

Leonem Ostiensem Lib. III. C. 48.

EPISTOLA GREGORII VII. PAPÆ

AD FIDELES OMNES GERMANIÆ.

Contra Simoniacos & incestos Clericos.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, OMNIBUS CLERICIS ET LAICIS IN REGNO TEUTONICORUM CONSTITUTIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

AUdivimus, (*a*) quod quidam Episcoporum, apud vos commorantium, ut Sacerdotes, & Diaconi, & Subdiaconi mulieribus commisceantur, aut consentiant, aut negligant. Eis, præcipimus, vos nullo modo obedire, vel illorum præceptis consentire, sicut ipsi Apostolicæ Sedis præceptis non obediunt, neque auctoritati Sanctorum Patrum consentiunt; testante Divina Scriptu-

[*a*] Fragmentum hoc hujus Epistolæ refert *Christianus Lupus Tomo VI. Operum pag.* 99. & adjungit Canoni XII. Concilii quinti Romæ ab Gregorio VII. celebrati anno 1078. XII. Kalendas Decembris, Indictione II. in Ecclesia Lateranensi.

Scriptura: Facientes & consentientes par pœna complectitur. Sicut namque Archi-Episcopi, & Episcopi terræ vestræ, quod & omnibus fidelibus notum esse debet (quoniam *in sacris Canonibus* prohibitum est) ut hi, qui per Simoniacam hæresin, id est, interventu pecuniæ, ad aliquem sacrorum ordinum gradum, vel officium, promoti sunt, nullum in sancta Ecclesia, ulterius ministrandi locum habeant, nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, Missas celebrare, aut secundum inferiores ordines ministrare altari debeant.

Quapropter ad omnes, de quorum fide, & devotione confidimus, nunc convertimur, rogantes vos, & auctoritate Apostolica commonentes, ut quicquid Episcopi dehinc loquantur, aut taceant, vos officium eorum, quos aut simoniace promotos, & ordinatos, aut in crimine fornicationis jacentes cognoveritis, nullatenus recipiatis.

Ex codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ N. 1363. descripsit Cl. Schannatus b. m.

GREGORIUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI,

Encyclicam ex primo a se Romæ celebrato Concilio, scribit inter alios ad Othonem Constantiensem Episcopum.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTO IN CHRISTO FRATRI OTHONI, CONSTANTIENSI EPISCOPO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

INstantia nuntiorum tuorum, festinanter redire volentium, non permisit nos fraternitati tuæ, quæ in Romana Synodo constituta sunt, seriatim (*a*) interminare. Hæc tamen necessaria tibi fore scribenda, arbitrati sumus, Nos juxta auctoritatem Sanctorum Patrum in eadem Synodo sententiam dedisse, ut hi, qui per Simoniacam hæresin, hoc est, interventu pretii ad aliquem sacrorum ordinum gradum & officium promoti sunt, nullum in sancta Ecclesia ulterius ministrandi locum habeant. Illi quoque, qui Ecclesias datione (*b*) pecuniæ obtinent, omnino eas perdant: nec deinceps vendere, vel emere alicui liceat.

Sed nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, Missas celebrare, aut secundum inferiores Ordines ministrare altari debeant; statuimus etiam, si (*c*) ut ipsi contemptores fuerint nostrarum, imo Ss. PP. Constitutionum, populi nullo modo illorum officia recipiant: ut qui pro amore Dei, & officii dignitate, non corriguntur; verecundiâ sæculi, & objurgatione populi resipiscant.

Studeat ergo Paternitas tua, sic se in his nobis cooperatricem habere, sic crimina ista de Ecclesiis tuis radicitus evellere; quatenus boni Pastoris meritum apud Dominum valeas obtinere, ut Romana Ecclesia de te, sicut de charissimo fratre, & studioso cooperatore, debeat gaudere.

Ex Apologetico super Decretis Gregorii VII. in Romana Synodo promulgatis.

Binius Tomi III. Concil. Part. II. p. 383.

Desumptus fuit hic Apologeticus ex antiquissima membrana Cœnobii Weingartensis.

SYNO-

Gretserus Bernaldo Presbytero hunc Apologeticum attribuit, quem Binius anonymum edidit: & præter Weingartensem Binio notum, Ratisbonensem MS. codicem hujus Apologetici vidit.

(*a*) intimare. *Gretserus.* (*b*) pretio pecuniæ. *Gretʃ.* (*c*) si ipsi. *Gretʃ.*

SYNODUS IN ERPHORDIA

SUB SIGEFRIDO, MOGUNTINO ARCHI-EPISCOPO.

Anno Chriſti MLXXIV. Gregorii VII. Papæ II. Henrici IV. Regis XIX.

Ex Mandato Gregorii VII. publicantur Romana decreta contra Simoniacos & Presbyteros conjugatos. Curienſis Epiſcopus deſtinatur Nuntius Papæ ad Synodum.

EOdem ferme tempore Sifridus Archi-Epiſcopus Moguntinus ex mandato Gregorii, dicti Pontificis VII. Synodum contra Simoniacos, & Presbyteros conjugatos, & concubinarios, ſeu fornicarios celebravit in Erphordia, in qua Clericos omnes ſub anathematis vinculo conſtrinxit, ut uxoribus & concubinis dimiſſis cælibatum continentiæ cuſtodirent. Verum hac novitate Sacerdotes, & Clerici nimium commoti, & in ſeditionem verſi, contra ipſum Archiepiſcopum conſpirantes, ſemel & ſecundo illum interficere tentabant: Quæ res, cum ad ejus notitiam certo perveniſſet indicio, ut a malo furioſos revocaret propoſito, vitamque ſuam in tutiore locaret, dixit interim in Synodo congregatis, quod litteris ſuis difficultatem hujus negotii auribus vellet intimare Apoſtolicis, cujus ſe confideret, poſſe mutare ſententiam. Quod cum feciſſet per litteras & nuntios; Papa in ſua fixus ſententia perduravit: Et *Curienſem Epiſcopum ad Synodum Erphordenſem in Thuringiam nuntium*, & legatum ſuum deſtinavit; per quem prænominato Archi-Epiſcopo ſerioſius præcepit, ut omnes Clericos ſuæ Provinciæ, vel concubinas foventes, ab omni dignitate Sacerdotali ſeponeret: & nulla ratione cum aliquo diſſimulare præſumeret. Cum ergo Curienſis Epiſcopus nomine Apoſtolici legatus veniſſet in Synodum, & Papæ coram omnibus factum Archi-Epiſcopo intimaret præceptum, tanta in eum mala comminati ſunt omnes, ut vix manibus temperarent. Qui fugâ lapſus, ad ſuam Eccleſiam, auxilio Sifridi Archiepiſcopi, rediit. Hoc tamen ab eo tempore fuit introductum, ut nullus ordinaretur in Presbyterum conjugatus; & ordinandi omnes caſtitatem promittere compellantur coram ordinante.

Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad A.C. 1074.

Serarius rerum Moguntiacarum Lib. V. pag. 766. 767.

Cauſas & tumultus ex hac Synodo ortos ſic refert Schaffnaburgenſis:

HIldebrandus Papa cum Epiſcopis Italiæ conveniens, jam frequentibus Synodis decreverat, ut ſecundum inſtituta *antiquorum (a) Canonum* Presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur. Ne quiſquam omnino ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamque cœlibem profiteatur. Hoc decreto, per totam Italiam promulgato, crebras literas ad Epiſcopos Galliarum

Trithemius in Chronic. Hirſaug. ad MLXXIV. refert hanc Synodum. Eodem anno, hebdomada prima XLmæ, Indict. XIII, Gregorius Synodum habuit cum Epiſcopis Italiæ, ut ſecundum inſtituta antiquorum Canonum Presbyteri uxores non habeant: habentes, aut dimittant, aut deponantur. *Baron. ad h. a. N. XXXVII.*

Eodem anno Synodum Erfordienſem ſtatuit N. XXXIX. Ex Lamberti verbis Sigeberti calumnias, quo laici vetantur, conjugatorum audire Miſſas, refutat Baronius, refutaverunt Bernaldus & P. Anſelmus Lucenſis.

[a] Antiquiſſimi Canones pro continentia Clericorum ſunt IX. Ancyrani Conc. Tomo I. pag. 147. Neocæſarienſis Can. I. Tom. I. p. 151. Nicæni primi Can. III. pag. 137. Carthag. Can. III. p. 199. Africani Concilii Can. V. p. 208. Tomo I. noſtro.

liarum transmittebat, præcipiens, ut ipsi quoque in suis Ecclesiis similiter facerent: atque a contubernio Sacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate resecarent.

Adversus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio Cleri eorum: Hominem plane hæreticum, & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, quo ait: *Non omnes capiunt hoc verbum: Qui potest capere, capiat.* Et Apostolus: *Qui se non continet, nubat.* Melius est enim nubere, quam uri: violentâ exactione vivere homines cogeret, ritu Angelorum: & dum consuetum cursum naturæ negaret; fornicationi & immunditiæ fræna laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se Sacerdotium, quam conjugium deserere: & tunc visurum eum, cui homines forderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus Angelos comparaturus esset.

Nihilominus Papa instabat, & assiduis legationibus Episcopos omnes socordiæ ac desidiæ arguebat; & nisi ocyus injunctum sibi negotium exequerentur; Apostolica se censura in eos animadversurum comminabatur.

Archi-Episcopus Moguntinus, sciens non parvo constare operam hanc, ut tanto tempore inolitam consuetudinem revelleret... moderatius agebat cum Clero, & primo eis in dimidium annum inducias, & deliberandi copiam dedit, hortans eos, ut, quod necessario faciendum sit, sponte faciant.

Hactenus Lambertus, & ex eo Serarius Loc. cit.

SYNODUS DIOECESANA COLONIENSIS
SUB HILDOLPHO ARCHI-EPISCOPO.

SUMMA. *Miraculosa sanatio Volperti blasphemi in S. Annonem viri, ab eodem puniti, & sanati refertur a multis testibus, & approbatur in hoc Concilio.*

Reginardus, Abbas Sigebergensis, virum blasphemum in S. Annonem, & ab eodem Sancto cæcitate punitum, ac denuo liberatum ejusdem S. Annonis suffragio ad Synodum Coloniæ sub Hildolpho Archi-Episcopo Præside illis diebus collectam adduxit, coram qua Synodo generaliter aderant cuncti, quibus animarum cura fuerat injuncta, tam Monachi quam Clerici... Præterea Comites, aliique nobiliores ex populo magnis stipati frequentiis. Quibus in unum positis ingressus est hic multis Provinciæ suæ personis sequentibus. Cœpit igitur in medio consistens suorum casuum historiam facere: cœperunt & Comites ejus attestari singulis, quæ dicebantur. Ex Concilio quoque cum stolis suis Archi-Presbyter, unus, quem Decanum dicunt, aliique sacerdotalis ordinis viri insurgentes, his, quomodocunque Leges Ecclesiasticæ decernerent, se concordare fatebantur. Singulariter autem, quasi quoddam communis fidei speculum vir nobilis Arnoldus Dominus castri de Dollendorp super Aram Judex & Advocatus in testimonium sumebatur, qui quidem præsens non erat, sed protinus ad eum ordinati sunt Nuntii Pontificis summo studio, quid in his & ipse sentiret, investigaturi. Quibus ait: Si testibus eam, quam hinc scio veritatem roborare, opus est, tot prope præsto sunt adstipulatores, quot in illa regione, quâ contigerunt ista, reperiuntur homines. Quod si solo fidei mei testimonio Dominum meum Archi-Episcopum delectat esse contentum, sub Sacramentis illi perhibeo, omnem rem ita præsente me finem vel initium sumpsisse, sicut & in Synodo dicitur, innotuisse. Nihilominus hæc Archi-Episcopo nuntiantur, obtinueruntque facilem apud eum & per omnem populum audita fidem; cum & alia quotidie nuntiarentur, quibus in Sanctorum consortio mirum in modum ANNO famulus Christi cognosceretur.

Surius ad diem IV. Decembris Libro III. vitæ Cap. XXIII.

Miraculum idem refertur in vitâ Annonianæ brevioris MS. codice Georgianæ Basilicæ Lib. II. cap. XLIII.

CONVENTUS ULTRAJECTINUS

Anno Chrifti MLXXIX. Gregorii VII. Papæ VII. Henrici IV. regis XXIV.

Summa. Wilhelmus, Trajectenfis Epifcopus, aufus eft attentare excommunicationem Gregorii VII. Papæ poft Miffarum folemnia, fed horribili pœna illico punitur.

UBi ad aures *Henrici Regis*, & fautorum ejus *Anathema* (*a*) Domino Papa factum perfonuit, infremuit factioforum ftrepitus, ac in beati Petri Vicarium turpia ac nefanda concrepans intonuit, dicentum magum effe, impoftorem, hæreticum, homicidam, fornicarium, & fi quid aliud adverfetur fanæ doctrinæ. Non debere Regem, Imperatoris filium, qui non fine caufa gladium portaret, qui Romanæ Reipublicæ Patricius, tutor, & defenfor effe deberet, tantam pati Sanctæ Dei Ecclefiæ conculcationem; ut homo omnium peripfema, pro fuis fceleribus jufte puniendus, & merito ab Ecclefia exturbandus, fummam illam Regii nominis Majeftatem impugnaret. Maledictum fruftra prolatum, in eum, a quo proceflerat, retorquendum: ut qui Domino fuo & Regi foveam paraverat maledictionis, eo immuni remanente, ille, qui caput & caufa mali erat, prior incideret in eam. Cum in hoc omnis perftreperet Aula, decretum eft communi confilio; ut ille, qui reverendam a fæculis Regiam Majeftatem ab Ecclefia extorrem pronuntiaverat, ab Ecclefiæ corpore fegregaretur. Et Romanæ Ecclefiæ Pontifex, qui fupra omnes eft, ab his, qui ei fubeffe debebant, excommunicationi adjudicatus eft. O dementia incomparabilis! furor indicibilis; infania mirabilis! Quis, rogo, Imperatorum, quis Regum, ad tantam profilire aufus eft protervam audaciam, infanamque proterviam, ut clavigeri cœleftis vicarium, cujus lingua eft clavis cœli, canonice electum, ab omni Chrifti civitate fufceptum, bene viventem, recta docentem, ab Ecclefia alienandum pronuntiaverit? Conventus hic apud ulterius Trajectum habitus eft, ubi contra Deum & Dominum eft difputatum. Dies erat Sabbati, & vefpere Sabbati, ipfa nocte Dominicæ diei illucefcente, in Concilio malignantium conftitutum eft, & deliberatum, ut in craftino ad Miffas in omnium audientia Papa excommunicaretur, quia aufus fuiffet Regem, & Dominum fuum excommunicare. Juftam effe hanc fententiam, ut, in quo peccaverat, puniretur. Aderat in confenfu illo iniqua gerentium Virdunenfis Theodoricus, & Pibo Tullenfis, & alii plures, qui etfi favebant Regiis negotiis, hoc tamen, quia Sanctorum Patrum obviabat decretis, & fanctionibus repugnabat Canonicis, averfati funt. Et quidem Tullenfi id officii à Rege impofitum fuit, eo quod effet mentis timidæ, & multæ inconftantiæ, ut id negotium exequeretur. Sed ille, dum pavet ad fingula, nec audet reniti, noctu cum Virdunenfi affumptis fociis fugæ fe credit confilio. Quam ob rem & in craftinum aliquanto morofius prolongata eft negotii hujus executio. Solus *Guilelmus Trajectenfis* inventus eft, qui cum hefternam ructat crapulam, pofuit in cœlum os fuum, & lingua ejus in Dominum & Magiftrum fuum maledictionis intorfit jaculum. Sed non impune. Nam cum hoc inter Sacra Miffarum peregiffet folemnia, & peracto fcelere datus in reprobum fenfum ad eadem perexplenda accingeretur, ne vel in hoc a Judæ proditoris confortio & merito fepararetur; ubi corpus Dominicum, in quod peccaverat, male fibi

(*a*) Anno Domini 1076. poft quam Wormatienfis Conciliabuli Nuntius Henrici Regis, & confentientium Procerum fententiam Synodo Romanæ III. fub Gregorio VII. infinuaffet; pronuntiata fuit excommunicatio in perfonam Henrici: nondum tamen degradatio, quæ nonnifi 1080. Romæ edita fuit.

ſibi conſcius ſumpſit, ultio Divina manifeſta eſt. Percuſſus eſt enim a Deo plaga inſanabili, ita ut cum horrore, & ſtupore mirabili clamaret: *Ardeo*, *ardeo*. Quia corpus, quod vivificat, incendium illi, pœnamque pariebat, quod exarſerat in eo, ſicut ignis in ſpinis, ut manifeſta in eo fieret ultio Domini. Nec datum eſt illi tempus, ut pœnitere; ſed mox, ut ſenſit ignem in ſe graſſantem, in ſede corpore inclinato, dum clamaſſet, *Sancta Maria*, miſeram vitam miſerabili morte finivit.

Hugo Abbas Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi.

Buchelius in notis ad Hedam Trajectenſis Eccleſiæ Hiſtoriographum cenſet hunc exitum Guillielmi Epiſcopi a Lamberto coævo ſcriptum procul dubio odio partium confictum fuiſſe: cum Lamberto addat: *ut aſſerunt*, quaſi ex aliena fide ſcriberet: Patrii hiſtorici nil de tragico exitu referunt. *Heusden in Batavia ſacra pag.* 133. ubi ait mortem Wilhelmi communiter ſtatui anno 1075. V. Kal. Maji.

SYNODUS VIRDUNENSIS INDICTA,

In cauſa injuriæ Epiſcopo Leodienſi Henrico illatæ a Comite Arnulpho.

EPISTOLA GREGORII VII. PAPÆ AD THEODORICUM VIRDUNENSEM EPISCOPUM.

SUMMA. Ut Arnulphum Comitem, qui Epiſcopum Leodicenſem, ad Sedem Apoſtolicam venientem, deprædatus eſt, & jurare compulit, ſe res ablatas nunquam repetiturum, Conventu habito *ad pœnitentiam, & ſatisfactionem cogat, alioquin Eccleſiæ introitu, & corporis & ſanguinis Dominici communione interdicat: & niſi intra quindecim dies reſipuerit, anathematis gladio una cum ſuis fautoribus eum feriat. Ultoribus Epiſcopi injuriarum peccatorum veniam pollicetur, Epiſcopum a coacto juramento abſolvens.*

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, THEODORICO VIRDUNENSI EPISCOPO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

PErvenit ad nos fratris & Coepiſcopi noſtri *Henrici* Leodicenſis gravis calamitas, quem ad Apoſtolorum limina venientem, Arnulphus Comes, rebus ſuis omnibus, quas ſecum ferebat, exſpoliatum, ad augmentum nequitiæ, poſt ſuorum ereptionem compulit gladiis jurare, quod ablata nunquam repeteret, & quod a nobis ſuper tali tantoque facinore ſibi veniam impetraret. Quod immane flagitium ut cognovimus, profecto vehementer doluimus, cum propter impeditam fratris noſtri devotionem, tum propter illius deteſtabilem audaciam, quæ niſi digna animadverſione vindicata fuerat, reſtat, ut ei ſuiſque ſimilibus, ſi qua deteriora ſunt, & poſſunt, perpetrandi concedatur occaſio: Veruntamen, ne forte judicemur potius iræ conſulere, quam parere juſtitiæ: volumus, atque Apoſtolica auctoritate præcipimus, ut fraternitas tua quoscunque poteſt Epiſcopos, Abbates, Sacerdotes, & Clericos ſtudeat adunare, & conventu habito, ſuper hac re, illum improbum ad pœnitentiam & ſatisfactionem invitare. Quod ſi in malitia ſua perdurans, aut pœnitentiam agere, aut ablata noluerit digna cum ſatisfactione reſtituere; Eccleſiæ introitum, & corporis & ſanguinis Domini participationem tua ei fraternitas interdicat: datisque ſibi quindecim dierum induciis, ſi infra illud ſpatium non pœnituerit, & ad emendationem ſceleris ſui non venerit, anathematis eum gladio, fulta præcepto auctoritatis Apoſtolicæ feriat; quod certe nos exinde omnibus modis firmabimus. Ad

post modum quidem volumus, atque jubemus, ut in illum dilectio tua, quibus valebit modis, insurgat. Quicunque enim illius nefandæ præsumptioni auxilium, aut assensum dederit, sciat se gratiam Dei, & beati Petri procul dubio amissurum. Quicunque vero prædicti confratris nostri, imo beati Petri injurias pro viribus suis ulcisci contenderit, ei nos Apostolicam benedictionem tribuimus, & de Divinæ pietatis munere confisi, peccatorum suorum veniam pollicemur. Nolumus etiam prudentiam tuam ignorare, nos sæpe dictum Coepiscopum ab illius malitiose coacti juramenti conditione absolvisse, sanctæque Ecclesiæ contumeliam vindicandi licentiam ipsi dedisse: Quem, ut in omnibus pro posse studeas adjuvare, iterum iterumque monemus atque rogamus. Dat. Romæ III. Kalend. Februar. Indictione tertia.

Lib. VII. Registri Gregorii VII. N. XIII. pag. 351. Tomo III. Concil. Binii Parte II.

EPISTOLA GREGORII VII. PAPÆ

AD HENRICUM EPISCOPUM LEODIENSEM.

SUMMA. Dolet de contumelia illi ab Arnulpho illata, absolvitque eum a juramento violenter præstito, ac mandat, ut contra Arnulphum insurgens, ejus sceleris pœnas sumat: significat se Virdunensi Episcopo præcepisse, ut illum in ea re adjuvet.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, HENRICO LEODICENSI EPISCOPO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Cognita tuæ fraternitatis adversitate, & contumelia, tibi, imo beato Petro illata, nimirum valde dolere sumus coacti. De juramenti vero injustissima obligatione dilectioni tuæ sic respondemus, non debere existimari, eam ullis juramenti vinculis posse teneri, quæ tam nefandissime coacta juraverit. Unde & Apostolica te auctoritate absolvimus, ut non tuæ, vel alicujus conscientiæ ob hoc videaris annexus, aut debitor esse. Insuper etiam eadem freti potestate, fraternitati tuæ licentiam damus, imo hortamur, ut contra injurias beato Petro illatas, nisi præsumptor ille pœnituerit, digneque satisfecerit, quibus viribus potest, insurgat, atque illum omnibus modis infestet, & de eo tanti sceleris pœnas (Deo opitulante) petat & sumat. Indignum namque nobis videtur, exemplumque cæteris improbis audiendi pejora futurum, si hoc flagitium iste impune susceperit. Unde etiam fratri nostro Virdunensi Episcopo, aliisque beati Petri fidelibus, summopere præcipimus, ut dilectionem tuam unanimiter adjuvantes, eum ut tyrannum, & Christianæ religionis conculcatorem impugnent, & armis tam carnalibus, quam spiritualibus undique, & ubique, quantum possunt, insequentes coarctent. Dat. Romæ III. Kalend. Februar. Indictione tertia.

Lib. VII. Registri Epistolar. Gregorii VII. Apud Binium Tom. III. Concil. Part. II. pag. 351.

CONVENTICULUM MOGUNTINUM

ANNO CHRISTI MLXXX. GREGORII VII. PAPÆ VII. HENRICI IV. REGIS XXIV.

Interea fautores HEINRICI IV. *Moguntiæ* contrahunt Concilium. Quo præsidente, ipsi viderint: Ibi Schismatici & ab Ecclesia præscisi PAPAM GREGORIUM VIRUM Catholicum & Patrem universalem, Patrem negant, ejusque sequaces, ipsi damnati, damnant. Deliberat in his Pastor Ecclesiæ urbi

urbi & armis cedere, puto, rememorans Salvatoris licentiam, qua dixit discipulis suis: (a) *Si persecuti vos fuerit in una civitate, fugite in aliam.*

Quo facto: (b) Wichpertus quidam, cujus laus non est in Pontificum Catalogo, Apostolicæ Sedi intruditur; Quid dico: intruditur? Propria ambitione invadit, anhelat, & præripit. Abhinc veri Pastores ubique terrarum sedibus suis proturbantur, subrogantur vero schismatici, vel Simoniaci.

Gretserus Tomo VI. in vita S. Altmanni pag. 452.

(a) Matth. V.
(b) Guibertus, Pseudo-Papa, Ravennas sub nomine Clementis III. circa 1075. & 1083.

CONCILIABULUM BRIXINENSE

Anno Christi MLXXX. Gregorii VII. Papæ VIII. Henrici IV. Regis XXV.

Quo triginta schismatici Episcopi Gregorium Papam a Petri sede deposuerunt, & Guibertum Ravennatem Archiepiscopum eidem in schismate subrogarunt.

" HÆc Synodus *Moguntiæ* inchoata " fuit. Sed cum ibi novem" decim dumtaxat schismatici ad scelus " patrandum convenissent, paucitatem " eorum pertæsi, ad locum schismaticis " omnibus ex Germania, & Italia con" gregandis aptissimum, Brixinam tran" stulerunt. Quid vero in pseudo Sy" nodo schismatici egerint, auctor schis" maticus Conradus Urspergensis Abbas " ex illo acervo calumniarum a Bennone " schismatico male congesto recitavit " his verbis: " Anno Domini millesimo octingentesimo cum apud Brixinam Noricam triginta Episcoporum conventus, nec non & optimatum exercitus non solum Italiæ, sed & Germaniæ, jussu Regis Henrici congregaretur, factus est omnium consensus adversus Hildebrandum Papam, cognominatum Gregorium septimum: Quem pseudomonachum, totiusque vesaniæ pestiferum Principem, & præcipuæ sanctæ Romanæ Sedis invasorem, affirmantes, ab Apostolica sede depellendum quamvis absentem dijudicabant, & Wigbertum Ravennensem Archiepiscopum ipsi subrogandum eligebant. Hujus decreti conclusio hæc est: Quia, *inquiunt*, constat non a Deo electum, sed a se ipso, in fraude ac pecunia impudentissime objectum; qui Ecclesiasticum subvertit ordinem, qui Christiani Imperii perturbavit Regnum: Qui Regi Catholico ac pacifico corporis, & animæ intentat mortem: Qui perjurum defendit Regem: Qui inter concordes seminavit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter conjuges divortia, & quidquid quiete inter pie viventes stare videbatur, concussit.

Nos, auctore Deo, congregati in unum legatis ac litteris freti decem, & novem Episcoporum, *die sancto præteritæ Pentecostes Moguntiæ congregatorum*, contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, Catholicam, & Apostolicam fidem de corpore, & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum, ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, pythonico spiritu laborantem, & idcirco a vera fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum & expellendum, & nisi ab ipsa sede his auditis descenderit, in perpetuum condemnandum. Facta sunt autem hæc septimo Kalendas Julii feria quinta, indictione tertia.

Conradus Urspergensis.

Subjun-

Subjungamus Hugonis Flaviniacenſis Abbatis in chronico Virdunenſi ejusdem Conciliabuli Catholicam Epitomen.

Apud Brixiam aliqui Epiſcoporum de ſynagoga Satanæ traditi in reprobum ſenſum, & contra fidem, quæ eſt confeſſio Petri & ſanctam Sedem ejus Romanam Eccleſiam, turpia & nefanda jacientes, ad plenitudinem damnationis ſuæ elegerunt Wibertum hæreſiarcham de ſui ſimilibus, & deſperata ſuperbia Apoſtolicum eum vocantes, Apoſtatam non Apoſtolicum effecerunt. Qui idcirco omnium fidelium odio dignior eſt, quia cum à Principibus Heinrico ſcilicet Rege depoſito, & cæteris hujus perditionis miniſtris quæſitum eſſet, quis ad impugnandum ſanctum Virum, Papam videlicet Gregorium, falſitatis vexillum ſuſciperet, nemo omnium tam audax tam præſumtor, tam deſperatus, vel perditus inventus eſt, qui naufragium fidei ſubire deligeret, præter eum ſolum. Qui idcirco, credimus, Anti-Chriſti negotium ſuſcepit, ut ruinam Archi-Epiſcopatus Ravennenſis, quem pro ſuis criminibus eodem grege præſidente ſynodali judicio perdiderat, ſuſceptione oblati periculi compenſaret. Aderat in Conventu illo malignantium multus numerus damnatorum, quos ad perſequendum amatorem juſtitiæ communicatio criminum & amor Principis illexerat: eum ſolum invenit Diabolus promptiorem, ac malitiæ ſuæ omnem principatum committeret. Suſcepit itaque ſedem Satanæ & in cathedra peſtilentiæ ſublimatus, impiorum mentes ad expugnandum nomen Domini exacuebat, factus omnibus fovea peccandi.

Hactenus Hugo Abbas Flaviniacenſis apud Labbé in Bibliotheca MSS., qui ſtatim ſubjicit teſtem ſuæ hiſtoriæ ſanctum Gebehardum Archi-Epiſcopum Salisburgenſem.

GEBEHARDUS, SALZEBURGENSIS EPISCOPUS, HERIMANNO, METENSI EPISCOPO, SALUTEM.

***Summa.** Quæ autem fuerit Wiberti, Ravennatis Archi-Epiſcopi, Promotio ſeu Inthronizatio, quomodo ad hanc dejectionem, & quam præcipitanter aſcenderit, & a quibus execratus ſit, quæve eorum ſit vita, vel converſatio, & quid de ordinato vel ordinatoribus ejus ſentiendum ſit, hæc Epiſtola docet.*

Wibertus, quondam Ravennas Archiepiſcopus, cùm obedientiam, quam Apoſtolicæ Sedi juramento promiſerat, non attendere, ſed contra ipſam omnimodis ſuperbire ſtuduiſſet; in Romana Synodo irrecomperabiliter depoſitus, & anathematiſatus eſt ab Apoſtolica Sede, & ab Epiſcopis totius Eccleſiæ, nec hoc ſemel in una Synodo, (*a*) ſed in omnibus Synodis, quotquot jam (*b*) ſeptennio Romæ celebratæ ſunt. Hic igitur ita in perjuriis inveteratus, & pro iiſdem irrecuperabiliter depoſitus, & anathematiſatus, Sedem Romani Pontificis, cui obedientiam juravit, per manus anathematizatorum, utpote ſui ſimilium, invaſit, legitimo Paſtore adhuc eidem ſedi præſidente. Ipſorum autem excommunicatorum nullus eum conſecrare, vel potius execrare præſumpſit, præter Mutinenſem & Ariminenſem Epiſcopos, qui ambo pro ſuis criminibus

[*a*] Prima vice in quarta Synodo Gregorii VII. anno 1077. 2da vice non tantùm excommunicatus, ſed omnino depoſitus fuit Guibertus. In quinta Synodo Gregorii VII. anno 1078. XII. Kal. Decemb. vide *Libri VI. Regiſtri Epiſtolam decimam.* Anno 1081. cenſet Chriſtianus Lupus tertiò excommunicatum Guibertum. *Chriſtianus Lupus Tomo VI. Operum pag.* 325. 328.

[*b*] Puta ab anno 1073. ad 1080. quibus Romanam ſedem occupabat Gregorius VII.

bus jam annis tribus officio, & communione caruerant. Sed ii, etiamsi officium & communionem haberent, & Romana Sedes Pastore vacaret; nullum tamen eidem sedi Pontificem ordinare possent, hujus enim ordinationis privilegium solis Cardinalibus Episcopis, Albanensi, Ostiensi, Portuensi, a sanctis Patribus est concessum. Ergo (c) Mutinensis, & (d) Aretinus Episcopi, juxta testimonium Sanctissimi Papæ Innocentii, non benedictionem, sed damnationem, quam habuerunt, suo Ravennati imponere potuerunt: nec illum in Romanum Patriarcham, sed in perditissimum Hæresiarcham promoverunt. Caveat igitur omnis Christianus, caput Antichristo inclinare: Statuam, quam Nabuchodonosor erexit, adorare, sicque se ipsius hæresiarchæ pernitiosissimo anathemati innodare. Nam, quicumque illi obedierit, qui dixit: *Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo*; certissime in æternam damnationem ibit cum ipsis. Amen.

Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, auctor coævus. Parte II. Gretserus Tomo VI. novæ edition.

(c) Mutinensis erat Herebertus.

(d) Loco Aretini, Schannatus legendum putat; Ariminensem, qui erat Obizzo, vel Obizzus. Consecratores Papæ ordinarii sunt, Episcopi, Ostiensis, Portuensis, Albanensis.

1084. 21. Martii adiit Henricus IV. Palatium Lateranense. Postridie populus Romanus acceptavit Wicbertum Antipapam, *teste Urspergensi.* Dominicâ sequente, quæ erat Palmarum, fuit Wicbertus consecratus in Laterano ab Mutinensi, & Aretino, *ait Muratorius ex Bertoldo, sed ex Cardinali Arragonio in vita Gregorii VII.* ab Episcopis Bononiensi, Mutinensi, Cerviensi.

Eodem anno 1084. die Paschatis, in 31. Martii incidente, depulsis militibus, qui Vaticani ingressum impedire volebant, Henricus IV. cum conjuge Berta in Vaticano templo a suo Antipapa Wiberto coronatus, Augustus appellatus fuit.

COLLOQUIUM IN SILVA CAPUANA PROPE WISERAM,

EPISCOPORUM ET PRINCIPUM TAM HENRICO ET WIPERTO, QUAM GREGORIO VII. ADHÆRENTIUM.

HEnricus & Wibertus miserunt Principibus Gregorio VII. adhærentibus nuntios, qui singulare colloquium rogantes, tempus & locum præfinirent, quo ex utraque parte Principes electi de communi bono tractaturi convenirent.

Convenerunt autem ultra fluvium, qui Wisara dicitur, in sylva, quæ inde Capuana vocatur, quod ad urbem, quæ Capua nominatur, pertinere cognoscitur.

Convenerunt autem Episcopi ex illa parte (Henrici IV.) Coloniensis, Treverensis, Bavenbergensis, Spirensis, Trajectensis. Ex Gregorii VII. parte Moguntinus, Magdaburgensis, Paterbronnensis, Hilleneshemensis. Cumque qui ex illa parte erant, secretum, quod soli Principes audirent, habere colloquium voluissent, nostri (Gregorio VII.) adhærentes, nullum sermonem conferre volebant, nisi quem cunctis, qui convenerant, magnis & parvis audire liceret. Jam vero sedentes ex utraque parte diu tacebant: quod & nostri, qui rogati illuc occurrerant, quid illi vellent, exspectabant; & illi non se rogâsse nostros, sed nostris rogatos venisse videri volentes, quid a nostris peteretur, auscultabant.

Tandem nostri rumpentes silentium, ut omnium faceret verbum, Gevehardum petierunt Salizburgensem Archi-Episcopum. Qui surgens, ut erat Vir per omnia prudens & honestus, & honori, quem gerebat, non minimum conferens honoris, vultu modesto voce mediocri sensum profudit sapientis & pii pectoris.

Episcopi venerabiles. Vide infra.

Tunc illi responderunt, se nec ad causam tractandam convenisse, nec se tantæ esse sapientiæ, ut tam magnam rem ex improviso præsumant agendam acci-

pere: præsertim cum non ad se solum, sed ad Regem Henricum, cunctosque Regno ejus subditos pertinere videatur. Rogabant autem ab initio Februarii, qui tunc erat, usque ad medietatem Junii pax ex utraque parte daretur, intra quod tempus Conventu facto eadem causa, quam nostri tunc agere volebant, communi totius Regni, partis utriusque consilio tractaretur.

Bruno de bello Saxonico pag. 152. *editionis Freberianæ.*

Henriciani pacem petebant eo solo fine, ut à Saxonum armis securi Wibertum Romanæ Cathedræ imponerent. Id Otto, Saxonum Dux, in hoc ipso colloquio iisdem exprobravit: & de facto mense Martio proximo Henricus Italiam cum exercitu ingressus est.

Quam horrendam persecutionem Catholicorum (quorum ad nonaginta millia & eo amplius in diversis Regionibus Papa Guiberto cooperante cæsa fuere) præter pulsos Catholicos Episcopos & Abbates, narrat ex Cardinali *Deusdedit* coævo spectatore & scriptore, *Cardinal. Baronius Tomo XI. Annalium ad h. ann. No. XXII. & sequentibus: item ex Domnizone coævo Poëta & Spectatore.*

GEBEHARDI, SALISBURGENSIS ARCHI-EPISCOPI,

Oratio ad Schismaticos Henrico IV. contra Gregorium VII. adhærentes, in silva Capuana prope Visurgim 1081. initio Februarii.

Episcopi venerabiles, cæterique, quos videtis adesse, Principes Saxonici, hunc operam mihi dignati sunt imponere, quatenus animos omnium mei sermonis officio debeam vobis exponere. Unde vos omnes Sacerdotes sancti, cæterique Primates eximii, rogatos esse volo, ut me dignemini patienter audire, & causæ *communi*, quam sum jussus agere, animum tranquillum, quo verum examinare possitis, adhibere; quod non plus nostra, quam vestra, (si vultis) interest, quæ sum dicturus, agnoscere. Vestro ipsorum testimonio fidenter inde nitimur, quod vos, quanquam a nostra societate discessistis, a veritatis amore non discedere confidimus: Vestro, inquam, testimonio probare volumus, quantis injuriis, quantis contumeliis simus affecti, dum toto animo, tota voluntate (sicut decebat) Regis eramus servitio subjecti. Vos ipsi scitis, quoties sigillatum, vel communiter vestrum petivimus auxilium, quo pro benevola servitute nostra, vel hoc ex intercessione vestra redderet nobis præmium, ut a multarum, quæ nos importabiles premebant, levaret fasce calamitatum. Hoc, quod sæpe postulavimus, optime scitis: & quid postulando profecimus, similiter optime scitis. Inde vos non incusamus, quod vos pro nostra causa, quamvis parum nobis prodesset, sæpe laborasse cognovimus. Quale vero præmium nostræ devotioni dederit ultimum, quid opus est dicere? Cum manifestum est oculis omnium, quod hoc, quod habuit maximum, nobis rependit extremum. Sacerdotes namque non solum de nullo crimine convictos, sed nec legaliter accusatos, aut in vincula (sicut latrones) conjecit: aut a sedibus suis, quos capere non poterant, omnium rerum suarum nudos effugavit. Ecclesiarum bona, quibus Episcopi vel ipsi vivere, vel pauperes Dei sustentare deberent, scelerum suorum fautoribus dissipanda concessit. Terram nostram multis jam vicibus igne, ferroque vastavit, cognatos, sive milites nostros, in nostris finibus innocentes occidit, cum nulla fuisset ei causa bellorum, nisi, quod servos habere volebat filios hominum liberorum. Sæpe ipsum, sæpe vos singulos, & universos suppliciter oravimus, ut, gladio deposito, causam nobiscum judiciis ageret, & nos vestrum per omnia judicium secuturos animo libenti spopondimus. Quid his omnibus profecerimus, vos ipsos in testimonium vocamus. Ergo nos, qui nunc adsumus, cum omnibus, quos tenet Saxonica tellus, vobis, O Sanctissimi Christi Sacerdotes! & vobis, O nobilissimi Principes, & fortissimi milites, humiliter supplicamus, ut memores omnipotentis Dei vestrique officii, quod estis animarum Pastores, non perditores vocati: Vos vero quod gladium ad defen-

defensionem, non ad internecionem accepistis innocentum; cogitetis, & nos vestros fratres in Christo, vestros cognatos in carne, ferro & flamma amplius persequi ne velitis. Quod hactenus molestiarum a vobis perpessi sumus, vobis donantes, peccatis nostris imputabimus, & correptionem Divinæ pietatis appellabimus: dum posthac injuriarum de vobis securi esse possimus. Gladium & ignem deponite, & (sicut decet homines Christianos cum Christianis) causam rationibus, non cædibus agite, & quod ante cruoris effusionem postulavimus, nunc saltem vel cruore nostro satiati præstate. Multas quidem nobis ærumnas Dominus vester HEINRICUS crudeliter intulit, multis calamitatibus nos ultra modum fatigavit, & tamen, ecce parati sumus, eum nobis Regem, sicut olim fuit, accipere: Ecce parati sumus ei fidelitatem, & subjectionem jurare, & juratam fideliter, & libenter servare. Tantum vos hoc veris assertionibus instruite, ut nos, salvo nostro ordine, & laici possint facere hoc sine fidei sacræ detrimento, nec nos ab isto *campo* recedimus, donec omnia, quæ dixi compleverimus. Si vero nostras sententias dignati fueritis attendere, veris & manifestis, & ex scripturarum testimonio firmis rationibus ostendemus, quod Dominum Heinricum nec Clerici, nec Laici Regem habere possumus cum animarum nostrarum salute. Nunc ergo vel vos nobis, quod juste possit regnare, probabiliter ostendite; & nos sub ejus Regnum socios fideles accipite: vel nobis, quod Rex ille esse non possit, veraciter probare permittite; & nos contra rationem, ut hostes, persequi desinite. Quod si objicitis, Sacramento, quod ei jurastis, vos esse constrictos, simili modo confirmabimus, nullo Sacramento jure vos ad nostram persecutionem posse compelli. Hæc igitur est summa nostræ petitionis, ut Dominum HENRICUM, vel vos jure posse regnare nobis probabiliter ostendatis, vel nos, nobis eum non posse, veraciter ostendere sinatis: & cum res alterutra fuerit demonstrata, nos igne ferroque persequi cessetis.

Gretserus refert hanc orationem, sed in quo Conventu Episcoporum dicta sit, non docet. *Tomo VI. novæ editionis.*

Schatenus in Annal. Paderborn. refert eam ad 1081. in Conventu sylvæ Capuanæ ad Visurgim habitam censet.

Bruno de bello Saxonico. Nihil moderatius, nihil sapientius, nihil Catholico & Germanico pectore dignius hac oratione excogitari posse, dicere debent omnes sana ratione utentes.

RESPONSORIA GREGORII VII. PAPÆ,

AD VARIAS QUÆSTIONES AB ALTMANNO PROPOSITAS.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTO IN CHRISTO FRATRI ET COEPISCOPO PATAVIENSI ALTMANNO: VENERABILI HIRSAUGIENSI ABBATI WILHELMO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

PRudentiæ vestræ ex hoc satis gratulamur, quia sicut oportebat, nuntiare nobis vera summopere studuistis; præsertim cum multa & varia ex partibus vestris apud nos referantur.

I. Notificamus autem dilectioni vestræ, pene omnes nostros fideles auditâ nece Rudolphi, beatæ memoriæ Regis, niti ad hoc nos crebris adhortationibus flectere, ut Henricum, jam pridem, sicut scitis, plura facere nobis paratum, cui ferme omnes Italici favent, in gratiam nostram recipiamus: Adjicientes, si ille in Italiam pro velle, & conatu suo, non valens nobiscum habere pacem, contra Sanctam Ecclesiam venerit, ex vobis frustra sperandum fore auxilium. Quod quidem si nobis, qui illius superbiam parvipendimus, deficiat, non adeo grave videtur. Si vero filiæ nostræ Mathildi, cujus militis animos ipsi perpendistis, a vobis suffragatum non fuerit; quid aliud restat, nisi ut cum sui resistere recusaverint, quam

utique hac in re pro insana habent, ipsa vel coacta illius paci acquiescat, aut quidquid possidere videtur, amittat? Quamobrem summopere niti vos oportet, eam certam reddere, an ex vobis præsidium exspectare firmiter debeat, si Henricus forte Langobardorum fines intraverit.

II. Admonere te etiam, charissime, volumus, Ducem Welphonem, ut fidelitatem B. Petro faciat, quod coram Imperatrice Agnete, & Episcopo Comano mecum dispofuit, concesso sibi post mortem patris ejus beneficio: illum enim totum in gremium beati Petri desideramus collocare, & ad ejus servitium specialiter provocare. Quam voluntatem, si in eo, vel etiam in aliis potentibus viris amore beati Petri pro suorum peccatorum absolutione ductis cognoveris, ut perficiant elabora, nosque certos reddere diligenter procura. Hac enim fiducia, ut Italici, remoti ab Henrico, nobis, imo beato Petro, fideliter adhæreant, Deo adjuvante efficere credimus.

III. Præterea admonendi sunt omnes in partibus vestris Dominum timentes, ac Sponsæ Christi libertatem diligentes, ut non aliqua gratia suadente, aut ullo metu cogente, properent eam temere personam eligere, cujus mores & cætera, quæ Regi oportet inesse, a suscipienda Christianæ religionis defensione & cura discordent. Melius quippe fore arbitramur, ut aliqua mora, secundum Dominum, ad honorem sanctæ Ecclesiæ provideatur idoneus, quam nimium festinando in Regem aliquis ordinetur indignus. Scimus quidem, quod fratres nostri longo certamine, diversisque perturbationibus fatigantur, nobilius tamen esse dignoscitur, multo tempore pro libertate Sanctæ Ecclesiæ decertare, quam miseræ & diabolicæ servituti subjacere. Certant namque miseri, scilicet membra diaboli, ut ejusdem misera servitute opprimantur: Certant econtra membra Christi, ut eosdem miseros ad Christianam libertatem reducant. Quapropter fundendæ sunt frequentissimæ orationes, & largissimæ dandæ eleëmosynæ, omnibusque modis Redemptor noster exorandus, ut inimici nostri, quos suo præcepto diligimus, resipiscant, & ad gremium sanctæ Ecclesiæ redeant, suæque sponsæ, pro qua mori dignatus est, defensorem & Rectorem, sicut eam decet, clementer tribuat.

IV. Nisi enim ita obediens, & Sanctæ Ecclesiæ humiliter devotus ac utilis, quemadmodum Christianum Regem oportet, & sicut de Rudolpho speravimus, fuerit: procul dubio ei non modo sancta Ecclesia non favebit, sed etiam contradicet. De prædicto enim Rudolpho Rege, quid sancta Ecclesia speraverit, & quid ille promittebat; tu ipse, frater charissime, satis cognoscis. Providendum est ergo, ut non minus ab eo, qui est eligendus in Regem, inter tot pericula & labores sperare debeamus. Qua de re quid promissionis juramento sancta Romana Ecclesia ab illo requirat, in sequenti significamus. Videlicet formam juramenti, quod præstare deberet, qui esset eligendus in Regem, istis verbis conceptam.

V. *Ab hac hora, & deinceps fidelis ero per rectam fidem, beato Petro Apostolo, ejusque vicario, beato Gregorio, qui nunc in carne vivit: Et quodcunque ipse mihi præceperit, sub his videlicet verbis: Per veram obedientiam, fideliter, sicut oportet Christianum, observabo. De ordinatione vero Ecclesiarum, & de terris, vel censu, quæ Constantinus Imperator, vel Carolus S. Petro dederunt; & de omnibus Ecclesiis, vel prædiis, quæ Apostolicæ sedi ab aliquibus viris, vel mulieribus, aliquo tempore sunt oblata vel concessa, & in mea sunt vel fuerint potestate, ita conveniam cum Papa, ut periculum sacrilegii & perditionem animæ meæ non incurram, & Deo sanctoque Petro, adjuvante Christo, dignum honorem & utilitatem impendam. Et eo die, quando illum primitus videro, fideliter per manus meas miles S. Petri & illius efficiar.* Hucusque juramentum ab eligendo Rege præstandum. Pergit vero ipse Gregorius.

VI. Verum quoniam religionem tuam, Apostolicæ sedi fidelem, & promissis tenemus, & experimentis non dubitamus: De his, si quid minuendum vel augendum, censueris, non tamen prætermisso integro fidelitatis modo, & obedientiæ promissone, potestati tuæ & fidei, quam beato Petro debes, committimus.

VII.

VII. Quod vero de Sacerdotibus interrogaſtis, placet nobis, ut in præſentiarum, tum propter populorum turbationes, tum etiam propter bonorum inopiam, ſcilicet, quia pauciſſimi ſunt, qui fidelibus Chriſtianis officia religionis perſolvant; pro tempore rigorem Canonicum temperando debeatis ſufferre. De his namque pacis, & tranquillitatis tempore (quod Domino miſerante cito futurum credimus) convenitius tractari, plenuſque poterit Canonicus ordo ſervari. Cæterum de Buggone, cujus malitiam ſignificaſtis, necdum tantam poteſtatem videlicet abſolvendi, ſibi tam temere commiſiſſe, nec etiam recordamur, nos aliquando eum vel ſermone vel viſu notum habuiſſe. In ſancta *quidem Synodo* (b) *quam* nuper Deo auctore celebravimus, omnes excommunicatos uſque ad condignam ſatisfactionem rurſus excommunicavimus, & fratrum multitudinem, qui aderant rogavimus, ut miſericordiam Dei quotidie exorent, quatenus illos per veram pœnitentiam ad gremium ſanctæ Matris Eccleſiæ reducat, eisque in bono perſeverantiam tribuat, nullius enim hominis perditionem quærimus, ſed omnium ſalutem in Chriſto deſideramus.

Refert Hanſiz. Tomo I. Germaniæ ſacræ pag. 269.

Baronius partem harum recitat ad hunc annum No VII.

(*b*) Anno MLXXXI. Indictione III, anno Pontificatus VII, ſeptimum Romæ in Baſilica Lateranenſi Concilium celebravit Gregorius VII, *Chriſtianus Lupus Operum T. VI. pag.* 214. Poſt *Baronium* melius notantem annum 1081. Indictione quarta: Anno Pontificatûs nono.

CONVENTUS IN PERSTESTAT
IN LOCO THURINGIÆ,
Anno Chriſti MLXXXV. Gregorii VII. Papæ XIII. Henrici IV. Imper. I. (*a*)

Lectis decretalibus Literis Gregorii VII. de non communicando cum excommunicatis in Synodo Romana anno 1080, audiuntur variæ exceptiones Moguntini & Trajectenſis Epiſcoporum. Gebehardus Salisburgenſis, Pontificio decreto parendum cenſet. Re infecta diſceditur.

NAtivitatem Dominicam egere Herimannus (*b*) Rex Goslariæ, Henricus Coloniæ, & fluentibus ad ejus curiam multis, utpote novi Domini cupidis; Gregorius Papa Salerni, ejus ſupplantator Romæ. Utriusque dehinc partis Primates ad diſcutiendam tam immortalem controverſiam XIII. Kal. Februar. apud Perteſtad (*c*) Thuringiæ villam convenerant.

Hinc Archi-Epiſcopi: Otto Oſtienſis, a ſuo Gebehardo Conſtantienſi digreſſus, Hartwich Magdab. & Improperium Chriſti, theſauris Ægyptiorum proferens Gebehardus Juvavienſis.

Epiſcopi: Udo Hildenesheimenſis, Burchard Halverſtadenſis, Hartwig Viridunenſis, Guernhere Merſeburch, Gunthere Cicenſis, Benno Misnenſis, Heinrich Patherbrunnenſis deſignatus, & adhuc tantum Subdiaconus.

(*a*) Anno 1084. die Reſurrectionis Dominicæ a Guiberto Antipapa coronam Imperii accepit: Gregorio VII. in caſtello S. Angeli recepto.

(*b*) Hermannus a Teutonici Regni Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus Rex eligitur, & Goslariæ die S. Stephani 1081. a Sigefrido Moguntino Archiepiſc. coronatur. *Bertoldus. Bruno de bello Saxon.*

[*c*] Anno MLXXXV. 19. Januarii in Berchatt Thuringiæ. Hic Conventus prodromus eſt Conciliabuli Moguntini. *Bzovius in Annal. Eccleſiaſticis. Baronio*: Berchach dicitur, & *Cl. Lupo Tomo VI. Operum pag.* 341. ex Abbate Urſpergenſi, Venerico Vercellenſi, Bertoldo Conſtantienſi.

Illinc Liemarus Bremenſis, & qui a Papa illius partis Pallia acceperant, Moguntinus, Colonienſis, & quicumque eis faverant eorum Suffraganei.

Suſceperunt defenſionem cauſæ. Hinc Archi-Epiſcopus Juvavienſis, illinc Moguntinus legendo, (c) Trajectenſis ſermonizando ſtabant, ut arrectis auribus diverſæ ſæcularium perſonæ velut in turbulentiſſimi temporis cauſa angelico quodam examine diſcutienda. Juvavienſis exordiens dixit: Venimus probare, prout condictum eſt, licitum nobis non eſſe, ut communicemus his, qui nobis nunciati ſunt, excommunicati, & maxime quos Papa, poſſeſſâ (d) absque contradictione Apoſtolica ſede, in publica Synodo excommunicavit, nobisque & eos a ſe excommunicatos cum cauſa excommunicationis, & ne eis communicemus, per litteras demandavit. Hæc dicendo, ut fidem verbis daret, mandati ejusdem indices, ſigillatas Apoſtolici epiſtolas complures præſentat, & obediendum ejus edictis, nec communicandum his, qui nunciantur excommunicati, Evangelica, Apoſtolica decretali, Apoſtolicæ ſedis Præſulum, & diverſorum Canonum auctoritate probat. Econtra Trajectenſis: Sententiæ, *ait*, veſtræ nullus noſtrum refragabitur, ſed Dominum noſtrum, cujus hic cauſa diſcutitur, negamus excommunicatum, quia Apoſtolicus injuſte ſecum egit, excommunicans, quem excommunicare non debuit. Cujus ſermocinationem cum Moguntinus jam probaturus eſſet *legendo*; Juvavienſis reſponſum non differens, aſtipulatur ex inſtitutis *Gelaſii*, & *Synodorum Nicenæ* & *Sardicenſis:* "Nulli, " quamvis injuſte excommunicato, communicandum, ante utriusque partis " juſtam examinationem & niſi reconciliato per ſuum excommunicatorem." Et ecce Moguntinus exſpectato potitus ſilentio legerat Capitulum: *Nullum rebus ſuis ſpoliatum, ad Synodum poſſe vocari, judicari, dampnari.* Et hoc laicis exponens teſtatus eſt, quia nec potuerit Apoſtolicus excommunicaſſe Dominum illorum, poſtquam Saxones & aliqui Suevorum ab eo defecerant, magna parte Regni ſpoliatum. Ad hæc Juvavienſis; Capitulum, *ait*, hoc nec univerſaliter verum, nec hujus auctoritate illum, de quo agitis, ab excommunicatione Apoſtolica defenſum facile probaremus, ſed de noſtro periclitaremur gradu, ſi contra Apoſtolicorum GELASII, NICOLAI, & aliorum multorum edicta Apoſtolicæ ſedis retractaremus judicia, ut illius ſit de omni judicare Eccleſia, nullius de illa: & ideo, cum primum hæc indicta eſt dies, colloquii hujus actionem hoc cautelæ reſpectu determinavimus, ut de alia re nulla nobis reſpondendum affirmaremus, niſi Catholicâ lege nos conſtringi, ut eis non communicemus, quos nobis Præſul ſedis Apoſtolicæ, & a ſe excommunicatos, & ne eis communicemus, certa Legatione demandavit. Et hoc non alio nos pacto ad hunc Conventum inductos veſtros hujus colloquii teſtamur Mediatores.

Sic iſtis edicta Patrum exorbitare nolentibus, illis, quod Romæ oportuit eſſe definitum in bivio & ſub alieno auditore retractare poſcentibus, infecto diſceditur negotio.

Chronograxus Saxo autor ſuppar.

Bertoldus & Urſpergenſis: ſed cum aliquo diſcrimine.

(c) Wecilo anno ſuperiore intruſus poſt obitum Sigefridi: cujus opinio erat: quamdiu quis ſuis rebus ſpoliatus eſt, Divinis non ſubjacet Legibus. Quæ opinio *hæreſis Weciliana* cognominata fuit: hujus beneficio Henricus Rex regno, alii Epiſcopatu ſpoliati, nulla lege ſe teneri putabant ante reſtitutionem.

(d) Jam in decimum tertium annum.

Apologiſta Henrici IV. ſplendide mentitur, ad Wecilonis ſermonem obmutuiſſe Gebehardum. Contrarium evidens eſt ex Bertoldo, & Saxone Chronographo. *Hanſiz. Tomo I. German. pag.* 275. Vide hoc mendacium in relatione ſubjuncta Colloquii Gerſtungenſis ab Henriciano adulatore confictо.

Reſponſionem paulo diverſam dat BERTOLDUS. Saxones reſponderunt, ſe judicium Sedis Apoſtolicæ nec debere retractare, nec poſſe: cum illo potius tractandum, qui illum damnaverit, non cum Saxonibus, quod damnationi ejus non interfuerint, qui Sedi Apoſtolicæ nullam retractationem ſed obedientiam debuerint. *Bertoldus ad hunc annum.*

COLLO-

COLLOQUIUM IN GERSTUNGEN
ANNO CHRISTI MLXXXV.

Fautorum Henrici Regis, & adhærentium Gregorio, nullo effectu, nullo fructu.

FIt conventus in loco, qui dicitur Gerstungun *XIII. Calend. Februarii.* Anno scilicet MLXXXV. ab Incarnatione Domini. Tum primo Chunradus Trajectensis Ecclesiæ Episcopus: " Ecce, inquit, venimus, ut probemus " ex testimonio Sanctorum Canonum, " non damnatum esse, vel excommunicatum Regem nostrum Henrichum: " Cui si non poterunt prodesse apud vos " ea, quæ legitime ordinata sunt a Deo " circa honorem Regium: saltem hoc " concedite, ut eo utatur jure, quo ex " Regulis Ecclesiasticis concessum est, " uti vel infimæ in Ecclesia personæ. Et dixit ad Wezelinum Moguntinæ Ecclesiæ Episcopum, ut surgeret, & legeret capitulum quidem ex decretis Romanorum Pontificum. At ille surrexit & legit: *Quomodo rebus suis aliquis exspoliatus, aut a sede propria vi aut terrore avulsus non potest accusari, vocari, judicari, aut damnari, antequam omnia sibi ablata ex integro restituantur, & cum omni privilegio suo jus proprium reformetur, & ipse pacifice diu suis fruatur honoribus, propriæ sedi regulariter restitutus.* Quod & *Nicænum constituit Concilium*, ut nemo Pontificum præsumat aliquem suis exspoliatum rebus excommunicare aut judicare. Adhæc cum obmutuisset GEBEHARDUS Saltzburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, qui causam adversæ partis erat acturus, utpote apud suos maxime vel ipse senectute sua, vel scientia scripturarum, sive eloquentia Reverendus: tum quidem intulit Werinherus, Merseburgensis Ecclesiæ Episcopus, *ubi in Canonibus scriptum esset aliquid ejusmodi de mulieribus?* Et Wezelinus Archi-Episcopus porrigens eis librum: *Ecce*, inquit, *ipsi legite consequens hujus rei testimonium, quomodo huic quoque sexui oporteat justum judicium fieri: & quomodo ne mulier quidem debeat objectis respondere, donec permittitur ei rem familiarem libere diutius ordinare.* Tum omnes adversæ partis Episcopi ita sunt confusi, & ita devicti, ut non haberent, quid ad hæc respondere possent, manente apud Ecclesiam Dei victoria: quoniam *obstructum est os loquentium iniqua.* Sed hinc resonabant laudes Deo, illinc autem erat murmur multus in turba de sermone illo. Quidam enim dicebant: *Quia bonus est:* alii autem dicebant: *Non, sed seducit turmas.*

Ex Apologia Henrici IV. Regis pag. 196. 197.
Edita a Frehero Tomo I. Script. German.

QUINTILINOBURGENSE CONCILIUM
Anno Christi MLXXXV. Gregorii VII. Papæ XIII. Henrici IV. Regis XXX. Imp. II.

SUMMA CANONUM.

Hermannus Rex in Quintilinoburch Pascha celebravit, ubi & Legatus Domini Apostolici in ipsa Paschali hebdomada generalem Synodum cum Archi-Episcopis, Episcopis, & Abbatibus, sancto Petro fidelibus, solemniter celebravit. Interfuit autem huic Synodo Geberhardus Reverendissimus Juvavensis Archiepiscopus. Item venerabilis Hartvicus Magdeburgensis Archiepiscopus cum Suffraganeis suis. Item Suffraganei Moguntinæ sedis de Saxonia: nam

Wirtze-

Wirtzeburgensis, & Wormatiensis, Augustensis quoque, & Constantiensis de Allemannia, quique ipsi canonica necessitate impediti venire non potuerunt, per Legationem suam se sancto Concilio repræsentaverunt, seque per omnia ejusdem Synodi statutis assensuros mandaverunt. Rex etiam Hermannus cum suis Principibus eidem Synodo interfuit. *Bertoldus Constantiensis coævus testis.*

CANON I.

CUm omnes juxta ordinem suum consedissent, prolata sunt in medium decreta *Sanctorum Patrum de primatu Sedis Apostolicæ*, quod nulli unquam liceat ejus judicium retractare, & de ejus judicio judicare. Quod de totius Synodi publica professione laudatum & confirmatum est. Et hoc utique contra Henricianos, qui fideles Sancti Petri constringere voluerunt, ut excommunicationem Domini Papæ, Gregorii, super Henricum cum illis, retractare præsumerent. Quidam autem Bambergensis Clericus, nomine *Cunibertus*, Romani Pontificis Primatui derogare volens, in mediam Synodum se contulit, asserens, Romanos Pontifices hunc sibi Primatum adscripsisse, non aliunde concessum hæreditasse; videlicet, ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant. Qui cum aperte *a tota Synodo confutaretur*, præcipue tamen a quodam laico convictus est per illud Evangelium: *Non est discipulus supra Magistrum.* Cum enim hoc generaliter ab omnibus Ecclesiasticis ordinibus observandum deputetur, ne major a minore judicetur, quis hoc Vicario Sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro Domino & Magistro venerantur?

II.

In eadem Synodo ordinatio Wecilonis Moguntini invasoris, & Sigefridi Augustensis, & Norberti Curiensis, immo omnes ordinationes, & consecrationes excommunicatorum penitus irritæ judicatæ sunt, juxta decreta Sanctorum Patrum INNOCENTII, LEONIS PRIMI, PELAGII atque ejus successoris GREGORII PRIMI.

III.

Secta Wecilonis Moguntini invasoris, ejusque sociorum, sub anathemate damnata est, quæ asserit. 1. *Sæculares suis rebus exspoliatos, Ecclesiastico non subjacere judicio*, 2. *Nec excommunicari posse pro suis excessibus*, 3. *Quique excommunicatos absque reconciliatione recipi posse contendit.*

IV.

Statutum est, ut quicumque ab Episcopo suo, nec officio, nec communione privato, excommunicatus fuisset, etsi injuste, nullatenus tamen reciperetur ad communionem, nisi absolutus Ecclesiastico more.

V.

Similiter, & pro Sacrilegio excommunicatos decrevit sancta Synodus non recipiendos absque solita reconciliatione, & nisi dudum, quæ sacrilege sibi vendicaverant, reddidissent.

VI.

In eadem Synodo Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus perpetua, juxta decreta Sanctorum Patrum, indicta est continentia.

VII.

Item statutum est, ne laici pallas Altaris, & sacra vasa contingant.

VIII.

Item ne laici decimas sibi vindicent in proprietatem, nec etiam beneficium, sine concessione legitimorum possessorum.

XI.

Item ut vernum jejunium in prima hebdomada quadragesimæ, æstivum in Pentecoste semper celebretur.

X.

Item Synodali judicio confirmata & laudata est ordinatio Domini Geberhardi Constantiensis Episcopi. Immo omnia, quæ præfatus Apostolicæ Sedis Legatus, cum esset Constantiæ, ordinavit.

Hoc pacto Christianus Lupus cum amplissimis & eruditis Scholiis has XI. Canones Tomo VI. novæ editionis Venetæ 1725. *in hanc Synodum commentatus est a pag.* 343. *ad* 393.

Ex Bertoldo Constantiensi & Venerici libris juxta se positis.

Bertol-

Bertoldus addit ſequentia acta Synodi Quintinolinburgenſis.

ITem ibi mota eſt quæſtio de conſanguinitate Regis & uxoris ſuæ. Unde & Rex Hermannus in media Synodo ſurrexit, ſeque de hac re judicium ſanctæ Synodi per omnia obſervaturum profeſſus eſt. Sancta autem Synodus hanc cauſam in præſenti canonice examinari non poſſe judicavit, eo quod legitimi accuſatores non eſſent.

In fine autem Synodalis ſententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata eſt in Guibertum hæreſiarcham Sedis Apoſtolicæ pervaſorem, & in Apoſtatas S. Petri, Hugonem Albanenſem, Joannem Portuenſem Exepiſcopos, Petrum Excancellarium. Item in Lemarum Bremenſem, Utonem Hildinesheimenſem, Ottonem Conſtantienſem, Burchardum Baſilienſem, Huzmannum Spirenſem Exepiſcopos. Item in Wicilonem Moguntinum invaſorem, Sigifridum Auguſtenſem, Nortbertum Curienſem, in hos, & in omnes complices, inevitabilis ſententia anathematis promulgata eſt, ſubſcripſerunt per ſe, aut per Legatos ſuos

Hermannus Rex Romanorum.
Otto Monachus (*a*) Cluniacenſis Legatus Gregorii Papæ.
Gebhardus Salisburgenſis Archiepiſcopus.
Hartwicus Meydenburgenſis Archi-Epiſcopus.
Adalbero Wirzburgenſis Epiſcopus.
Altmannus Batavenſis Epiſcopus.
Bernardus Merspurgenſis Epiſcopus.
Guntherus Citicenſis Epiſcopus.
Benno Moeſianus Epiſcopus.
Albertus Vangionus Epiſcopus.
Burckhardus Halberſtadenſis Epiſcopus.
Hermannus Mediomatricus Epiſcopus.
Reginardus (*b*) Mindenſis Epiſcopus.
Wigoldus Auguſtanus Epiſcopus.
Gebhardus Conſtantienſis Epiſcopus.
Heinricus Bambergenſis Epiſcopus.
Eckbertus Marchio Saxonum Brunovicenſium.
Henricus Craſſus, filius Ottonis Ducis Bavariæ.
Conradus Comes a Beuchlingen.

Bertoldus in Chronico, quem Baronius, Bzovius, Chriſtianus Lupus ſecuti ſunt.

(*a*) Epiſcopus Eccleſiæ Oſtienſis.
(*b*) Quatuor hi ultimi Epiſcopi erant a Legato Pontificio, vel Hermanno, introducti in has Eccleſias, Reginhardus in Mindenſem, ad quam Colonienſis Metropolita ordinaverat Folemarum, Wigoldus in Auguſtanam, in qua ſedebat Sigefridus, poſt captus.
In eadem Synodo damnata fuit hæreſis Henriciana, qua aſſerebatur Imperatoribus & Regibus ſummam poteſtatem eſſe in profana & ſacra: item hæreſis Weciliana, aſſerens Principem rebus ſuis ſpoliatum Divinis legibus non teneri. Ita a ſchiſmate ad hæreſin itum. *Chronographus Saxo pag.* 268. *apud Leibnitz.*

CONCILIABULUM MOGUNTINUM

QUATUOR ARCHI-EPISCOPORUM, & DECEM EPISCOPORUM, CONTRA GREGORIUM VII. PRO CLEMENTE III. ANTI-PAPA.

Anno Chriſti MLXXXV. Gregorii VII. Papæ XII. Henrici IV. Regis XXIX. Imp. I.

SEd ea (acta in Synodo Quindelinburgenſi proximo Paſchate) poſtquam ab Henrico Rege cognita ſunt, vix tres hebdomadæ effluxere, cum & ille MOGUNTIÆ ad S. Albanum *Pſeudo-Synodum Schiſmaticorum* ſuorum Epiſco-

porum congregavit, cui ipſe cum Legatis Pſeudo-Pontificis interfuit. Acceſſêre ad hanc Synodum Wecilo (*a*) Moguntinenſis, Eilbertus Trevirenſis, Sigewinus Colonienſis Archi-Epiſcopi, & Liemarus Bremenſis per Legatum; adhæc Conradus Trajectenſis, Henricus Leodienſis, Udalricus Eichſtadenſis, Meginwardus Friſingenſis, Otto Ratisbonenſis, Rubertus Bambergenſis, Hermannus Spirenſis, Otto Conſtantienſis, Sigefridus Auguſtanus, Gebehardus Pragenſis, Udo Hildeſimenſis, Henricus Paderbornenſis, Erpo Monaſterienſis (adeo jam nomen illud pro Mimigardevordenſi receptum erat) Folcmarus Mindenſis Epiſcopi: tres præterea Bibo Tullenſis, Burchardus Baſileenſis, Otto Stratzburgenſis Epiſcopi, Legatos ſuos miſêre. Multi ex his metu Regis potius, quam voluntate ſua adfuêre, qui manu quidem & ore, ut Sigebertus retulit, *Guiberto addicti*, corde tamen Gregorio adhæſêre, ideoque a Synodo ſe deinceps detraxerunt. Interim Schiſmatici, qui convenerant, Epiſcopi, præſide Wecilone Moguntino Archi-Epiſcopo, adverſus Gregorium Pontificem pronuntiarunt; tamquam paria relaturi Synodo Catholicorum Epiſcoporum, ne horum judicium quicquam derogaret Henrico Regi ſuo. Quapropter umbratilem hanc Synodum appellavit Bertholdus Presbyter.

Schatenus Annal. Paderbornen. Tomo I. ad h. a.

ACTIO II.

Gebehardo, Pragenſi, reſtituitur Moravienſis Eccleſia, aliquanto tempore ei ſubtracta.

IN eodem Concilio Gebehardus, frater Wratizlai Ducis Boemiæ & Poloniæ, Pragenſis Eccleſiæ Præſul, ſcripta ſua antiquæ querimoniæ præſentavit de Joanne Moravienſi Epiſcopo, qui eodem anno ab hoc ſæculo migraverat. Replicavit etiam Privilegium ſancto Adalberto Prædeceſſori ſuo, a Benedicto Papa, & Imperatore Ottone I. confirmatum.

Unde factum eſt, ut *Wratizlaus* Dux, & frater ſuus *Conradus*, eidem Gebehardo Epiſcopo Moraviæ Parochiam reprofiterentur & redderent, cujus redintegrationis auctoritatem Imperator in charta deſcribi, & ſigilli ſui impreſſione juſſit inſigniri.

Acta ſunt hæc Moguntiæ III. Kal. Maji.

Annaliſta Saxo Eckharti Tomo I. Corporis Germaniæ Script. ſed ad annum 1086. *refert.*

Epiſcopi, qui Moguntino Conciliabulo intereſſe noluerunt, ſed Catholicæ cauſæ adhærebant, hi fuere: Gebehardus Saltzburgenſis, Hartwicus Magdeburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopi; Epiſcopi: Adalbero Wurceburgenſis, Altmannus Paſſavienſis, Adelbertus Wormatienſis, Burchardus Halberſtadenſis, Werinherus Merſeburgenſis, Guntherus Citicenſis, Benno Misnenſis, Hartvingus Virdunenſis, Herimannus Metenſis, Reginhardus Mindenſis, Wigoldus Auguſtanus, Gebehardus Conſtantienſis, Henricus Paderbornenſis. Hi omnes nullo humano metu, nullo favore ſeduci poterant, & plerique ex illis exilium ab Eccleſia ſua, quam cauſam Catholicam deſerere maluerunt. Adde his omnes reliquos Occidentis & Orientis Eccleſiarum Epiſcopos, Gregorio VII. adhærentes, & videbis, quantula ſit auctoritas 18. Epiſcoporum Moguntiæ coactorum vel per ſe, vel per Legatos ſuos pro Anti-Papa Guiberto, ejusque Legatis tribus.

De Abbatibus ſcribit Trithemius:

Eos Abbates in Germania, qui Gregorii VII. partem ſequebantur, propter tyrannidem Henrici, aut de ſuis Monaſteriis fuiſſe vi expulſos, aut communionem habere cum excommunicatis recuſantes, propter ſerenitatem conſcientiarum ſpontanea voluntate receſſiſſe a ſuis

Mona-

(*a*) *Hujus elogium compendio dat Bertoldus Conſtantienſis ad hunc annum.* Henricus congregata multitudine Schismaticorum, Wecilonem Clericum Halberſtadienſis Epiſcopi fugitivum, Moguntinenſi Epiſcopatu remuneravit: eo quod illi in omni pertinacia contra Dominum, & SANCTUM PETRUM, indefeſſus cooperator adfuit, qui ipſe jam dudum anathematizatus, & ab anathematizatis electus, nihilominus etiam ab anathematizatis juxta Pelagium Papam non conſecratus, ſed execratus eſt. *Ex editione Urſtiſii.*

Monaſteriis exules. Wilhelmum Hirſaugienſem Abbatem ſuum, vocatum Moguntiam non adiviſſe, ſed cauſas rationabiles ſuæ abſentiæ oppoſuiſſe. Verbo Decretum Moguntiæ fuit, quod omnes Epiſcopi & Abbates Imperatori eatenus rebelles, deponerentur absque contradictione, & alii obedientes Imperatori in eorum locum conſtituerentur.

Trithemius in Chronico Hirſaugienſi novæ edit. Tomo I. pag. 265.

Bertoldi Conſtantienſis Presbyteri coævi judicium de Moguntino Conventu audiamus: Hi omnes adverſarii Eccleſiæ Dei, excommunicati ſcilicet in Synodo orthodoxorum Romana, & Quintelinburgenſi, in tertia hebdomada collegerunt Moguntiæ non Synodum, ſed Conciliabulum, in quo umbratilem ſententiam excommunicationis contra fideles S. Petri depromſerunt, utpote nequaquam illos excommunicare valentes, ſed apertiſſime ſeipſos a communione fidelium ſequeſtrantes, ut non tantum judicio Eccleſiæ, ſed & proprio eorum judicio ſicut omnes hæretici a Catholicis eſſent ſeparati. Sedes quoque Catholicorum Epiſcoporum viventium temeraria cupiditate cæcati ſibi vindicare non timuerunt. *Binius ex Bertoldo Tomo III. Concil. Parte II. pag. 406.*

HERMANNUS, SPIRENSIS EPISCOPUS,
INVITAT EPISCOPOS ET PROCERES LONGOBARDIÆ AD MOGUNTINUM CONVENTUM.

IN Domino Dominorum diligendis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Marchionibus, Comitibus, nec non etiam totius Longobardiæ tam minoribus, quam majoribus, Hermannus, Spirenſis Epiſcopus, ſervitutem & orationem.

Super Regni perturbatione, Regiæque poteſtatis derogatione, nec non etiam ſuper vacillante ſtatu Eccleſiæ, non minus ego dolens, quam cœteri Principes Regni, decrevimus Moguntiæ inire conſilium, ſi fieri poſſit, ut & Regni perturbatio ſedetur, Regia poteſtas redintegretur, & Eccleſiæ, ne omnino naufragium patiatur, ſuccurramus. Quonam autem modo hoc fieri poſſit, excogitare nequivimus, niſi caput peſtiferi ſerpentis penitus abſcinderetur, cujus venenoſo afflatu hæc exorta hactenus intumuerunt: Manente vero cauſa efficiente, quomodo poterit effectus extirpari? Quo inito conſilio tam primates, quam minores, firmiter fideliterque decrevimus, ut Hiltebrandus, ille Sedis Apoſtolicæ ſubdolus invaſor, Divinarum, humanarumque legum execrabilis perturbator, Deo opitulante, omnimodis abdicetur, aliusque in ſedem Apoſtolicam eligatur, qui diſperſa colligat, confracta conſolidet, non diſcordiam, non bella, ſed pacem in ſancta Eccleſia deſideret. Nec ab hoc negotio perficiendo ſtrenuitatem veſtram abſterreat, quod prius in ſimili conſilio nos, portum tenentes, periculoſæ procellarum jactationi vos commiſimus; ſed potius viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, qui ſperatis in Domino, pro certo ſcientes, levius extorqueri clavam de manu Herculis, quam in præſenti negotio divellamur, vita Comite a vobis.

Ex codice MS. Tegernſeenſi deſcripſit Cl. Schannatus bonæ memoriæ.

CONRADUS EPISCOPUS,
Confirmavit STATUTA, Privilegiaque Trajectinæ Eccleſiæ jam ab Epiſcopis anteceſſoribus facta, & indulta hoc diplomate.
ANNO CHRISTI MLXXXVII. VICTORIS III. PAPÆ II. HENRICI IV. REGIS XXXII.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, & ſancti Martini confeſſoris, glorioſi Patroni mei. Ego CONRADUS Sanctæ Trajectenſis Eccleſiæ humilis

lis Episcopus, notum esse volo posteritati universæ, quod a venerabilibus viris in Christo dilectis, Præposito, Decano, & capitulo majoris Ecclesiæ Trajectensis. prædictæ vocatus veni ad capitulum, ut *privilegia* & *statuta* ab antecessoribus meis Episcopis concessa edita perscrutarer. Visis igitur & examinatis pluribus eorum privilegiis a prædecessoribus meis concessis & editis, videlicet a Dominis *FREDERICO*, *RADBODO*, *BALDRICO* & *ADELBOLDO*, Ecclesiæ ipsorum a Danis destructæ reparatore, & fundatore glorioso, & pluribus aliis Episcopis antecessoribus meis inter cætera reperi statutum sub his verbis.

" Ne ea, quæ *Sancti Patres*, & antiquitas veneranda Spiritu Sancto inspirante statuerunt, a memoria posteritatis elabantur, decet, & convenit scripturarum memoriis personare, & nota facere tam præsentibus, quam futuris. *Sciant igitur universi quod in fundatione primæ majoris Ecclesiæ Trajectensis certus numerus est statutus* (a) *Canonicorum, scilicet quadraginta, cum Præposito & Decano.* Processu vero temporis multiplicatis fidelium populis, pluribusque Ecclesiis collegiatis ex inspiratione Divina, & consensu (*b*) majoris Ecclesiæ prædictæ fundatis & constructis, tam in civitate Trajectensi, quam in Diœcesi Trajectensi. Deinde per Episcopos, & majorem Ecclesiam earum fundatores decretum exstitit, & statutum, (*c*) ut omnes Ecclesiæ prædictæ matrici Ecclesiæ sive majori prædictæ perpetuis temporibus sint subjectæ, & in memoriale subjectionis, cum Præposituram earundem aliquam vacare contigerit, capitulum, ad quod ejusdem (*d*) collatio pertinet, unum de canonicis dictæ majoris Ecclesiæ in Præpositum eligat, & nullum aliunde assumat, cum Archidiaconi esse debeant, nisi tantummodo in Ecclesia Cathedrali. (*e*) Item cum Episcopus Præposituram Tielensem, Thesaurarium, Scholastriam, Chori-Episcopum & quædam alia officia, S. de Eist, & Delenberghe, Præpositura nuncupata, quæ etiam *claustrales obedientiæ* appellantur, suæ collationi reservaverit, nulli eam conferre nisi canonico majoris Ecclesiæ poterit, aut debebit. (*f*) Ecclesiam S. Salvatoris, quæ cum majori simul est fundata & dotata, ipsique annexa fraternitate speciali suum præpositum conferre cuicûnque voluerit est consueta. (*g*) Decretum est & statutum, quod de singulis Ecclesiis trium congregationum civitatis, in solemnitatibus Paschæ, Pentecostes, Nativitatis Domini, S. Martini gloriosi Trajectensis Patroni, & in aliis omnibus matricis Ecclesiæ prædictæ legitimis stationibus, intererunt, & cum Diaconis comministrant, & tantum Episcopali sedi debitum reddant. Item statutum est, ut, cum Decano majori expedire videbitur, & necessitas requiret, quod Episcopum & Archidiaconos, & Ecclesiam tam civitatis quam Diœcesis Trajectensis pro tempore existentes ad capitulum vocare tenebuntur. (*h*) Item Abbates de civitate, & Diœcesi ad omnes stationes erunt in civitate, & non stabunt inter canonicos, nec in stallo canonicorum, sed in alio loco, induti albis, & cappis sericis, & Episcopum, quocunque iturus est, in choro, vel Ecclesia duo ducent. Hoc igitur quia sancti Patres, & veneranda antiquitas tam laudabiliter statuerunt, & teneri decreverunt; nulla posteritas cujuscunque conditionis infringat, sed perpetuis temporibus observet, & qui aliqua ex eis infringet, anathema sit. Amen.

Quibus visis idem Præpositus, Decanus, & Capitulum humiliter supplicaverunt, ut privilegia hujus & *statuta* dignarer confirmare.

Quapropter eorum humilibus petitioni-

(*a*) Canonici 40. tantum Collegii D. Martini in principio constituti.
(*b*) Eminentia majoris Ecclesiæ.
(*c*) Cui alii parent.
(*d*) Et ex cujus collegio eligendi aliarum Ecclesiarum Præpositi, non aliunde assumendi.
(*e*) Item alii aliis dignitatibus ornandi inter cæteros præpositura Tielensis, Elst, & Delenberghe.
(*f*) Ecclesia S. Salvatoris simul cum majori fundata.
(*g*) Sacerdotes trium Ecclesiarum civitatis adstricti ad stationes Ecclesiæ matricis.
(*h*) Abbates Diœcesis Trajectensis adstricti ad omnes stationes Ecclesiæ matricis.

tionibus inclinatus, considerans etiam apud Deum peccatrici animæ profuturum, si honorem Ecclesiæ & . . . cui præsum, ampliarem, præmissis privilegiis & statutis addo de gratia speciali & statuo, (*i*) " ut Ecclesia gloriosissimæ " Virginis Mariæ per me noviter dotata, & fundata etiam per me & ipsam " Ecclesiam majorem in omnibus tam " conferendo præposituram suam uni de " canonicis majoris Ecclesiæ, quam suis " stationibus comministrando, ut præmittitur, ipsi matrici Ecclesiæ sit subjecta.

Præmissa omnia & singula privilegia & statuta rationabiliter edita a venerabilibus viris meis prædecessoribus Episcopis, jam cum Christo viventibus, duximus confirmanda in Dei nomine, & præsentibus confirmo, præcipiens omnibus posteris sub anathematis vinculo immobiliter observate.

Acta sunt in Capitulo majoris Ecclesiæ præsentibus Domino meo (*k*) Henrico IV. Imperatore ac venerabilibus viris Annone Coloniensi, (*l*) Everardo Treverensi (*m*) Archiepiscopis, Burgardo Halberstadensi, Frederico (*n*) Monasteriensi Episcopis, Godefrido, Frederico, Gerardo Ducibus, & pluribus aliis Regni, & Episcopatus fidelibus.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo octuagesimo septimo, .. Anno Domini Henrici Regni 33. Imperii vero 5. mei vero 13. Kalendas Novembris. (*o*)

Heusden Batavia sacra pag. 135. 136.

Ex Annalibus hactenus ineditis Petri Bockenbergii.

(*i*) Ecclesia D. Mariæ a Conrado fundata matrici, ut aliæ, subjecta.
(*k*) Henricus Imperator præsens in capitulo Trajecti.
(*l*) S. Anno jam anno 1075. obierat: sedebat hoc anno Coloniæ Sigewinus.
(*m*) Eberhardus, Treverensis Archiep. anno 1067. obierat: hoc anno Trevericæ Archi-Episcopus erat Egilbertus: Error Librarii, qui posterioribus annis statuta iterum descripsit & augere voluit.
(*n*) Friderici Monasteriensis jam dudum mortui sedem Erpo occupabat anno 1087.
(*o*) Conradus Episcopus Ultrajectinus XXII., antea Moguntini Archi-Episcopi Camerarius, Henrici IV. Regis nutritius, cui favisse perhibetur. Unde Bertholdo Constantiensi Schismaticus dicitur. Sedit ab anno 1075. ad 1099. XIV. Aprilis, quo interemptus fuit a Frisio.

PRINCIPUM GERMANIÆ PROPE SPIRAM COLLOQUIUM CUM HENRICO IV. REGE ET IMP.

ANNO CHRISTI MLXXXVII. VICTORIS III. PAPÆ II. HENRICI IV. IMP. IV.

SUMMA. *Principes Germani, Catholico Papæ conjuncti, suadent Henrico IV. pacem cum Ecclesia Catholica, ejus Capite ineundam, sed irrito conatu.*

IN Germania Principes Regni Teutonicorum, fideles Sancti Petri, generale colloquium cum Henrico IV, & Fautoribus ejus, in Kalendis Augusti prope Nemetensem civitatem habuerunt, eique adjutorium suum, si de excommunicatione exire vellet, fideliter promiserunt.

Ille autem in solita sua obstinatione persistens, nec se profiteri excommunicatum dignatus est, licet sibi in faciem hoc a nostris instanter probaretur. Unde & nostri nullam pacem & concordiam cum eo habere statuerunt.

In prædicto colloquio literæ Domini Papæ, Victoris III, hoc anno VII. Idus Maji consecrati, & in Apostolica Sede collocati, recitatæ sunt, in quibus & suam promotionem Principibus Germaniæ denuntiavit, & Judicium sui Antecessoris piæ memoriæ Gregorii Papæ (*a*) super Henricum & Fautores ejus, apertissime confirmavit.

Bertoldus, coævus autor, Constantiensis Presbyter.

Ill. Baronius ad h. a. n. XVIII.

(*a*) Hinc patet *figmentum pœnitentiæ*, quod Sigebertus Sancto Gregorio morienti attribuit in suo Chronico: cui & cæteri omnes coævi Scriptores contradicunt.

Anno MLXXXIX. Colloquium rurſum Saxoniæ Epiſcopi & Proceres cum Rege Henrico habent. Petunt, ut cum Pontifice & Eccleſia in gratiam redeat, Guiberto, Antipapæ, renuntiet, pronos ſe ad obſequium Regis redituros. Rex non multum abnuere viſus; ſed Proceres & Epiſcopi ſchismatici mentem alio averterunt, & conſilia Catholicorum eluſa ſunt.

Schatenus ad h. ann. ex Bertholdo.

SYNODUS DIOECESANA BAMBERGENSIS
ANNO MLXXXVII. A ROBERTO, BAMBERGENSI EPISCOPO, CELEBRATA,

In qua juxta priorem Synodum anni MLVIII. Decimatio Novalium revindicatur.

ANNO Dominicæ Incarnationis MLXXXVII. Indict. XI. XI. Kalend. Aprilis, celebrata eſt Synodus in hac Bambergenſi Eccleſia, ſub Domino Roberto, ſeptimo hujus Sedis Epiſcopo: Ubi inter cætera Eccleſiaſtica negotia, univerſi, qui Synodo Domini *Guntharii* intererant; Clerici quidem per ſanctam obedientiam; judices vero cæterique laici Sacramentis aſtricti, uno ore proteſtati ſunt: quemadmodum novalium decimationes, de quibus inter noſtram, & Wirceburgenſem contentio erat Eccleſiam, Synodali judicio, ſub Domno *Gunthario*, quinto hujus Sedis Epiſcopo, noſtræ adjudicatæ ſunt Eccleſiæ. Et hæc nomina teſtium, qui ad memoriam modernorum, quid ſub Domno *Gunthario* viderint, & audierint, proteſtati ſunt.

Adalbero Decanus.
Aencher, Eccho, Adelbereth, Sigelo, Ozo, Huno, Ruthart.

Hi ſunt Clerici:

Erbo, Aſcuvin, Volrat, Friderich, Arnolt, Debolt.

Hi vero Synodo Domni noſtri Roberti.

Gebenart Præpoſitus.
Poppo Decanus.
Tiemo Abbas.
Kezelin, Eberhart, Heriman, Eberhart, Adelbero, Poppo, Bruno, Erneſt.
Adelbero Decanus.
Huno, Mengoz, Gunthere, Rabodo, Erehenbreht, Arnolt.
Domnus Bodo.
Gozuvin Comes.
Friderich de Caſtel.
Gozuvin de Ansperc.
Adelolt, Wolpodo, Lamprecht, Bruno, Ebirhart.

Ex Schedis Cl. Schannati b. m.

CONVENTUS AQUISGRANENSIS
Anno Chriſti MLXXXVII. Victoris III. Papæ II. Henrici IV. Regis XXXII. Imp. IV.

SUMMA. 1. Eccleſiam S. Servatii in Trajecto. 2. Nominationem Præpoſiti. 3. Advocatiam ſolius juris Regii eſſe oſtenditur. 4. Sub banno IX. Epiſcoporum.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, & victorioſiſſimæ crucis, & ſanctæ Dei genetricis Mariæ Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ filiis tam poſteris, quam præſentibus, gratiam Dei, perpetuamque pacem.

Quoniam Regibus & Imperatoribus a Deo

a Deo in pacem Ecclesiarum constitutis solicitudo esse debet, sibi commissis prudenter & strenue providere Ecclesiis, necessarium duximus, ut, sicut in statu honoris sui, & integritate libertatis adhuc positæ, sunt conservandæ, ita dominatione iniqua oppressæ, in pauperiem redactæ, libertatis honore destitutæ, sint reformandæ. Talis ergo & tantæ solicitudinis studio, benignitas nostra Ecclesiam *B. Servatii in Trajecto* respiciens, iniquæ & gravi ejus servituti condoluit, nec passa est ulterius eam debita libertate destitui. Pia namque contectalis nostræ conjugis *BERTÆ* petitione, & Principum Regni nostri judicio, iniquæ Dominationis jugum, & omne jus beneficialis servitii prædictæ Ecclesiæ remisimus, nullique eam ulterius servituram, nisi Romanis Regibus vel Imperatoribus, & respectu libertatis perpetuæ ad sanctum Petrum & Romanam sedem, quo jure regalia omnia respiciunt, amplius habituram, imperiali auctoritate, & banno confirmavimus. II. Dominium vero Præposituræ ejusdem Ecclesiæ nulli concessimus recipiendum, nisi ei, quem Regia vel Imperatoria manus in curia & capella sua Cancellarium suum ordinaverit. III. Advocatiam quoque altaris prædicti, omnibus, nisi solis Imperatoribus & Regibus & Prælatis, dono eorum Ecclesiæ præsidentibus, tenendam Imperiali auctoritate & banno contradiximus. Hanc igitur libertatis confirmationem quondam a Domino *KAROLO* Imperatore factam, & multorum Episcoporum tunc præsentium anathemate firmatam, nos quoque ob meritum sancti & venerabilis *SERVATII* & dignitatem Cleri & familiæ, quæ fere omnis ex ingenua parentum propagine, libera traditionis conditione ad proprietatem Ecclesiæ processit, quasi neglectam, & violentia quadam destructam, conditione prædicta renovavimus.

Sit egro Præpositura ista cum Altaris sui advocatia soli Regali vel Imperiali libertati adstricta, ab omni proprietate alterius Ecclesiæ aliena. Et hoc merito: quoniam ipsa quondam viginti Episcoporum sedes, simul exstitit, & Regalis & Imperialis curia. Ducibus quoque & Comitibus, & cæteris personis nunquam beneficium fiat, sed perpetuo existens libera, Regali tantum vel Imperiali aulæ deserviat. Hujus autem libertatis consilio aut opere violatores ab Episcopis tunc præsentibus excommunicatos, Reos Majestatis nostræ, & Apostolica feriendos sententia, Regum & Imperatorum persequendos gladio, quasi hostes Imperii pronuntiamus.

Acta sunt hæc Aquisgrani Palatio anno Dominicæ Incarnationis MLXXXVII. Indictione decima, regnante Henrico Imperatore, Conrado filio ipsius, Duce, Anno Regni ejus XXXII. Imperii IV. Henrico Episcopo Leodiensi, Godeschalio Trajectensi Præposito, Dudekino Decano.

Hi affuerunt testes:

Sigewinus Coloniensis Archi-Episcopus.
Liemarus Bremensis Archi-Episcopus.
Conradus Trajectensis (*a*) Episcopus.
Erpo Minmengardefurdensis Episcopus.
Theodoricus Werdunensis Episcopus.
Burchardus Lausanensis Episcopus.
Folmarus Mindunensis Episcopus.
Henricus Paderbrunnensis Episcopus.
Heinricus Leodiensis Episcopus.

Hi prædictæ libertatis violatores excommunicaverunt.

Hi quoque Regni Principes affuerunt testes:

Dux Saxoniæ.
Magnus Dux Lothariorum.
Conradus Marchio.
Godefridus Adelbertus Comes; Heinricus frater ejus.
Cono Comes.
Arnoldus Comes.
Henricus Comes de Lacho.
Godefridus de Kerklo Comes. Item G. filius ejus cum multis aliis.

Signum Domini Henrici quarti Regis & Imperatoris.

(L. S.)

Exstat Diploma in exegesi de Episcopatu Tungrensi & Trajectensi Cap. VII. præmissa Tomo VII. Maji in actis Bollandinis.

SYNO-

(*a*) Ad Rhenum. In Diplomate sermo est de Trajecto ad Mosam, ubi asservatur corpus S. Servatii.

SYNODUS TREVERICA

SUB EGILBERTO ARCHI-EPISCOPO. (*a*)

Anno Christi MLXXXVIII. Urbani II. Papæ I. Henrici IV. Regis XXXIII. Imp. V.

Præceptum Godefridi Ducis, quo Cellam S. Dagoberti prope Satanacum (Stenay) ab Arnulpho Comite occupatam Gorziensibus Monachis restituit in Synodo Treverensi.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Godefridus Divina propitiante gratia Dux & Marchio. Justum & utile esse nobis, scire & considerare debemus, ut quoniam sæcularis militiæ negotiis occupati, Divinis intendere, prout expedit, nequaquam valemus, saltem Deo & sanctis peculiarius in Monasteriis Deo servientibus consilium nostrum, & auxilium exhibentes, per hoc beneficientiæ eorum, pariterque mercedis, ipso Deo donante, participes existere valeamus. Unde notum esse volumus sanctæ universalis Ecclesiæ filiis fidelibus tam futuris, quam præsentibus; quia Dux Godefridus avus meus cum Beatrice uxore sua apud Sathanacum (*b*) juris sui villam in Ecclesia S. Martyris Dagoberti pro suarum animarum remedio monachos in Monasterio S. Gorgonii constituerunt, eisque inter alia ad supplementum victus, & vestitus Ecclesiam villæ Mosaci, quæ sine contradictione suæ proprietatis erat, legaliter condonaverunt: quam etiam ipsi monachi tota vita ipsius avi mei, & filii sui avunculi mei quiete, & pacifice possederunt. Postquam vero, ipsis defunctis, in nostras manus honor eorum per successionem devenit, & pene omnis Regio, ipsis ante subjecta, in odium nostri, atque inimicitias gratuitas conjuravit; ipsi tunc hostes nostri, causa odii in nos assumpti, in ipsos quoque Monachos insurrexerunt, eisque per summam injustitiam atque violentiam ipsam Ecclesiam de manibus abstulerunt, atque alteri in beneficium tradiderunt, multisque annis, usque dum videlicet erga nos in gratiam redirent, cœptam injustitiam Deo, Sanctisque sibi famulantibus intulerunt. Super qua re, cum apud Sathanacum nobis præsentibus quæstio oborta fuisset, & ipsis etiam coessentibus, qui ipsam violentiam exercebant, concio monachorum nos super hac interpellare cœpisset, seque jam super hoc (*c*) *apud Synodum Trevirensem* proclamationem fecisse, & *judicio Synodali* ipsam Ecclesiam suo juri adjudicatam fuisse, & auctoritate Pontificali pacem & quietem possidendi sibi imperatam esse dixisset, simulque adhuc superesse testes, qui prædictæ donationi avi mei interfuissent, efficaciter affirmasset; ipsos testes undique evocari, & ante nos coadunari effecimus, & ipsis testificantibus vera esse, quæ ipsi asseverabant, omni parte reperimus. Quibus omnibus auditis & diligentius consideratis, visum est nobis, (*d*) Comitem Arnulphum, qui Princeps ipsorum fuerat Ecclesiæ pervasorum, sub nomine Sacramenti & Fidei conjurare, utrumnam hæc omnia cog-

[*a*] Egilbertus, Trevirorum Archi-Episcopus, habita Treveris Synodo Mosacensem Parochiam, Sathanacensi cellæ ablatam, reddendam curavit. Res relata in tabulas Treveris. *Alexander Wilthemius Soc. JEsu in notis ad acta S. Dagoberti Francorum Regis & Martyris pag.* 79.

(*b*) *Stenay*, oppidum Mosellæ incubans.

(*c*) *Apud Synodum Trevirensem judicio Synodali Ecclesiam ipsam suo juri adjudicatam fuisse*) Reddebatur namque jus a Synodo Archi-Episcopali (quam hodie Consistorium Archi-Episcopale vocamus) de quibuscunque rebus Ecclesiasticis in Archi-Diœcesi sitis, etiam adversus laicos, sicut hodie.

(*d*) *Comitem Arnulphum*) Chiniacensem hujus nominis secundum, qui an anno 1106. an 1110. obierit, incertum est. Vide *Bertholet Histor. Luxemb. Tom. III. pag.* 252.

cognoſceret vera eſſe, an potius ea vel vellet, vel poſſet veraciter impugnare; qui ſine ipſa adjuratione confeſſus eſt, hæc ita, ut diximus, acta eſſe, ſeque & interfuiſſe & audiſſe, & vidiſſe, & ipſo avo meo hanc donationem faciente, laudâſſe. Hac ejus confeſſione perceptâ, ſubſequenter eum monuimus, ut Sancto & nobis exinde faceret, quod facere jure deberet, & ipſam invaſionem coram Deo & Sanctis emendans, deinceps ab ipſa Eccleſia cum omnibus ſibi ſubjectis perpetualiter abſtineret; & ipſe jure obniti non valens, ad opus Dei & S. Dagoberti, (e) ſibique deſervientium Monachorum, ipſam Eccleſiam nobis integre, & ſine omni impoſterum reclamatione reddidit & (f) verpivit, & nobis ipſius Eccleſiæ donum S. Dagoberto ſuper altare reſtituentibus, ipſe ſpontaneus interfuit & laudavit. Unde ut hæc rerum geſtarum memoria per tempora ſuccedentia firma permaneat, & inconvulſa, hanc deſcriptionem memorialem fieri juſſimus, & ſigilli noſtri impreſſione, ac teſtium idoneorum affixione roborare ſtatuimus. Signum Godefridi Dei gratia Ducis & Marchionis. Signum Almarici. Signum Simonis fratris ſui. Signum Walteri. Signum Attonis. Signum Dudonis. Signum Gerardi. Signum Hembardi. Signum Helberti. Signum Arnulſi. Signum Aleranni. Signum Simonis. Signum Urſionis. Signum Heriberti. Signum Hagineri. Signum Oilardi. Signum Guigfridi. Signum Franconis. Signum Hugonis. Signum Hermanni. Acta Bullioni anno Dominicæ Incarnationis MXCIII. Indict. I. Anno Regni Henrici quarti XXXVII. Imperii X. Pontificante Domno (g) Fulberto Trevirorum Archi-Epiſcopo anno ſui Pontificatus X.

Ex Martenii Theſauri Anecdotorum T. I. pag. 202. Refert Illmus Hontbemius Tomo I. Hiſtoriæ diplomaticæ Treverenſis N. CCXC. pag. 417. cujus & notæ ſunt.

Alexander Wilthemius S. JEſu in vita Dagoberti Regis & Mart. anno 1653. meminit hujus Diplomatis, ſed ad annum MLXXXIX. refert Synodum habitam de hoc argumento.

(e) Tertii hujus nominis Franciæ Regis, Satanaci ſepulti, cujus vitam e tenebris eruit, & luci dedit Alexander Wilthemius.
(f) *id eſt:* feſtuca abjecta donavit, quæ abjectio ſignum renuntiationis legalis erat.
(g) Corrige *Egilberto*, qui anno 1078. 6. Januarii electus fuit, unde annus decimus Pontificatus ejuſdem cadit in annum 1088. Obiit anno 1101.. Erat autem annus Chriſti 1088. Regni Henrici IV. 33. Imperii 5. Judice *Muratorio*, & Indictione XI. inſignitus.

URBANI II. Papæ Epiſtola, ex Synodo Romana ſcripta ad Gebehardum Conſtantiæ Epiſcopum canonica, qua eidem Legationem Apoſtolicam & procurationem Eccleſiarum in Saxonia & Alemannia defert & confirmat.

Anno Chriſti MLXXXIX. Urbani II. Papæ II. Henrici IV. Regis XXXIV. Imp. VI.

SUMMA RESOLUTIONUM CANONICARUM.

I. Clemens III. Ravennas Hæreſiarcha, & Henricus Rex excommunicati a Gregorio VII. tales habentor.

II. Ii, qui armis, pecunia, conſilio Eccleſiaſticos Ordines ab iis accepere.

III. Communicantes iis ex Canonum diſpoſitione excommunicentur, modus pœnitentiæ & abſolutionis diſcretioni Legati permittitur.

IV. Clerici ab excommunicatis ordinati ſub variis conditionibus, manere poſſint, in ſuperiores ordines non aſcendere.

V. Presbyteri lapſi in crimen, quomodo rehabilitandi.

VI. Abbatiæ Augiæ.
VII. Abbatiæ S. Galli Regimen Episcopale, Abbatum electio.
VIII. In Episcopatibus Augustensi, Curiensi, Pataviensi inspectio.
IX. Demum procuratio omnium Ecclesiarum, Saxoniæ, Alemanniæ, & earum, quæ prope sunt, Gebehardo demandantur.

URBANUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, GEBEHARDO (a) CONSTANTIENSI EPISCOPO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

QUia te speciale, post Dominum, manuum nostrarum opus esse perpendimus, & quia specialem in te Religionis gratiam esse cognoscimus; idcirco te adjuvare, tuisque necessitatibus specialiter subvenire, Domino annuente, satagimus. Quæstiones autem, quas tuis litteris significasti, vestris in partibus agitari, apud nos quoque satis frequenter noveris commoveri.

Fratrum itaque communicato consilio, diuque excommunicationis quæstione tractata, sancti prædecessoris nostri *Gregorii* sententiam confirmantes, ita eam Domino inspirante determinavimus.

Primo quidem gradu *Ravennatem hæresiarcham*, Romanæ Ecclesiæ invasorem, cum *Henrico* Rege, ejusdem perversitatis capite, ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ membris alienum, & excommunicatum esse censemus.

Secundo eos, qui armis, pecunia, consilio, aut obedientia, Ecclesiasticos maxime ordines, aut honores ab eis, aut eorum fautoribus accipiendo, eorum nequitiæ adminiculum subministrant. Hos igitur principaliter anathematis vinculo adstringentes:

In tertio gradu communicantes eis nos quidem non excommunicavimus; sed, quia ipsi se eorum communione commaculant, in nostram eos societatem nequaquam sine pœnitentiæ ultione, & absolutione recipimus. Sanctis quippe canonibus cautum constat, ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur. Ipsius autem pœnitentiæ atque absolutionis modos ea moderatione discrevimus, ut quicumque seu ignorantia, seu timore, seu necessitate negotii, cuiquam maxime necessarii, eorum se convictu, salutatione, oratione, osculatione, contaminaverit, cum minoris pœnitentiæ, absolutionisque medicina societatis nostræ participium sortiatur: eos vero, qui aut spontanee aut negligenter inciderint, sub ea volumus disciplinæ coërcitione suscipi, ut cæteris metus incutiatur, cujus disciplinæ moderamina quod ad tuam curam spectat nostræ providentiæ, prout oportere videris, pro temporibus & personarum competentia servanda committimus.

IV. Porro de Clericis, qui ab excommunicatis Episcopis ordinati sunt, necdum quidem sententiam fiximus, quia generalis mali contagium, *generalis Synodi* est cauterio comburendum. Tuæ tamen Paternitati hoc respondemus ad præsens, ut ab excommunicatis, quondam tamen Catholicis Episcopis ordinatis, siquidem non Simoniace ordines ipsos susceperint, & si ipsos Episcopos non Simoniacos fuisse constiterit; ad hoc, si eorum religiosior vita & doctrinæ prærogativa, visa fuerit promereri, pœnitentia indicta, quam congruam duxeris, in ipsis, quos acceperunt, ordinibus manere permittas, ad superiores autem ascendere non concedimus, nisi necessitas & utilitas maxima flagitaverit, & ipsorum sancta conversatio promeruerit, & hoc tamen ipsum rarius, cum cautela præcipua est concedendum.

V. De Presbyteris, Diaconis, aut Subdiaconis, qui, post acceptum ordinem in aliquo crimine lapsi fuerint sive palam sive clam, constat quidem canonum censura ab Ecclesiasticis eos officiis inhiberi; Tuæ tamen discretioni, providentiæque committimus, utrum aliqui, qui tamen infamiæ notis non fuerint aspersi, necessitate Ecclesiæ urgente, & ipsorum sancta conversatione promerente, in suis gradibus recuperari debeant. Hoc autem secundum indulgentiam dico, non secundum Imperium, ut vestra major vestris in partibus contra hæreticos habeatur authoritas, salva tamen autoritate

[a] *Gebehardus III. Dux Zuringensis, electus ex Monacho Hirsaugiensi anno* 1082. *coactus aliquot annis exulare ab Henrico IV. schis*[illegible] *ob*[illegible] 1116. *juxta* [illegible]

tate canonum, & Sanctorum Patrum decretalibus institutis. Si quem vero, quod absit, aut post acceptum, aut ante acceptum officium contigerit peremptorio sive clam sive palam, occupatum crimine inveniri: eos maxime; qui mundo adhuc vivunt, ab omni Altaris ministerio sequestramus.

VI. Sane *Insulam Augiam* sub jurisdictione beati Petri, ac Romanæ Ecclesiæ, constat specialiter contineri; sed quia eorum privilegium, quod a Romana Ecclesia obtinent, non satis meminimus, causam facile determinare non possumus: salva tamen ejus privilegii auctoritate, tibi singulariter in Clerum, & in populum illic habitantem, præter monachos, omnem concedimus Episcopalem regiminis potestatem. Cæterum, ut in eodem Abbatem Catholicum regulariter, vice nostra, præstituere studeas, tuæ obedientiæ imperamus, nec solum in eo, sed & in S. *Galli* cœnobio, & in cæteris, si quæ sint propriis Abbatibus destituta, nostra fretus auctoritate, cum consilio, quorum interesse noveris, Abbates eligere, atque electos consecrare procura. Idem etiam tibi studendum de *Augustensi*, & *Curiensi*, Episcopatibus, injungimus: nec non & de cæteris, ad quæ Pataviensis Episcopus advocari, vel adesse nequiverit.

IX. Et ipsi enim, quemadmodum & tibi, Saxoniæ, Alemanniæ, aut cæterarum quæ prope sunt, Regionum, vice nostra, procurationem injunximus, ut ordinationes improbandas improbetis, roborandas roboretis, & quicquid Ecclesiastici negotii disponendum fuerit, communicato Religiosorum virorum consilio, disponentes, quoadusque privationem, annuente Domino, Legatum Sedis Apostolicæ suscipere valeatis. Vos quia Dei zelo fervetis, & scientia doctrinaque præcellitis, omni cura atque sollicitudine utilitatibus Ecclesiasticis insudate, scientes, quoniam & nos in ipsis vestris utilitatibus libentissime annuemus: labores autem Romanæ Ecclesiæ communicare eosque opis vestræ auxilio, sublevare nullo modo pigri sitis. Benedictionum suarum vos omnipotens Deus ubertate perfundat, incolumes custodiat, & ad vitam perducat æternam.

Dat. Romæ XIV. Kalend. Maji Anno ab Incarnat. Domini nostri Jesu Christi. MLXXXIX.

Ex Codice MS. membranaceo Bibliothecæ Vaticanæ No. 382. descripsit Cl. Schannatus b. mem.

Bertoldus Constantiensis epitomen Epistolæ hujus refert ad hunc annum.

SYNODUS ATREBATENSIS

SUB GERARDO, CAMERACENSI ET ATREBATENSI EPISCOPO.

Anno Christi MXC. Urbani II. Papæ III. Henrici IV. Regis XXXV. Imp. VII.

Gravis controversia inter Atrebatensis Ecclesiæ Canonicos & Vedastinos ascetas ob S. Crucis S. Mauritii Atrebatensis oppidi Parœcias exorta, ab Gerardo Pontifice, Synodo coacta, sedatur.

Pactionis forma ita habet:

IN nomine Summæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Ego secundus Gerardus sanctæ Cameracensis, & Atrebatensis sedis Episcopus, quæ pacis sunt inter filios sanctæ Matris Ecclesiæ, quam regendam suscepi, conservare solicitus; si quæ vero contra justitiam oriantur, corrigere paratus, querelam Canonicorum S. Mariæ Atrebatensis, adversus Abbatem tum temporis Atoldum & monachos S. Vedasti, de duabus capellis diebus nostris motam, & paci fideliter redditam, scriptis mandare dignum duxi, ut quæque Ecclesia, quæ sui juris sunt inconvulse retineat, & ulterius inter filios pacis nihil contrarium exinde resurgat. Sub ipso Monasterio

ſterio S. Vedaſti hortus antiquus fuerat, in quo capella in honorem S. Mauritii a noſtris prædeceſſoribus eſt conſecrata, oblationes circummanentium ab domo Hatonis uſque ad domum Bonardi, vel convenientium recipere conſtituta. Juxta forum vero altera, in honore ſanctæ Crucis, dicta capella S. Vedaſti, decimis circummanentium cum reliquis Eccleſiaſticis officiis utens, niſi quod Presbyter ibidem a monachis deputatus, defunctos & fœminas poſt deſponſationem, & partum ad Sanctam Mariam in civitatem comitans, miſſa, vel debito obſequio proſequitur, ſuſcipiens omnem oblationem præter candelas. Noſtro ergo tempore, Canonici S. Mariæ, quia mortuos exinde habebant, etiam, quæ vivorum ſunt, juſte ſe habituros clamaverunt. Ventum eſt ad *Synodum* ubi audito clamore, & reſponſo judicio venerabilium Abbatum, Archidiaconorum, & Clericorum, qui infra ſubſcripti ſunt, ita determinatum eſt in plena Synodo, ut juxta decreta Canonum Sanctorum, eo modo, quo Abbas & fratres per triginta & amplius annos, ex quo fundatæ ſunt, ſe defendebant tenuiſſe, eo deinceps libere & quiete retineant. &c.

Ferreolus Locrius in Chron. Belgic. ad Annum MXC.

Subſignaverunt:

Gerardus Epiſcopus.
Atoldus Atrebatenſis Abbas.
Alardus Laubienſis Abbas.
Alardus Marcenenſis Abbas.
Americus Aquicinctenſis Abbas.
Albertus Hasnonienſis Abbas.
Albertus Maxeolenſis. Abbas.
Guffridus Novi Caſtelli Abbas.
Diderus Archidiac.
Matſelinus Archidiac.
Hugo Decanus.
Reinerus Decanus, aliique.

Poſt hanc Synodum lis recruduit inter Canonicos & Monachos S. Vedaſti, quæ anno MXCII. ſopita videbatur arbitris a Papa datis, & ab utraque parte acceptatis, ut videbis ex ſubjuncta Epiſtola Paſchalis II. ad Lambertum Gerardi ſucceſſorem.

Paſchalis II. PP. Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſcribit diviſionem veterem inter Canonicos Atrebatenſes & Vedaſtinos Monachos factam a ſe non confirmari, ſed duodecim arbitris litem dirimendam a ſe committi circa 1112.

PASCHALIS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI LAMBERTO, EPISCOPO ATREBATENSI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

PRo Canonicorum veſtrorum & Monachorum S. Vedaſti lite diutina (inde a Synodo 1090.) frequenter & Nos Tibi ſcripſimus, & tu nobis literas miſiſti. Cæterum, quod non parum nos gravat, adhuc lis eadem. Ad illam enim diviſionem quam Monachis abſentibus diremiſti, nos eos juſte cogere non potuimus. Venientibus autem nuper ad nos utriusque partis nuntiis, nos ad eligendos hujus diviſionis arbitros utramque partem noſtra auctoritate coegimus. Rogamus ergo Dilectionem tuam, ne graviter ferat, quod diviſionem veteris & novi burgi literis veſtris ſignificatam, nequaquam firmaverimus, quia, ut prædiximus, cogi ad eam Monachi juſte non poterant. Cæterum ad hanc infra dies quadraginta, ficut ſtatuimus, peragendam omnino te volumus imminere; quia neutra pars electis arbitris poterit refragari.

Datum Anagniæ VIII. Idus Novembris.

Eodem die XII. arbitris literas dat Papa & arbitrium de controverſiæ deciſionem committit.

Apud Dacherium Tomo III. Spicilegii pag. 463.

SYNO-

SYNODUS TULLENSIS DIOECESANA

ANNO CHRISTI MXC. URBANI II. PAPÆ III. HENRICI IV. REGIS XXXV. IMP. VII.

In qua Pibo Episcopus, canonica examinatione facta, adjudicat Abbatissæ Spinalensi capellam de Barnei.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Pibo, Divina gratia Tullensis Episcopus. Quia officium curæ pastoralis mihi commissum, pœnam negligentibus, gaudium vero, & coronam in futuro promittit fideliter exequentibus, nolo, ut ea quæ *Sancta Synodus nostra*, canonica discutione terminavit, per negligentiam meam oblivioni tradantur, & postmodum tanquam indiscussa ad discutiendum reducantur. Notificamus itaque vobis, Sanctimoniales quæ apud Spinal in proposito Virginitatis Deo servire voverunt, Ecclesiam de Barnei, & Capellam de Waneneymont sibi subditam, in usum suæ præbendæ habuisse, a tempore Leonis Papæ, qui, antequam ad dignitatem Romanæ Sedis sublimaretur, in hac Ecclesia Episcopalem obtinuit dignitatem. Nostris vero temporibus, cum Sacerdos de Sentrei, nomine Mauherus, capellam de Waneneymont suæ Ecclesiæ subditam asserere conaretur, Domina Abbatissa Spinalensis, nomine Adheleidis, & Sacerdos de Barnei, nomine Waldehuevis, prædictam capellam subditam esse matri Ecclesiæ de Barnei, canonica examinatione, me præsente, *in Tullensi Synodo* comprobaverunt. Placuit igitur nobis, ut ego Pibo Tullensis, huic examinationi scripturæ testimonium adhiberetur, ipsaque scriptura impressione mei sigilli corroboraretur. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini Millesimo nonagesimo, Indictione decima quarta sexto Idus Octobris, feria sexta, *in Tullensi Synodo* plena, residentibus, & attestantibus Hugone Primicerio, Archi-Diaconis Ricuino, Alberone, Hugone, Stephano, & Alberone Cancellario.

Calmet. Tomo IV. Probationum Historiæ Lotharingicæ pag. 566.

SYNODUS TULLENSIS

Anno Christi MXCI. Urbani II. Papæ IV. Henrici IV. Regis XXXVI. Imp. VIII.

Luctulfus Decanus Ecclesiæ Tullensis, & alii dotant Abbatiam S. Leonis in ea urbe, Pibone Episcopo ratificante & anathema apponente, donatione super altare positâ.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Pibo Dei gratia Leucorum humilis Episcopus, fidelibus Christi universis tam præsentibus, quam posteris, gratiam Spiritus Sancti.

Officii nostri est, fidelibus Christi maxime nobis commissis, non solum Spiritualia, sed etiam temporalia bona providere, & filiis pacis, ut tranquillam vitam agant, quæ ad pacem sunt procurare. Igitur devotioni & studio filii nostri Luctulfi, Ecclesiæ nostræ Decani, quo in ædificanda memoria beati Leonis noni Papæ desudat, congaudentes, & ipsius manui manum nostram in adjuvando conjungere volentes, studuimus diligenter exarare, qualiter ipse & Ecclesia, quam ædificat, *villam Martini-montis* adquisierit, Dei munificentia adminiculante. Siquidem strenuus

Comes Hugo de Dasborc, venerabilis Henrici filius, intrinſecus Dei tactus inſpiratione, & nobilis proſapiæ beati Leonis, de qua deſcenderat, ductus dulcedine, prædictam villam, aſſenſu conjugis ſuæ & hæredum ſuorum, a quodam magno beneficio, quod a nobis tenebat, avulſam, de manu ſua emiſit, & excluſa omni hæreditaria poſtulatione, in noſtram dominicam manum repoſuit, nihilque donationis vel advocatiæ, nihil omnino juris alicujus in manu ſua retinuit. Gerardus quoque de Briceio, filius Valfridi, capita hominum utriusque ſexus, quotquot in eadem villa commanentes, quod a nobis beneficio tenebat, in dominicam manum noſtram repoſuit.

Horum igitur devotioni congratulantes, nos etiam quotquot homines in eadem villa commanentes ad noſtram menſam pertinentes habebamus, ad integritatem Dominicam de victu noſtro emiſimus. Hanc ergo villam, cum redintegrata membris ſuis, & indominicata fuiſſet, conſilio & aſſenſu ſupradictorum virorum, ſuper altare beati Leonis libere repoſuimus, & ad præbendam fratrum inibi Domino ſervientium ipſi Eccleſiæ in perpetuo poſſidendam ſub anathemate confirmavimus. Repoſuimus etiam ſuper ipſum Altare beati Leonis, in banno & poteſtate *Maſeriarum*, croadam quamdam deſuper ipſam villam inter vineas & prata jacentem, omni decimatione & cenſu liberam, & pratum inter publicam ſtratam & pratum noſtrum jacentem, pro quo cuſtodibus banni ſolvuntur quatuor nummi. Denique præſentibus, & futuris volumus notum fieri Maſſeriarum & Martini montis fines, paſcuas, ſylvas, omnino ita eſſe communes, ut injuria & injuſtitia ſit, ſi alii alios ab his omnibus excludere præſumpſerint: Ipſis enim & animalibus ſuis, ſine damno his communiter uti licebit. Quod ſi forte damnum fieri contigerit, per fidelitatem hominum reſtituatur; & pro juſtitia banni noſtri remittantur duo nummi, & non amplius perſolvantur. Quod jus in omnibus villis & curiis noſtris conceſſimus & confirmavimus Eccleſiæ beati Leonis habendum. Præterea matrimoniorum, & deſponſationum uſus & conſuetudo talis ibidem habetur, ut ſi quis Maſeriarum aliquam de feminis Martinimontis ducere voluerit, ſine contradictione liceat; hoc etiam Martini-montis homines, in curia Maſeriarum jus obtinent.

Si vero deſponſata ex ſulcis Martini-montis fuerit dotata, vel die deſponſationis ejus in ipſa villa primum fuerit pernoctata; ubicunque poſtea moretur præter Maſerias, ad Martinum-montem cenſualis erit, & cum omni progenie ſua, ibi placita proſequetur. Hoc idem fiet de feminis Martini-moniis in banno Maſeriarum ductis. Conceſſimus igitur & præſenti privilegio confirmavimus, ut in villis & curiis noſtri juris, Eccleſia beati Leonis & collata pace poſſideat; & conferenda devotione fidelium libere accipiat. In quibus omnibus pro ſalute animæ noſtræ omnia jura noſtra ipſi Eccleſiæ remittere volumus; & ut nullus advocatus, nec aliquis miniſtrorum noſtrorum, ſuper hoc ei moleſtiam inferat, vel calumniam cupidine moveat, authoritate Dei & noſtra præcipiendo ſub anathemate interdicimus; nihil enim juris niſi a nobis, nihil poteſtatis, niſi per nos, in his omnibus habeat aliquis eorum. Quod ſi cupiditate ductus, inde moleſtiam Eccleſiæ intulerit, anathematis noſtri vinculo ligatus, Divinæ juſtitiæ reus erit. Deinde cum eadem Eccleſia Dei dono creviſſet, & Abbatem adepta fuiſſet, ipſe Abbas Scherus nomine, vita & moribus honeſtus, & conſilio providus, conſiderans malitiam in dies ſubcreſcere hominum, & præcavens in poſterum, & attendens ſine providentia alicujus Principis eandem villam ab infeſtationibus malefactorum ſecuram nullo modo per ſe exiſtere, noſtro & religioſorum virorum bono uſus conſilio, cum pro quodam negotio ego & Dux Theodericus, & Simon puer ejus filius, & frater Ducis Gerardus Comes, & Renardus Comes Tullenſis, & alii quamplurimi nobilium, tam Clericorum, quam Laicorum, ad Chantenoi in unum conveniſſemus, in manu ipſius Ducis, & cuſtodiam prædictæ villæ, & non advocatiam, nobis omnibus videntibus & audientibus, Abbas repoſuit, & cuſtodia ſingulis annis ſeptem modios vini, & dimidium in ipſa villa Duci recipere conceſſit: Quod ſi vini minus fuerit,

erit, aut omnino defuerit, pro modio sexdecim denarios recipere terminavit.

Dux vero, sicut erat pius & benignus in salute animæ suæ, custodiam villæ recepit. Consideratione autem paupertatis villæ, costitutum inibi fuit, ut quemcumque Dux pro ipso dirigere vellet, illic, cum tribus aut quatuor sociis, in eadem villa duo servitia per annum haberet, nec amplius aliquid exigeret, in placito non resideret, nec ad placitum aliquem cogeret, nisi forte Abbas vel præpositus ejus, ad reprimendum aliquem sibi rebellem, id ab eo fieri postulasset. Quam utique constitutionem Dux clementer annuens, in fidelitate sua obtestatus est, & custodiam villæ se diligenter procuraturum, & constitutionem præscriptam fideliter servaturum. Quod si forte ex eadem villa aliquis inopia, vel aliqua necessitate recesserit, & ad aliam transierit, quocumque declinet, nullus nisi Abbas, in eo aliquid habet.

Ne vero super his omnibus in posterum ab aliquo Ecclesia beati Leonis aliquam molestiam sustineat, vel aliqua controversia emergat, præsenti scripto his omnibus testimonium perhibemus, quod sigillo nominis nostri signari voluimus, & auctoritate Pontificali confirmavimus. Quod si aliquis superbia vel cupiditate ductus, his contrarius extiterit, & amplius, quam quod constitutum est, exigere præsumpserit, eum excommunicatum *Divina auctoritate & nostra esse censemus, & anathematis vinculo subjicimus.* Subscribi etiam voluimus in testimonium horum, nomina virorum legitimorum, qui his interfuerunt:

Signum Pibonis Episcopi.
Sign. Theoderici Ducis.
Sign. Gerardi Comitis.
Sign. Reinardi Comitis Tullensis.
Sign. Hugonis Primicerii.
Sign. Luctulfi Decani.
Sign. Riquini Archidiaconi.
Sign. Widerici militis de castro de Noviler.
Sign. Karlonis de Fonteniaco.
Sign. Hodivaut militis Deprées, & aliorum plurimorum.

Anno ab Incarnatione Domini Millesimo nonagesimo primo, Indict. XV. VI. Idus Octobris, confirmata est & signata hujus Privilegii carthа a Domno Pibone Venerabili Episcopo.

Calmet. Tomo IV. Historiæ Lotharingiæ inter Probationes pag. 491. 493.

§. II. *Synodi Tullensis Diœcesanæ Fundatio Monasterii S. Leonis in urbe Leucorum ab Episcopo & Clero, Archi-Diaconis.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. De Scripturis Evangelicis & Apostolicis præmoniti, pii Reges, religiosi Pontifices, cæteri Christiani Principes, quorum cor dilatatum est in charitatis latitudine, & rerum suarum multimoda possessione, ipsi quidem solent Ecclesias ædificare, congregationes Sanctorum adunare, stipendia necessaria suppeditare, omnique sufficientia locupletare.

Ego autem Luctulfus humilis Clericus, Tullensis Ecclesiæ claustri Decanus, quamvis nulla rerum possessione subnixus, animatus sum tamen æmulari tam grande propositum, quadam magnanimitate bonæ spei, quotidie interpellante adversus pusillanimitatem meam, & incessanter sugillante timidum animum meum. Qua in re prudens hujus mundi taxans sumptus operis & rationis, nequaquam commiretur vel contemnat pusillanimitatem meam, quia Dei munificentia semper fidus comes bonæ voluntatis, in quo omnia possibilia credenti, incœptum meum conducit & perducit ad bonam efficientiam. Siquidem ego positus inter spem & curas, Hugoni Comiti filio Comitis Henrici, sicut eram ei notissimus, hanc voluntatem meam & sollicitudinem exposui. Vir autem Domini fidelis, Spiritu Dei intrinsecus corde tactus, in hæc mihi verba respondit, sese curarum mearum futurum socium, & suscepti laboris indefessum cooperatorem, immo Principem, si in honorem beati Leonis Papæ, Tullensis Episcopi, inibi cœnobium dedicarem, & circa illud Xenodochia pauperum ædificarem. Ut quoad viverent ipse & uxor sua, pro incolumitate & prosperitate eorum fieret ibi

ibi quotidiana oratio; cum appositi essent ad Patres suos, tunc quoque impensius deberetur animabus suis & Patrum suorum Ecclesiastica memoria, & prodesset pauperum benigne subministrata refectio. Quod quidem ego Luctulfus gratanter assensi.

Igitur ipse Comes & sua Comitissa, & ego, communicato consilio adivimus Episcopum Tullensem virum piæ memoriæ venerabilem Pibonem, Ecclesiarum Dei amatorem, omni bono incœpto congratulantem, & cooperantem. Sanctus itaque Sacerdos, audito consilio, pie admiratus sæcularis viri devotionem, Sacerdotali admonitione excitat, & confirmat bene compunctam mentem, & ipse eidem operi multum se promisit auxiliaturum, quamvis tunc temporis sibi esset in manibus opus grande, quia ædificabat turrim ante Proto-Martyris Principem oratorium. Habebat autem idem piissimus Comes Hugo magnum & antiquum beneficium de eodem Venerabili Episcopo: ex hoc beneficio quandam villam, quam dicunt *Martini-montem*, avulsam, uterque Comes & Comitissa de manu sua emisit, & exclusa hæreditaria postulatione omnium successorum, in manum dominicam Episcopi reposuit. Item Gerardus de Brescio, filius Walfridi, capita hominum utriusque sexûs, quotquot in eadem villa habuit commanentes, quos de Episcopo in beneficio tenebat, in dominicam manum Episcopi reposuit. Ipse similiter egregius Pontifex, quos homines in eadem villa commanentes, ad mensam suam pertinentes habebat, ad integritatem doni de victu suo emisit. Quæ villa cum redintegrata membris suis & indominica fuisset, Venerabilis Episcopus Pibo, consilio & assensu eorumdem Comitum, super altare sancti Stephani quieta & solida traditione eam imposuit, Divinum & humanum contestatus auxilium, ut eadem villa, id est Martini-mons, cum Ecclesia & suis appenditiis, altari sancti Stephani appenderet: & cum ædificatum esset cœnobium, & aliquot cœnobitæ adunati, usibus eorum deserviret.

Addidit etiam mansos in civitate, qui appendebant ad beneficium ejusdem villæ, censos duobus solidis. Acquisivi præterea ego Luctulfus Ecclesiam de Wandelini-villa, cum omni integritate dotis ejusdem Ecclesiæ, de Comitissa Recheza, quæ etiam dedit unum hominem cum duabus quartis unius mansi; eo pacto, ut censum suæ terræ, quem debebat ad bannum, solveret ad Altare nostri cœnobii, & sic maneret quiete in banno villæ.

His itaque dispositis, deerat adhuc mansus, in quo Ecclesia & Xenodochia, & illis appenditia receptacula possent construi, quem piissimus antistes ipse, sua charitate admonitus, statim contulit, quod longum & latum non solum ad ædificia, sed etiam ad altera largissime suppeditanda sufficit. Ecclesia igitur ædificata, congruisque receptaculis, ego Luctulfus visitationem Dei, & auxilium ejus eidem loco præsidere indubitanter percepi, ideoque fiducialiter præsumens de benevolentia omnipotentis, quosdam Sanctos, qui venditis patrimoniis, & in pauperes erogatis, in monte Rumberch religiose degebant, multis precibus ambitos sollicitavi, & Episcopali authoritate invitatos demum ad me traxi, ut Apostolicam vitam, scilicet primitias Christianæ religionis, sicut prius in monte, ita quoque in nostro cœnobio ducerent, sub regula, & conscriptione Sancti Augustini: salutare namque, & congruum symbolum videbatur, ut una civitas tria perfectoria membra Christianæ religionis contineret, videlicet, Canonicos suas proprias possessiones obtinentes, & monachos sub regula sancti Benedicti cuneis nigrantes, & candidos Nazareos Apostolicam vitam ducentes; ut quisquis converti vellet ad Dominum, in hac una civitate appositum haberet, quidquid arctioris religionis eum delectaret. Igitur hi sancti viri perfecte viventes in tranquilla sinceritate sui propositi, delectabili odore sanctæ conversationis suæ multos sæcularium utriusque sexus converti ad sequendum pauperem Christum allexerunt, & illectos quosdam ad contubernium suum attraxerunt.

De quibus Petrus, filius Dodonis, se ipsum & vineam suam contulit, item Walterus, filius Bereri, juvenis Clericus, sicut & Petrus seipsum cum vineis, & manso uno contulit. Item Varnuldis, virgo Christi, seipsam eorum præbendæ & disciplinæ contradidit, & ali-

aliquot jugera arvi & vineam apud ſcrupulas contulit, quam ego vel emendo, vel cum fratre ſuo commutando, poſtea augmentavi; item vineam in Barro monte de Clero Trelino emi; item Alodium apud Focaucart, a quadam matrona nomine Aja, ſicut habebat, hæreditario jure ab anteceſſoribus ſuis per integritatem, mea pecunia comparavi; Officia puella ſoror Hugonis, vineas & duo jugera terræ contulit; quidam etiam timentes Dominum, gratuita benevolentia aliquanta jugera paſſim contulerunt, quæ per ſingulos donatores, & per ſingula loca enumerare, ne fatigarem *Synodales aures*, odioſum putavi.

Poſt hæc ego Luctulfus videns multiplicata & multiplicanda bona Sanctorum, & reputans, quoniam apud improbos mores non eſt ſatis tuta per ſe propter innocentiam ſuam probitas juſtorum ſine patrocinio magnorum; boni conſului donata ſuperius conſcripta, & in poſterum donanda, ne quis temerator audeat aliquid eorum avellere, *Synodali* auctoritate ſub anathemate confirmare, & immunitatem, in qua vivat noſtra congregatio ſecundum regulam Sancti Auguſtini, breviter deſcribere: videlicet ut noſtri Canonici, ſicut ſunt ſuæ, & ab aliis diſſimilis regulæ, ita liceat illis absque cenſura aliorum, vel Canonicorum, vel Monachorum, ſub Epiſcopali obedientia ſuo privato jure vivere. Priorem ſuum ſibi ipſi eligant, ipſi ſibi præficiant; curam animarum ab Epiſcopo ſuo Priori expoſtulent & accipiant; delicta illorum, quæ Divina virtus prohibeat, nullus Primicerius, nullus Decanus, nullus Abbas judicare præſumat, niſi Prior ipſorum, vel Epiſcopus, ſeu inobedientia vel neceſſitas illum invitat. In feſtivitatibus majoris Eccleſiæ, ſive aliarum Eccleſiarum, ad ſtationes vel ad ſepulturas magnorum extra atrium ſuum nullus eos appellet vel cogat, ſed vita eorum, ſicut eſt ſingularis, ſecreta tranquillitate ſe contineat.

Ego Pibo Tullenſis Eccleſiæ Antiſtes, *in plena Synodo reſidens*, quæſivi *ex Synodali corona*, ſi immunitatem Canonicorum Sancti Auguſtini, quæ ſuperius deſcripta eſt, qui Canonici degunt in cœnobio, quod ædificavit frater Luctulfus extra muros civitatis, ſi illam laudaret, & firmari poſtularet, aut ſi aliquid donorum quiſpiam infringere, proclamaret. Quæ ſuperius promulgata, cum omnes favorabiliter excepiſſent & firmari poſtularent; Ego quoque ſpontanea commonitus voluntate, addidi ex meo dono perpetualiter illos habere hoc juris, quod habet Epiſcopus ſuper altare de Wandelini-villa, & ſuper altare de Martini-monte, excepto, quod cenſum debeant perſolvere. Item donavi eis licentiam & auctoritatem, ut in ſuo atrio poſſint ſepulturam conſtituere, in qua ſive plebejos, ſive nobiles, quicumque poſtulabunt ſepeliri ab eis, conceſſionem meam habeant eos ſuſcipere, & in ſuſcipiendis nullus Abbas, nullus Presbyter pro conterminio ſuo audeat eos conturbare vel contriſtare. Hæc omnia ſuperius deſcripta & donata & fidelium devotione in poſterum donanda, ego Pibo Tullenſis Epiſcopus & volo, & jubeo manere rata, & inconvulſa, & Epiſcopali auctoritate ſub anathemate *Synodali judicio* confirmo obſervanda. Hæc faciat Dominus, & hæc addat, reſpondit univerſa corona.

Signum Pibonis Epiſcopi.
Sign. Hugonis Primicerii.
Sign. Requini Archidiaconi.
Sign. Alberonis Archidiaconi.
Sign. Stephani Archidiaconi.
Sign. Hugonis Cantoris & Stephani Rufi.
Sign. Theodorici.
Sign. Angeheri.
Sign. Deodati.

Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo nonageſimo primo, Indict. XV. VI. Idus Octobris confirmata eſt & ſignata hujus Privilegii charta a Domino Pibone Venerabili Epiſcopo præſidente in Synodo plenaria.

Calmet. Tomo IV. inter Probationes Hiſtoriæ Lotharingicæ pag. 489. 491.

CONVENTUS IN HEILIGENSTAD

Anno Chriſti MXCIII. Urbani II. Papæ VI. Henrici IV. Regis XXXVIII. Imp. X.

SUMMA. Ruothardus, Archiepiſc. Moguntinus, confirmat fundationem Cœnobii in villa Miminde dem Bursfeld. Præmittitur Narratio fundationis, & confirmatio Imperatoris.

IN nomine Sanctæ, & Individæ Trinitatis. RUOTHARDUS (*a*) Dei gratia Moguntinenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Cum condignum nobis, & ſalubre pro officii noſtri dignitate videatur, rebus Eccleſiaſticis quaslibet commoditates impendere, religioſis inſtitutis devota mente conſentire propoſuimus; ut quicquid ad honorem Dei, & laudem ſancitum, & ratum teneamus, & privilegii noſtri auctoritate tam futurorum, quam præſentium pateat induſtriæ, qualiter glorioſus Comes Heinricus, filius Ottonis (*b*) Ducis, ejuſque inclyta conjux Gertrudis, filia Eckkeberti Marchionis, pro animæ ſuæ remedio, hæredum ſuorum conſenſu fundaverunt Monaſterium in rippa Wirræ fluminis in villa, quæ Nimende (*c*) vocatur, in prædio videlicet, quod ipſe Heinricus adquiſiverat, a quodam nobili viro, qui agnominabatur *Albertus de Inſula.* Jacto itaque fundamento, ac congregatis ibi in ſervitium Dei *Corbejenſis Ordinis fratribus*, prædictus Heinricus cum conjuge dotavit ipſum Monaſterium cum omni prædio, quod acquiſierat ab Alberto cum omni jure, & proficuo, quo idem Albertus ejusque progenitores illud ſine omni contradictione per multas ætates poſſederant, & uſi fuerant, in villis, agris, ſylvis campis, paſcuis, cultis & incultis, exitibus, & reditibus, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, mancipiis. Quamvis autem Comes hæc rite, & legitime videretur facere, tamen quidam Magdeburgenſis Canonicus nomine *Ludolfus* præfati Alberti Germanus, non mediocriter Comitem, exigendo hæreditatem fratris, coarctavit, & tamdiu conſultores legis ac Provinciarum Rectores adverſus Comitem in omni *Concilio* interpellavit, donec jure gentis & judicio legis omnem fraternam hæreditatem ipſi Ludolfo coactus remiſit. Ludolfus itaque ſub occaſione recipiendæ hæreditatis invitatus a Comite venit in prædium, ubi prædictum fundabatur Monaſterium, quem Comes per internuntios multifariam temptabat flectere, ut quod ipſe cauſa animæ inchoaſſet, Ludolfus quoque pro æterna remuneratione ratum ſineret eſſe ac ſtabile. Sed Canonicus, ne quaſi coacta ſua videretur oblatio, nihil conditionabiliter permittere voluit, ſed omnem prorſus fratris hæreditatem juſto exegit ſamine, & cum (*d*) Cyrotheca de manu Comitis tandem recepit, ac tenuit libere. Sequenti vero die Ludolfus, Divino quodam nutu impulſus, ſed & Epiſcopi Hartwigi, qui gratia conſecrandi Altaris, *noſtra voluntate invitatus* advenerat, fratrumque Sifridi, & Cunonis Comitum oratione permotus, ſtatuit voluntarius pro ſalute, firmaque requie, Comitis votum propria oblatione confirmare. Principalis igitur Altaris conſecratione rite peracta, Ludolfus proceſſit, & utrumnam profiteretur fratris hæreditatem ſe libere recepiſſe, ac quod vellet

[*a*] Ruthardus ſedit in Cathedra Moguntina ab anno 1088. ad annum 1109. In exilium pulſus, in caſtro Hartesberg in Thuringia novem annos deliteſcere debuit, quia noluit excommunicatis a Sede Apoſtolica communicare.

[*b*] Otto, quondam Bavariæ Dux.

(*c*) Mimida, ſeu Mimenda, intra Wirnæ & Fuldæ confluentes; idem locus eſt, qui in Annalibus Francorum Nimia, Nimida, ſeu Nimide ſcribitur, judice *Schateno.*

(*d*) *Lege:* Chirotheca.

vellet inde fieri, libertatem habere, Comites perquisivit. Omnibus itaque annuentibus, ad Altare processit, primum donum post consecrationem his terminatis verbis cum Cyrotheca obtulit dicens. " En ego Ludolfus offero " Deo, & Sanctis ejus, Thomæ, & " Nicolao specialiter, in usum fratribus " hic Deo servientibus hæreditatem me" am, quam (e) jure hæreditario mihi " a parentibus cessit, prædium scilicet " Miminde ex utroque fluminis littore, " cum ejus utilitate, allodium in Dransfelde cum ejus proficuo, bonum in " Bertolderode, curtim in Heristede " cum ejus juribus, villulam in Berga " cum ejus usibus, curtim in Friderichshusen, curtim in Wittenburnen, " curtim in Werithen, novem mansos " Winithusen. Hanc oblationem solemniter factam Episcopus Hartwigus banno confirmare tam a Ludolfo quam a Comitibus Henrico, Sifrido, Cunone, rogatus est. Qui ex more, si quis huic oblationi contradiceret, percunctatus, cum nullus contradiceret; imo omnes laudarent, tunc in nomine Domini ex Apostolica & nostra, omniumque Catholicorum, ac sui ipsius interminatus est auctoritate, ne quis tam justæ donationi aliqua violentia fraude vel arte conaretur obviare, & qui aliter præsumeret, sententia Christi damnandus sub perpetuo jaceret, nisi resipisceret, anathemate. Quo dicto ab Episcopo, Ludolfus quoque suam oblationem propriis confirmans verbis, Comitem Henricum terribilibus contestatus est sacramentis, ne cuiquam hominum libero, vel servo, de prænominatis bonis aliquod unquam præstaretur beneficium, nec aliquid inde vendicare, nisi *advocatiam*, sibi suæque stirpi præsumeret, quæ contestatio, bannique interminatio, a Comitibus Henrico, Sifrido, Cunone, cæterisque omnibus audita, comprobata, laudata est, ac scriptis tradita. Etiam Henricus Comes, ac ejus conjux Gertrudis, Deo & Sanctis ejus Thomæ, & Nicolao in dotem Ecclesiæ ad usus fratrum ibi Deo famulantium, hæc, quæ subscripta sunt, curtim in Wichlo cum suis appenditiis, curtim in jure minori cum suis appenditiis, X. mansos in Reynvardeshusen, curtim in Bischopeshusen cum suis appenditiis & Ecclesia., curtim in Gardelbic, villam Bischopeshusen: Aliquantulas etiam possessiones in his villis Haltmarthen, Wereltehusen, Wyrchin, Immesin, Burdela (f) Ammenhusen, Valeberge, Hukelhem, Adenheim, Kemestide, Belkeroth, Bustelve, Wertere, Steinbrouge, Sunthusen, Odenleve Ascolfeff, Wynethe, Dopstide, Berchge, Dalheim, Vineam in Welkeroth, (g) in Sothen tres Salinas in Hildegereshusen V. solidos, in mansos, in Reynnethe IX. mansos, in Kelvera Ecclesiam, & XIII. mansa & molendinum, in (h) Nova, XXII. mansos, in Honetha unum mansum, in Haltzenroth IV. mansos, in Wephleta V. mansos, in Halbick unum talentum, villar (i) Wilingeburin, possessiones in Holtzraten. Comes Sigfridus obtulit X. mansos in Asta. Ad hæc nobilis ille vir Heinricus, fundator hujus Cœnobii, quæcumque pia & justa sunt, & loca utilia, assensu & consilio nostro statuit, & statutum ab ipso Imperatore HEINRICO confirmari obtinuit, scilicet 1. ut nemo hæredum suorum aliquid in Abbatia sibi usurpet præter advocatiam. 2. Nulli advocatia in beneficium præstetur, sed ad nutum Abbatis in absolutionem peccatorum commendetur. 3. Advocatus in Abbatia absque permissu, vel rogatu Abbatis, nullam potestatem exerceat in aliquo. 4. Ibi etiam publicum forum, & percussura adinstar Goslariensis monetæ, cum omni forensi jure, pro Abbatis disponatur arbitrio. Ut sit ibi Abbatis libera & Canonica secundum regulam B. Benedicti electio. 5. Si aliquis liber homo, in quocumque degens Comitatu, se vel bona sua Ecclesiæ præfatæ tradere voluerit, liberam potestatem habeat sine cujuslibet Comitis, Rectoris, Judicis Provinciæ contradictione. Facta sunt hæc Anno Incarnationis Dominicæ MXCIII. Indict. I. II. Idus Junii. Imperante Heinrico IV.

No-

[e] *Forte:* quæ *pro* quam.
(g) Walkeroht.
(i) Villam Wilingeburin.
(f) Burdata *alias.*
(h) In Nora *alias.*

Nobis autem eodem anno *Idus Julii* cum amicis noſtris in *Heiligenſtad tenentibus conventum* cuncta hæc in noſtri præſentia multis audientibus Clericis & Laicis ſunt recitata, comprobata & laudata. Nos etiam pietatis affectu ejusdem loci fratribus conceſſimus, & noſtræ ſedis auctoritate Eccleſiaſtici juris legibus, 6. Ut libere videlicet infantes Baptiſare, 7. Infirmos viſere, 8. Et omnes, qui ſe illi devoverint, & ſepulturæ locum inibi elegerint, ſuſcipere, & ſine alicujus contradictione ſepelire, & quicquid fideles Chriſtiani pro animarum ſuarum ſalute obtulerint, ſeu tradiderint, liceat iis in ſuos uſus, prout libuerit vindicare, & diſponere. 9. Conceſſimus quoque ipſis per foreſtem noſtrum ubivis circa ſe libenter uti paſcuis & piſcationibus. 10. Tandem rogatu Comitum Heinrici, Sigefridi, Cunonis, omnia data vel ſtatuta, vel inpoſterum danda vel ſtatuenda, ipſi loco profutura, in verbo Domini ex Apoſtolica auctoritate, banno noſtro confirmavimus, atque ut rata & firma ſtabiliaque cunctis S. Dei Eccleſiæ fidelibus perpetim credantur, ac diligentius obſerventur, hanc cartam ſcribi juſſimus, & ſigilli noſtri impreſſione corroboravimus. Teſtes ſunt Epiſcopi: Henricus Patelburnenſis, Odo Hildenesheimenſis, Hartwicus Verdunenſis. Abbas Marcwardus Corbeienſis, Tietmarus Helmvardeshuſenſis, Guntherus Padelburnenſis. Præpoſiti Ludolfus Magdeburgenſis. Betto de Luip, Ordo Heiligenſtadenſis, Embrico Thorlenſis. Comites Henricus, Sigifridus, Cuno, Erpf, Erwine. Liberi homines, Ludolfus, Godefridus, Geroldus, Wiboldus, Dede, Bertholdus, Vnico, Helmericus. Miniſteriales Rudolfus, Ludolfus, Ludolfus, Sarictolfus, Hunoldus, Eskerich, Eppo, & alii quamplures Clerici & Laici. Data in Heiligenſtad, Idus Julii per manum Eltgeri Præpoſiti Nortunenſis.

Schatenus in Annal. Paderborn. ad h. an. Leuckfeld in Annal. Bursfeldenſ.

SYNODUS ULMÆ

ANNO CHRISTI MXCIII. URBANI II. PAPÆ VI. HENRICI IV. REGIS XXXVIII. IMP. X.

SUMMA. Fœdus Catholicorum in Germania, ſeu Alemannia, Bajoaria, & Auſtria, ſeu liga Catholica contra Schiſmaticos.

GEbehardus (*a*) Conſtantienſis Epiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis Legatus, *Welphonem* Ducem Bajoariæ per manus in militem accepit, ſicut & proprium fratrem *Bertoldum Ducem* (b) *Alemanniæ* jam dudum fecit; cum quibus & *reliquis Alemanniæ Principibus* magnum *Conventum apud Ulmam habuit*, in quo Conventu firmiſſime laudatum eſt, ut Conſtantienſi Epiſcopo omnimode ſecundum ſtatuta Canonum obediretur, & ut Duci Bertoldo & Comitibus ſecundum legem Alemannorum obſecundaretur. Deinde firmiſſimam pacem (*c*) tam Duces, quam Comites, tam majores, quam minores ſe obſervaturos *a VII. Calend. Decembris uſque in Paſcha, & a Paſcha in duos annos* juraverunt, videlicet omnibus Monachis ſuis, converſis & Clericis, Catholico Epiſcopo ſubjectis, Eccleſiis & earum atriis & doti earum, mercatoribus, & omnibus eodem juramento obligatis; excepto *Arnoldo* (d) *invaſore Conſtantienſis Eccleſiæ*, & omnibus ejus fautoribus. Hanc pacem ſinguli Principes, qui convenerunt, unusquisque per poteſtatem ſuam uſquequaque viritim jurare fecerunt.

Bertoldus Conſtantienſis ad ann. MXCIII. Ex quo Goldaſtus Tomo III. Conſtitut. Imperial.

SYNO-

(*a*) Ex familia Ducum Zeringenſium.
(*b*) Per Alemanniam intellige Sueviam & Helvetiam.
(*c*) Hæc pax vocabatur Treuga Dei.
(*d*) Arnoldus Comes Helligenbergenſis, fuit ab Henrico IV. Rege per vim intruſus in Cathedram Gebehardi, XIII. annis exulare coacti, quia legitimo Papæ Catholico Urbano II. adhærebat. Sic Udalricus Patavienſis exulare cogitur a ſede ſua, ob *Tyemonem* ſchiſmaticum ab Henrico IV. intruſum anno 1092, qui anno 1097. denuo in eandem ſedem ſeſe ingeſſit. *Hanſiz. Tomo I. German. ſacræ pag.* 284. 288.

SYNODUS CONSTANTIENSIS

ANNO CHRISTI MXCIV. URBANI II. PAPÆ VII.
HENRICI IV. REGIS IXL. IMP. XI.

Gebehardus, Constantiensis Ecclesiæ Episcopus, magnam Synodum Constantiæ in Hebdomada majore ante Pascha, cum Abbatibus & clericis innumerabilibus, & cum prædictis Ducibus: Welphone Bajoariæ, & Bertholdo Alemanniæ ac Carinthiæ, & reliquis Alemanniæ Principibus canonice celebravit, ibique multa, quæ corrigenda erant, correxit.

I. IBi etiam incontinentiam Presbyterorum & violentiam Simoniacorum adeo prohibuit, ut etiam populum ab eorum officio, sub banno prohibuisset, si ipsi in tali facinore positi contra fas & jus ministrare præsumpsissent.

II. Statuit etiam ibi juxta statuta Sanctorum Patrum, ut jejunium Martii in prima hebdomada Quadragesimæ, & jejunium Junii hebdomade Pentecostes semper celebretur.

III. Item statuit, ut tam in hebdomada Pentecostes, quam in hebdomada Paschali, tres tantum dies festive celebrarentur; nam usque ad illud tempus Constantiensis Episcopatus morem comprovincialium non est secutus, videlicet integram septimanam in Pascha, & unum diem tantum in Pentecoste observando: quamvis utræque septimanæ ejusdem observationis esse debuerint, & quamvis alii Episcopatus pene omnes, prædictam constitutionem jam ab antiquo tenuerint. Hæc, inquam, ipse in proprio Episcopatu & ex Episcopali auctoritate, & ex Apostolica Legatione canonice posuit instituere. Nam Legatus fuit sedis Apostolicæ per totam Teutonicam terram usquequaque.

IV. Querimonia Praxidis (uxoris Henrici IV.) Reginæ, quæ dudum ad Welphonem Ducem Italiæ a marito suo discessit, ad Constantiensem Synodum pervenit, quæ se tantas tamque inauditas fornicationum spurcitias, & a tantis passam fuisse conquesta est, ut etiam apud inimicos fugam suam facillime excusaret, omnesque Catholicos ad compassionem tantarum injuriarum sibi conciliaret. *Huc usque Harduinus ex Bertoldo.*

Et Binius Tom. III. Concilior. Parte II. pag. 414.

V. In hac Synodo Venerabilis Abbas Sigefridus de cella S. Salvatoris (*a*) super Dudonem, *Obedientiarium* (*b*) suum, se proclamavit, qui se & bona sua ad aliud monasterium libere contradidit, sed non multo post sacrilege, se & sua inde penitus abalienare tentavit. Unde sancta Synodus juxta statuta Canonum judicavit, ut Dudo ille absque omni contradictione, ad obedientiam Abbatis sui rediret, eique cum suis bonis, jure perpetuo humiliter subjaceret, & de transacta inobedientia, juxta præceptum Abbatis dignam pœnitentiam exequi studeret. Sicque factum est, ut Synodus faciendum esse judicavit.

Binius unico verbo querelæ Sigefridi meminit.

(*a*) Hoc Monasterium erat Schafhusæ in Helvetia.
(*b*) *Obedientiarii* hujusmodi erant laici, qui se & sua Monasterio devoverant. *Mabillon. in Annal. Benedictin. Tom. V.* ad h. a. pag. 323.

SYNODUS ATREBATENSIS

Anno Chriſti MXCVII. Urbani II. Papæ X. Henrici IV. Reg. XLII. Imp. XIV.

XXI. Octobris Synodus Atrebati in B. Virginis Baſilica cogitur, cui intererant Lambertus Epiſcopus & Præſes, Clarebaldus Oſtrevandenſis Archi-Diaconus, Atoldus S. Vedaſti, Hamericus Aquicintii, Albertus Haſnonii, Joannes Montis Eligiani, Richardus Marcenarum Abbates, Odo Præpoſitus, Wibertus Decanus, Robertus Magiſter Scholarum, Anaſtaſius Cantor Eccleſiæ Atrebatenſis, aliique.

In ea Lambertus Epiſcopus celebre privilegium Eligiani Montis cœnobio confirmat & auget, ſimiliter Aroaſianis monachis varia donat; quæ ambo ex Ferreolo Locrio in Chron. Belg. *deſumpta hic ſubnectimus.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unius veri, & ſummi Dei. Amen.

Lantbertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus ſuis ſucceſſoribus præſentis vitæ lætitiam, & futuræ gloriam.

Legimus in Geſtis Atrebatenſis, Cameracenſiſque Eccleſiæ, Dominum Fulbertum, earundemque urbium Epiſcopum, corpus beati Vindiciani de terra elevaſſe, eoque in loco, qui *mons* videlicet *S. Eligii* dicitur, Eccleſiam, priore deſtructa reædificaſſe, de Titulo Apoſtolorum Petri & Pauli, ubi Clericos octo, & ſtipendia, unde viverent, conſtituit, & eos hac libertate donavit, ut nullius poteſtati ſubjacerent, niſi ſolius Epiſcopi. Poſt mortem vero ejus cœperunt dietim a ſervitute Dei tepere, Eccleſiaque, uſque ad tempus Domini Lietberti Epiſcopi declinare. Quam deſtructionem ipſe vir miſericordiæ ægreferens, ut ita dicam, alter ſamaritanus ejus miſeriæ condoluit, ac ſecum tractare, quomodo id in melius reparetur, cœpit: cui conſilium tali negotio congruum ille miniſtravit, qui hoc velle cordi ejus infundit. Nam ibi Clericos regulares de communi viventes, ſuorum conſilio fidelium ordinavit, eiſque Abbatem ſuæ profeſſionis præfecit. Unde facto privilegio ſuos precatus eſt ſucceſſores, ut eos proveherent, & fierent adjutores. Libertatem quoque Eccleſiæ, ac poſſeſſionum ſuarum denuo confirmavit, & Altare de Huchin eâ conditione ibi dedit, ut ſingulis annis feſtivitate S. Remigii XII. denarios ſolvat, & deinceps ab omni redemptione liberum faciat. Altare quoque de Rodricourt ita dedit, ut ſine perſona permaneat. Dominus quoque Gerardus prædeceſſor meus, ſucceſſor ſuus in Novilla & Medianavilla, ſine perſonis dedit Altaria ſalvo jure Epiſcopi, & redditus ejus, & conſuetudinibus Archi-Diaconi ejus. Hæc omnia ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus, tibi Reverendiſſime frater, & fili Joannes Abba, omnibuſque in eo, quo es, loco & ordine propter religionem tuam, ſucceſſoribus tuis, religioſe & communiter victuris, ſicut ſuperius determinatum eſt, firma & inconvulſa permanere concedo. Concedimus etiam ſuo in tempore, cum opus fuerit inibi Canonicis religioſe, & abſque proprietate viventibus cum conſilio, & authoritate Atrebatenſis Epiſcopi, licentiam eligendi, juxta timorem Dei, & ſacros Canones Magiſtrum & Abbatem. Quod ſi hujusmodi officii idonea perſona ibi inventa non fuerit, aſſenſu Epiſcopi ſui, & conſenſu, eligant de alio Monaſterio, virum religioſum ordinis & profeſſionis ſuæ Magiſtrum, & Abbatem ſibi præficiendum. Poſt hæc

vero

vero deducatur ad Episcopum, & suscipiat de manu ejus temporale beneficium loci, & curam animarum, & Abbatis benedictionem. Hisque beneficiis Altare de Rebroviis precatu Domini Clareboldi militis adjungo, ita ut duos tantummodo solidos in cœna Domini ad servitium Episcopi persolvat, de cœtero totum redigatur sub Abbatis Dominio. Hujus rei testes Dominus Joannes, Archidiaconus, Dominus Clareboldus, Archidiaconus, Odo Præpositus, Wibertus Decanus, fratresque cæteri totius congregationis Sanctæ Mariæ semper Virginis. Dominus igitur Clareboldus, hujus rei hortator, nullum alium penitus hæredem facere volens, quam Ecclesiam Rebroviensem, totam quam in vicinio habet, hæreditatem ibi dedit, ita ut ipse supradictus Abbas ad honorem Dei, & Sanctæ Mariæ semper Virginis, ipsum locum per Clericos suos detineret, & prout res exterior augeretur, servitium Dei intus cresceret, dedit videlicet in Baralso integrum molendinum, & unius carrucæ terram & quinque hospites: & in Dahellicurt quartam partem, & silvam ibi attinentem. Hujus rei testes iterum duo Archidiaconi, Joannes videlicet, & Clareboldus, & totus Ecclesiæ Atrebatensis conventus, Dominusque Aloldus Abbas S. Vedasti, Philippus frater Comitis Roberti, Clementia Comitissa Flandrensis, Robertus Advocatus, Baldricus in Colhem, Frumoldus de Insula. Hoc igitur datum, & si quis aliud legitime dederit, qui usurpare præsumpserit, & in pravos usus redigere tentaverit, Canonicæ excommunicationi subjaceat.

Ego Lambertus Dei miseratione Episcopus Atrebatensis hoc libertatis donativum relegi, subscripsi, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti propria manu confirmavi. Actum Atrebati in Synodo, in Basilica Beatæ Mariæ semper Virginis, Dominæ nostræ, anno videlicet Dei Christi MXCVII. Indict. V. XII. Calend. Novembris.

Ferreolus Locrius in Chronico Belgii.

§. II. *Privilegia varia Arroasianis concedit Lambertus Episcopus*

1. *Soli Episcopo subjectus locus.*
2. *Donatur illi Parochia Rochennies sub censu XII. denariorum.*
3. *Facultas reconciliandi loca violata.*
4. *Facultas eligendi Abbatis, si congregatio crescat, sed ab Episcopo Atrebatensi confirmandi.*

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unius veri, & summi Dei. Amen.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, gaudens de religiosa conversatione tua, Reverendissime frater, & Compresbyter Cono, desiderio desideramus paci, & quieti tuæ tam præsentibus temporibus quam futuris providere. In adventu enim tuo, & bonæ memoriæ Domini Heldemari Magistri, & Consacerdotis tui in Aridagamentia in Paroecia nostra, quæ dicitur *Rochennies*, locum vobis ad serviendum Deo elegistis, qui sicut aliquando fugiendus, velut spelunca latronum fuit, nunc per Dei visitationem, & tuam, & fratrum tecum habitantium, factus est refugium & solatium ibi transeuntium. Unde & te in eo, quo es, loco & ordine, & successores tuos religiose, & Canonice inibi victuros hac donamus libertate, ut tantum Episcopo respondeatis, & in manu ejus in libertate Spiritus permaneatis. Contradimus etiam tibi, & per te legitimis successoribus tuis, cum fratribus inibi religiose & absque proprietate viventibus, atque victuris, in augmentum pacis & quietis loci tui prædictam Parochiam Rochennies sub respectu duodecim denariorum in cœna Domini ad servitium Episcopi. Si autem aliquando, quod absit, antiquo hoste instigante, in prædicto loco vel Parochia, tale quid acciderit, pro quo reconciliatio necessaria fuerit, tibi, legitimisque successoribus tuis vice nostra, accepta aqua sanctificatio-

cationis, & reconciliationis, ut ea reconcilies, religioni veſtræ annuimus, & impertimus. Si autem prædictus locus, largiente Domino, ad tantam copiam rerum, & ſervorum Dei ibi commorantium excreverit, ut Prælatum eligere debeant, liberam habeant poteſtatem cum conſilio & auctoritate Atrebatenſis Epiſcopi, eligendi ſibi Magiſtrum & Dominum, juxta timorem Dei & inſtituta ſanctorum Canonum. Poſtmodum vero deducatur ante Epiſcopum, & accipiat temporale beneficium loci; & curam animarum, & prælationis benedictionem. Rogamus ergo in Domino tam præſentes fratres noſtros, quam & ſucceſſores Epiſcopos noſtros, & ſanctorum Canonum auctoritate interdicimus & noſtra, ne quis hoc donativum libertatis violare, aut corrumpere præſumat. Si quis ſcienter hujus noſtræ inſtitutionis privilegium infregerit, excommunicationi ſubjaceat. &c. *Actum Atrebati in Synodo*, &c. ut ſupra.

EPISTOLA CANONICA
EX SYNODO ROMANA.
Anno Chriſti MIC. Urbani II. Papæ XII. Henrici IV. Imp. XLVI.

Urbanus II. Papa reſcribit Piboni Tullenſi Epiſcopo, & confirmat Synodali aſſenſu quæſtiones a Pibone propoſitas.

URBANUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTO FRATRI PIBONI, TULLENSI EPISCOPO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

SUper quæſtionibus, quas ad nos Adalbero, veſtræ Eccleſiæ filius, detulit, hæc ad nos ſunt in ſynodalis aſſenſu Concilii Capitula per Dei gratiam confirmata.

CAPUT I. Epiſcopus omnia ſui Epiſcopatus membra, videlicet Archi-Diaconatus, Archi-Presbyteratus, decimas, vel aliquas Præpoſituras Eccleſiæ ſuæ canonicas gratis, absque omni venalitate diſtribuat; quisquis autem ea pretio dederit, quisquis pretio receperit, depoſitioni ſubjaceat.

CAPUT II. Eos, qui a Subdiaconatu uxoribus vacaverint, ab omni ſacro ordine removemus, officioque atque beneficio Eccleſiæ carere decernimus, ſi vero Epiſcopi conſenſerint eorum pravitati, a ſuis ſe noverint officiis interdictos.

CAPUT III. Presbyterorum filios, a ſacri altaris miniſteriis removendos decernimus, niſi aut in cœnobiis, aut in canonicis religioſe probati fuerint converſati, absque præjudicio tamen capitulorum iſtorum eis, qui præbendas aut ipſi ante hanc Sedis Apoſtolicæ interdictionem emerunt, aut emptas ſe neſcientibus poſſederunt, habendos eos permittimus, ſi eorum perſonæ tuo arbitratu viſæ fuerint promereri. Eis autem, qui fidem profeſſionis ſuæ irritam facientes, poſt Subdiaconatus acceptionem vacare uxoribus præſumpſerint, & officium & conjugium penitus interdicimus, eisque, quoniam ſe ipſos apoſtatando deſtruxerunt, & voluptatem corporis Domino prætulerunt, omni vitæ ſuæ tempore, aut in cœnobiis, aut in canonicis regularibus pœnitentiam decernimus injungendam; Presbyterorum vero filios, qui ſecundum præcepti noſtri conditionem, aut in cœnobiis, aut in canonicis religioſe probati fuerint converſati, quia Patrum peccata cum ſæculi poſſeſſionibus abdicarunt pro religionis ac ſcientiæ prærogativa Apoſtolico moderamine tolerandos ducimus, & ad ſacros ordi-

Pibo amore vitæ regularis abdicavit Pedum Tullenſe, ingreſſus cœnobium Divionenſe; dein petente Clero, & jubente Romano Pontifice, rediit ad Cathedram Tullenſem. Obiit 1107.

ordines, & ad honores Ecclesiasticos permittimus provehendos.

CAPUT IV. Porro de Clericis, qui ab excommunicatis Episcopis sunt ordinati, necdum quidem sententiam fiximus, quia generalis mali contagium generalis Synodi est cauterio comburendum; tuæ tamen fraternitati hoc respondemus ad præsens; ut ab excommunicatis quondam, tamen Catholicis Episcopis ordinatos; siquidem non Simoniace ordines ipsos acceperunt, & si Episcopos ipsos non Simoniacos fuisse constiterit, adhuc si eorum religiosior vita & doctrinæ prærogativa visa fuerit promereri, pœnitentia indicta, quam congruam duxeris, in ipsis, quos acceperunt ordinibus, manere permittas; ad superiores autem ascendere non concedimus, nisi necessitas maxima flagitaverit Ecclesiæ, hoc tamen ipsum rarius & cum cautela præcipua concedendum.

CAPUT V. Episcopos sive Clericos, quos Simoniacos esse constat, a sacris officiis & beneficiis removendos omnino decernimus: in Ecclesiis vero, quæ ab hujusmodi Simoniacis consecratæ sunt, non aliter, quam in locis orandum videtur, donec subversis altaribus benedictione & unctione Catholici Antistitis consecrentur.

CAPUT VI. De his, qui sine titulis ordinati sunt, licet ejusmodi ordinatio sanctorum Canonum sanctione irrita judicetur; utrum tamen aliqui in acceptis ordinibus sint permittendi, discretioni tuæ pro præsenti Ecclesiæ necessitate committimus, si tamen alias sine pravitate eos ordinatos fuisse constiterit.

CAPUT VII. Bigamos, & viduarum maritos a sacris ordinibus, secundum communem Ecclesiæ consuetudinem, auctoritate nostri officii, segregamus.

Hæc universa tamquam Apostolicæ sedis præcepta Sanctorum Conciliorum sententiis consonantia, religionis tuæ strenuitas, & in Ecclesia sibi commissa, Deo juvante, custodiat, & custodienda aliis innotescat, nec senectutem tuam oblatrantium canum multitudo perterreat: *Major enim est, qui in vobis est, quam qui in illis*; ipse siquidem firmans discipulos suos, ait: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum;* ipse misericordia sua nos confirmet & protegat, & ad cœlestia Regna perducat. Amen.

Ex cod. MS. Bibliothecæ Reginæ Sueciæ in Vaticano No. 512. *descripsit Cl. Schannat. b.m.*

DIGRESSIO AD SÆCULUM XI.

§. *I. De Præfationibus, quas Collectores Synodorum præmittere soliti sunt.*
§. *II. De Canonistis Germanis Sæculi XI.*
De Canonistis hujus Sæculi extra Germaniam.
De Apologistis Henrici IV.
§. *III. De Historiographis Gregorii VII. PP. & Henrici IV. Regis & Imperatoris.*
§. *IV. De Simoniacis hujus Sæculi, quinam ejus rei sint?*
§. *V. De hæresi Nicolaitarum hujus Sæculi, an ejus rei sint omnes Presbyteri peccantes contra castitatem?*
§. *VI. An investitura beneficii Ecclesiastici per manum laici facta sit hæresis.*
§. *VII. An Wezelonis, Moguntini Archi-Episcopi, opinio de Henrico IV. non excommunicando sit hæresis?*
§. *VIII. An germani Clerici adhærentes Gregorio VII. Papæ contra Guibertum Anti-Papam sint perjuri in Cæsarem?*
§. *IX. An Gregorius VII. primus introduxerit cœlibatum in statum clericalem, an antea Presbyteris conjugia fuerint licita?*
§. *X. Quid de Sigeberti Gemblacensis censura & sententia in Gregorium judicandum?*
§. *XI. Quam vera sit Annonis Archiepisc. Coloniensis propositio, neminem a longis temporibus absque mandato & assensu Domini Regis accepisse Papatum.*

§. I. *De Præfationibus, quas Collectores Synodorum præmittere soliti sunt.*

MERLINUS, Doctor Parisinus, primus edidit collectionem Conciliorum, ab Isidoro peccatore scriptam; Parisiis anno 1523. in folio: recusam in folio Coloniæ 1530. Præmittit duos exiguos Tractatus: 1. De origine Conciliorum generalium, & de tempore. 2. De ordine celebrandi Concilia.

SURIUS Tomo 1. Conciliorum, anno 1567. Coloniæ vulgato, præmisit præfationem CRABBII, in editione Coloniensi anni 1538. extantem.

Secundo præmisit Photii Patriarchæ Constantinopolitani excerpta ex Epistola ad Michaëlem Bulgariæ Principem de septem Conciliis œcumenicis a Nicæno primo ad secundum Nicænum sub Hadriano Papa, ejusque Legatis, & CCCLXVII. Episcopis, celebratum.

Tertio. Originem Conciliorum generalium, quo tempore scilicet Concilia celebrari cœperint, & de quatuor Conciliis principalibus ex Isidoro peccatore, vel Mercatore.

Quarto. De ordine celebrandi Concilii canones, id est, regulas Ecclesiasticas, a sanctis Patribus constitutas, & ab Isidoro peccatore in Codicis unius corpus collectas.

Quinto. Tractatum de Primatu Romanæ Ecclesiæ, quem jam Vendelstinus anno 1525. Moguntiæ ediderat, post codicem Dionysii exigui impressum.

Eximius BINIUS ultimæ suæ editioni Conciliorum Anni 1618. præmisit

I. Præfationem Dionysii exigui circa annum 530. scriptam.

II. Præfationem Isidori mercatoris in suam canonum collectionem, sæculo octavo exeunte scriptam.

III. Ordinem celebrandi Concilii, desumptum ab Isidoro mercatore ex quarto Concilio Toletano, ex Garsia Loaisa, in Hispanicâ Conciliorum editione emendatius editum; sed breviorem eo, quem Merlinus & Surius ediderant. Recte tamen monet Binius, hunc ordinem, si in Hispania observatus fuit, non ideo in omnibus Conciliis observatum fuisse.

Nos nihil harum præfationum primo, aut secundo Tomo præfiximus. Quum vero sæculo X. & XI. prodierint sermones Synodales Episcoporum Germaniæ, *Udalrici* Augustani & *Ratherii* Leodiensis; cum *Rhegino*, Sæculi decimi autor, formam visitandæ Ecclesiæ ab Episcopo, suæ collectioni canonum præmiserit: cum *Burchardus* in sua canonum collectione laudatissima collegerit ex primo millenario Ecclesiæ Catholicæ capitula, ex summis Pontificibus, & Patribus, & Conciliis excerpta, de auctoritate præsidendi, de numero, & qualitate, & ordine vocandorum ad Concilia, nobis servaverit: cum demum post Burchardum reperiatur ordo in Concilii celebratione servandus in codicibus MSS. Germanicis; hinc putavi, hæc in limine tertii Tomi Conciliorum ponenda, veluti normam domesticæ disciplinæ in Germanicis Ecclesiis, sæculo X. & XI. Reginonem vero Tomo II. illigaveramus.

Complectitur igitur nostra Parasceve, ad Concilia Germanicarum Ecclesiarum Tomo III. præmissa

1*mo.* Sermonem Synodalem *S. Udalrico*, Augustano Episcopo, valde verosimiliter attributum.

2*do.* Similem sermonem *Ratherii*, ex monacho Laubiensi Veronensis in Italia, tum Leodiensis in Germania Episcopi.

3*tio.* Capitula Canonica, quæ *Burchardus*, *Wormatiensis* Episcopus, collegerat ex variis Conciliis & Patribus, à Capitulo XLII. Libri primi ad LXIII.

4*to.* Quomodo initianda sit Synodus primo, secundo, tertio die, quibus orationibus, Psalmis, Evangelicis aut Patrum capitulis prælegendis sessiones Patrum inchoandæ, & finiendæ sint. Extat hæc formula post opera Burchardi, Coloniæ anno 1548. impressa, incerto hactenus auctore.

5*to.* Quinam laici ex vasallis Episcopi Ultrajectini ad Rhenum interesse teneantur generali Synodo suæ Ecclesiæ. Desumpta est hæc definitio ab *Adelboldo Episcopo Trajectensi*: & similis ordinatio circa Ministeriales aliorum Germaniæ Episcoporum præ-

præsumitur. Addi & præmitti potuisset *Bernaldi*, *Constantiensis* Presbyteri, Epistola de Conciliorum, Canonum, Decretorum, & Decretalium Romani Pontificis auctoritate: vulgata primum in novissima editione Gretseri operum Tom. VI. a pag. 513. quæ in supplemento addetur.

§. *II.* *De Canonistis Germanis hujus Sæculi.*

I. OLBERTUS, ex monacho Benedictino Laubiensi Abbas Gemblacensis, qui Burchardi Wormatiensis Episcopi Dux, & Magister fuit in doctrina Canonum.

Sigebertus Gemblacensis de Script. Eccl. cap. 142.

II. BURCHARDUS, Wormatiensis Episcopus, anno 1028. defunctus, cujus elogium, ætatem, & libros descripsi in præfatione ad *Tomum primum* §. *XIV. uti & Apologiam contra Baluzium*, *ejus accusatorem.*

III. ARIBO, non tantum sacræ eloquentiæ, & scripturæ Divinæ intelligentia celebris, sed & juris canonici peritissimus fuit, quod & ostendunt permulta ab eo celebrata Concilia, & eruditorum virorum eidem inscriptæ lucubrationes.

Serarius rerum Moguntiacarum, *in ejus vita. pag.* 729.

IV. BERNO, ex monacho Prumiensi Abbas Augiæ divitis. Obiit anno 1048. 7. Junii. Supersunt ejus opera:

1. De quibusdam rebus, ad Missæ officium pertinentibus.

2. De quatuor temporum jejuniis, per sabbata observandis: de jejunio sabbati: quæ duo ultima opuscula unum opus videntur duplici titulo.

Sigebertus de Script. Eccles. cap. 152. *Edidit hæc Hittorpius Pamelio suggerente Coloniæ* 1568. *inter Catholicos Scriptores de Divinis officiis.*

3. De tempore celebrandi adventus Domini ad Aribonem Moguntinum.

Martene Tom. I. Scriptorum veterum.

V. HUMBERTUS, Monachus Benedictinus Tullensis, a Leone Episcopo suo, post Papa, hujus nominis IX. ob literarum scientiam Romam traductus, & Cardinalis Episcopus creatus fuit.

Hic olim missus ad Græcorum hæreses confutandas, confutavit scripta Leonis Acridani Bulgarorum Archiepiscopi: item scripta Nicetæ Pectorati, eumque in præsentia Constantini Imperat. adeo convicit; ut ipse Niceta librum suum anathematizaverit, & manu in ignem injecerit.

Tomus III. Concil. German.

Demum legationis obitæ historiam scriptam more dialogi sub personis Romani, & Constantinopolitani.

Sigebertus Gemblac. de Script. Eccl. cap. 150.

Illustrissimus Baronius hoc opus dignum censuit edi post Tomum XI. annal. Eccl. jam Canisius Tomo V. Lect. antiquarum illud prius vulgaverat.

VI. BERNALDUS Constantiensis Presbyter, & scholarum Magister, post monachus in Corbeja Saxonica.

Insignia monumenta juris prudentiæ sacræ reliquit, quæ *Gretserus primum edidit, & enumerat Tom. VI. novæ editionis anni* 1735. *a pag.* 25.

1. Tractatus de Sacramentis excommunicatorum juxta assertionem Sanctorum Patrum.

2. Apologeticus de excommunicatione Simoniacorum, & Clericorum incontinentium, facta a Gregorio VII. in Synodo Romana ejus prima, una cum hac Synodo.

3. Epistola I. Bernaldi ad Alboinum de incontinentia Sacerdotum.

4. Responsio Alboini ad præcedentem Epistolam.

5. Responsio Bernaldi ad Alboinum.

6. Secunda Bernaldi responsio ad eundem.

7. Secunda Responsio Alboini ad Bernaldum.

8. Tertia responsio Bernaldi ad Alboinum.

9. Epistola reconciliatoria Alboini cum Bernaldo.

10. Apologeticus Bernaldi pro decretis Gregorii factis in Synodo Romana: constat cap. XXIV.

Editus fuerat a Binio Tomo III. Conciliorum part. II. pag. 373. *ex Codice Weingartensi collatus*, *& recusus in nova Gretseri editione Tomo VI.*

12. Epistola Adelberti & Bernaldi ad Bernardum Magistrum scholarum Constantiensium de Sacramentis excommunicatorum.

13. Epistola Bernardi ad præcedentem Epistolam.

14. Alia Adelberti & Bernaldi ad Bernardum Epistola *præter hæc a Gretsero edita, editor Gretseri operum nunc primum hunc e MS. procudit librum.*

15. Bernaldi Constantiensis Presbyteri de vitanda excommunicatorum communione.

ne. De reconciliatione lapſorum. De Conciliorum, canonum, decretorum, decretalium, ipſorumque Romanorum Pontificum auctoritate.

Extat a pag. 513. *Tomi VI. novæ editionis Gretſeri.*

VII. BERNARDUS Monachus de S. Blaſio vir Sacrarum literarum ſtudiis doctus, & imprimis eruditus, ingenio clarus, ac diſertus eloquio, fidei propugnator acerrimus, Princeps ſuæ ætatis Philoſophorum ſacrarumque literarum Doctor ſubtiliſſimus. Scripſit

1. Apologeticas orationes contra Schiſmaticorum objectiones ad Adelbertum Spirenſem Præpoſitum, in quibus præcipue oſtendit, quod ipſe & monachi S. Blaſii jure ab excommunicatis abſtineant.

2. De lege excommunicationis epiſtola ad Adalbertum Argentinenſem Præpoſitum.

3. De eadem re ad Rechonem.

Hactenus Eiſengreinius in Catalogo teſtium veritatis.

4. Epiſtola ad Paulinum de emptione Eccleſiarum.

5. De Ottonis Epiſcopi Conſtantienſis rejectione, & alterius ſubſtitutione a Gregorio VII. 1074.

6. De officio Presbyterorum ad fratres in Rattenbach.

7. Ad Waltherum Sacerdotem tractatus de ſolutione juramentorum.

8. Ad Reverendiſſimum Antiſtitem Gebehardum de excommunicatorum ordinatione & ſalute parvulorum, qui ab excommunicatis baptizati ſint, & aliis quibuſdam ad Concilium proxime futurum pertinentibus.

Hæc Epitome Geſnerianæ Bibliothecæ addit, eumque circa 1066. *floruiſſe.*

Sed, ſi vidit exauctoratum Ottonem Conſtantiæ Epiſcopum, igitur Anno 1074. vel poſt illum ſcribebat.

VIII. GEBEHARDUS Archi-Epiſcopus Salisburgenſis.

1. Ejus oratio ad ſchiſmaticos habita in conventu Gerſtungenſi, vel in ſilva Capuana prope Viſurgim: ſervata nobis fuit a Brunone in Hiſtoria Belli Saxonici edita *a Frehero Tom. I. ſcript. Germaniæ.*

Recuſa a Gretſero Tom. VI. novæ edit. pag. 434.

2. Epiſtola ad Hermannum Epiſcopum Metenſem pro adhærentibus Gregorio VII. Papæ, & oſtendit eos nullatenus eſſe perjuros Cæſari, id quod ſchiſmatici criminabantur. *Gretſer. Tom. VI. novæ edit. pag.* 435. *vitam Sanctiſſimi Viri edidit.*

IX. MICROLOGUS Anonymus ſcriptor, coævus Gregorio VII. cujus honorificam mentionem facit.

Hujus librum de Eccleſiaſticis obſervationibus edidit Pamelius Coloniæ *Typo Hittorpii anno* 1568.

X. STEPHANUS, ſeu Hermandus Halberſtadenſis Epiſcopus. Epiſtolam edidit ſub nomine Ludovici Comitis, quo Gregorium VII. tuetur, & Scripturæ loca, quæ Waltramus Naumburgenſis Epiſcopus pro factione Henrici IV. tuenda perperam adhibuerat, vero ſenſu intellecta interpretatur, & Henricum in tuendis Simoniacis & inceſtis Clericis iniquam cauſam fovere aſſerit.

Ediderat Dodechinus Abbas in continuatione Mariani Scoti, & editor Gretſeri recudit Tomo VI. novæ edit. pag. 544. 640.

Hi ſunt Canoniſtæ Catholici Sæculi XI. in ſola Germania: extra quam in Italia I. DEUSDEDIT Cardinalis, creatus a Gregorio VII. cujus ſupereſt collectio Canonum eruditiſſima: & liber ſpecialis, quod inveſtituræ ſint illicitæ. II. PETRUS DAMIANI Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis. III. S. ANSELMUS Epiſcopus Lucenſis, cujus duo libri Apologetici pro Gregorio VII. contra Wibertum Anti-Papam. *Et in Anglia IV. & V. ANSELMUS & LANFRANCUS Cantuarienſes Archi-Epiſcopi, eruditiſſimi defenſores perſonæ, Conciliorum, & Canonum Gregorii VII. Præ quibus citati a Goldaſto cauſæ Henrici IV. defenſores ſunt hi:*

I. Henricus ex Scholaſtico Trevirenſi Epiſcopus Vercellenſis, aliis Wenericus, aliis Hennius vocatur.

Scripſit ſub perſona Theodorici Virdunenſis Epiſcopi ab anno 1049. ad annum 1090. *librum* ad Gregorium VII. Papam *De diſcordia Regni & Sacerdotii*, non eum increpans, ſed ut ſeniorem obſervans, & patrem, & amicabili inductione quaſi affectu dolentis ſuggerens ei omnia, quæ contra jus legum & fas religionis eum feciſſe & dixiſſe divulgabat loquax fama.

Eum edidit Edmundus Martene Tomo I. Anecdotorum pag. 214. 230.

Scripſit hunc librum adhuc Scholaſticus. *Sigebertus ejus meminit L. de Script. Eccleſ. Cap.* 360.

II. Walramus (aliis Waleramus) Epiſcopus Naumburgenſis ab anno 1090. ad 1110. favit Henrico IV. contra Gregorium. Scripſit

1. Epiſtolam ad Ludovicum Thuringiæ Landgravium, quâ ipſum monet, ut deſerto Pon-

Pontifice Imperatori Henrico IV. fidem exhibeat.

Edita eſt a Dodechino in appendice ad Marianum Scotum.

2. De *unitate Eccleſiæ conſervanda, de ſchiſmate inter Imperatorem & Pontificem.* Inventus eſt primum ab Ulrico Hutteno, & anno 1520. Moguntiæ editus: poſtea Schardius & Freherus eundem ediderunt, & Freherus quidem cum duplice titulo: *De unitate Eccleſiæ conſervanda & ſchiſmate inter Henricum IV. Imperat. Roman. & Gregorium VII. Pontificem maximum.* Dein hanc rubricam præfigit: *Apologia Henrici IV. Imp.* nullum titulum invenit Huttenus in codice MS. quare tituli adlati ſunt Hutteni & Freheri inventiones.

FABRITIUS Bibliothecæ mediæ & infimæ Latinit. L. XXI. hunc librum Walramo Naumbergenſi tribuit, pari fundamento, quo Huttenus, id eſt, nullo: & idem clariſſimus vir Libro XX. ejusdem Bibliothecæ hunc librum: *De unitate Eccleſiæ conſervanda* attribuit Venerico ex Clerico Treverenſi Epiſcopo Vercellenſi, nempe verum auctorem nemo ſcit.

III. Alboinus ſenſit primo contra cœlibatum Sacerdotum, ſed a Bernaldo convictus ſcripturæ teſtimoniis & canonibus Patrum mutavit ſententiam. *Goldaſtus* eum uti Clerogamiæ tutorem laudat, palinodiam ejusdem a Gretſero impreſſam ſilet.

Hos igitur tres auctores habuit Henricus IV. defenſores ſuæ cauſæ, quos cum Bernaldus, Gebehardus, & Anſelmus luculente confutarint, non eſt nobis otium & opera perdenda.

Sane Apologiſtæ Gregorii VII. non tantum numero, ſed vitæ ſanctitate, doctrina & vera doctrina, & ſpectabili in Eccleſia Dei auctoritate eminent.

Hactenus de Canoniſtis Sæculi XI.

§. III. *Poſt Canoniſtas Sæculi XI. tranſeamus ad* HISTORICOS *hujus Sæculi. Quot, & quales Gregorius VII. quot Henricus IV. habuit?*

GREGORII VII. vitam ſcripſerunt coævi ex profeſſo:

I. Paulus Bernriedenſis, Canonicus Regularis S. Auguſtini in Bavaria, *librum de vita & geſtis Gregorii VII.* cum multis documentis: quæ & Regiſtrum Epiſtolarum Gregorii VII, Bruno *de bello Saxonico*, & Bertoldus Conſtantienſis vera & legitima eſſe teſtantur. Eum primus edidit Gretſerus, vide *Tomum II. novæ editionis*, recuderunt Hagiographi Antverpienſes *in actis Ss. Tomo VI. Maji pag.* 113. *& ſeqq.*

II. Gerhohi Reicherpergenſis Præpoſiti Syntagma de ſtatu Eccleſiæ ſub Henrico IV. & V. Imperatoribus, & Gregorio VII. aliisque conſequentibus Pontificibus.

III. Libri XI. Regiſtri Epiſtolarum Gregorii VII. ad Reges & Epiſcopos, & horum ad Gregorium VII.

IV. Acta Vaticana de rebus geſtis Gregorii VII. deſcripta ab Baronio Tomo XI. Annalium, ex Libro MS. cenſuali Centii Camerarii, poſtea Honorii III. PP, collata cum MS. Nicolai Cardinal. de Arragonia, recuſa ab Hagiographis, *Tomo VI. in actis Ss. Maji pag.* 148.

V. Acta electionis Gregorii VII. extantia in Regiſtro epiſtolarum Gregorii VII.

Tomo III. Epiſtolar. decretalium Romani Pontificis in Tomis Conciliorum, inde a Binio ad Harduinum ſæpe recuſa.

VI. Lambertus Schafnaburgenſis in Chronico.

VII. Bertoldus Conſtantienſis in Chronico: e quo excerpta acta Pontificalia Gregorii VII. ab 1073. ad 1085. lege *Tomo VI. in actis Sanctorum Maji pag.* 141.

VIII. Bruno de bello Saxonico.

IX. Domnizo in vita Mathildis Ducatricis.

X. Leo Marſicanus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis chronicon Caſſinenſe perduxit ad 1087. ſeu ad mortem Victoris III. qui Gregorio VII. ſucceſſit, eſt auctor coævus. Adde acta Pontificalia ex MSS. Patrum Hagiographorum Antverpienſium: ubi & Synodi ſub Gregorio VII. celebratæ recenſentur. Vide *Tomum VI. Maji in actis Sanctorum pag.* 154.

XI. Marianus Scotus coævus.

Hi undecim Scriptores coævi teſtes ſunt innocentiæ & ſanctitatis Gregorii VII.

Biographi Sanctorum coævorum Deſiderii Abbatis Caſſinenſis, Anſelmi Epiſcopi Lucenſis, Gebehardi ac Tiemonis Archiepiſcoporum Salisburgenſium, Altmanni Epiſcopi Patavienſis, Lanfranci Cantuarienſis ampliſſima elogia ſcribunt vitæ Gregorianæ.

Quid his tot & tantis coævis opponant fautores Henrici IV.?

Benno anno 1535. primum in lucem editus, quo parente, Deus ſcit. Eum fuiſſe Cardinalem vel Albenſem Epiſcopum Fabritius dixit, & Goldaſtus, & Wolfius, & Flacius, ſed ne uno jota ullus eorum quidpiam horum titulorum demonſtravit.

2. Anonymus auctor vitæ Henrici IV.

3. Sigebertus Chronographus ſuppar, defunctus anno 1113.

4. Fictæ orationes pro Wilhelmo Trajectenſi, Hugone Blanco, Clericis Papæ Gregorio rebellibus: ſunt Aventini & Goldaſti partus, uti orationes a Livio aut Curtio afflictæ Romanis, aut Græcis Imperatoribus, multis poſt eorum mortem annis, aut ſæculis. Similibus Aventini inventis ſterilitatem ſupplet Henricianæ hiſtoriæ Goldaſtus.

Conradus a Lichtenaw, Abbas Urſpergenſis, duobus ſæculis poſterior, cum Melanchthonis notis editus, nullam fidem meretur contra coævos hiſtoricos, & documenta ab his prolata, quæ & inter ſe, & cum hiſtoria temporum, perſonarum conveniunt.

Poſteriores omnes nihil fidei merentur, nuda narratione rerum, duobus aut pluribus ſæculis ante ſe geſtarum.

Non ſcio, an ullus Pontifex tot, aut plures, aut tam illuſtres Biographos habuerit, quam Gregorius VII.

§. IV. *Quatuor hæreſes a Scriptoribus & Canoniſtis hujus ſæculi nuncupantur, an vere, an accurate?*

Primò. SImoniacorum, id eſt, eorum, qui poteſtatem ſpiritualem v. g. Epiſcopalem, aut Presbyteralem pecunia acquirunt, emunt, vendunt.

Ad primum reſpondeo: Hæreſis Simonis Magi relata Cap. VIII. *Actuum Apoſtolorum* in eo ſita erat, quod Simon exiſtimaret pertinaci judicio intellectûs pecuniâ donum Dei, v. g. Epiſcopalem poteſtatem confirmandi baptizatos, eisque Spiritum Sanctum conferendi poſſe poſſideri, acquiri, vendi. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*, dicebat S. Petrus Simoni pecuniam offerenti, *quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri; Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto*, niſi pœnitentia ſincera errorem intellectus corrigas & retractes.

Hæc ſententia ſemper fuit in Eccleſia Dei, veluti articulus fidei. Hinc Canones omnium Conciliorum hujusmodi acquiſitiones officiorum aut beneficiorum Eccleſiæ, uti Simoniacas execrantur. Vide Canonem XXII. Concilii Selingeſtadii anni 1022. p. 58. hujus III. Tomi: *Altare Epiſcopus vel Archi-Diaconus, ſi pro munere vendiderit, & Clericus, qui munera obtulerit, cum Simone Mago uterque anathema ſit.*

Canones collectos lege ſis apud Reginonem L. I. de diſciplina Eccleſ. a Cap. CCXXXII. ad Caput CCXI. Vide *Tom. II. noſtrum pag.* 467. Burchardus Lib. II. a Cap. CVII. ad Caput CXVII. *Rurſum eundem Epiſcopum* a Cap. CXCVII. ad Caput CCXXXIV.

De cætero, ſi quis ex mera avaritia, aut alio pravo fine emit pecunia Epiſcopatum, Abbatiam, graviter peccat, ſed, ſi abſit judicium erroneum contumax, non eſt hæreticus dicendus. Urbanus II. anno penultimo hujus ſæculi decretalem denuo edidit, qua Simoniacam hæreſim damnat. *Binius Tom. III. Parte II. pag.* 422.

§. V. *An Fornicatio Clerici ſit hæreſis Nicolaitarum?*

℟. NOn omnes Presbyteri vel Clerici violantes caſtitatem ſunt Nicolaitæ, vel hæreſi Nicolai infecti: ſed ii tantum, qui intellectu contumace judicant licitum eſſe cuivis, fornicari, ſive laico, ſive clerico, quod dicitur Nicolaus Diaconus docuiſſe. Ut ut ſit de vero crinomeno erroris Nicolai in Apocalypſi reprehenſi; certum eſt, ex ſolo actu fornicationis, vel adulterii, ſive a clerico, ſive ab aliis patrato, hæreſin non contrahi; *niſi accedat judicium contumax* intellectus contra verbum Dei & Eccleſiæ Catholicæ dogma, v. g. ſi quis doceret, & intellectu contumace aſſereret, cuivis viro uxorem adeo neceſſariam eſſe uti cibum & potum. *Tom. II. Jenenſi folio* 163. vel votum caſtitatis pejus eſſe adulterio & immunditia: *Tom. VI. Wittebergenſi folio* 252.

His erroribus ſecluſis, fornicator non eſt hæreticus. Petrus Damiani Nicolaitas vocavit, qui mores Nicolai imitabantur: an vero omnes intellectum hæretico errore pollutum haberent, non examinavit.

§. VI. *An inveſtitura beneficii Eccleſiaſtici per laicum facta, ſit hæreſis?*

℟. DE inveſtituris Eccleſiarum, quas laici faciunt, ſententiam præcedentium Gregorii VII. & Urbani II, quantum in me eſt, laudo atque confirmo; quocumque autem nomine talis pervaſio proprie vocetur. Eorum ſententiam, qui inveſtituras laicorum defendere volunt, ſchiſmaticam judico *IVO Carnoti Epiſcopus Epiſt.* 238. & 235. cujus ſententiâ malo quæſtionem definiri, quam mea, quæ eadem eſt Ivonianæ. *Idem Epiſcopus alio loco ſcribit:* Quod quidam inveſtituram *hæreſin* vocant; cum hæreſis non ſit, niſi error in fide: ſicut enim fides cordis eſt ad juſtitiam, oris autem confeſſio ad ſalutem; ita hæreſis error eſt ad impietatem: Profeſſio vero ejusdem erroris eſt ad perniciem. Et fides & error ex corde procedunt: Inveſtitura vero illa, de qua tantus eſt

est motus, in solis est manibus dantis & accipientis: quæ bona & mala agere possunt, credere vel errare in fide non possunt.

Adhæc: si investitura hæc hæresis esset, ei renuntians, sine vulnere ad eam redire non posset. Videmus autem in partibus Germaniarum & Galliarum, multas honestas personas, purgato isto nævo, per quamlibet satisfactionem Pastorales virgas reddidisse, & per manum Apostolicam refutatas investituras recepisse. Quod summi Pontifices minime fecissent, si in tali investitura hæresin & peccatum in Spiritum Sanctum latere cognovissent.

Cum ergo ea, quæ æterna lege sancita non sunt, sed pro honestate Ecclesiæ instituta vel prohibita, pro eadem occasione ad tempus remittuntur, pro qua inventa sunt, non est institutorum damnosa prævaricatio, sed laudabilis & saluberrima dispensatio. Quod cum multi minus studiosi minime attendunt, ante tempus judicant, spiritus mobilis & spiritus immobilis non intelligentes differentiam.

Si quis vero laicus ad hanc prorumpit insaniam, ut in datione & acceptione putet se tribuere posse Sacramentum, vel rem Sacramenti Ecclesiastici, illam prorsus judicamus Hæreticam, non propter manualem investituram, sed propter præsumptionem diabolicam. Si vero congrua volumus rebus nomina dare: possumus dicere, quod manualis illa investitura, per laicos facta, alieni juris est pervasio, sacrilega præsumptio: quæ pro libertate Ecclesiæ & honestate salvo pacis vinculo, si fieri potest, funditus abscindenda est. Ubi ergo sine schismate auferri non potest, cum discreta reclamatione differatur.

Ivo Carnotensis Episcopus Epistola CCXXXVIII. *ad Joannem Archi-Episcopum Lugdunensem apud Gretser. pag.* 420. *Tomo VI. novæ editionis.*

Ipse Archi-Episcopus Lugdunensis Epistola ad Ivonem, quæ est CCXXXIX. inter Ivonianas sic sentit.

Licet exteriores investituras per laicos factas non satis proprie hæresis nomine censeamus, sentire tamen ac defendere (contumace judicio Ecclesiæ opposito) indubitata hæresis est.

Confer Gretseri judicium Tom. VI. novæ edit. pag. 341. 376. 420.

§. VII. *De hæresi Wezelina.*

WEcelonis intrusi ab Henrico Moguntini secta, in quo sita fuit? *Sæculares suis rebus spoliati Ecclesiastico non subjacent judicio, nec possunt excommunicari pro suis excessibus, & excommunicati absque reconciliatione recipi possunt.* Canone IV. Concilii Quintilenburgensis anni 1085. in Paschate præsente Hermanno Antirege hæc opinio damnata fuit a cunctis Patribus. Vocatur hæc opinio Wecelonis *secta* a Bertholdo; sed *hæresis* aliis dicitur, & Wezilo hæresiarcha appellatur, *teste Urspergensi Abbate*, Henriciano licet scriptore.

Niti posset hæc Wecelonis assertio Decreto Symmachi Papæ in V. sua Synodo: " Nullos Episcopos suis rebus expoliatos, " vel a sedibus suis vi aut dolo, aut quocun„ que ingenio pulsos, sicut & vos de nobis „ judicastis, aut ad Synodum tam provin„ cialem, quam generalem posse convocari, „ aut in aliquo judicari, antequam cuncta, „ quæ eis ablata sunt, legibus potestati eo„ rum pacifice per omnia redintegrentur, de" cernimus. " Fuerat Henricus IV. spoliatus Saxonia, ob Tyrannidem in Episcopos, Clericos & omnes Saxones innocentes? an igitur injuste? Loquitur Symmachus de injuste spoliatis.

Idem Wecilo judicaverat excommunicationem injustam nihili faciendam. Sed Patres Concilii Quintilineburgensis aliud definierunt, & recte Canone primo: Dein non spectat ad excommunicatum judicium de Judicis sententia: justa sit, an injusta?

Verum hæc opinio, quod Henricus, Saxoniæ Ducatu [sua culpa adde] spoliatus, sit restituendus, antequam de eo judicetur, non est articulus fidei, sed jure consultorum axioma, *ante omnia restituendum esse spoliatum*, quod ipsum variis modis circumscribunt illi: rursum: an & quando sæculares subjiciantur Tribunali Ecclesiastico, res est non ad fidem, sed disciplinam spectans.

Wecelonis jactata sententia, qua Henricum Imperatorem prætendebat, ab Papa ob Simoniam damnari non potuisse, nec excommunicari, schismatica erat, quia favebat iniquo schismati & Anti-Papæ Wiberto, & S. Gregorii VII. justo zelo pro eradicanda Simoniæ peste contradicebat.

De cætero in rigore non est hæresis Wecelii opinio. Observat Serarius ex Dodechino, Urspergensi, & MS. minore Chronico, Wecelonem ante finem vitæ resipuisse, & ejurato Henriciano schismate legitimo Pontifici adhæsisse & anno 1089. vita functum, & ob pœnitentiam multis injuriis ab Henrico IV. afflictum fuisse, scribit *Tritbemius.*

§. VIII.

§. VIII. An adhærentes Gregorio VII. & ejurantes Wigbertum Anti-Papam sint perjuri in Cæsarem?

Hoc argumento Waldramus vult Thuringiæ Landgravium Ludovicum ad partes Henrici IV. pertrahere.

Et auctor Apologiæ Henrici IV. ubique inculcat perjuros Germanos esse, qui factioni Henrici non adhærent? Objiciunt sexcenties illud Paulinum: Omnis (*a*) anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Et illud Petri:* Regem (*b*) honorificate.

Respondetur: Has auctoritates veras esse, nec ab ullo Catholico negatas fuisse, aut negari posse, sed perperam applicantur.

Episcopi Germaniæ Regem (quem a se electum agnoscunt) reverentur: sed si Rex velit a se emi Episcopatus; si Rex velit loco legitimi Papæ, a se ipso & toto mundo Catholico agniti, creare Anti-Papam, an etiam hac in re tenentur obedire? Christus obediit Tiberio dando censum, an etiam obediit Tiberio templum Jovis, quem Tiberius colebat, adeundo? Non memorabo, quam horrendis & indignis modis fuerint adacti Episcopi ad renuntiandum Gregorio, & Guibertum Antipapam acceptandum: maluerunt exilia & mala omnia subire, quam tam iniquo præcepto obedire? an ideo perjuri? *Si* (c) *est justum in conspectu Dei vos* (*Synedrii Principes*) *potius audire, quam Deum, judicate!* Non ideo S. Petrus & Apostoli inobedientes erant Synedrio, quod a Romano Cæsare acceptam, qualemcunque limitatam jurisdictionem & judicia exercebat; sed præferebant obedientiam Christo debitam obedientiæ debitæ Synedrio, vel Præfectis Cæsareis, Felici aut Festo.

Emere Pontificatum pecuniâ, separare se a Capite Ecclesiæ legitimo, & a toto orbe agnito, sunt duo peccata gravia contra jus naturale Divinum, primum Simoniæ, alterum schismatis in Ecclesia legitime constituta.

Neutrum igitur poterant salva conscientia Episcopi Germaniæ, neutrum poterat Henricus IV. exigere aut imperare Germanis, ut sibi quà Regi subditis: nulla ergo ratione perjurii crimen illis affingi potest ex perperam intellectis Scripturæ Divinæ locis.

Secundò, Omnes Episcopi orbis Catholici tum noti, Episcopi Orientis, Africæ, Portugalliæ, Angliæ, Galliæ, Belgii, Daniæ, Sueciæ &c. adhærebant Papæ Gregorio VII. detestabantur Guibertum Ravennatensem à Conciliabulo Brixinensi contra omnes, non dicam Ecclesiasticas, sed ratione sana dictatas leges, ob- & intrusum Antipapam: an ideo ullus eorum fuit Regi suo perjurus, an soli Germaniæ Episcopi cogebantur schismatico Antipapæ adhærere contra suam conscientiam? *Apage has nænias: ne quid gravius dicam.*

§. IX. An Gregorius VII. primus introduxerit cœlibatum in statum Clericalem? an ante eum Clericis etiam Presbyteris conjugia licita fuerint?

℞. Sic nonnulli Juniores, historiæ sacræ, & Canonum ignari censent.

Gregorius VII. verissime dixit & scripsit *juxta Canones Patrum & Conciliorum,* Clericis & Presbyteris interdicta esse conjugia. Aperiamus codicem Conciliorum illum *Dionysianum* Sæculi VI, & quotquot post Dionysium conditi fuere Canones Conciliorum. Concilii Carthaginensis, forte anno 419. coacti, Caput III. hoc est. Aurelius Episcopus dixit. Cum in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, qui constitutione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt, Episcopos, inquam, Presbyteros & Diaconos, ita placuit, ut condecet sacros Antistites ac Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis Divinis inserviunt, continentes esse in omnibus; quo possint simpliciter quod a Deo postulant, impetrare, ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. *Tom. I. pag.* 199. Ejusdem Concilii Carthaginensis Canon IV. sic habet: De diversis ordinibus ab uxoribus abstinendis.

Faustinus Episcopus Ecclesiæ Potentinæ Provinciæ Piceni, Legatus Romanæ Ecclesiæ dixit: Placet, ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant. Ab universis Episcopis dictum est: Placet, ut in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui in altari inserviunt. *Tom. I. pag.* 199.

Inspiciamus *Reginonem* Prumiensem, qui Lib. I. *De disciplinis Ecclesiasticis* recenset Capitula triginta a Capitulo LXXXIV. ad CIV. ex diversis Conciliis pro continentia Clericorum & interdictis connubiis. *Tom. II. nostro pag.* 455. *& sequent.*

Inde a Concilio Ancyrano, Nicæno, Carthaginensi, usque ad finem primi Millenarii.

(*a*) *Roman. XIII. cap.* 1. (*b*) *I. Petri II.* 18.
(*c*) *Act. cap. IV.* 19. *ajebat S. Petrus.*

narii. Burchardus initio 2di Millenarii æræ Christianæ, collegit Capitula plurima Patrum pro continentia Clericorum; uterque ante Gregorium VII. ſcripſit & collegit Canones.

Ex his ſubinde Ivo Carnotenſis Epiſcopus, Gratianus Monachus Bononienſis, ſuas collectiones adornarunt. Unde liquet, præceptum continentiæ Clericis ab antiquiſſimis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus fuiſſe impoſitum, adeoque jure Eccleſiaſtico ad hoc interdictum eos obligari.

Quod autem Sæculo decimo & undecimo hi Canones a multis Clericis non ſolum in Germania, ſed & in Italia, Gallia, Hiſpania negligerentur, ideo non debuit dormire, nec ſilere, aut connivere Petri ſucceſſor, ſed invaleſcentes violationes, & violatores Canonum coercere, ſit heroico ſpiritu cœpit & perfecit Gregorius VII. Semper fuerunt & erunt in Eccleſia zizania & triticum, palea & frumentum, piſces boni & mali: ſed propterea non eſt faciendum ſchiſma, nec culpandus Paſtor, qui corripit errantes, & Canonicis pœnis eosdem ad ſanam mentem & Canonum obſervantiam reducit. Quod ſi hæ oves diſciplinæ impatientes malint exire ab Eccleſia, vel a ſtatu Clericali, non ideo Paſtor pedum debet abjicere, neque deſperare, dum Deus dat vitam peccatoribus. Atqui Gregorius VII. non odit ullum peccatorem ſui temporis, neque proterviſſimos violatores Canonum, ſed ſemper iis obtulit veniam, pacem & regreſſum ad communionem, quoties pœnitentiæ ſpiritu reconciliari voluerunt Eccleſiæ. Teſtantur id litteræ *ad Teutonicos omnes ſcriptæ*, & ad Henricum Regem, quem pœnitentem anno 1077. menſe Januario in arce Canuſia excepit, & communionis ſacræ participem fecit; imo Saxonum preces, qui eum continuo provocabant ad puniendas violationes Canonum, non audiit, niſi poſt electum ab ipſis Rudolphum Suevum, & Henricum IV. a Regno Germaniæ, uti prætendebant, depoſitum.

Quare Gregorius VII. potius *arbiter a partibus* electus, quam judex conſiderandus eſt: nam & Saxones & Henricus IV. coram Papa cauſam ſuam dicere & tutari voluerunt, & mutuas accuſationes coram eo elidere; etſi Henricus tale colloquium, licet etiam ejusdem conſenſu Auguſtæ Vindelicorum indictum, impedire viis omnibus conatus ſit, nec unquam colloquium coram Papa a ſe & partibus delecto commiſſario judice inſtitui permiſit. Quod mentis male conſciæ certiſſimum ſignum eſt.

Hoc certum, ex omni jure canonico antiquiſſimo præſcriptam Clericis, & ante omnia Presbyteris, & Epiſcopis continentiam ab opere carnis. Simonia autem jure naturali Divino omnibus interdicta eſt.

Utriusque interdicti Severiſſimus & flecti neſcius executor fuit Gregorius VII, & cum eo ſentientes Sanctiſſimi Sæculo XI. Epiſcopi omnium Nationum.

§. X. *Quid de Sigeberti Gemblacenſis duplici aſſerto ſentiendum?*

Sigebertus Gemblacenſis, Monachus Benedictinus, defunctus Anno MCXIII. IV. Nonas Octobris hæc ad Annum MLXXIV. ſcripta reliquit:

Gregorius Papa celebrata Synodo Simoniacos anathematizavit, uxoratos Sacerdotes à Divino officio removit: & laicis eorum Miſſam audire interdixit, novo exemplo, & ut multis viſum eſt, inconſiderato præjudicio contra Sanctorum Patrum ſententiam: qui ſcripſerunt, quod Sacramenta, quæ in Eccleſia fiunt, Baptiſmus, ſcilicet, Chriſma, Corpus & Sanguis Chriſti, Spiritu ſancto latenter operante, eorundem Sacramentorum effectum, ſeu per bonos, ſeu per malos intra Dei Eccleſiam diſpenſentur. Tamen quia Spiritus Sanctus myſtice illa vivificat, nec meritis bonorum diſpenſatorum amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur. Unde eſt hic, (*a*) qui baptizat. *Ex qua re tam grave oritur ſcandalum, ut nullius hæreſis tempore Sancta Eccleſia graviori ſchiſmate ſciſſa ſit; his pro juſtitia, illis contra juſtitiam agentibus: aliis a Simoniaca non declinantibus, aliis notam avaritiæ honeſto nomine prætendentibus, dum hoc, quod ſe gratis dare jactant, ſub charitatis nomine vendunt, ut de Montanis dicit Euſebius, ſub oblationis nomine artificioſius munera accipiunt.*

Porro continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modo cauſa quæſtus ac jactantiæ ſimulantibus, multis incontinentiam perjurio, aut multipliciori adulterio cumulantibus, ad hoc, hac opportunitate laicis inſurgentibus contra ſacros Ordines, & ſe ab omni Eccleſiaſtica ſubjectione excutientibus, laici ſacra myſteria temerant, & de his diſputant, infantes baptizant, ſordido humore aurium pro ſacro oleo & chriſmate utentes: in extremo vitæ Viaticum Dominicum, & uſitatum Eccleſiæ obſequium ſepulturæ, a Presbyteris conjugatis

(*a*) Joannes I, 33.

jugatis accipere parvi pendunt : decimas Presbyteris deputatas , igni cremant , & in uno cætera perpendas, laici corpus Domini a Presbyteris conjugatis consecratum sæpe pedibus conculcaverunt ; & Sanguinem Domini voluntarie effuderunt , & multa alia contra jus & fas gesta in Ecclesia sunt , & hac occasione multi Pseudo-Magistri exurgentes in Ecclesia profanis novitatibus plebem ab Ecclesiastica disciplina avertunt. Hactenus Sigebertus,

Qui I. interdictum Papæ , de non audienda Missa conjugatorum Presbyterorum , vocat inconsideratum præjudicium contra Sanctorum Patrum sententiam.

II. Ex hoc interdicto schisma gravissimum ortum fuisse.

III. Gravissima scandala ex interdicto incontinentiæ Clericalis enarrat.

Ad 1mum respondetur , errare graviter Sigebertum , & in facto , & in jure. *In facto* , quando asserit Papam Gregorium VII. credidisse, Sacramenta ab excommunicatis Presbyteris confecta , nulla & irrita esse : & ideo Papam vetuisse Laicis , ut ne assisterent sacrificiis conjugatorum , ab ipso, excommunicatorum. *Et antecedens , & consequens falsum est.*

Id jam sæculo XI. demonstravit Bernaldus Constantiensis Presbyter in *Apologetico, scripto pro hoc interdicto Gregorii VII.* de non assistendo sacrificiis excommunicatorum : quod interdictum vere a Pontifice latum fuit anno MLXXIV. in Synodo eo ex fine , ut conjugati Presbyteri salubri rubore perfunderentur ad pœnitentiam de sua incontinentia, sicuti cujusvis excommunicationis finis est , evitatio omnis commercii cum excommunicato juxta Apostolos Paulum & Joannem.

Causa vero a Sigeberto vel ficta , vel aliunde accepta , falsissima est ; cum nullus Pontifex Sacramenta excommunicati irrita esse censuerit. Romani Pontifices baptismum , ab hæretico , imo a Judæo , & Ethnico collatum semper validum censuerunt. Item si quis Presbyter in hæresin , aut schisma lapsus fuisset; utut excommunicatus, Eucharistiam valide potuisse conficere , nemo unquam negavit.

Idem Baronius in annal. ad hunc annum 1074. numero XL. paucis , sed evidenter demonstravit ; & probationes facti certi afferre supervacaneum est.

Nihil igitur contra Patrum sententiam, nihil inconsiderati est in eo Gregoriano interdicto.

Ad secundum membrum : ex eo interdicto schisma fuisse ortum gravis error est. Schisma est ortum anno 1076. in conventu Wormatiensi & Brixiensi an. 1080, in quo Rex & XXX. Episcopi Guibertum excommunicatum, Ravennatensem Archiepiscopum, constituerunt Antipapam contra Gregorium VII. a se ipsis ante agnitum Papam. Causa autem, quæ Henricum impulit ad hoc schisma, non fuit interdictum incontinentiæ Clericalis, quod non tangebat Regem ; sed interdictum Simoniacæ collationis dignitatum Ecclesiæ , quas a se vitandas promiserat, pœnitens de invasione Ecclesiarum , scriptis litteris anno 1074. Henricus IV. qui Gregorio VII. & Ecclesiæ se obsecuturum spopondit.

Huic promissioni cum Rex non staret , citavit eum Papa Romam ad dicendam causam ; & hæc *citatio* fuit ultimus stimulus ad unitatem rumpendam, & Antipapam obtrudendum.

Ad tertium membrum : Scandala , quæ ex rebellione perduellium subditorum sequuntur ad promulgationem justæ legis , non debent Papam deterrere ab officio suo. Sic Christus D. N. publicato , vel instaurato primævo edicto , de monogamia viri unius , & uxoris unius , polygamos Judæos graviter offendit & Pharisæi sua ex malitia fuerunt scandalizati , usque adeo ut palam diceretur , *non expedire* matrimonium, si ea est causa & obligatio conjugum. An propterea Christus cessit polygamiæ introductæ per conniventiam Mosaicam ? Sic Gregorius VII. ubique urget & inculcat interdictum *juxta decreta Ss. Patrum* in Conciliis Nicæno & aliis , quæ Bernaldus & alii dudum congesserant.

ALTERA ACCUSATIO SIGEBERTI ad annum 1085. *Gregorium in extremis positum , accito Cardinali confessum esse , se valde peccasse in cura pastorali , & deinde eundem confessorem missum ad Imperatorem , & ad totam Ecclesiam , ad optandam illi indulgentiam.*

HÆc palinodia Gregorii morientis tam certo conficta est , quam certum est , Victorem III. successorem , qui morienti adstitit , & Urbanum II. testatos esse , Gregorium inhæsisse , & immortuum suis anathematis contra Wicbertum , Henricum , & Simoniacos, & incontinentes Clericos , nisi resipiscerent : quam certo ab omnibus Historiographis refertur, hæc fuisse suprema morituri verba : *Dilexi justitiam & odi iniquitatem , propterea morior in exilio* : mirum ut sit , unde Sigebertus tum vivens contrariam opinionem hauserit , nisi fors ipsus eam fabricatus fuerit.

Illmus Baronius credit , a Wiberto , aut Wiberti gregali aliquo in suo conciliabulo

bulo confictam fuisse hanc pœnitentiam S. Gregorii VII. cujus miracula orbi illucessebant. *Annal. Tomo XI. ad annum* 1084. *n. XII.*

Adversarii sancti Gregorii Anno 1085. in Quedlinburgensi Synodo excommunicati, erant Hugo Blancus, seu albus, cognominatus, Joannes Portuensis Exepiscopus, Petrus Excancellarius pseudo Cardinales, Guiberti Antipapæ fautores: Liemarus Bremensis, Udo Hildenesheimensis, Otto Constantiensis, Burchardus Basileensis, Hutzmannus Spirensis, Wecilo Moguntinus invasor, Sigefridus Augustensis, Norbertus Curiensis, cum ardentibus candelis anathematizati: teste Bertoldo. Hi sat erant astuti, ad palinodiam Gregorio VII. affingendam in sequente Conciliabulo Moguntino.

§. XI. *Quam vera sit propositio Annonis, Archi-Episcopi Coloniensis, nomine Henrici IV. Romæ facta:* " A longis temporibus a Regibus hoc absque dubio obtentum, ut absque mandato & assensu Domini Regis nemo accipiat Papatum?

Similis, imo longe altior est assertio nonnullorum DD. recentiorum, non tantum Reges Romanorum nominasse, elegisse Episcopos, & Pontifices Romanos, quod facti quæstio est: sed Regi Romanorum, qua Domino urbis Romæ, deberi *ex connaturali lege* jus nominandi Episcopum Romanum, nisi malit jus suum alicui v. g. Clericis Romanæ Ecclesiæ ex gratia cedere, vel transferre, reservatâ sibi summa potestate, electionem indultam vel ratam habendi, aut rejiciendi.

Hæc discimus ex recentiori juris prudentia. Sed pergamus primo in examine facti, an semper, vel a quo tempore, Reges Romanorum elegerint Episcopum Romanum?

℞. Decretum Nicolai II. anno MLIX. N. XXVII. apud Baronium extat hujusmodi: " Romanus Pontifex eligatur de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipso non invenitur, ex aliis assumatur: salvo debito honore, & reverentia dilecti filii nostri Henrici (III. Regis, II. Imp.) qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur: sicut jam sibi concessimus, & successoribus illius, qui ab Apostolica sede personaliter hoc jus impetraverint.

Primus simile decretum edidit Eugenius II. anno DCCCXXV. sub LUDOVICO PIO electus a Clero: alia autem Cleri pars alium elegerat. Schismati sedando Lotharius, Ludovici Pii filius, Romam a Patre missus fuit. Auditâ causâ utriusque, electus Eugenius II. confirmatus fuit, & schismatis præcavendi causa deinceps statutum, ut Legati Cæsarei consecrationi Pontificis Romani interessent.

Hoc Eugenii II. constitutum Otto Imp. magnus anno CMLXII. confirmavit, uti & S. Henricus I. anno MXIV.

GOLDASTUS scribit, hoc privilegium Nicolai II. non fuisse novum, sed antiquissimum, & ab ipsis Patritiis Pipino & Carolo repetitum. Idem dicere defensorem Regium in Disceptatione Synodali Petri Damiani (pag. 130. Tomi hujus) Christiani Principes semper elegerunt Romanos Pontifices.

Ut ab hoc ultimo incipiamus: vide in eadem Disceptatione synodali pag. 130. Tomi hujus, adæquatum responsum; quod Flacius, Conringius, Goldastus omittunt, tacent: sed Regii Advocati objectam propositionem describunt.

Huic quæstioni clarissima & evidens responsio parata est, post scripta & documenta edita & vulgata a Baronio, Gretsero, Papebrochio, Pagiis, Schelestratio.... Platina, Onuphrius, Panvinius, cum meliora non haberent documenta historiæ Pontificiæ, iis, quæ ex Sigeberto, aut aliis medii ævi Scriptoribus, collegerant, jam citari, aut audiri non merentur: nec eorum errores veritati detectæ obsunt, aut obesse possunt.

Quid de Hadriani I. diplomate, Carolo Magno dato in Synodo Lateranensi, anno 774: De Leonis VIII. Antipapæ diplomate, concesso Ottoni I. sentiendum sit; jam in Digressione ad Sæculum VIII. §. 10. *Tomo I.* nostro ostendimus *pag.* 350. utriusque diplomatis suppósititii falsitatem & inanitatem demonstrarunt Gretserus *Tomo VI. novæ editionis pag.* 180, 212, 266, 366.

Nunc ad Annonis propositionem, nomine Henrici IV. Romæ factam, respondeo:

Decreto statuto ab Eugenio II. & Lothario, primus se subjecit Gregorius IV, ultimus Gregorius VII. anno 1073., qui noluit electioni unanimi Cleri & populi Romani factæ acquiescere, nisi Henricus Rex consentiret, atque consensu per Legatum intellecto, & Legato Regio præsente, consecratus fuit Papa die Ss. Petri & Pauli: a quo tempore deinceps libera fuit, & mansit electio Pontificis Romani apud Clerum Cardinalitium usque ad hoc sæculum XVIII.

Hinc patet propositionem factam ab S. Annone, nomine Regis Henrici IV. confutari nuda

nuda expositione veri facti historici, quod & Advocatus Romanæ Ecclesiæ abunde præstitit.

Unde certum est ex Historia *paucos* Pontifices Romanos ex Regia vel nominatione, vel electione, vel consensu, constitutos fuisse, & hoc factum nonnisi ex Eugenii II, Nicolai II. constitutione. Certius *secundò* errasse Goldastum, Reinkingium, Grotium, Burgoldensem, Arnisæum, & horum præcursores Marsilium Patavinum, Ockamum, qui Regi Romanorum, vel Imperatori hoc jus Majestati suæ connexum volunt, faciunt & creant Dominos eligendi Pontificis Romani. Sed non est necessarium Catholicis, errorem confutare. Contra facillimum est ex tota historia Ecclesiastica Pontificum & Conciliorum XVII. Sæculis Actorum, ex confessionibus Regum Orientis, & Occidentis, penes Clerum & populum Romanum fuisse electionem liberam Episcopi Romani. Ab initio Christianismi usque ad 825. & ab 1073. ad 1759. Igitur luce Meridiana clarius est, hoc jus Regi Romanorum non esse connaturale, neque semper sed brevi tempore duntaxat usurpatum.

§. XII. *De auctore schismatis Wibertini & causa ejus.*

Etsi ad me, ut Synodographum, non pertineat examen causæ, & auctoris gravissimi schismatis, quod Ecclesiam Christi dilaniavit medio fere sæculo undecimo labente; *1mò*. Quia Synodographus non tenetur, nisi ad acta integra, quatenus supersunt, literario orbi communicanda: *2dò*. Quia homo privatus idoneus non est judex factorum, sive Regis sui, sive Romani Pontificis: absit ut filius patrem, subditus Regem dijudicet. Neutrum me decet.

Sed quia jam maximi viri, Cardinalis Baronius pro Gregorio VII. Flacius Illyricus in Centuriis Magdeburgensibus pro Henrico IV. scripserunt, & Baronio omnes Catholici, Flacio Illyrico Domini protestantes turmatim adhærent; proponam, ex his duobus, utri ratio, crisis, & veritas, & historia favere videatur.

I. Schisma facit, qui se a capite Ecclesiæ Catholicæ, & a corpore separat: anno Christi MLXXVI. oriente, tota Ecclesia catholica Orientis, & Occidentis Gregorium VII. legitimum Pontificem agnoscebat: extant litteræ totius orbis Catholici Principum & Episcoporum, scriptæ ad Gregorium, & Gregorii ad eosdem Principes, & Episcopos libris XI. comprehensæ, quas veras, & vero similes esse omnium coævorum Historicorum consensus docet. Testor Epistolas Henrici IV. Regis ad Gregorium VII. scriptas, & Gregorii ad Henricum IV. unam tantum describo hic:

EPISTOLA HENRICI IV. REGIS ROMANORUM, AD GREGORIUM VII. PAPAM.

VIGILANTISSIMO ET DESIDERANTISSIMO DOMNO PAPÆ GREGORIO, APOSTOLICA DIGNITATE CŒLITUS INSIGNITO, HENRICUS ROMANORUM DEI GRATIA REX, DEBITI FAMULATUS FIDELISSIMAM EXHIBITIONEM.

SUMMA. Supplex veniam petit, quod invaserit res Ecclesiasticas, & Ecclesias vendiderit. Rogat, ut sua auctoritate Simoniacam labem ab omnibus Ecclesiis & inprimis a Mediolanensi exstirpet; seque Pontifici in omnibus obsecuturum promittit.

Cum enim (a) *Regnum & Sacerdotium, ut in Christo rite administrata subsistant, vicariâ sui ope semper indigeant, oportet nimirum, Domine mi, & Pater amantissime, quatenus ab invicem minime dissentiant, verum potius Christi glutino conjunctissima indissolubiliter sibi cohæreant. Namque sic, & non aliter conservatur in vinculo perfectæ caritatis, & pacis, & Christianæ concordia unitatis, & Ecclesiasticæ simul status religionis. Sed nos, qui Deo annuente, Regni aliquamdiu jam sortimur ministerium, Sacerdotio (ut oportuit) per omnia jus & honorem non exhibuimus legitimum: quippe nobis a Deo datæ potestatis vindicem non sine causa gladium portavimus; nec tamen in reos, ut justum fuit, judiciaria illum semper censura evaginavimus. Nunc autem Divina miseratione aliquantulum compuncti, & in nos reversi, peccata nostra priores vestræ indulgentissimæ paternitati nos accusando, confitemur; sperantes de vobis in Domino, ut Apostolica vestra auctoritate absoluti, justificari mereamur. Heu criminosi nos & infelices partem pueritiæ blandientis instinctione, partim potestativæ nostræ, & imperiosæ potentiæ libertate, partim etiam eorum, quorum seductiles nimium secuti sumus consilia, seductoria deceptione peccavimus in cælum, & coram vobis, & jam digni non sumus vocatione vestræ filiationis. Non solum enim nos res Ecclesiasticas invasimus, verum quoque indignis quibuslibet, & Simoniaco felle amaricatis, & non per ostium, sed* aliunde

[a] Videtur exordium deesse.

aliunde ingredientibus , Ecclesias ipsas vendidimus , & non eas , ut oportuit , defendimus. At nunc , quia soli absque vestra auctoritate Ecclesias corrigere non possumus , super his , ut etiam de nostris omnibus , vestrum una & consilium & auxilium obnixe quærimus : vestrum studiosissime præceptum servatur in omnibus. & nunc in primis pro Ecclesia Mediolanensi , quæ nostra culpa est in errore , rogamus ; ut vestra Apostolica districtione canonice corrigatur ; & exinde ad cæteras corrigendas auctoritatis vestræ sententia progrediatur. Nos ergo vobis in omnibus , Deo volente , non defuerimus : rogantes idipsum suppliciter paternitatem vestram , ut nobis alacris adsit clementer in omnibus. Litteras nostras non post longum tempus cum fidelissimis nostris habebitis ; ex quibus nostra , quæ adhuc dicenda restant , Deo dante , plenius audietis.

Libro I. Epistolarum Gregorii VII. Ep. XXIX.

Apud Binium Conciliorum Tomi III. Parte II. pag. 264.

In his circumstantiis Henricus IV. convocatis XXIV. vel XXX. Episcopis Wormatiam anno MLXXVI. Dominica septuagesimæ, decernit , Gregorium VII. absentem, nullius criminis a legitimo teste convictum, nedum confessum , a sede Apostolica Petri deturbandum ; & *Brixiæ* decernit Guibertum Ravennatensem Archi-episcopum esse Romanum Pontificem. Hoc factum iterum certissimum est. Stante illo facto, omnes Episcopi Saxoniæ, Norici, Pannoniæ, Daniæ , Sueciæ , Angliæ , Scotiæ , Hiberniæ , Belgii , Franciæ , Burgundiæ , Hispaniæ , Lusitaniæ , Italiæ (præter aliquot Lombardiæ Episcopos) omnes Græciæ, & Orientis , Asiæ , Africæ , Catholici Episcopi habebant Gregorium pro legitimo Pontifice.

Hoc factum iterum certum est ex omnium historicorum consensu. Igitur solus Henricus Germaniæ Rex & XXX. Episcopi separaverunt se a capite Ecclesiæ legitimo; & a toto mundo agnito ; & reliqui Principes , Reges , Duces orbis Catholici perrexerunt adhærere Gregorio VII. Et hoc factum tam certum est, quam certum est, hoc anno MDCCLX. Clementem XIII. ab omnibus Catholicis agnosci Episcopum Romanum , Petri in Cathedra Successorem , & Christi in terris Vicarium. Quod autem acatholici eundem non agnoscant , nihil obest unitati Ecclesiæ Catholicæ, adhærentis Christo, & ejus conspicuo in terris Vicario.

Sic Ariani , licet Sylvestro Papæ , ejusque Legatis in Synodo Nicæna Sæculo IV. contradicerent , & obedientiam denegarent, non obfuerunt unitati Ecclesiæ Catholicæ. Et idem dicimus de omnibus omnium sæculorum hæreticis , qui ordinarie ultra errorem specialem suum , schisma tentarunt , aut palam & aperte a Papa Romano, & ab Episcopis Catholicis se separarunt.

Facto exposito, superest secunda quæstio *de causa* , ob quam Henricus a Gregorio VII , hactenus agnito Papa , secesserit, & novum Papam viventi Gregorio opposuerit ?

Causa a Lamberto Germanico Historico temporis hujus fidelissimo & accuratissimo hæc affertur : Aderant Regi Henrico Legati Hildebrandi Papæ, denuntiantes, ut secunda feria secundæ hebdomadæ in Quadragesima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus , quæ objicerentur , causam dicturus, alioquin sciret, se absque omni procrastinatione eodem die de corpore Sanctæ Ecclesiæ Apostolico anathemate abscindendum esse.

Legantur Literæ Gregorii VII. decimæ Libri III. Registri , plenæ paternæ benevolentiæ & gravitatis erga filium spiritualem. Capita accusationis sunt hæc: *Primò.* Quod Ministros Episcopatuum nundinatores , a Papa anno 1074. excommunicatos , ex aula sua non dejiciat, sed cum iisdem excommunicatis palam communicet. *Secundò.* Quod pergat in conferendis beneficiis, etiam iis in terris , quæ Romanæ Ecclesia subdita sunt. *Tertiò.* Quod Sedis Apostolicæ , & Synodorum decreta spernat, violet , inflatus nupera victoriâ de Saxonibus. Datum Romæ sexto Idus Januarii, indictione XIV. Hæ literæ Regem, victoria tumidum, impulerunt ad schisma hoc audendum : etsi in iis nihil non spiret Gregorii VII. modestiam, gravitatem, & desiderium amicitiæ Regiæ & communionis in Catholica fide.

An ea paterna admonitio & comminatio schisma mereatur , judicet orbis Catholicus? Sane Reges Franciæ, Bohemiæ, & Orientis, Episcopi plurimi, fuere a Gregorio Papa *vi officii Apostolici* moniti , redarguti , correpti , nonnulli excommunicati ; nemo tamen illorum putavit, se causam justam habere , corripienti Petro contradicendi, multo minus ab ejus Ecclesia secedendi.

Tertia Quæstio: Quomodo hoc schisma introductum sit.

Modus quo Papam deponi voluerit Henricus, maxime omnium injustitiam causæ demonstrat.

Accusator Gregorii fuit Hugo Blancus, ante paucos dies propter ineptiam, & mores inconditos a Cardinalitia statione depositus, qui doloris ulciscendi causâ, scenicis figmentis similem tragœdiam de Gregorio obtulit Regi:

Regi: ad cujus nudam narrationem citra ullius testis mentionem hæ calumniæ ab Henrico acceptatæ fuere.

Adalbertus Wurziburgensis Episcopus, & Herimannus Metensis restiterunt Regi & Episcopis, dicentes, incongruum valde, & contra Canonum scita esse, ut Episcopus aliquis 1. absens, 2. absque generali Concilio, 3. sine legitimis & idoneis accusatoribus, & testibus, 4. necdum probatis criminibus, quæ objicerentur, condemnaretur, 5. nedum Romanus Pontifex, 6. adversus quem nec Episcopi, nec Archi-Episcopi, cujusquam recipienda sit accusatio. *Hæc Lambertus.*

En quot delicta contra jus naturale, & Canonicum, in hujus Conciliabuli processu judiciario contra Gregorium VII. exauctorandum.

His omnibus contemptis Wilhelmus Trajectensis Episcopus, qui causam Regis pertinacius tuebatur, vehementer imminebat, ut aut cum cæteris in damnationem Papæ subscriberent, aut Regi, cui sub jurejurando fidem spopondissent, protinus renuntiarent.

Bellum dilemma, dignum tali Judice! Omnes orbis Catholici Episcopi præter hos XXX. & obediebant Regibus suis in temporalibus, & Romano Pontifici in Ecclesiasticis: sed Germaniæ Episcopus, nisi Henrici IV, schisma inducentis, factioni adhæreret, perjurus fiebat, quia Gregorium VII. legitimum Pontificem, qualis erat, agnoscebat.

Observo hic Erdmanni in Chronico Osnabrugensi prudens effatum. *Hic* (Benno Osnabrugensis) *reverendus Pater Henrico III. semper fidelis, Papæ tamen nusquam infidelis fuit.* Rite igitur conciliatur Imperium Sacerdotio, & reverentia ac fides, Regi debita, nihil obest obedientiæ & fidei, quam Episcopus debet Pontifici Romano.

Sed contra hanc putidam & falsam objectionem Gregorius ipse literas scripsit ad omnes Germanos, & Stephanus Halberstadensis, & Anselmus Cantuariensis.

Post Romanam Synodum, hoc anno Romæ habitam, die altera ab Episcopis Ultramontanis *Literæ ad Pontificem sunt allatæ, in quibus confitebantur, se errasse, & nimium deliquisse, qui postulabant quoque veniam.*

En, Judices Wormatiensis Conciliabuli, ut primum extra manus & oculos Henrici fuere, pœnitentia inauditi facinoris attentati corripuit; quam post nuntium Henrici Rolandum Pontifici Romano miserunt.

§. XIII. *De jejuniorum in Ecclesia Catholica diverso ritu.*

Præfatio Synodi Salingunstadiensis anni 1022. *occasionem dedit D.D. Protestantibus accusandi: Catholicos quod eorum Concilia essent inter se discordia, abesset ab iis unitas, quæ nota est characteristica Ecclesiæ Christi, ob Synodalium legum dissensionem.*

SEd quæ vel de quibus Catholici Patres dissenserint, videndum prius, quam dici queat desiderari apud nos in Synodalibus legibus unitatem.

Definitiones Synodales trifariæ sunt, aliæ spectant unitatem fidei, & condemnationem hæreseos, aliæ spectant uniformitatem disciplinæ Ecclesiasticæ, & rituum in sacrificiis, Sacramentis, jejuniis, in statuendis impedimentis conjugiorum inter baptizatos: aliæ demum spectant Hierarchiam ordinatam inter Episcopos, Presbyteros, Clericos, Monachos, Laicos.

In primo genere doctrinæ nunquam Ecclesia Christi, nunquam Patres in Conciliis generalibus, inde a primo Solymæo usque ad Tridentinum sibi contradixere. Professio fidei Catholicæ unica est & individua ab omnibus Catholicis edita, recepta Coloniæ, Romæ, Goæ, Mexici, Hierosolymæ. Quisquis vel unum ex professione articulum negat, hæreticus aut schismaticus nobis est contra Ecclesiam Christi.

Sed secundi generis materia de disciplina, & hierarchia multas pro temporum, & locorum varietate habuit, habet, & habitura est, diversitates, dum mundus stabit: nec hæ varietates obsunt ullatenus unitati doctrinæ fidei, quæ penes solos Catholicos fuit, est, & erit: nisi faciamus portas inferi prævaluisse adversus Ecclesiam a Christo per Apostolos plantatam, & Spiritum Sanctum Doctorem, & paraclitum Ecclesiæ defuisse in Ecclesia Christi, quorum neutrum sine grandi in Christum veritatis omnis fontem & Doctorem blasphemia dici potest.

Inspiciamus hanc ipsam Synodum, & de quibus diversitas sit.

Canon 1mus de numero & qualitate dierum quibus jejunandum est.

Uti certum est, Christianos observare debere exemplo Redemptoris sui Jesu Christi jejunium, & non solam abstinentiam a peccatis, sed & abstinentiam ab immoderato & delicatiore copiosiore usu cibi & potus, tam incertus est modus ille pro nationum ætatum, & corporum diversa qualitate.

Discipuli præsente Christo non jejunabant: discipuli Joannis longis & multis inediis cruciabant corpus: post Christi ad cœlos evectionem crebra & multa erant inter primos Christianos jejunia. Alii ab omni carnis esu abstinebant, alii ex metu, ne fors idolo ante immolata fuisset, a carne in macel-

lo Ethnicorum expoſita abſtinebant: alii ſolis oleribus victitabant: ſed qui manducabat hæc vel illa, non manducantem non judicet, longe minus contemnat, longe minus ſuſpicetur, eum ex craſſo errore abſtinere ab his vel illis, quod creaturam Dei malam eſſe aliquam opinetur.

In primo millenario varia fuit in variis Eccleſiis abſtinentiæ & jejunii ſpecies.

Quatuor anni temporibus Epiſcopi ordinabant Clericos pro Altaris miniſterio ſufficiendos, eum in finem fideles orationi, jejuniis, & ſupplicationibus vacabant: quatuor anni vicibus, veri, æſtati, autumno, hyemi hæc jejunia ex lege Eccleſiaſtica affixa erant.

Generatim in ſtatutis Bonifacii Archi-Epiſcopi Moguntini circa 745. §. 30. doceant Presbyteri populum quatuor legitima temporum, hoc eſt, in menſe Martio, Junio, Septembrio & Decembrio. *Tom. I. pag.* 74.

Anno 779. in Capitulari primo Caroli Magni Cap. XI. ut jejunium quatuor temporum, & ipſi Sacerdotes obſervent, & ipſi plebi denuntient obſervandum. *Tomo I. pag.* 127.

Anno 813. in Concilio Nationali Moguntino *Canone XXXIV.* conſtituimus, ut quatuor tempora anni cum jejunio obſerventur, id eſt, in menſe Martio hebdomada prima, & feria quarta, & feria ſexta, & ſabbato.

Veniant omnes ad Eccleſiam hora nona cum Litaniis ad Miſſarum ſolemnia. In menſe Junio hebdomada ſecunda feria IV, VI. & ſabbato. Jejunetur uſque ad horam nonam & a carne ab omnibus abſtineatur. Similiter in menſe Septembrio hebdomada tertia, & in menſe Decembrio hebdomada, quæ fuerit plena ante vigiliam Natalis Domini, ſicut eſt in Romana Eccleſia traditum. *Tom. I. pag.* 411. adde ejuſdem *Tomi p.* 424. *§. VII. VIII.*

Anno 1031. apud Triburias legali & Synodali Conventu *hoc Tomo pag.* 101. decretum fuit, ut ſi quando jejunium primi menſis eveniret infra hebdomadam, qua caput jejunii in quarta feria conſtat, amborum jejuniorum celebritas in unius officii expletione compleretur: ſed Gerardus Cameracenſis contradixit & obtinuit, ut jejunium primi menſis in altera hebdomada, in qua habetur officium, celebretur ſecundum antiquam conſuetudinem.

Hinc vides exiguam admodum differentiam in jejuniis quatuor temporum ſervandis interceſſiſſe, nempe in prima an ſecunda hebdomada Martii aut Junii incidat ſabbatum? Et duplex an unicum officium precum perſolvendum ſit? De cætero quoad ſubſtantiam tunc uti nunc concors erat obſervantia jejunii quaternis anni temporibus.

§. XIV. *De computanda conſanguinitate inter matrimonium contracturos.*

Ea quæſtio diverſis modis reſoluta fuit.

IN Synodo Theodonis Villana anni 1003. Conradus & Mathildis (quorum agnationis ſchema ex Eckharto adjunxi) accuſantur veluti inceſti, gradu vetito conjuncti: contra Adelbero Metenſis Epiſcopus contendit, non plus quam ſecundo loco elongatos eſſe a ſtipite communi, qui ſit frater & ſoror, non ſupputando. Hujusmodi regula nunc non utimur: ſed quærimus ſtipitem communem duobus ſponſis, a quo generationes & earum numerum ſupputamus, demto ſtipite, qui non ſupputatur. Hoc pacto Conradus & Mathildis videntur quarto gradu agnati, demto ſtipite, Henrico Aucupe; qui gradus juxta Tridentinum jus nunc eſt impedimentum dirimens. Videtur autem S. Henricus Rex hoc matrimonium inceſtum reputâſſe, cujus pœna & vindicta non in ſolos conjuges, ſed & in omnem patriam de cœlo provocetur. Frequentia erant hoc ſæculo tentata inter agnatos & affines connubia, nam & Comites de Hammerſtein injuſtæ conjunctionis contumaces uſurpatores duplici Synodo materiam dederunt, nec niſi Henrici Imperatoris armis coacti ſeparati ſunt. Goteſcalcus & Gertrudis in Synodo Goslarienſi anni 1018. ſeparati fuere: ſed acta, quæ ſuperſunt, gradum non exprimunt.

Synodus Salingunſtadienſis Cap. XI. videtur ſtatuere conſobrinos & patrueles eſſe primos, qui impediantur nubere.

Cæterum interdictum conjugium agnatis antiquiſſimæ Leges civiles & Eccleſiaſticæ meminerunt.

Theodoſius magnus nuptias conſobrinorum, vel ex 2. fratribus, vel ex 2. ſororibus, vel ex fratre & ſorore natorum ſummo ſupplicio addixit: puta: ignis & proſcriptionis. *Cod. Theodoſiani Lib. III. Tit. X.* Cujus legis meminit *S. Ambroſ. Epiſt.* 60. *N.* 8. Severiſſimam pœnam Theodoſius ſtatuit: *Si quis temerare auſus eſſet fratrum pia pignora.*

Concilii Neocæſarienſis anno 314. celebrati Canone II. vetantur nuptiæ viri cum duabus ſororibus, & mulieris cum duobus fratribus. *Tom. I. pag.* 150.

Anno Chriſti 517. in Concilio Epaonenſi variæ inceſtarum nuptiarum ſpecies inter virum & ſororem defunctæ uxoris, inter filium & novercam, inter conſobrinos, inter hos & avunculos, amitas inſanabiles dicuntur,

cuntur, nonnisi separatione sanandæ. *Tom. II. pag.* 684.

Zacharias Papa in statutis anno 747. ad Pippinum missis Cap. XXII. instaurat Canonem Neocæsariensis Concilii, & ampliat: Si mulier duobus successive fratribus, vir duabus sororibus nubat, adjiciendi 2do nuptæ cum spirituali commatre & filia velantur. *Tom. I. pag.* 82.

Caroli Magni Capitulare circa annum 813. statuit adulterium esse conjugium cum commatre, aut cum filia spirituali in baptismo; idem de conjugiis cum commatre spirituali ex confirmatione contracto statuit adulterium esse. *Tom. I. pag.* 425. *§. XVI. XVII.*

Inter Ahytonis Episcopi Cap. XXI. incesta connubia vetantur tam in carnali, quam spirituali cognatione. *Tom. II. pag.* 20.

Nuptiæ incestæ in Walacria a Friderico Episc. Ultrajectensi reformantur: perperam nuptæ abjiciuntur. *Tom. II. pag.* 38.

In Concilio Moguntino anni 847. Cap. XXIX. enumerantur variæ species incestarum nuptiarum. Cap. XXX. Ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur. *Tom. II. pag.* 160.

Idem tamen Rabanus, qui huic Concilio præsedit, in aliis suis opusculis diversimode sensit & scripsit.

Nam in Epistola ad Heribaldum a Cap. XX. ad XXIX. statuit diversa impedimenta & gradus.

In Libello ad Humbertum quotâ generatione licitum sit connubium, sic resolvit viam mediam ineundo: magis sequendum sibi videri, ut post quintam generationem jam licitum connubium fiat. *Tom. II. pag.* 227. 228. Si inscius in quinta generatione contraxit, maneat in eo cum humili pœnitentia.

De definitionibus variis circa impedimentum consanguinitatis in variis Conciliis.

ANno 860. Nicolaus I. Papa in sua responsoria ad Synodicam Moguntinam de conjugio Abbonis, quod irritum declarat, hæc scribit: hoc vobis interrogantibus statuimus, ut nulli liceat Christiano de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere, usque ad dum generatio recordetur, cognoscitur, aut memoria retenetur . . . Subjicit: Nos autem generationum hac in re, numerum non definimus. *Tom. 2. pag.* 244.

Anno 868. in Concilio Wormatiensi canone XXXII. in quarta generatione sibi fideles copulentur? Respondent patres: Nulli Christiano liceat de propria consanguinitate uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, cognoscitur, *At canone LVXVIII. ejusdem Concili*, " Contradicimus, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur: ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur: quibus verbis duo videntur innui: hactenus in quarto gradu conjunctos fuisse sine conscientiæ vulnere copulatos: deinceps id vetari, adeoque subindicari in quinto, & ulteriori gradu conjunctos licite conjugari posse. *Tom. II. nostro pag.* 320.

In Concilio Triburiensi anno 895. a cap. XL. ad XLVIII. variæ species incestorum conjugiorum referuntur & damnantur. *Tomo II. pag.* 404.

Regino Prumiensis L. II. cap. CLXXIV. de incestis nuptiis ex variis causis fuse tractat usque ad caput CCXLVII. *Tom. II. a pag.* 542.

Capitulum CC. in quinta generatione copulentur fideles: sic respondet ex Rhabano & variis patribus citatis: demum sic concludit: " Hoc quod Theodorus Episcopus inter Gregorium & Isidorum medius incedens in suis capitulis definivit, magis sequendum *Reginoni videtur*, ut quinta generatione jam licitum fiat connubium, quia non lex Divina huic contradicit, nec etiam sanctorum Patrum dicta hoc prohibent. *Tom. II. pag.* 546.

Hic igitur status erat graduum consanguinitatis in Germania occidente sæculo decimo, Oriente sæculo XI.

Burchardus Wormatiensis, Canonistarum Sæculi hujus Princeps, *Lib. VII. Decretorum* plurima ex Conciliis & Patribus collegit huc facientia. Ejus Libri Capite nono quærit: *in quo geniculo*, id est, *gradu cognationis abstinendum sit a nuptiis cognatæ personæ*, subjicitque responsum ex Isidoro, ex Gregorio Magno, ex Conciliis Theodonis villæ, Aurelianensi, Agrippinensi, Meldensi, Ilerdensi abstinendum esse ab ejusmodi nuptiis usque ad septimam generationem. Quomodo autem hi gradus computandi sint, docere incipit ex iisdem fontibus *a Capite XXVIII. ejusdem Libri*: hoc pacto: Patrem & matrem primo gradu cognatos esse, 2do ascendente avum & aviam, descendente filium & filiam, seu fratrem & sororem; *tertio* gradu ascendente: conjunctos esse proavum & proaviam, in descendente linea neptem, semper patre & matre pro stipite vel capite stemmatis Genealogici æstimato. Demum concludit ex capite primo Concilii Confluentini anni MXXII. Nec ullus Christianus infra sextam generationem nuptias copulare præsumat. *Tom. II. pag.* 599.

Con-

Conficitur hinc variam variis fæculis & locis æftimationem graduum propinquitatis, & eorum vim ad dirimendas nuptias fidelium Chriftianorum fuiffe : Sed hæc ad jus undecim primis fæculis vigens. Nos quid nunc fentiendum, ex Tridentino fcimus Catholici.

§. XV. & ultimus. Cur colloquia Sæculi XI. inter Concilia mifcuerimus ?

COllóquium hic intelligo conventum perfonarum diffidentium vel de dogmate vel de difciplina, auctoritate parium (quarum altera alteri vel auctoritate vel doctrina par eft, aut effe fe putat)

Differunt hæc a Conciliis, quod Concilia fint folorum Epifcoporum qua Doctorum & judicum doctrinæ, & difciplinæ Catholicæ : etfi enim Principes & Reges qua advocati & protectores vel teftes intereffe poffint, non tamen interfunt qua Doctores Ecclefiæ.

2do in Conciliis Ecclefiafticis femper major pars prævalet, & ex ejus majori fententia canones Conciliorum fumuntur.

In primo Concilio Nicæno CCCXVIII. Epifcoporum, feptem favebant Ario, nihilominus Arii doctrina cum fuis fectatoribus damnata, profcripta fuit, & fymbolum fidei fuit conditum a Catholicis Epifcopis, & a tota Ecclefia Catholica acceptatum ufque ad hoc fæculum XVIII. perfiftit & perftat ufque ad confummationem fæculi.

Contra in colloquiis nil deciditur, imo ne decidi poteft, cum nemo alium fuperiorem agnofcat : patuit hoc fæculo XVIto. quo plurima colloquia Catholicorum cum Proteftantibus, & Proteftantium inter fe habita fuere nullo fructu, nullo effectu : ut ab eventu patet. Nam Zwingliani, Calviniani, Lutherani omnes fibi applaudunt, nec hilum curant diffentientium opiniones.

Hoc Sæculo XI. multa Concilia habita funt a Catholicis Catholico ritu, XIV. nobiliora, talia funt.

I. Theodonis Villanum 1003.

II. Francofordienfe 1006. 1007.

III. Noviomagenfe 1018. III. canonum.

IV. Saliginftadienfe anni 1022. canonum XXII. & plurium.

V. Atrebatenfe 1025. XVII. canonum.

VI. Triburienfe 1056.

VII. Moguntinum anni 1049. VIII. Capitulorum.

VIII. Osborienfe, & in eo difceptatio Advocati Romani & Regii 1062.

IX. Synodus Sleswicenfis de Epifcopatibus in Dania Suecia anno 1061. Capitula IV. & amplius.

X. Moguntinum de divortio Henrici IV. & Berthæ Reginæ impedito anno 1069.

XI. Moguntinum 1071. de Caroli Conftantienfis Epifcopi depofitione.

XII. Quidlinburgenfe anni 1085. canonum XII. & amplius.

XIII. Udoni Treverorum Metropolitæ committitur a Papa decidenda controverfia inter Suffraganeum Tullenfem & quendam ejus Diœcefis Clericum. *Regiftri Lib. II. Epift.* 10.

XIV. 1094. Conftantiæ Synodus V. Decreta.

Præter hæc nobiliora Concilia plura alia celebrata fuerunt, quæ concernunt fingulares Ecclefias aut Monafteria, & hinc minoris momenti quoad univerfam Ecclefiam, etfi Germanicæ hiftoriæ Ecclefiafticæ firmandæ & explicandæ valde fint opportuna, connaturalia & neceffaria.

Tertio loco occurrunt varia colloquia Regum cum Epifcopis & Proceribus & Legatis Sedis Apoftolicæ, quæ ob dictas caufas *Concilia Ecclefiaftica* non funt, nec vocari poffunt : quia tamen cenfebantur vel credebantur *media* ad pacem Ecclefiæ & concordiam inter Sacerdotium & Imperium reftaurandam idonea, hinc ex iis aliqua inferui ex *Bertholdo, Lamberto, Brunone de Bello Saxonico, Hugone Flaviniacenfi Abbate*, &c.

I. 1073. *Colloquium Henrici IV. Goslariæ cum univerfa Saxonum multitudine. Rex adventantes delufit & derifit, non comparuit, hoc dicto* : Quamdiu vellent, exfpectarent. Illa dies principium omnium fequentium malorum fuit. *Ait Bruno pag.* 107. *editionis Freheri de anno* 1600, *qua utor.*

II. 1073. *Colloquium fecundum apud Nockmeslovo, & deinde apud caftrum Hartenberg : miffis ultro utroque Nuntiis & auditis, Henricus IV. clam denuo aufugit.*

III. 1074. *Norimbergæ colloquium. Nuntii Pontificii eo venere cum literis & comminationibus. Rex & ejus Miniftri promittunt omnia.*

IV. 1075. *Die Pafchatis Moguntiæ colloquium : Præfcribuntur pacta, difceditur re infecta. IV. Idus Junii prælium Regis & Saxonum apud Beringam & Nechilftad, Rex Henricus victor cruenta fuorum victoria.*

V. 1075. *XI. Kal. Octobris Rege victore ingreffo Goslariam colloquium* apud Gerftungen *celebratur : mittit Rex Epifcopos gratos Saxonibus, quorum perfuafione deditionem faciunt* Saxo-

Saxones vitâ & libertate salvis, promittit omnia Henricus, plures Saxones incarcerantur.

VI. 1076. *Goslariæ compellit Saxones jurare filium suum Regem admittendum, continuantur Simoniacæ venditiones & communicatio cum excommunicatis. Papa ex celebrato Romæ Concilio mittit Nuntios Regi comminantes excommunicationem, ni desistat a Tyrannide in Saxones & Simonia, citat eum Romam ad dicendam causam.*

Hac citatione commotus Rex primo Goslariæ præparat, ac indicit Synodum Wormatiæ in Quadragesima celebrandam, & obedientiam Apostolicô denegat, eumque Cathedra descendere jubet: quod scripto & verbo per Rolandum Parmensem denuntiat Papæ in Synodo Romana hujus anni celebrata. Audita Romana excommunicatione omnes pæne Principes Regni a communione Regis se sequestrant. Ait Bertholdus.

VII. 1076. *mense Octobri colloquium apud Oppenheim, Rege Moguntiæ existente. Mittuntur Nuntii, scribuntur & firmantur pacta a Rege & Episcopis: indicitur Conventus ad Augustam II. Februarii* 1077. *Nuntii Romam mittuntur.*

1077. *Henricus Rex clam in Italiam abit, obvius Pontifici apud castrum Canossa: post triduanam pænitentiam absolvitur & reconciliatur Rex sub conditionibus, quas Consiliarii Henrici nolunt servari.*

1077. *Papa cum Germanicum iter clauderetur undique, Augustam non venit.*

Saxones & Suevi frustrati Conventu Augustano anni hujus, una cum Legato Apostolico censent novum Regem eligendum sub certis conditionibus. Conventur in Forcheim novo colloquio, eligitur Rodulphus, Dux Suevorum d. VII. Kal. Aprilis Moguntiæ a Sigefrido coronatur.

Henricus IV. in Italia audiens hoc factum Papæ auxilium implorat.

Redux ex Italia in Germaniam Ulmæ sibi coronam Regiam denuo imponit, post Augustum mensem in Saxoniam tendit, cui Rodulphus Rex cum exercitu obviat apud Herbipolim, quam obsidet. Annus abit missis ultro citroque nuntiis

1078. *Conflictus Rudolphi & Henrici Idus Augusti apud Struvam: primus victor campum obtinet X. Kal. Decembris. Romæ in Concilio Legati Henrici & Rudolphi jurant, quod Domini eorum non essent impedituri colloquium de pace.*

1079. *Papa Saxonum multis literis provocatus, Legatos mittit in Germaniam Petrum igneum Albanensem, & Udalricum Patavinum Episcopos.*

1080. *VI. Kal. Februarii tertium prælium apud Flatecheim victore Rudolpho supra Henricum. Brixinense Concilium elegit Wicbertum Anti-Papam sedente Romæ & vivo Gregorio VII.*

Mense Octobri prope Elistram quartum prælium committitur. Rudolphus Rex ex vulnere mortuus.

1081. *Henricus victor Saxoniam ingreditur, sed valde resistentem.*

1081. *VII. Colloquium in silva Capuana ultra fluvium Wisara. Conveniunt utriusque partis Episcopi Henrici & Gregorii VII. Gebehardus Salisburgensis perorat pro pace & securitate, nullo effectu.*

Rex mense Martio 1081. *intrat Italiam, Veronam in Pascha venit.*

Hermannus Lotharingus communi consilio eligitur, paulo ante festum S. Laurentii, postridie de Henricianis in Hostette triumphavit.

Anno 1081. *Festo S. Stephani per Sigefridum Hermannus Goslariæ coronatur solenniter.*

Henricus tota æstate Romam obsidet, Italiam vastat.

1083. *iterum Romam obsessam capit, Henricus Guibertum Antipapam inthronizat:*

1084. *Henricus in die Resurrectionis Domini a suo Guiberto coronatur.*

VIII. 1085. *VIII. colloquium Hermanni Regis, & Ostiensis Episcopi, Legati Papæ apud Goslariam in Saxonia.*

IX. 1085. *XIII. Februarii Conventus in* Gerstungen *Episcoporum & Procerum utriusque factionis combinandus cum Goslariensi habito post Epiphaniam anni hujus, nisi fors sit ejus continuatio.*

1085. *Synodus Quintalinburg in Paschate.*

1085. *Synodus Moguntina tertia hebdomada post Quidlinburgensem & hujus eversiva.*

X. 1086. *post Festum Apostolorum IX. colloquium Suevorum cum Saxonibus & Bajoariis prope Wirceburg. Sequitur prælium. Henriciani magna parte cæsi.*

XI. 1087. *Kal. Augusti X. colloquium prope Spiram fidelium S. Petri cum Henrico & hujus fautoribus, qui obedientiam promiserant, si de hac excommunicatione exire vellet.*

Leguntur Literæ Papæ Victoris III. Non vult Henricus: negat se excommunicatum. Guiberto Antipapæ adhæret.

1089.

1089. *XI. Novum colloquium fidelium S. Petri cum Henrico Imperatore promittentium auxilium & obedientiam, si Guiberto renuntiare vellet, & ad communionem redire: sed Ministri aulici inverterunt hoc consilium.*

De omnibus his colloquiis hæc tria observo.

I. In nullo colloquio actum de dogmate, sed tantum de pace & concordia inter Imperium & Sacerdotium. Equidem crebra mentio *hæreseos* & *hæresiarchiæ Guiberti*, & *Henrici*, *Wecelini*, *Nicolaitarum*, sed hæc verba in rigore Theologico non sunt intelligenda, sed in eo, quem §. 4. 5. 6. 7. hujus Digressionis explicavimus.

II. Omnia hæc colloquia nihil pacis pepererunt: in promptu causa, quia omnia facta ab iis, qui se in omnibus æquales credebant: hinc neuter alteri cedere volebat.

III. Henrici & ejus sectatorum odium contra Gregorium VII. erat duntaxat personale: nullatenus contra sedem Apostolicam nec contra ejus Primatum juri Divino innixum. Si Papa Gregorius tacuisset aut consensisset factis Henricianis vel ejus ministrorum Simoniæ & Clericorum luxuriæ, uti faciebant Cadolaus & Guibertus, optimus Papa fuisset. Verum cum Pontifex vir esset severæ, ut omnes dicunt, & austeræ sanctimoniæ, deinde omni metu & spe humana major, hinc tantum odium apud Henricum IV. & hujus ministros ex Simoniaca venditione indies ditiores & apud Clericos concubinarios incurrit.

De cætero Henricus Rex utcunque sceleratus dicatur, semper credidit Episcopum Romanum esse Christi in terris Vicarium, in Apostolica Cathedra successorem.

Ipse Henricus IV. & Pater ejus & avus Conradus, & alii agnovere Simoniæ ecclesiasticis in officiis & absurditatem & iniquitatem v. Glabri Rodulphi L. V. cap. ultimum.

Venericus Vercellensis Episcopus autor, ut creditur, *Apologiæ Henrici IV. vel libri de unitate Fidei* profitetur in fronte sui libelli Romanorum Ecclesiam esse matrem omnium Ecclesiarum.

Profitetur necessariam concordiam inter Sacerdotium & imperium, profitetur majori seu Catholicæ communitati adhærendum, & eum, qui ab ea se separat, damnandum schismaticum: vetus Roma, *inquit idem*, obtinet primatum Apostolici honoris, nova Roma Constantinopolis obtinet Principatum Regiæ Majestatis. Noverat Metensis Episcopus Herimannus se obedientiam debere Romano Pontifici propter primatum sedis Apostolicæ.

Ex his paucis vides ideam, quam habuerit hic Venericus, acerrimus inter defensores Regis Henrici IV. de Romano Pontifice, ejusdem Apostolica Cathedra, ejusdem primatu jurisdictionis. Dein affert textus Sanctorum P. P. edicta Honorii, & Arcadii de reverentia & obedientia debita Romano Pontifici Petri successori.

Toto igitur cœlo distat sententia Henrici IV. & consiliariorum ejus sæculi XI. Principum ab schismaticis seculi XVI. qui judicabant Papatum esse a diabolo fundatum, vel qui mitissimè loquebantur, scribebant Primatum Romani Pontificis esse humanum vel Cæsareum inventum: prophetabant propediem interituros Papam, Episcopos, Clericos, monachos omnes, demum omnes Christianos esse Episcopos, Papas, & nescio, quæ monstra opinionum, quæ ipsi hodie a Romana sede diffidentes non probant. Hoc certum est schisma sæculi XI. & ejus causas ac sedatores maximo intervallo distare a schismate sæculi XVI.

Finis Digressionis ad Sæculum XI.



SÆCULUM DUODECIMUM.

CONVENTUS COLONIÆ ET WERDÆ,

Anno Christi MCI. Paschalis II. Papæ II. Henrici IV. Regni XLV. Imp. XVIII.

SUMMA. *Prædium Prumisfeld ab Henrico de Limburgo Monasterio Prumiensi restituitur.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS Divina favente clementia tertius Romanorum Imperator Augustus, omnibus Christi, nostrisque fidelibus tam futuris, quam præsentibus notum esse volumus. Quod de quodam prædio fecimus, videlicet Prumisfeld, qualiter Prumiensi Ecclesiæ S. Salvatoris a justis possessoribus idem prædium traditum, ab invasore raptum eidem Ecclesiæ recuperavimus. Illud idem videlicet prædium, nomine Prumisfeld, quidam Comes BRUNO de Hengebach cum omnibus appenditiis suis, id est, utriusque sexûs mancipiis, terris cultis & incultis, viis & inviis, pratis, campis, silvis, venationibus, aquis, aquarumve decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis; ac cum omni utilitate, quæ scribi ac nominari poterit, S. Salvatoris Ecclesiæ Prumiensi in proprietatem tradendo firmavit, firmando tradidit, ea conditione, ut quatuor mansi cum duobus servientibus Odilone & Stephano statim ad manum Ecclesia in suos usus reciperet: cetera ipse cum uxore sua, Mathilde videlicet, quousque viverent, ad suos usus retinerent. Et si ipsa maritum supervixisset, ante mortem suam ad eandem Ecclesiam Prumiensem veniret, & sicut ab omnibus laudatum est, eidem Ecclesiæ idem prædium, sicut maritus ejus firmaverat, ipsa quoque firmando traderet, tradendo firmaret, quod & ipsa ita perfecit. Nam post mortem mariti sui eidem Ecclesiæ id ipsum prædium adhuc vivens firmavit, & ipsa defuncta ibidem in Monasterio S. Salvatoris est sepulta. Illud ergo prædium ab ejusdem Ecclesiæ Abbatibus absque ulla contradictione diu possessum, diu retentum quidam Comes *Henricus de Limburg* invasit, rapuit, & quod suum non erat, quasi proprium possedit, quam injuriam *Domnus Wolfrannus* Abbas Prumiensis, cum fratribus suis tam diu est conquestus nobis, donec misericordia moti, zelo Dei accensi, judicio Principum super eundem Comitem H. cum exercitu venimus, Castella ejus destruximus, eumque ut huic Dei Ecclesiæ, aliisque, quas devastavit, justitiam faceret, compulimus. Primus igitur (a) *Coloniæ* in Nostra præsentia, & filii nostri *Henrici* Regis judicio Principum convictus, præfatum prædium Prumisfeld, quod S. Salvatori rapuit in manum nostram & præfati Abbatis *Wolfranni*, & Advocati *Bertolfi* juste reddidit. Aderant hi Principes nostri *Egilbertus* Trevirensis Archi-Episcopus, *Burchardus* Monasteriensis, *Wido* Osenburgensis, *Henricus* Padebrunnensis, *Adilbero* Mettensis, *Cuono* Wormacensis Episcopi; Dux *Fridericus*, Marchio *Burchardus*, *Gerart* de *Wassenberg*, *Gerart de Gulicbe*, *Vernerius de Groninche*, *Adolf de Monte* Comites, & alii multi Principes nostri.

Deinde

(a) Coloniensis Conventus Cæsaris Henrici IV. Imp. & Filii Henrici V. Regis, Episcoporum & Procerum.

Deinde cum de Colonia ad Insulam Werdæ (b) venissemus curtim nostram, idem Comes *Henricus* prædium, quod Coloniæ reddidit, se reddidisse Werdæ negavit, ubi Principes convenire fecimus, & eundem *Henricum* in præsentia nostra judicio & testimonio Principum, quod Abbati prædium, quod negaverat, reddidit, convicimus: quod ut nunquam ulterius negari posset, idem prædium in manum nostram & manum Abbatis *Wolfranni*, & ejus Advocati *Berchdolfi* eum reddere fecimus, præsente filio nostro *Henrico* Rege; adstantibus Principibus *Burchardo* Monasteriensi, *Widone* Ossenbrucensi, *Cuonone* Wormacensi, *Hecelone* Veronensi Episcopis; Magno Duce *Ottone de Sutpheni*, *Gerardo de Wassemberch*, *Theoderico de Toneburch*, *Adolfo de Monte*, *Gerardo de Guliche*, *Werinhero de Gruoningue*, *Henrico de Diedisso* Comitibus, & *Berchdolfo* filio *Bercdolfi* Comitis, & suprascripti Advocati, & aliis compluribus nostris fidelibus.

Quod totum fieri, Deo auxiliante, laboravimus, tum pro justitia, tum pro remedio animæ nostræ, & Parentum nostrorum *Conradi* avi nostri, & *Henrici* Patris nostri Imperatoris, *Giselæ* avæ nostræ, *Agnetis* Genitricis nostræ, *Berchdæ* Conjugis nostræ Imperatricum, & pro stabilitate Imperii nostri, & Regni filii nostri *Henrici* Regis. Pro hoc labore ac studio nostro promisit nobis, & in hac charta rogavit idem Abbas *Wolfrannus*: ut deinceps pro debito quotidianas orationes cum fratribus suis, ipse, suique successores pro nobis faciant, quamdiu vivimus, & specialiter in die ordinationis nostræ in Regnum, id est, XVI. Kal. Augusti Missas, orationes, & refectionem fratribus faciant, quinquaginta pauperes pascant. Similiter in die ordinationis nostræ in Imperium, id est, II. Kal. Aprilis, Missas, orationes, refectionem fratribus faciant, quinquaginta pauperes pascant. Similiter in die ordinationis filii nostri *Henrici* in Regnum, id est, in Epiphania Domini Missas, orationes, & refectionem fratribus faciant, L. pauperes pascant. Postquam vero de hac vita migraverimus, ego videlicet & filius noster *Henricus* Rex in omni anniversario depositionis meæ, Missas, orationes, & refectionem fratribus pro anima mea faciant, CCC. pauperes pascant, XXX. pauperes vestiant. In omni autem anniversario depositionis filii nostri Regis *Henrici* Missas, orationes, & refectionem fratribus pro ejus anima faciant, L. pauperes pascant, XII. pauperes vestiant. Hoc quoque firmiter statuimus, ut nulla persona, sive Imperator, sive Rex vel Abbas, idem prædium alicui præstare, aut aliquo modo Ecclesiæ Prumiensi fratribus abalienare præsumat, & si præsumpserit, odium Dei & omnium Sanctorum suorum incurrat. Quod ut firmum & inconvulsum sempiterno ævo permaneat, hanc Cartam inde conscriptam, &, ut infra videtur, propria manu corroboratam, Sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni HENRICI tertii Romanorum Imperatoris.

Data III. Nonas Augusti, Anno Dominicæ Incarnationis MCI. Indictione IX. Anno autem Domni HENRICI tertii Romanorum Imperatoris Augusti, Ordinationis quidem XLVIII. Regni autem XLVI. Imperii vero XVIII.

Actum feliciter Werdæ in Dei nomine feliciter Amen.

Martene & Durand pag. 585. & seq. Tom. I. Collectionis amplissimæ.

(b) Werdensis Synodus seu Cæsaris insulana Episcoporum & Principum.

PADERBORNÆ SYNODUS

Anno Chriſti MCIII. Paſchalis II. Papæ IV. Henrici IV. Reg. XLVII. Imp. XIX.

Henricus, (a) Epiſcopus Paterbornenſis, in Quadrageſima proximis ante Paſcha diebus Synodum Vernam Cleri habuit, in qua publicis litteris, teſtibusque donationes Gumberto Abbati & Monaſterio Abdinghoviano factas comprobavit.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Henricus Dei gratia Padeburnenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Quia juxta Veridicam Magiſtri gentium vocem, unusquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem; cum ſolatium denarii diurni laboris lato caritatis mandato etiam extraneis & inimicis impendere debeamus, maxime domeſticis fidei, & ſub umbra alarum noſtrarum habitantibus id impertiri debemus. Unde univerſæ poſterorum noſtrorum fidelitati notum eſſe volumus, qualiter nos pro Divini ſervitii augmento noſtro noſtrorumque ſucceſſorum piæ recordationis monimento fratribus Eccleſiæ Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli in ſuburbio noſtræ civitatis degentibus, quibus Domnus Gumbertus venerabilis Abbas præeſt, ad Altare eorundem Sanctorum Apoſtolorum diverſis temporibus devota mente hæc contulimus. Unum manſum in Curbike in conſecratione principalis crucis in eorum Eccleſia, quæ facta eſt V. Novemb. Anno Dominicæ Incarnationis MXC. Indict. XIII. præſentibus fere omnibus in hac civitate commorantibus quandam decimam in Liesmari, mancipium unum Meinhardum nomine, cujus uxor nomine Geſike filia Joannis Rother ad nos pertinentes poſtea commutati ſunt ad eandem Eccleſiam datis (b) procis, muliere nomine Geſeke, & filio ejus Bernhardo vivarium piſcium juxta hanc civitatem in loco, qui dicitur Rimbike, manſum unum hic in civitate cum area interventu cujuſdam Cizonii noſtri miniſterialis, ipſum manſum eatenus in beneficio poſſidentis, tum autem ſecularibus negotiis renuntiantis, & emendationis vitæ gratia monachorum in præfato Monaſterio cohabitationem expetentis, filiis ejus præſentibus, noſtrisque miniſterialibus pluribus in teſtimonium aſſiſtentibus. Item manſum unum in villa, quæ dicitur Balhornon interventu Hugonis de Gladebach miniſterialis noſtri, qui eum a nobis eatenus in beneficio habuerat. Itidem manſum unum in Hatheberninchuſen tali tenore, ut quamdiu in hac vita Deo diſponente ſubſiſtimus in die ordinationis noſtræ, poſt mortem vero noſtram in die anniverſarii noſtri fratribus in refectorio in memoriam noſtri caritas prompta amminiſtretur. Duo quoque prædia, quæ ſunt in Bedinthorp, & Erpinthorp eidem Monaſterio tradimus pro calice argenteo triginta Marcarum, quem annuentibus fratribus in uſus noſtros ſumpſimus, & expendimus. Hæc omnia ob animarum remedium collocata uſibus Deo ſervientium banni noſtri auctoritate firmavimus, & omnes, qui prædictæ Eccleſiæ fratres ſuper eiſdem bonis inquietare, moleſtare, aut diveſtire præſumpſerint, æternæ damnationis, & maledictionis cum diabolo, & angelis ejus perpetuis Gehennæ ignibus cruciandos niſi velociter reſipuerint, tradentes; paginam hanc in teſtimoninm horum conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Teſtes confirmationis traditionum iſtarum ſunt:

Rotherus Præpoſitus.
Reinboldus Decanus.
Conradus Præpoſitus.
Bernhardus Canonicus.

Folo-

(a) Fuit is hujus nominis II. Comes Werlenſis.
(b) Schatenius notat, an *porcis*?

Folobertus Canonic.
Reinbertus Canon.
Godeſcalc Canon.
Hezelinus Canon.

Liberi homines: Conrad de Wartberghe, Tiemmo, Burchard, Gumbracht, Conrad de Everſchutte.

Miniſteriales: Elver Comes, Uffo, Hugo, Egbrecht, Hildebold, Luidolt, Henric, Manegold.

Miniſteriales Eccleſiæ Beatorum Petri & Pauli: Sibrech, Thrithemar, Brun, Godeſcald, Rotholf, Heriman, Liesdag.

Miniſteriales Præpoſiti: Rother, Folcbrach, Alteman, Adelbrach, Alberen, Everhard, Friddo.

Miniſteriales de Budecon: Altman, Anshelm, Meinger, Herebold, Becelin.

Miniſteriales in Hereſe: Witman, Conrad, Udo, Cono, Witherold, Bernhard.

Cives: Brun, Rother, Thancmar, Hernbold, Thiederic, Welrico & alii quam plures, qui ad Synodum convenerant.

Anno Dominicæ Incarnationis MCIII. Indict. XI. regnante Henrico Rege quarto. Actum Paderb. in Cœna Domini VII. Calend. Aprilis.

Schätenius Lib. VII. Annal. Paderb. ad Annum MCIII. Idem anno MCI. refert Conventum Paderbornenſem Cleri & Comitum, in quo Henricus Epiſc. confirmat Patrocinio ſuo Monaſterium Abdinghovianum.

CONVENTUS RATISPONÆ

ANNO CHRISTI MCIV. PASCHALIS II. PAPÆ V.
HENRICI IV. REG. XLVIII. IMP. XXI.

EX Concilio Ratiſponenſi, cui interfuit Henricus tertius Imperator cum plurimis Regni Optimatibus iſta lucidantibus & confirmantibus. Statutum eſt, ut ad placitum cujuslibet advocati pertinentes ſemel in anno, quando præceptum fuerit, omnes cunctis in locis conveniant, ibique in ſervitium ſuis plus non exigat niſi II. modios tritici & II. porcos & III. cados vini, & Medonis X. cados Cerviſiæ & V. modios avenæ. Ut autem ea quæ in uſus fratrum pertinent, minus diſtrahant, hæcce ſubſcripta in uſus Advocatiæ ſunt deputata, videlicet tertia pars bannorum & ſatisfactio temeritatum, ita tamen, ut ſi qua diſpendia res fratrum patiuntur, primo eis reſtituantur ſua Werigelda fratrum, ſicut & mancipium pro mancipio: præterea ſi prælati Eccleſiæ aliqua neceſſitate cogente, dampnum ſibi vel rebus ſuis illatum ſalvo ordine ſuo recuperare non valuerint, ipſos advocatos in competentem locum advocent, ubi cauſas quærimoniæ diligenter diſcutiant, nihilque ab eis, vel ab eorum Colonis quaſi ſub juſtitia exigant, ſed cum caritate, hoc quod eis inpenſum fuerit, accipiant. Hæc acta ſunt anno Incarnationis MCIV. Ind. XII. præſidente Papa Paſcali II. Regnante autem Henrico Imperatore III. multis hoc tam Eccleſiæ quam Regni Principibus conlaudantibus, & confirmantibus, quorum nomina in libro traditionum continentur.

Meichelbeck Hiſtor. Friſingenſ. Tomo I. Part. II. num. 1272.

Epiſcopi præſentes Ruotardus Arci-epiſcopus Mogunt. Henricus Archi-Epiſ. Magdeburgenſis, Rupertus Herbipolenſis, Udo Hildeſienſis, Henricus Padelbornenſis, Fridericus Halberſtadenſis, Gebhardus Conſtantienſis, Adelbertus (non Eppo ut Trithemius habet) Wormatienſis & alii plurimi Epiſcopi, & Principes.

In eo Gebhardus Comes ab Aurach Abbas Hirſaugienſis infulâ Spirenſi donatur ab Impp. de conſilio aſſenſu Epiſcoporum, quæ vacaverat per obitum Joannis Epiſcopi Spirenſis.

Helwich in Antiquitat. Laureshamenſ. ſupplevit nomina.

Et Bucelinus, qui Gebhardum XXXVI. inter Spirenſes Antiſtites numerat.

AD

SYNODUS NORTHUSANA
Anno Chrifti MCV. Pafchalis II. Papæ VI. Henrici IV. Regis XLV. Imp. XXII.

SUMMA. I. *Condemnatio Simoniacæ hærefeos.*
II. *Fornicariæ conjunctionis, ficut Nicolaitarum.*
III. *Jejunium menfis Junii hebdomada Pentecoftes celebrandum.*
IV. *Pax Dei confirmatur.*
V. *Reconciliatio confecratorum a Pfeudo-Epifcopis.*
VI. *Henricus V. jura fua omnibus renovat: profitetur obedientiam erga Patrem, Epifcopi varii Romanæ Sedi obedientiam promittunt.*

ANNO Domini MCV. Henricus Rex, machinantibus Diepoldo Marchione, Berengero Comite, & Ottone, quodam nobili viro, fibi materna ftirpe cognato, a Patris latere difcedens, ad Saxones convertitur, a quibus honorifice fufceptus, & in Quidlinburg (*a*) Pafcha celebrans, in brevi univerfis Saxoniæ civitatibus potitus eft.

Tum, ex Ruthardi Moguntinenfis confilio, Epifcopis atque Clericis, generalem Conventum in villam Regiam, quæ Northufim dicitur, IV. Kal. Junii, ubi fuper Ecclefiafticæ inftitutionis, tam depravata difciplina tractaretur, indixit. In quo confilio, fuper fententiis inftantibus *Patrum decretis primo relectis*, quæque poterant ad præfens, laudabiliter corrigebantur; Quædam vero, quæ graviora videbantur, ad Apoftolicam audientiam refervabantur.

I. Simoniaca quippe hærefis, Patrum confuetudine, condemnata.

II. Nicolaitarum quoque fornicaria conjunctio ibidem eft ab omnibus abdicata.

III. Jejunium menfis Junii, & ipfa hebdomada Pentecoftes, Romano more celebranda, a præfcriptis Præfulibus, auctoritate indicitur,

IV. Et pax Dei confirmatur.

V. Iis vero, qui a Pfeudo-Epifcopis fuerant confecrati, per Catholicam impofitionem reconciliatio, proximo jejunio danda fore promittitur.

VI. Vidimus autem, nec filentio præterire poffumus, Regem Henricum non modicam bonæ indolis fpem, magna fimul & humilitate, & auctoritate, coram omnibus prætendentem; nam Servorum Dei Conventui, cum nonnifi vocatus intereffe vellet (ingens enim cum Epifcopis, & Clericis, Abbatum, atque Monachorum, Ecclefiafticam fitiens unitatem, turba confluxerat) tandem in abjecto productus habitu, locoque ftans editiori, omnibus, juxta Principum decreta, fuas leges, atque jura, rationabiliter innovavit; fi quæ vero irrationabilia rogabantur, mira, atque ultra annos fuos, prudenti refponfione, & avita magnanimitate confutavit; in omnibus his & miro modo fervans fibi adolefcentiæ verecundiam, & Chrifti Sacerdotibus dignam exhibens reverentiam. Inter hæc, obortis lacrymis, ipfum Regem Cœli, cunctamque militiam cœleftem, teftabatur, fe nulla regnandi cupiditate detentum, neque Dominum & Patrem fuum, a Romano deponi Imperio exoptare,

(*a*) In Quedlinburch Ruthardus, Epifcopus Moguntinus, Henrico juveni Rege præfente Fridericum Halverftadenfem, Udonem Hildefemenfem, Henricum Paderbornenfem ab officio fufpendit, quia quilibet eorum per Henricum IV. Imperatorem contra Canonicam electionem fedem fuam obtinuit. Et fimiliter omnes illi, quos prædicti Epifcopi ordinaverant, ab officio fufpenfi funt. Et Chrifma eorundem Epifcoporum, quod in cœna Domini confecrabant, annihilatum eft. *Gobelinus in Cosmodromio ætate VI. Cap. LV. pag. mihi* 218.

optare, sed ut S. Petro, & Successoribus ejus, Christiana lege subjici velit. Ad quod omnis multitudo laudans, lacrymas simul & preces, tam pro patris conversione, quam & filii prosperitate, fundens, cæpit exclamare voce magna *Kyrie-Eleyson!*

VII. Eadem hora, Udo Hildenesheimensis, & Henricus Patriburnensis, ac Fridericus Halburastatensis, Præsules, vestigiis Metropolitani prostrati, ipsius, atque Regis astantis, totiusque præsentis Ecclesiæ, testimonio, Apostolicæ se dederunt obedientiæ, quorum tamen commissa Apostolico nihilominus reservantur judicio, sub officii interea suspensione.

His rite dispositis, Rex Pentecosten Merseburg celebrans, Henricum Magdeburgensi Ecclesiæ dudum designatum Archi Episcopum, sed ab Imperatoris fidelibus repulsum, consecrari fecit, nec multo post expeditionem contra Mogontiam movit.

Ex codice MS. Reginæ Sueciæ in Bibliotheca Vaticana No. 521. descripsit Cl. Schannatus b. mem.

Per omnia consentit Baronius ex Urspergensi coævo idem referens.

Aventinus; auctor vitæ Henrici IV.

Heineccius in antiquit. Goslariensibus hæc omnia teterrimis coloribus depingunt.

Effectus Concilii hi : Gevehardus, Constantiensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, in sabbato hebdomadæ Pentecostes in Goslaria ordines celebrans per manus impositionem restituit suspensos ab ordinibus seu executione ordinum: puta Henricum IV. a Magdeburgensi Ecclesia ejectum, cùm nondum Diaconus esset, primum Diaconum, deinde Episcopum consecravit. Moguntinus Archi-Episcopus Ruothardus (quem Urspergensis Buother vocitat) ab exilio VIII. annorum revocatus, ad quod eum Henricus IV. Imp. damnaverat, & Ecclesiæ Moguntinæ reditus perceperat, magno urbis & Archi-Diœceseos gaudio revocatus ordines celebrans, eodem die sabbato hebdomadæ Pentecostes in Heiligenstadt, de Episcopatibus venientes restituit. *Gobelinus* & ex eo *Serarius.*

SYNODUS TULLENSIS

Sub Pibone Episcopo confirmante possessiones Ecclesiæ S. Gengulphi in eadem urbe cum consilio totius Cleri, sigillo Episcopi, & Testium subscriptione.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omnibus Sanctæ Matris Ecclesiæ Filiis, præsentibus scilicet ac futuris, Pibo Dei gratia Leuchorum Episcopus. Universorum fidelium, & maxime Pontificum, ea debet esse sollicitudo præcipua, ut Ecclesiæ, quarum Patrocinium Episcopi susceperunt, temporibus suis incommutatæ vigeant; & si fieri possit, sic debent eas in diebus suis stabilire, ut nulla subsequentis temporis adversitas possit eas a statu suæ integritatis avellere: quia enim Veritas ait: *Ubi sum ego*, (a) *& Minister meus erit*, qui in regendis Ecclesiis ministros Dei se esse recognoscunt, recte debent super hoc vigilare, atque inspectum beatæ promissionis ministerium sibi creditum fideliter ministrare. Ego igitur Tullensis Ecclesiæ provisor magnus, me ministrum Christi recognoscens, & jam beatæ Spei particeps esse desiderans, commissæ mihi Ecclesiæ, quod potui, & quantum potui invigilavi, & de incolumitate meæ sedis, & earum, quæ ei subjectæ sunt, Ecclesiarum sollicite pertractavi. Ecclesiam itaque sancti GENGULPHI infra mœnia nostræ urbis constitutam, quam prædecessores mei S. Gerardus, & piæ memoriæ Udo Episcopi fundaverunt, quam possessionibus donisque quam plurimis locupletaverunt, quam per congregationem fratrum æterno Regi inibi militantium celebrem reddiderunt, hanc ego quoque paterno amplexus sum animo, hanc semper in eo quo potui, tutatus sum patrocinio; & quoniam eidem Ecclesiæ meis quoque temporibus multa, & a me ipso aliqua accesserunt, venerabilium consilio virorum decrevi, possessiones ejus atque privilegia in præsenti charta annotavi, & ea omnia mea authoritate, & assensu totius cleri, & populi in evidentia *generalis Synodi* confirmavi.

Notum igitur sit omnibus tam præsenti-

[a] Joannis XII, 26.

ſentibus quam futuri ſæculi fidelibus, Eccleſiam ſancti Gengulphi certo jure, & abſque ulla contradictione hæc, quæ ſcripta ſunt, poſſidere.

Omnem terram quæ eſt in villa Boſonis-montis, cum appenditiis, & cum Eccleſia integra ſancti Georgii; Eccleſiam Travillonis, Eccleſiam Marbagii, Eccleſiam Senoenſem, cum capella de Cheulaio.

Eccleſiam Menovilli-villæ, LXVI. manſos & dimidium, excepta terra indominicata; apud Pomponium vineas duas.

Apud Medium-vicum quatuor feſſos, & tantum terræ indominicatæ, quæ ſufficit arationi trium aratorum, cum ſeptem quartariis, & banno in prato indominicato, cum reliquis pratis, & aliis appenditiis.

Apud Fagum in Lerſi-valle vineas quatuor, & viginti jornales terræ, & duos manſos manſionales.

Apud Wandini-villam quatuor manſos, excepta terra indominicata.

Apud Hermoteſeim-vineas, quas dedit B. ejusdem loci præpoſitus, & frater ejus Comes Albertus.

Apud Ameralli-villam ſeptem manſos & dimidium, cum Eccleſia & omni integritate ſua.

Apud Banniolum ſeptem manſos, & tres quartarios, exceptis indominicatis, & partem, quam ibidem habebant fratres de Calmeſiaco, data enim per commutationem Eccleſia de Domno-Martino, & dato eo, quod apud Hundini-villam habere videbantur.

Prædium de Cruceliis, cum Eccleſia, & quatuor molendinis, & prædium quod dicitur Sancti Aniani, juxta portam hujus urbis ſitum, cum Eccleſia & molendino, & cuncta ad utraque prædia pertinentia, cum integro banno, & mancipiis utriusque ſexus, ſylvis, pratis, vineis, terris cultis, & incultis, aquarumque decurſibus, exitibus & reditibus, & intra hujus civitatis mœnia manſum, in quo ſedet domus & cellarium, quæ dedit Aſcelinus pro remedio animæ ſuæ, cum omni hæreditate ſua, ſcilicet in Varneri plantiditio duos ordines, & dimidium vineæ, & omnem hæreditatem, quam Duorardus pro filio ſuo dedit. Manſum vineæ juxta ſanctum Amantium, & in Barro vineam unam, quam dedit Romanus pro filio ſuo.

Supra Moſellam juxta Caldeniacum, molendinum unum cum ſeſſo, & vienna, quam dedit Renaldus illic Canonicus; furnum cum manſo apud fontem Sancti Manſueti, cum una vinea in Mardeau. In Barro-monte vineas duas; in Carravalle quatuor ordines vinearum; in Hattonis valle ſex ordines, in ſummo Barro vineam unam; in Calvo-monte ordines octo; in prato Amantii ordines undecim; in intervallis vinearum unum, in Gula vineam unam; in calcatoriis vineam unam, quinque ordines, viginti & unum emptos a Maria, & alios duos.

His igitur poſſeſſionibus prædeceſſores mei prædictam locupletantes Eccleſiam, eidem tradiderunt, ut ſcilicet ſoli Epiſcopo ſubjecta eſſet, ut nulli unquam in beneficium cederet, & præpoſitum, quem communis electio, & certe ſanioris partis expoſceret, illum ſuſciperet, & ut ipſe præpoſitus, in beneficium ipſius præpoſituræ Cardinalem Archidiaconatum obtineret: tali namque tenore præpoſitum Oldericum, & ſecundum Brunonem in eadem baſilica fuiſſe cognovimus, & Richuinum tertium eis ſuccedere decrevimus, non quidem jure hæreditario, ut ad ejus primiceriatum lege beneficii ſeu aliqua alia ratione reſpiceret ſeu reſpiciat, aut ut aliquis alius primicerius ſuper hoc ſucceſſionem aliquam requirat; ſed pro eo tantum quia fratres ejuſdem Eccleſiæ eum elegerunt, utpote in cujus ſapientia ſatis conſilii, in cujus honeſtate multum præſidii ſibi adeſſe cognoverunt. Conſtituit etiam præfatus anteceſſor meus Udo Epiſcopus, ut congregatio ejuſdem cœnobii diebus infra nominatis ad Divinum officium celebrandum præparatam ſedem noſtram adeat, ſcilicet in feſto Sancti Stephani poſt Nativitatem Domini, ad publicam miſſam, in in die inventionis ejus, ad veſperas, & in diebus, quibus Præſul ſedis hujus plenarium ordinem habuerit, videlicet in cœna Domini, in Paſcha, in Pentecoſte, de eadem congregatione aſſumentur ad ordinem Diaconi, Subdiaconi, prout oportunitas contulerit.

Hanc ergo Sacratiſſimam tantorum inſtitutionem ego Pibo benigna mente ſuſcepi, & prædictas poſſeſſiones, & ea

ea omnia, quæ in prædicto sunt privilegio, legitima authoritate confirmavi, omnes illos anathematis maledictione feriens, quicumque in prædictis aliud pervertere aut derogare præsumerent. Ut autem hæc omnia firmiora, & perpetuo inconvulsa permaneant, consilio totius Cleri, sigilli mei impressione firmavi, & idoneorum testium subscriptione roboravi.

Ego Pibo gratia Dei Leuchorum Episcopus subscriptus faveo, & annulo nostræ Ecclesiæ signo.

Signum Riguini Primicerii, & ejusdem Ecclesiæ Præpositi, Sancti Stephani Archidiaconi.

Sign. Thiercelini Archidiaconi.

Sign. Hugonis Archid.

Sign. Elberici Archid.

Sign. Rambaldi Archid.

Sign. Hugonis junioris Archid.

Sign. Goberti Archid. & exinde Canonici.

Sign. Domni Widrici Abbatis S. Apri.

Sign. Domni Thiemari Abbatis Sancti Mansueti.

Sign. Domni Seheri Abbatis S. Leonis.

Sign. Humbaldi ejusdem loci Decani, & aliorum Canonicorum Theodorici, Gilberti.

Sign. Comitis Renardi, & Warini filii ejus.

Sign. Valteri de Comitatu.

Sign. Sigifridi advocati.

Sign. Henrici de Sancto Vedasto, & Theodorici filii ejus.

Sign. Renaldi Dapiferi.

Sign. Vileri.

Sign. Wolfandi.

Sign. Bereti.

Sign. Promidi, &c.

Data & recitata in majore Ecclesia in plena Synodo, octavo Idus Junii, anno ab Incarnatione Domini MCV. Indict. XIV. Ordinationis vero nostræ anno XXXV.

CONVENTUS TREVIRENSIS

Anno Christi MCVII. Paschalis II. Papæ VIII. Henrici V. Regis II.

POsthæc Bruno Diœcesim suam ordinare, atque salutaribus devincire Legum præceptis ingressus, constituendæ Ecclesiæ Synodum tam Cleri quam militiæ Principibus Trevirim indixit, ad eam celebrandam utriusque ordinis frequens confluxit nobilitas, Rambertus ædi maximæ Præpositus, Godefridus Coepiscopus, idemque *Præpositus*, Bruno Archi-Diaconus, Godefridus & Theodoricus item Coepiscopi & Sacellani, Sigefridus Comes Palatinus atque Ecclesiæ Trevirensis Advocatus, Henricus Comes de Limburg, Wilhelmus Comes de Lucilinburg, Theodorus de Ara, Adelbertus de Dille, Emicho de Schmiteburg, Ludwicus de Arnstein, Gerlacus de Romersdorff, Adelbero de Daun, Hermannus de Virnenburg, Simon & Adelbero de Maihelberg, Hesso de Ruttig, Wiricus de Walecourt, omnes Ecclesiæ ac Diœcesi Trevirorum fide, stipendiisq; seu feudi honoribus addicti. (a)

Browerus L. XIII. ad annum MCVII. Hujus Synodi unica actio sequens nota est ex actis Ss. Tom. III. Maji.

Bruno, Archi-Episc. Treverensis, rogatus a Thietmaro Abbate Helmwardeshusensi, & aliis magnis viris impetrat corpus S. Modoaldi olim Episcopi Treverensis, quod magna solemnitate in Saxoniam defertur.

SAbbato, quod præcedebat *Dominicam Palmarum* admissus coram Archi-Episcopo (b) honorificentissime suscipitur, ejusque negotium cum Primatibus

[a] Observa hic Laicos ministeriales & Vasallos Archi-Episcopi ad Synodum citari. Confer cum simili officio Laicorum in Synodis Adelboldi Trajectensis Episc. *pag.* 17. *hujus III. Tomi.*

(b) Bruno, Archi-Episc. Trevirensis, electus anno 1102. Obiit anno 1124. 25. Aprilis.

tibus totius Epiſcopii, poſtera die convenire debentibus, tractandum, pie procraſtinatur.

Illuceſcente demum die Dominico hora prima, congregatis ad benedictionem Palmarum omnium Congregationum *prioribus*, Archi-Epiſcopo pronuntiante cauſa intimatur. Res velut inaudita & inuſitata primum ab omnibus expaveſcitur, ſeque invicem reſpicientibus, & quid reſponderent hæſitantibus, admirationi omnium habetur. At Archi-Diaconus vir totius honeſtatis & religionis Godefridus, idemque Decanus S. Petri, cujus erat officii, prima reſponſa reddere, ſolvit ſilentium ſic emiſſa voce: " Intelleximus, *inquit*, & incunctanter comperimus, Abbatem præſentem, Virum Venerabilem magna " quidem & juſta (ut remur) Deo " placita, omnique mundo profutura " poſtulare, & ad impetrandum ſe, " ſuosque, jejuniis & orationibus, vigiliis & eleemoſynis aptâſſe, quæ digna " & utilia, talique negotio neceſſaria " probantur exiſtere: nec dignum ducimus tam ſpirituali deſiderio & Divinæ " diſpoſitioni, ſi eſt penitus, contradicere. Præſertim cum multo jam tempore nunc per *Litteras & Legatos*, nunc " per ſemetipſum ad hoc obtinendum " conſtet eum elaboraſſe. Verum nos " adhæc contrectanda & exponenda " omnino indigni, quoniam tam ſancto " miniſterio intereſſe ſumus omnimodis " imparati, reſtat ut nobis induciis conceſſis, conſcientiæ noſtræ ſcrutemur " ſecreta, idcircoque communiter triduano jejunio ad Deum in cœlis corda " noſtra leventur cum manibus, ut in " hac piæ devotionis actione illis quodammodo pares fieri ſatagamus, qui " nequimus per omnia (hæc quidem " feciſſe jam debueramus, ſed ignorantia tam ſubitæ, tamque inſperatæ rei " non provideramus) ad hæc exſequenda nos ſumma cogit neceſſitas: quæ " ſi intermittamus, & ultro nos illicitis " ingeramus, grandis videtur temeritas, " ne dum aliorum ſaluti inconſulte conamur providere, Sanctorum incur" ramus offenſam, & æquiſſimi judicis " Dei offendamus gratiam.

Abbas interim, ſuſceptis caritatis gratia aliquorum Sanctorum pignoribus, in ſua cum Comitibus ſuis ſe recipiat, nobisque poſt hæc commode ad reſpondendum ſuoque deſiderio ſatisfaciendum paratis, redeat, aut certe idoneos & ſpirituales nuntios, qui vicem ejus ſuppleant, mittat.

His auditis Abbas cum ſuis mente nimium conſternati, & quaſi emiſſis ſagittis præcordialiter vulnerati primo obriguerunt, moxque recollecto ſpiritu conſtanter Archi-Epiſcopo, cunctoque cœtui reſponderunt: "*Pater reverendiſſime*, " perpendat Excellentia nobilitatis veſtræ labores & anguſtias exiguitatis " noſtræ, ſumptus, quos impendimus " veniendo & hic manendo ſupra vires " facultatis noſtræ, intercapedinem prolixioris viæ, nec quemquam niſi in " diebus pacis uſpiam progredi audere, " quodque nos potiſſimum coarctat, incertitudinem vitæ noſtræ & veſtræ....

His conſequenter peroratis, & longo ſilentio communem conſenſum prodentibus cunctis, Dominus Archi-Epiſcopus præſente Abbate Prumienſi, (*a*) & in omnibus conſultum & conſenſum Abbatis negotio præbente, qui ad viſitanda ſacra loca caſu venerat tunc temporis, ſilentium omnium, hujusmodi ſolvit verbis: " Juſtis executionibus " fidem præbere non eſt peccare. Itaque quoniam ego *ex præcepto Regali ad* " *Comitatum* cogor proficiſci, nec vacat " nunc definire ſententiam hujus negotii, craſtino huc omnes conveniatis " mea vice prima hora diei ſuper hac re " tractaturi, finemque deliberaturi, ſciatisque conſenſum meum in hoc eſſe, " ut diſpoſitio Dei, Sanctorumque horum fiat in Abbatis voluntate, quod " ſi forſitan B. Legontius, pro quo res " agitur, eventu ſibi, ut audivimus, " olim conſuetudinario inveniri non valeat, nec velit omnino, non eſt a nobis culpanda ſeu judicanda hæc occulta Dei diſpoſitio. Vos autem virum

tantæ

(*a*) In illis actis vocatur Wulfrannus, proinde non obiit 1003. *ut notat Bucelinus.*

In meo MS. Catalogo Abbatum Prumienſium Domnus Wolframmus de Bettinga Abbas Prumiæ fuit XXI. ab anno 1077. ad 1103. Poppo de Bello monte Abbas Prumiæ ab 1103. ad 1119. 26. Julii.

" tantæ auctoritatis nullo modo vacu- " um aut triſtem redire patiamini; ſed " ei Patronum ſanctum & probatum " procuretis ex Sacrario Beati Paulini." His dictis & Benedictione Ramis palmarum impoſita, nec non proceſſione, quæ ſub cœlo nuſquam hac die decentius & honorificentius agitur, diſpoſita, poſt longos circuitus, ordinem ſui ſermonis ad populum exorſus eſt in Baſilica S. Maximini Confeſſoris: digeſtisque convenienter nonnullis ad tantæ diei myſterium pertinentibus, jam determinato ſermone ſic intulit coram omnibus: " Venit, *inquit*, ad nos Dei fidelis qui- " dam Abbas de Saxonia Sanctorum ex- " petens Patrocinia, ſibique donari de- " poſcens unius nominati ſancti Præſulis " & Domini quondam noſtri pignora, " cui ſatis condecens aptavit Monaſte- " rium, & cætera ejus honori, Divino- " que famulatui congruentia, quæ quo- " niam magna ſunt, & ſupra vires meas, " nec valeo ſolus tanti negotii pondus " attentare, vobis omnibus notifico, qui " filii eſtis Eccleſiæ noſtræ & quorum " conſultu omnia mea Divina & humana " conſuevi diſponere, proteſtans in hoc " Divinæ diſpoſitioni, veſtroque conſen- " ſui voluntatem meam concordare, ſi " placet ipſi Sancto ſe transferendum " illi manifeſtare." Illis vero æquanimiter & benigne reſpondentibus, & voluntatem Dei fieri ſuper hoc imperantibus Dominus Archi-Epiſcopus ab Abbate ſua, ſuorumque ſocietate & fraternitate ſibi ſuisque omnibus percepta, & illi ſua ſuarumque congregationum inviolabiliter conceſſa, ficut petebatur profectus eſt ad Curiam, monens poſtero die præſtolari, ex conſilio & conſenſu ſuorum Primatum, ſicut ordinaverat, voluntatem Divinam.

Nocte igitur ſequente in Divinis laudibus conſummata illuceſcente ſequentis diei aurora, Abbas cum ſuis celebrat miſſarum ſolennia, finitisque orationibus congruis, & tantæ exſpectationi neceſſariis, indictoque etiam ſingulariter, ſibi ſuisque triduano jejunio, Principis Apoſtolorum adiit limina, ſuper hac ſpe ſua ambigua ipſius imploraturus ſuffragia, ſtatimque convenientibus EPISCOPIS, ABBATIBUS, PRÆPOSITIS ATQUE DECANIS ET PRIORIBUS CETERIS, adjuncto etiam Abbate, & S. Maximimini, *Qui erat Regiæ ditionis*, mediante gratia Dei, ſubito factus eſt unus omnium conſenſus, una concordia piæ voluntatis dicentium: " Non decere diutius " protelare viros tantæ reverentiæ tan- " tæque gravitatis, non debere contra- " dici deſiderio negotii ſpiritualis, magis " expediendam eſſe Divinam volunta- " tem in effectum bonæ actionis: accer- " ſitoque Abbate cum ſuis monachis, aſ- " ſenſum, concordiamque ſuam faten- " tur ad hoc uſque perductam, ut ejus " velint voluntati ſatisfacere, ſanctum- " que, quem poſtulabant, inveſtigan- " di copiam concedere, repertusque ut " exponatur & transferatur, cum de- " bita tanto Pontifici Reverentia & de- " votione: ſe communiter intereſſe vel- " le, monentque non id ulterius diffe- " rendum, ſed eſſe maturius inchoan- " dum." His peroratis fraternitatem & ſocietatem pridie Archiepiſcopo conceſſam & ab eo ſuſceptam, in conventu ſuo cenſuerunt iterandam, eamque ad ſuccedendæ poſteritatis memoriam ſcripto confirmandam & perpetualiter ſtabiliendam. At Abbas ad reſpondendas condignas grates, eorum piæ Reſponſioni, cum ſuis in terram prono curvatur corpore, dataque & ſuſcepta, ſicut poſtulabant, fraternitate, orat, ut precum ſuarum ſuffragiis ei dignentur aſtipulare, quatenus is, qui eſt initium & finis, ejus negotii initium, finemque dignetur proſperare.

His ita geſtis; ſurgentibus cunctis, Abbas S. Martini THEODORICUS (*Teſte Bruschio*) præcedit cum Decano & Ædituo S. Paulini, ad inſinuandum certius, ut credebant, locum effodiendi Theſauri.

Sed cum inibi & circumcirca diutius, & gravi ſumptu fodiendo non niſi ſacrophaga incerti indicii offendiſſent, tandem Abbas plane deſperans de inventione S. Leontii conſenſit in optionem alterius S. Corporis ſibi ex decreto Archi-Epiſcopi conceſſam, elegitque S. Modoaldum urbis Trevericæ pariter præſulem, cujus ſacræ reliquiæ cum aliis nonnullis honorificentiſſime ad cœnobium ſuum Helmvardenhuſenſe tranſtulit; ut ex Epiſtola adjuncta, quam mox ad ſuos præmiſit, videtur

Epiſtola Thietmari Abbatis, ex iisdem actis ad annum MCVII.

THietmarus Dei gratia quidquid eſt aut eſſe poteſt dilectis filiis in Domino. Gaudium vobis & exultatio. Surgite jam Dilectiſſimi, & de pulvere excutimini, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus veſtri, quia enim coram Domino vos humiliaſtis, & in eo ſperaſtis, reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum. Perſeveraſtis enim in cordis & corporis contritione, ideoque vos non fraudavit labiorum veſtrorum voluntate: ſed præveniens gratuitæ dilectionis benedictione, replevit deſiderium veſtrum multiplicis Patrocinii largitate.

Quapropter gaude & lætare felix Saxonia, Rex quondam Chriſtianiſſimus, lingua ferrea Divinis ſubegit legibus; quamque nunc Rex Regum Dominus, per præcipuos ſuæ Dominationis miniſtros, jam cœli conſules, mirabiliter inviſendo, ſuis revendicat ditionibus. Jucundare virgo nobilis Chriſti ſponſa & mater fœcunda Paterbrunnenſis Eccleſia, quam cum numeroſitate filiorum multiplica beatificant Sanctorum Pignora, nunc iterato largitas omnipotentis, novo fidelium ſuorum patrocinio dignanter illuſtrat, amplectitur, fovet, protegit, & ſublimat. Exulta ſatis, filia Sion? Lauda, filia Hieruſalem cœleſtis Eccleſia Helmwardicenſis, quia venit tibi de ſupernis a Domino ſalus & protectio, gaudium pax, & exultatio. Ut enim ſimilis cœteris Eccleſiis tibi collimitaneis fieres in hac parte, poſtulaſti tibi a Domino patronum ſalutis tuæ, deditque tibi Deus B. MODOALDUM; ſtrenuæ nobilitatis, & mirificæ Sanctitatis virum, Archipræſulem Treberenſis Eccleſiæ: cujus Sacroſanctis oſſibus conjuncta ſunt duo inſignia beatorum Martyrum Thebææ Legionis corpora, inſuper etiam Glorioſiſſimi protectoris noſtri AUCTORIS Archi-Epiſcopi ſuperior teſta capitis, & duo de majoribus membris: quo, ut credimus, ſuggerente, & noſtræ legationis officio fungente, Idem venerabilis Modoaldus dignatus eſt, aula ſui Epiſcopii relicta, apud nos exul dici & eſſe: duorum etiam Reverendæ Sanctitatis & præcipuæ nobilitatis Pontificum digniſſimæ deferuntur reliquiæ: videlicet beati ABRUNCULI mandibulæ cum dentibus, ſanctique BONOSI brachium, atque Glorioſiſſimi beati Confeſſoris dens unus cum coſta, aliorumque Sanctorum pretioſiſſima pignora. Pro his igitur omnibus beneficiis ejus magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus idipſum, & omnibus medullis cordis & corporis laudate Deum in Excelſis. In ſuſceptione ergo tantæ Sanctitatis ornate domus veſtræ mentis & corporis, mundate conſcientias veſtras, abluite culpas, abſtergite ſordes illicitæ actionis, excutite pulverem ventoſæ cogitationis, ne præpotens amicus veſter, novusque Patronus & Dominus cum illo nobili ſuo illo comitatu veniens, in vobis inveniat, quod oculos ſuæ dignitatis offendat: ſed magis operum bonorum referti floribus, odoremque virtutum ſpirantibus reſperſi graminibus obviam procedentes dicatis illi: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Scribitur de Tietmaro ſexto in ordine Abbate Cœnobii Helmvardenhuſenſis, [quod vulgo & contractius Helmershauſen, nunc oppidum Haſſiæ ad Dimelam fluvium prope Viſurgim] quod a Brunone Archiepiſc. Trevirenſi obtentis reliquiis non contentus, corpus S. Leontii ejusdem Sedis Archi-Epiſcopi, qui ſub initium Sæculi quinti floruit, ſibi concedi, enixe flagitavit; in eam rem cum duobus ex cœtu ſuo Monachis Trevirim ſe contulit circa finem Martii anni 1107. & hoſpitio uſus apud S. Maximinum. Eo corpore non reperto, corpus S. MODOALDI petiit & impetravit.

Acta Sanctorum ad diem XII. Maji Tomo III. pag. 68.
Ex hiſtoria Translationis S. Modoaldi deſcriptâ e codice MS. Bodecenſi.

Compendium horum Actorum Translationis refert *Mabillon. Tomo V. Annalium Benedictinorum Lib. LXXI. N. LII. pag.* 515. addens in fine celebris Monaſterii ab Haſſis dejecta rudera ſupereſſe: Reliquiæ ab *Erico* Epiſcopo Paterbornenſi ſubtractæ & Eccleſiæ ſuæ illatæ fuerunt; Lutherana primum, ſubin Calviniana hæreſi Haſſiam inundante.

SYNO-

SYNODUS COLONIENSIS

Anno Christi MCIX. Paschalis II. Papæ X. Henrici V. Regis IV.

SUMMA. Donationes a se factas Ecclesiæ S. Severini, banno Episcopali confirmat in Synodo generali anni hujus.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fridericus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus. Quia voce Dominica monemur vigilare semper & parati esse, necessarium est & inevitabile, quemlibet fidelem animæ suæ dum tempus est providere, & quantum Dei pietas donaverit, in cœlo thesauros sibi thesaurizare. Ego igitur pro redimendis excessibus meis, & emundanda conscientia mea, misericordia Dei plurimum indigens, tradidi Ecclesiæ Beati Severini Patroni nostri obnixe ac lachrymabiliter petentibus, tam Præposito, quam aliis ejusdem Ecclesiæ fratribus, & pauperibus ad eam pertinentibus Advocatiam, quæ mei juris erat super duas videlicet curtes: Suauenthorp & Rakendorp; præterea super mansos sex in Reithe: & duos in Veginінkeim pertinentes omnes ad curtim juxta Ecclesiam Beati Severini sitam, quæ præter Episcopum & Præpositum defensorem alium nunquam habuit. Tradidi etiam ejusdem Ecclesiæ fratribus curtim unam in Buche cum mancipiis & reditibus ad eam pertinentibus. Unde in die Ordinationis meæ; cum vero mortuus fuero, in anniversario meo solvat Præpositus de Advocatia supradicta fratribus quinque solidos, ita ut in familia nullatenus fiat violenta exactio, ne inde incurramus peccatum, unde speramus habere remedium. De curti autem præfata maldrum panis, & amam vini, cum carne aut pisce, duos solidos valente; in die autem anniversario Bernardi Præpositi fidelis nostri, de pane, vino, carne, aut pisce similiter. Si quis autem servus aut liber aliquid de his, quæ ad easdem curtes pertinent, violenter auferre, & Præposito incommodare, vel familiam quovis modo disturbare voluerit, ad Episcopum, vel cui ipse mandavit, præcipue ad Advocatum altaris Beati Severini respiciat propugnare, Ecclesiam defendere, & jus legale prætendere. Præterea a Francone urbis nostræ Præfecto cum benigno ipsius assensu obtinuimus, ut quandam ancillam suam, Mazecham nomine, quam in beneficio habebat, nobis redderet, quam ipsam cum filiis suis, & filia, & cum omni posteritate sua per manum ipsius Franconis Sancto Severino tradidimus. Pro remedio quoque animæ meæ Episcopalem censum meum, & de Ecclesia, quæ est in villa Gumeresbraht, qui ad duas libras ante computari solebat, Annuente Sigefrido Cori-Episcopo ad decem solidos contraxi, quod ipsum pro facultate ipsius Ecclesiæ satis magnum esse comperi. Similiter censum de Ecclesia, quæ est in villa Lintho, consentiente Arnoldo majoris Ecclesiæ Præposito, de integra libra ad decem solidos redegi: ipse etiam fidelis noster Wezelinus Præpositus, pro anima Prædecessoris sui, Ingrami Præpositi, duos mansos decem solidos, & duos maldros tritici solventes, alterum in Vegenincheim, & alterum in Gunteresdorf, nostro consensu, & nostra auctoritate prædictæ Ecclesiæ contradidit, in sua habens dispositione, qualiter eos in usum Ecclesiæ velit insumere. Pro sua etiam ipsius salute, VII. solidos duobus nummis minus in Heppendorp fratribus ejusdem Ecclesiæ in consolationem dedit, quod ipsum nostra quoque auctoritate firmissime stabilivimus; porro si quod absit aliquis successorum nostrorum, vel alia quæcumque persona donationem hanc nostram infirmare, infringere, aut dolose pervertere temptaverit, de oppressione pauperum, viduarum, ac pupillorum in die judicii Omnipotenti rationem reddat, placatum eum non inveniat, quam gravis sit ira Beati Severini, sentiat. Acta sunt hæc a Nobis & Banno confirmata *in generali Synodo* nostra, anno Dominicæ Incarnationis MCIX. Indictione secunda, Anno Epi-

Episcopatus nostri IX. Regnante Henrico quinto Romanorum Rege Augusto, anno Regni ejus IV. Subscriptis testibus: Arnolfo Domus Beati Petri Præposito, Joanne Decano, Sigefrido Brunnensi Præposito, Herimanno sancti Gereonis, Folmaro Xantensi, Wezelone sancti Severini, Beringero sancti Kuniberti, Everhardo sancti Andreæ, Theoderico sanctæ Mariæ, & aliis Ecclesiæ nostræ *Præpositis*; Abbatibus; Decanis. *Laicis Liberis:* Gerardo Comite de Gelre, Adelberto de Safenberg, Adelberto de Norvenich, Herimanno de Udenkircha, Gerardo de Julicho, Gerardo de Hoinstrathe, Gerlaco de Ysenburgh, & fratre suo Regenbaldo, Hartperno de Randenrode. *Ministerialibus nostris*: Almaro Advocato, Herimanno converso, Hartwico, Herimanno, Godefrido, Luidulfo, Richezone, Sigefrido, Tietmaro, Adelrico, Gerlacho, & universo Clero & Populo in Synodo residente feliciter Amen.

Ex Archæo S. Severini communicavit Reverendissimus & Perillustris D. Gerardus Josephus von Herrestorff J. U. Licent. Collegiatæ Sanctæ Severinianæ Canonicus & Decanus.

SYNODUS COLONIÆ PROVINCIALIS

SUB FRIDERICO ARCHI-EPISCOPO, PETENTE OTBERTO EPISCOPO LEODIENSI. ANNO CHRISTI MCX. PASCHALIS II. PP. XI. HENRICI V. REG. V.

SUMMA. Examinandâ causâ ab Othberto Leodiensi propositâ de sanctitate Guiberti Gemblacensis Abbatis, decernit Metropolitanus Canonizationem.

POst annos centum & triginta septem (*a*) quam Guibertus seu Wibertus Gemblacensis Monasterii conditor in tumulo jacuerat, Sigebertus ejus loci Monachus Lietardo Abbati persuasit, ut ejus corpus e sepulcro levari curaret. Approbante Abbate missus est Leodium Sigebertus, ut Otberti Episcopi super hac re consilium & consensum exquireret. Non ægre assensit Antistes, ejusque jussu ab Henrico Archi-Diacono causa defertur ad Fredericum Archi-Episcopum Coloniensem, qui ea in Synodo (*b*) generali discussa Gemblacensium votis annuit. Futuræ celebritati indicitur dies ad IX. Kal. Octobris, quo die præmisso jejunio, solemni ritu facta elevatio est, atque ex eo die Guibertus inter Sanctos relatus haberi cœpit.

Mabillon. in Annal. Benedictinis Tomo V. Lib. LXIX. No. CXVII. pag. 411. *sed ad annum* 1099. *refert.* Cum Sigebertus referat ad annum 1110. & Fridericus Colonienf. Archiepisc. nonnisi anno 1101. fuit constitutus Archiepisc. Colonienf. *Teste Mörckensio in conatu Chronologico Archi-Episcopor. Coloniensium. Sigeberto* concordat *Leodiense Chronicon Tomo I. Bibliothecæ Labbeanæ MS. ad* 1110. referens elevationem.

[*a*] Sic statuit *Mabillon.* ad annum 1099. referens Synodum, sed cum nos ad 1110. annum eam referamus, hinc dicendum post annos 148. a morte Guiberti.

(*b*) *Generale* Concilium ponitur pro Concilio Episcopi cum omnibus Prælatis suæ Diœceseos. *Fisen in Historia Ecclesiæ Leodiensis Lib. IX. pag.* 346. ad annum 1110. refert. Unde jure hæc Epocha statuitur.

Guibertus, seu Wibertus, sæculo renuntians castrum suum *Gembloce*, seu *Gemblacense*, in Monasterium Benedictinum convertit anno 922: ut ex tanto facto vanam gloriam fugeret, secessit in Gorziense Monasterium, ac pie & pœnitens annis XL. inter Gorzienses vixit, ubi & obiit anno 962. mox inde ad Cœnobium a se fundatum translatum cadaver fuit & sepultum. Sub finem Sæculi XI. & ortum XII. multis miraculis clarificatus fuit, priusquam Ecclesiæ judicio corpus elevaretur.

Lambecius in historia Elevationis S. Guiberti Tomo II. Bibliothecæ Cæsareæ.

CONCI-

CONCILII MAGDABURGENSIS SYNODICA ET ENCYCLICA EPISCOPORUM ET PRINCIPUM SAXONIÆ ORIENTALIS,

Qui invitant Episcopos Saxoniæ, Franciæ Orientalis, Lotharingiæ, Flandriæ ad repellendos Slavos, Paganos, invasores Saxoniæ, & horrendam stragem edentes, ad bellum. Annuntiant Conventum suum in Merseburg in hebdomada Rogationum futurum. Demum exemplo Gallorum Palæstinæ Regionis victorum eos animant, devocant.

ADelgorius (a) Dei gratia Magdeburgensis Archi-Episcopus, Albuinus Merseburgensis, Waleramus Nuenburgensis, Herewigus Misnensis, Hecil Habelbergensis, Hartbrath Brandeburgensis, Otto Comes, Ludovicus, & universi *Orientalis* Saxoniæ, majores & minores, Reginhardo venerabili Episcopo Halberstadensi, Erkamberto Corbejenensi Abbati, Henrico Paderbrunnensi, N. Mindensi, Friderico Archi-Episcopo Coloniensi, N. Aquensi, O. Leodiensi, G. Lutharingorum Duci, Ruotberto, Gloriosissimo Flandringensium Comiti Lamberto Archi-Diacono, Buricholdo circumspectissimo Præposito, & Tanchrado insigni Philosopho, & omnibus Christi fidelibus, Episcopis, Abbatibus, Monachis, Eremitis, Reclusis, Præpositis, Canonicis, Clericis, Principibus, militibus, ministerialibus, clientibus, omnibusque majoribus, & minoribus dilectionem, orationem, & in idipsum salutem.

Multimodis paganorum oppressionibus & calamitatibus diutissime oppressi ad vestram suspiramus misericordiam, quatenus Ecclesiæ matris vestræ nobiscum sublevetis ruinam. Insurrexerunt in nos, & prævaluerunt crudelissimi gentiles, viri absque misericordia, & de inhumanitatis suæ gloriantes malitia, Ecclesias Christi idololatriâ prophanaverunt, altaria demoliti sunt; & quod humana mens refugit audire, ipsi non abhorrent in nos perpetrare. In nostram Regionem sæpissime efferantur, nullique parcentes rapiunt, cædunt, fundunt, & exquisitis tormentis affligunt, quosdam decollant, & capitia dœmoniis suis immolant. De quibusdam visceribus extractis, manus abscissas & pedes alligant, ubi est, inquiunt, Deus eorum? Quosdam in patibulo sublatos permittunt ad majores cruciatus omni morte miserabiliorem vitam pertrahere, cum vivi aspiciant se per abscissionem singulorum membrorum mortificari, & ad ultimum cæso ventre miserabiliter eviscerari. Quamplures vivos excoriant, & cute capitis abstracta hoc modo larvati in Christianorum fines erumpunt, & se Christianos mentientes prædas impune abigunt. Phanatici autem illorum quotiens commessationibus vacare libet, *Ferus in dictis, capita,* inquiunt, *vult noster Pripegala. Hujus fieri oportet sacrificia.* Pripegala, ut ajunt, Priapus est & Beelphegor impudicus. Tunc decollatis ante prophanationis suæ aras Christianis, & horrendis vocibus ululantes, *Agamus*, inquiunt, *dies lætitiæ, victus est Christus, vicit Peripegala victoriosissimus.* Hujusmodi afflictiones sine intermissione vel toleramus, vel formidamus, quoniam eos semper progredi, & in omnibus ingemiscimus bene prosperari. Itaque fratres charissimi, totius Saxoniæ, Franciæ, Lutharingiæ, Flandriæ Episcopi, Clerici, & Monachi, de bonis sumite exemplum, & Gallorum imitatores in hoc etiam estote: clamate hoc in Ecclesiis: Sancti-

[a] *alias* Adelgotus, XII. Archiepisc. Magdeburgensis electus 1107. a Clero & Populo, imo ab Henrico V. nominatus scribitur.

" Sanctificate jejunium, vocate cœtum, " congregate populum, annuntiate hoc, " auditum facite in omnibus terminis præ- " lationis vestræ, sanctificate bellum, sus- " citate robustos." Surgite Principes contra inimicos Christi, arripite clypeos, accingimini filii potentes, & venite omnes viri bellatores. Infirmus dicat, quia fortis sum ego, quoniam Dominus fortitudo plebis suæ, & protector salvationum Christi sui est. Erumpite & venite omnes amatores Christi & Ecclesiæ, & sicut Galli ad liberationem Jerusalem vos præparate. Hierusalem nostra ab initio libera, gentilium crudelitate facta est ancilla. Hujus muri propter peccata nostra corruerunt. Sed ruina hæc sub manu vestra, quatenus lapides pretiosi omnes muri ejus, & turres Jerusalem gemmis ædificentur. Plateæ ejus sternantur auro mundo, & pro horrendo sonitu gentilium in conspectu PRIPELAGÆ cantetur in ea canticum lætitiæ, & pro immolatione de Christiani sanguinis effusione, carnem & sanguinem edant pauperes, saturentur, ut laudetis Dominum, qui requiritis eum, vivantque in sæculum sæculi corda vestra, ut non deficiat de ore vestro: alleluja, alleluja. Ad hoc bellum devotas offert manus cum populo suo Rex Dacorum, (b) & alii Principes per circuitum. Ipse etiam Rex noster hujus belli auctor cum omnibus, quos poterit adducere, promptissimus erit adjutor. Sabbatho in hebdomada rogationum erit conventus noster *Merseburch*, & ubicunque in Orientali Saxonia opportuna habemus loca. Sanctissimi Patres, Monachi, Eremitæ, atque reclusi, optimam partem cum Maria elegistis: sed quia nunc tempus ita exigit, de contemplationis quiete cum Martha surgendum est vobis, quoniam fratribus vestris plurimum turbatis, cum Martha admodum necessaria est Maria. Vobis loquimur, immo in nobis Christus loquitur vobis. Surge, propera, amica, columba mea & veni. Flores bonæ operationis apparuerunt in terra Principum nostrorum, tempus putationis advenit idololatriæ, vox turturis audita est; quoniam casta mater Ecclesia ingemiscit de Idololatriæ spurcitiis. Nemo accendit lucernam & ponit sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediantur, lumen videant. Luceat lux vestra coram omnibus, ut videant opera vestra. Surge itaque sponsa Christi & veni. Sonet vox tua in auribus Christi fidelium, quatenus omnes ad Christi festinent bellum, Christi militibus veniant in adjutorium. Gentiles isti pessimi sunt, sed terra eorum optima, carne, melle, farina . . . . avibus, & si excolatur, omnium de terræ ubertate proventuum, ita ut nulla ei possit comparari. Sic ajunt illi, quibus nota est. Quapropter, o Saxones, Franci, Lotharingi, Flandrigenæ famosissimi, & domitores mundi, hic poteritis & animas vestras salvas facere, & si ita placet, optimam terram ad inhabitandum acquirere. Qui Gallos ab extremo Occidente progressos in brachio virtutis suæ contra inimicos suos in remotissimo triumphavit (c) Oriente, ipse tribuat vobis voluntatem, & potentiam hos affines & inhumanissimos gentiles subjugare, & in omnibus bene prosperari.

Martene & Durand. Collect. amplma. Monumentorum Tomus I. p. 625. ex Codice MS. Grafffchaffensi.

Calles. in serie Episcoporum Misnensium pag. 106. eandem Synodicam recudit.

[b] *Rex Dacorum*, Regem Daniæ intellige stilo hujus Sæculi.
(c) *fors:* triumphare fecit.

Edictum Henrici V. Regis innixum concordato inter Paschalem II. Papam & ipsum concludendo, sed ob resistentiam Episcoporum Germaniæ non concluso. (anno 1111.)

HENRICUS Dei gratia Romanorum Imperator Augustus omnibus Christi-fidelibus in Ecclesia.

I. Notum esse volumus dilectioni & discretioni vestræ ea, quæ inter nos, & Dominum illum Paschalem erant, quomodo incepta tractata sint: scilicet de conventione inter me & ipsum, de traditione

ditione Romanorum in me & meos, ut audita intelligatis, intellecta examinetis, examinata dijudicetis.

II. Igitur dum in eo totus essem, ut me ad Ecclesiæ utilitatem, & ipsius votum, si justum esset, componerem, cœpit exaltationem & dilatationem Regni super omnes antecessores meos promittere. Studebat tamen subdole, quomodo Regnum & Ecclesiam a statu suo discinderet, tractare. Quod sic facere aggressus est. Regno quidem a Carolo quadringentis & amplius annis & sub sexaginta tribus Apostolicis, investituras Episcopatuum, eorundem auctoritate & privilegiorum firmitate tenenti absque omni audientia auferre volebat.

III. Et quum per nuncios nostros ab eo quæreremus, quid de nobis fieret, in quo Regnum nostrum constat, quomodo fere omnia antecessores nostri Ecclesiis concesserunt, & tradiderunt, subjunxit: *Fratres, Ecclesiæ decimis, & oblationibus suis contentæ sint: Rex vero prædia & regalia, quæ a Carolo & Ludovico; Ottone & Henrico Ecclesiis collata sunt, sibi & successoribus suis recipiat & detineat.* Ad hoc quum nostri responderent, nos quidem nolle violentiam Ecclesiis inferre, nec ista subtrahendo tot sacrilegia incurrere, fiducialiter promisit, & Sacramento pro eo firmavit Dominica, *Esto mihi*, se omnia hæc cum justitia & auctoritate Ecclesiis auferre, Nobisque & Regno cum justitia & auctoritate reddere. Nostris itidem firmantibus, si hoc, ut præmissum est, ita complesset, quod tamen nullo modo fieri posse sciebat: me quoque, uti quærebat, investituras Ecclesiarum resignaturum: sicut in charta conventionis plenius poteritis videre.

Hæc est charta Conventionis ejus ad me. (anno IIII. 12. *Febr.)*

DOminus Papa præcipiet Episcopis præsentibus in die coronationis Regis, ut dimittant regalia Regno, quæ ad Regnum pertinebant tempore Caroli, Henrici & aliorum Prædecessorum ejus, & scripto firmabit sub anathemate, ne quis eorum vel præsentium vel absentium, vel successorum eorum, intromittant se ullo modo, vel invadant eadem regalia, id est, Civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Teloneum, Mercatum, Advocatias, omnia jura centurionum, id est, villicorum, turres & villas, quæ Regni erant cum omnibus pertinentiis suis militiam & castra. Nec ipse Regem & Regnum super his ulterius inquietabit, sed privilegio suo sub anathemate confirmabit, ne posteri sui inquietare præsumant: Regem benigne & honorifice suscipiet, & more Prædecessorum suorum Catholicorum scienter non subtracto coronabit, & ad tenendum Regnum cum his omnibus officii sui auxilio adjuvabit.

Si Dominus Papa hæc Regi non adimpleverit, ego Petrus Leonis juro, quod tota potentia mea tenebo ad Dominum Regem. Obsides autem, nisi effugerint, reddemus altero die post coronationem Regis. Si per Papam remanserit, ut non coronetur, similiter reddemus Dominico die, quum Rex ad processionem venerit. Obsides dabo Gratianum filium meum & filium Vizonis filii, & filium sororis meæ, si eum habere potero.

Hæc sunt Sacramenta ex parte Domini Papæ.

Ego Petrus Leonis juro vobis, quia Dominus Papa proximo die Dominico adimplebit Regi, quod in charta Conventionis scriptum est.

Hæc sunt Sacramenta ex parte Regis.

Ego Comes HERMANNUS.
Ego Comes GOTTFRIDUS.
Ego WOLMARUS.
Ego ADELBERTUS.

JUro vobis, quia Dominus Rex proxima quarta vel quinta feria ita Principes jurare faciet, & obsides dabit, sicut in charta conventionis scriptum est. Et sic observabunt Domino Papæ, eo tenore, si Dominus Papa proximo die Dominico sic adimpleverit Regi per omnia, sicut in charta conventionis scriptum est.

IV. Ego vero ut ostenderem nullam Ecclesiarum Dei disturbationem ex velle nostro procedere, in cunctorum oculis astantium, & auribus hoc decretum promulgavi.

Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus affirmando, & Beato Petro, omnibus Epiſcopis & Abbatibus, & omnibus Eccleſiis omnia, quæ Anteceſſores mei Reges vel etiam Imperatores eis conceſſerunt vel tradiderunt, & quæ illi pro ſpe æternæ retributionis obtulerunt, do. Ego peccator pro timore terribilis judicii nullo modo ſubtrahere recuſo.

V. Hoc decreto a me lecto & ſubſcripto, petii ab eo, ut ſicut in charta Conventionis ejus ſcriptum eſt, mihi adimpleret. Quum ego ſupradictæ poſtulationi inſiſterem, ſcilicet, ut cum juſtitia & auctoritate, promiſſa mihi conventione, firmiter univerſis in faciem ejus reſiſtentibus, & decreto ſuo palam hæreſim ineſſe clamantibus, ſcilicet Epiſcopis, Abbatibus tam ſuis quam noſtris, & omnibus Eccleſiæ filiis: hoc, ſi ſalva pace Eccleſiæ dici poteſt, privilegium proferre voluit.

PASCHALIS PAPÆ (a) DECRETUM.

Paſchalis Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, dilecto filio Henrico Regi & ejus ſucceſſoribus Imperatoribus &c.

Divinæ legis inſtitutionibus ſancitum eſt, & Sacris Canonibus interdictum, ne Sacerdotes curis ſecularibus occupentur, neve ad Comitatum, niſi pro damnatis eruendis, atque pro aliis, qui injuriam patiuntur, accedant. Unde & Apoſtolus Paulus inquit: *Judicia (b) ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* In veſtri autem regni partibus Epiſcopi vel Abbates adeo curis ſecularibus occupantur, ut Comitatum aſſidue frequentare, & militiam exercere cogantur: quæ nimirum aut vix aut nullo modo ſine rapinis, ſacrilegiis, incendiis, aut homicidiis exhibetur. Miniſtri vero Altaris, miniſtri Curiæ facti ſunt: quia Civitates, Ducatus, Marchionatus, Monetas, turres, & cætera ad Regni ſervitium pertinentia a Regibus acceperunt. Unde etiam mos Eccleſiæ intolerabilis inolevit, ut electi Epiſcopi nullo modo conſecrationem acciperent, niſi prius per manum Regiam inveſtirentur. Aliquando etiam vivis Epiſcopis inveſtiti ſunt.

His & aliis plurimis malis, quæ per inveſtituram plerumque contigerant, prædeceſſores noſtri Gregorius (c) octavus, & Urbanus ſecundus, felicis memoriæ Pontifices excitati, collectis frequenter Epiſcopalibus Conciliis, inveſtituras illas manus laïcæ damnaverunt: & ſi qui Clericorum per eam tenuiſſent Eccleſias, deponendos; datores quoque communione privandos percenſuerunt, juxta illud Apoſtolicorum (d) canonum capitulum, quod ſe ita habet: *Si quis Epiſcopus ſeculi poteſtatibus uſus Eccleſiam per ipſas obtineat, deponatur, & ſegregetur, omneſque, qui illi communicant.* Quorum veſtigia ſubſequentes & nos eorum ſententiam Epiſcopali Concilio confirmamus.

Tibi itaque fili chariſſime Henrice Rex & nunc per officium noſtrum Dei gratia Romanorum Imperatori & Regno regalia illa dimittenda præcipimus; quæ ad Regnum manifeſte pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, & cæterorum prædeceſſorum tuorum. Interdicimus etiam & ſub anathematis diſtrictione prohibemus, ne quis Epiſcoporum ſeu Abbatum, præſentium vel futu-

(a) Hoc Decretum, vel prætenſum Decretum Paſchalis II. reperitur etiam *in Collectione Regia Concilior. Tomo XXVI. pag.* 732. *in Labbeana Tomo X. pag.* 650: ſed erras, ſi credis, hoc edictum reapſe expeditum fuiſſe & vulgatum. Eſt idea edicti ab Henrico V. edendi ea die, quo Papa ipſi coronam Imperii impoſiturus eſſet: Probatio facilis & clara: nam primo Pontifex in eo reddit Imperatori omnes Ducatus, Comitatus, Marchionatus, & omnia Regalia, quæ hactenus Epiſcopi & Abbates poſſederant, quorum victus deinceps e ſolis Decimis deſumeretur: hoc facto Imperator renuntiat omnibus inveſtituris per baculum & annulum. Hæc conventio facta eſt 12. Februarii, ſed ob Epiſcopos in faciem Henrico reſiſtentes, & decreto illi hæreſin palam ineſſe clamantes, effectum nullum habuit hæc conventio. 2*do*. In eo edicto loquitur Rex de Coronatione Imperatoria, quaſi jam facta, quæ nonniſi 9. Aprilis ſequentis contigit. *Hæc annotatio Dumontis eſt.*

(b) I. Cor. VI. (c) *imò* ſeptimus. (d) Canon. XXXI. Tomo I. noſtro p. 134.

futurorum eadem regalia invadant, id est, Civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Teloneum, Mercatum, Advocatias, jura centurionum; & Turres, quæ Regni erant, cum pertinentiis suis, militiam & castra, & ne se deinceps nisi per gratiam Regis, de ipsis regalibus intromittant. Sed nec posteris nostris liceat, qui post nos in Apostolica sede successuri erunt, aut te aut Regnum super hoc inquietare negocio.

Porro Ecclesias cum oblationibus & hæreditariis possessionibus, quæ ad Regnum manifeste pertinebant, liberas manere decrevimus, sicut in die coronationis tuæ omnipotenti Domino in conspectu totius Ecclesiæ promisisti. Oportet enim Episcopos curis sæcularibus expeditos, curam suorum agere populorum, nec Ecclesiis suis abesse diutius. Ipsi enim juxta Paulum Apostolum pervigilant, tanquam rationem pro animabus eorum reddituri.

De (*d*) traditione vero in nos vel in nostros, sic se res habet. Vix portas civitatis ingressi sumus, cum nostris infra muri mœnia secure vagantibus, quidam vulnerati, alteri interfecti, omnes vero spoliati aut capti sunt. Ego tamen quasi pro levi causa non motus, bona & tranquilla mente usque ad Ecclesiæ Beati Petri januas cum processione perveni. Quod sic gestum fuisse, rei veritas multorum astipulata testimoniis, qui interfuere, protestatur.

Goldastus Tomo I. pag. 255.
Ex quo Dumont Corps Diplomatique.

(*d*) Hic articulus adjectus est in editione Regia Conciliorum decreto, aut sic dicto decreto Papæ Paschalis, quasi illius pars esset; sed male. Patet manifeste, articulum istum esse continuationem edicti Imperatoris, in quo hic narrat, quomodo in suos Romani irruerint, postquam in urbem ingressus fuerat. Reliqua edicti perierunt. *Dumont Corps Diplomatique pag. 62.*

Summa ejusdem (e) Conventionis sive Concordati inter Imperatorem & Pontificem secundum PETRUM Diaconum.

Collectio Regia Conciliorum Tom. XXVI. pag. 777. ex PETRO Diacono Chronic. Cassinens. Lib. IV. Cap. 37. sine data. PHILIP. LABBEI Collectio Concilior. Tom. X. col. 772. juxta Collection. Regiam. (f) *BARONII Annal. Ecclesiast. Tom. XII. GOLDASTI Constitutiones Imperiales Tom. I. pag. 252.*

MIssis Romam Nunciis, inter illos & Petrum Leonis, & cæteros Pontificis nuntios in porticu S. Petri convenit: ut Imperator die coronationis suæ omne male usurpatum Ecclesiasticum jus in manibus Pontificiis, adstante clero & populo, per scriptum deponeret, cum id ipsum Papa de negotiis regalibus faceret, idque Sacramento firmaret. Dimitteret Ecclesias liberas cum oblationibus & possessionibus suis, quæ ad Regnum non pertinent. Absolveret Papa a juramentis populos, qui contra Episcopos facere compulsi sunt. Patrimonia possessionesque Beati Petri restitueret, sicuti a Carolo, Ludovico, Henrico, aliisque Imperatoribus concessa sunt libera: servaretque ea Beato Petro pro juribus. Nihil aut faceret, aut diceret, ut Papa Pontificatum amittat, nihilque ipse patiatur in vita, vel in membris vel capiatur mala captione, aut per suspectam personam: nec fideles ejus, qui pro ipso fidem ei dederint, id est, Petrus Leonis cum filiis suis, quorum bona nullum patiantur detrimentum; & si quis

[*e*] Pontifex non iniit hanc Conventionem, nisi ut moram injiceret Imperatori, qui Italiam ingressus fuerat cum 80000. militibus, ut Papam meliora sapere doceret, quique jam Romæ instabat. Conventio hæc facta est juxta Goldastum circa festum Nativitatis, quod Imperator celebravit Florentiæ.

(*f*) Baronius, & Goldastus id referunt ad annum 1110. sed, si parumper rem examinaveris, videbis, id esse, prout titulus præ se fert, summarium narrationis eorum, quæ conclusa sunt inter Pontificem, & Imperatorem 12. Februarii anni 1111. quodque ideo huc spectat, neque ad annum 1110. referri potest. *Dumont.*

quis eis malum fecerit, Rex fideliter illos adjuvaret. Pro hujusmodi observandis Pontifici prædes dabit, Fridericum fororis suæ filium, Engelbertum & Theobaldum Marchiones, Hermannum & Gotfridum Comites, Fridericum Palatinum Comitem Saxonum, Berengarium de Bajoaria, *Fridericum Saxonem, Albertum Cancellarium, Cononem Berengarii fratrem, Siceboth Bajoarium, Henricum Carinthiæ Ducem, Bertulphum Bertulphi Ducis filium, qui jurabit Papæ securitatem de vita, de membris, de papatu, de captione. Quæ nisi Imperator servaret, ad Romanam Ecclesiam cum suis honoribus teneretur. Obsides pro securitate Pontificis Rex dare pollicitus est proxima quinta feria; eosque secure ad Insulam mittere in potestatem Papæ: Fridericum Ducem nepotem suum, Brunonem Episcopum Spirensem, Conradum nepotem Comitis Herimanni, & filium ejus, & Henricum Friderici Comitis fratrem, obsides si recepisset, eos redderet in die coronationis suæ, ponte transmisso: Et si forte coronatus non fuisset, aut non transiisset, similiter redderet apud Castellum Sancti Angeli. Legatos quos ad eum Papa dirigeret, dum irent & redirent, securos a se suisque redderet: & si eis scienter aliquid injuriæ illatum esset, emendaturum fideliter. Quæ omnia postquam impleverit Rex, Papa juberet Episcopis adstantibus in die coronations ejus, ut regalia Imperatoris dimitterent, quæ a temporibus Caroli, Ludovici, Henrici; aliorumque prædecessorum ad Regnum pertinebant. Scripto firmaret sub anathematis pœna, auctoritate sua, ne quis eorum vel præsentium vel absentium vel successores eorum regni se intromitterent juribus: neque invaderent civitates, Ducatus, Comitatus, Monetas, vectigalia, mercata, Advocationes Imperii, Centurionum jura: curtesque essent Imperii cum pertinentiis suis, & militaria Imperii castra. Nec ipse Imperatorem, nec Romanum Imperium super his ulterius inquietaret: & privilegio sub anathemate ista confirmaret; ne posteri sui ultra inquietare præsumerent. Imperatorem benigne, & cum honore susciperet, & more prædecessorum ipsius Catholicorum Imperatorum scienter, & non subtracto coronaret: & ad tenendum Imperium officii sui juvaret auxilio. Hoc si papa non impleret, Petrus Leonis cum suis omnibus se ad Imperatorem teneret. Obsides, nisi effugerent, altero post coronationem die restitueret. Si ex ipsius Papæ parte remanserit, ut non coronaretur, similiter redderet. Hæc ita constituta jurejurando firmavit Imperator, Albertus Cancellarius, Hermannus, Fridericus Saxo, Cono Berengarii frater, Siceboth de Bavaria, Henricus Carinthiæ Dux, Bertulphus Bertulphi Ducis filius. Hi omnes post Imperatorem eo ordine jurarunt, ut, si Imperator hæc implere nollet, ipsi cum omnibus suis cum Romana Ecclesia tenerent.

CONCORDATUM PRIMUM CONCLUSUM.

Concordatum alterum sive Conventio secunda inter Paschalem II. Papam, & Henricum V. Imperatorem inita in castris, ante urbem Romam, mense Aprili, anno Domini IIII. *Quâ Dominus Papa Imperatori jus investiturarum inter eos hucusque controversum concedit, & vice versa Cæsar promittit Patrimonia, possessiones Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ablata, & ablatas restituere, ac Domino Papæ obedientem se præbere, salvo tamen honore Regni & Imperii.*

GOLDASTI Constitutiones Imperiales Tom. I. pag. 254. *Collectio Regia Concilior. Tom. XXVI. pag.* 786. *PHILIP. LABBEI. Concilior. collect. Tom. X. col.* 779. *BARONII Annales Ecclesiastici Tom. XII. No. IV.*

EX PARTE IMPERATORIS.

EGo Henricus Imperator liberos dimittam, quarta & quinta feria proxima Dominum Paschalem, & Episcopos & Cardinales, & omnes captivos obsi-

obſides, qui pro & cum eo capti ſunt, & liberos ſecure produci faciam intra portam Tranſtiberinæ civitatis: nec ulterius capiam aut capi faciam vel permittam eos, qui in fidelitate Domini Papæ Paſchalis permanent, & populo Romano, & Tranſtiberinæ Inſulæ civitati pacem, & ſecuritatem ſervabo tam per me quam per meos, & in perſonis & in rebus, qui pacem mihi ſervaverint.

II. Patrimonia & poſſeſſiones Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ abſtuli, reſtituam; & cunctæ quæ habere debet, more Anteceſſorum meorum recuperare, & tenere adjuvabo bona fide. Et Domno Papæ Paſchali obediam, ſalvo tamen honore Regni & Imperii, ſicut Catholici Imperatores, Catholicis Pontificibus Romanis. Hæc omnia bona fide obſervabo, ſine fraude & malo ingenio.

Et iſti ſunt juratores ex parte Imperatoris Henrici.

Fridericus Colonienſis Archi-Epiſcopus.
Gebehardus Tridentinenſis Epiſcopus.
Bruno Spirenſis Epiſcopus.
Albertus Cancellarius.
Hermannus (*g*) Comes.
Berengarius Comes Sultzbachenſis.
Fredericus Comes Palatinus.
Item Fredericus Comes.
Bonifacius Marchio Tuſciæ.
Albertus Comes de Blandriaco.
Godefridus Comes Palatinus Rheni.
Wernerus Marchio.

Ex parte Pontificis.

DOmnus Papa *PASCHALIS* concedit Domno Imperatori *HENRICO* & Regno ejus, privilegio ſuo ſub anathemate & confirmabit, & corroborabit, Epiſcopo vel Abbate libero electo ſine Simonia aſſenſu Imperatoris, quod Domnus Imperator cum annulo & virga inveſtiat. Epiſcopus autem vel Abbas ab Imperatore inveſtitus libere accipiat conſecrationem ab Epiſcopo, ad quem pertinuerit. Si quis vero a Clero, & a populo eligatur, niſi ab Imperatore inveſtiatur, & a nemine conſecretur, & Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi libertatem habeant conſecrandi ab Imperatore inveſtitos. Super his etiam Dominus Papa Paſchalis non inquietabit Imperatorem Henricum, nec ejus Regnum & Imperium.

Juramentum Pontificis.

DOmnus Papa *PASCHALIS* non inquietabit Dominum Imperatorem *HENRICUM* nec ejus Regnum de inveſtitura Epiſcopatuum, & Abbatiarum, neque de injuria ſibi illata, & ſuis in perſonis, & bonis, neque aliquod malum reddet ſibi vel alicui perſonæ pro hac cauſa; & penitus in perſonam Imperatoris *HENRICI* nunquam (*h*) anathema ponet, nec remanebit in Domino Papa, quin coronet eum, ſicut in (*i*) ordine continetur, & Regnum & Imperium officii ſui auxilio eum tenere adjuvabit pro poſſe ſuo. Et hæc adimplebit Domnus Papa ſine fraude, & malo ingenio.

Hæc ſunt nomina illorum Epiſcoporum, & Cardinalium, qui præcepto Domini Papæ PASCHALIS privilegium & amicitiam Sacramento confirmaverunt Domno Imperatori HENRICO.

Petrus Portuenſis Epiſcopus.
Centius (*k*) Sabinienſis Epiſcopus.
Robertus Cardinalis ſancti Euſebii.
Bonifacius Cardinalis ſancti Martini.
Anaſtaſius Cardinalis ſancti Clementis.
Gregorius Cardinalis Apoſtolorum Petri & Pauli.
Item Gregorius Cardinalis S. Chryſogoni.
Joannes Cardinalis ſanctæ Potentianæ.

Riſus

(*g*) *alias* Dux.
(*h*) Non obſtante hoc juramento Concilium Lateranenſe, quod inchoatum eſt 28. Maji anni 1112, poſtquam Imperator redierat in Germaniam, juſſit comburi bullam, conceſſam pro inveſtituris, & excommunicavit Imperatorem, idque adhuc confirmatum eſt in aliis Conciliis. Henricus V. fruſtra conqueſtus eſt, quod Pontifex violaret juramentum: Paſchalis reſpondit, ſe quidem promiſiſſe, quod ipſe nunquam Imperatorem excommunicaturus eſſet; ſed nequaquam, quod non eſſet eum excommunicaturus per alios. Vide *Heiſs Hiſt. de l'Empereur. Tom. I. Lib. II. C.* 10.
(*i*) Cæremoniale Romanum *hodie dicitur.*
(*k*) *alias*: Cenſius.

Risus Cardinalis sancti Laurentii.
Rainerus Cardinalis sanctorum Marcellini & Petri.
Vitalis Cardinalis sanctæ Balbinæ.
Dinzo (*m*) Cardinalis sancti Marci.
Theobaldus Cardinalis Joannis & Pauli.
Joannes Diaconus sanctæ Mariæ in schola græca.
Leo Diaconus sancti Vitalis Martyris.
Abbo Diaconus sanctorum Sergii & Bacchi.

Nota ex WILIELMO Malmesburiensi Lib. V. Hâc conventione expleta, & prædictorum Episcoporum & Cardinalium Sacramento confirmata, osculo utrimque dato, Domnus Papa IV. Idus Aprilis, Dominica *Quasimodo geniti*, Missam celebravit, in qua post Communionem suam & Ministrorum Altaris, Imperatori corpus & sanguinem Domini dedit in hæc verba: *Hoc Dominicum corpus, quod sacrosancta retinet Ecclesia, natum ex Maria Virgine, elevatum in cruce pro Redemptione humani generis; damus tibi, Fili carissime, in remissionem peccatorum tuorum, & in conservationem confirmandæ pacis, & veræ amicitiæ inter me & te, & Regnum & Sacerdotium.*

Nota alia ex PETRO DIACONO in Chronico Cassinensi Cap. XLI. Coronatus est autem idem Imperator portis omnibus Romanæ urbis, ne quis civium eo adveniret, obseratis. Cumque ad hostiæ confractionem venisset, partem ipse sumens, reliquam Imperatori tradidit, dicens: *Sicut pars ista vivifici corporis divisa est, ita divisus sit a Regno Christi & Domini, qui pactum istud rumpere ac violare tentaverit.* Post coronationem finitis Missarum solemniis, Imperator in castra regreditur, Pontifex autem in urbem regressus est.

Decretum primum PASCHALIS II.

IIII. 4. *Aprilis, quo concedit Henrico V. investituras.*

PASCHALIS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, CARISSIMO IN CHRISTO FILIO, HENRICO (*n*) TEUTONICORUM REGI, ET PER DEI OMNIPOTENTIS GRATIAM ROMANORUM IMPERATORI AUGUSTO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

I. Regnum vestrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ (*o*) singulariter cohærere dispositio Divina constituit. Prædecessores siquidem vestri probitatis, & prudentiæ amplioris gratia Romanæ urbis Coronam & Imperium consecuti sunt. Ad cujus videlicet Coronæ & Imperii dignitatem, tuam quoque personam, fili carissime HENRICE, per nostri Sacerdotii Ministerium Majestas Divina provexit. (*p*) Illam igitur dignitatis prærogativam, quam prædecessores nostri vestris prædecessoribus Catholicis Imperatoribus concesserunt, & privilegiorum paginis confirmaverunt, nos quoque tuæ dilectioni concedimus, & præsentis privilegii pagina confirmamus, ut Regni tui Episcopis (*q*) & Abbatibus libere præter violentiam, & Simoniam electis, investituram virgæ & annuli conferas; post investionem vero canonice consecrationem accipiant ab Episcopo, ad quem pertinuerit.

II. Si autem a Clero (*r*) vel a populo præter assensum tuum electus fuerit, nisi a te investiatur, a nemine consecretur (exceptis (*s*) nimirum illis qui vel in Archi-Episcoporum vel in Romani Pontificis solent dispositione consistere)

III. Sane Archi-Episcopi & Episcopi libertatem habeant a te investitos Episcopos, & Abbates canonice consecrandi.

IV. Prædecessores enim vestri Ecclesias Regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipsum Episcoporum maxime, & Abbatum præsidiis

(*m*) *alias* Cuno *vel* Cuzo.
(*n*) Hæ duæ voces desunt editioni Regiæ Parisinæ Conciliorum.
(*o*) *Deest ibid.*
(*p*) Illud &c. *Privilegium ibid.*
(*q*) vel *ibid.*
(*r*) *alias*: Clero & populo.
(*s*) Hæc parenthesis abest ab editione Sureti, *teste Goldasto.*

ſidiis oporteat communiri, & populares diſſenſiones, quæ in electionibus (s) ſæpe contingunt, regali oporteat Majeſtate compeſci. Quamobrem (t) prudentiæ veſtræ & poteſtati cura debet (u) ſollicitius imminere, ut & Romanæ Eccleſiæ magnitudo & cætera ſalus, tuis (præſtante Domino) beneficiis & ſervitiis conſervetur.

V. Si qua igitur Eccleſiaſtica vel ſecularis (v) potentia aut perſona hanc noſtræ conceſſionis paginam ſciens, contra eam temerario auſu venire tentaverit, anathematis vinculo, niſi reſipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis ſuæ periculum patiatur. Obſervantes autem hoc miſericordia Divina cuſtodiat, & perſonam (w) ac Majeſtatem, poteſtatemque tuam ad honorem ſuum & gloriam feliciter imperare concedat.

CONFIRMATIO. (x)

HÆc ſunt verba, quæ dixit Dominus Apoſtolicus Domino Imperatori HENRICO in communione corporis & ſanguinis Chriſti, die Coronationis ſuæ. Domne Imperator HENRICE, corpus Domini, natum ex Maria Virgine, paſſum in cruce pro nobis, ſicut Sancta Catholica tenet Eccleſia, damus tibi in confirmationem veræ pacis & concordiæ inter me & te, Amen. Anno Verbi Incarnati MCXI. hoc confirmatum eſt in Baſilica S. Petri, XVI. Cal. Martii, regnante in cœlis Domino Noſtro JESU Chriſto cum Patre æterno & Spiritu Sancto. Amen.

Goldaſt. Tom. I. pag. 255.
Collectio Regia Concilior. Tom. XXVI. pag. 787.
Phil. Labbei. Concilior. collect. Tom. X. col. 779.
Baronii Annal. Eccleſiaſt. Tom. XII. ad annum 1111.
Dumont Corps Diplomatique Tom. I. No. CXII.

(s) Electis omnibus. *ibid.*
(t) prudentiæ & poteſtati tuæ. *ibid.*
(u) ſollicite *ibid.*
(v) perſona *ibid.*
[w] Hæ 2. voces deſunt. *ibid.*
(x) Hæc addita Confirmatio non extat in Conciliorum collectione Regia, nec in Labbeana, & dies datæ falſus eſt: nam Confirmatio facta a Papæ per communionem unius hoſtiæ inter Pontificem & Papam diviſæ, accidit menſe Aprili Dominica *Quaſimodo*, vel *in Albis*: vide præcedentes duas chartas ex Wilhelmo Malmesburienſi & Petro Diacono deſcriptas. Lectiones variantes collatæ ſunt cum Conciliorum editione Regia. *Hæc Cl. Dumont adnotavit.*

Decretum Concilii Lateranenſis anno Domini MCXII. habiti; quo Privilegium de inveſtituris Epiſcopatuum & Abbatiarum per Imperatorem concedendis, a Papa PASCHALI *Imperatori Henrico nuper conceſſum, à Concilio damnatur, revocatur, & omnino caſſatur.*

PRivilegium illud, quod non eſt privilegium, (neque verò dici poteſt privilegium, ſed pravilegium) quod pro liberatione captivorum & Eccleſiæ, Domino Papa PASCHALI per violentiam HENRICI Regis extortum, Nos omnes in hoc ſancto Concilio cum eodem Domino Papa congregati, Canonica cenſura & Eccleſiaſtica auctoritate, judicio ſancti Spiritus damnamus, & irritum eſſe judicamus, atque omnino caſſamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat, penitus excommunicamus. Quod ideo damnatum eſt, quod in eo privilegio continebatur, quod electus canonicè a Clero & populo, a nemine conſecretur, niſi prius a Rege inveſtiatur, quod eſt contra Spiritum Sanctum & Canonicam inſtitutionem.

Perlecta vero hac charta acclamatum eſt ab univerſo Concilio: Amen, Amen. Fiat, fiat. Archi-Epiſcopi vero & Epiſcopi quoque, & Presbyteri Cardinales, qui interfuerunt ipſi Conſilio, hi ſunt videlicet:

Cenſius C. Sabinenſis.

Petrus G. Portuenſis.
Leo L. Oſtienſis.
Coro C. Præneſtinus.
Joannes J. Tuſculanus.
Joannes Patriarcha Venetus.
Sennes L. Capuanus.
Landulphus L. Beneventanus.
Maurus A. Amalphitanus.
H. Rheginenſis.
Hydruntinenſis.
Guillelmus Brunduſienſis.
Conſentinus.
Geruntinenſis.
Roſſanenſis.
Segobienſis.
Galo G. Legionenſis Legatus pro Bituricenſi.
Guido G. Viennenſis Archi-Epiſcopus.
Rogerius R. Volaterranus.
Gaufridus G. Senenſis.
Rolandus Populonenſis R. Popubre.
Gregorius G. Tarracinenſis.
Guillelmus G. Syracuſanus pro omnibus Siculis.
Verutanus G. Vorrianus.
Bruno B. Siginenſis, & alii centum fere Epiſcopi.

Presbyteri Cardinales:

Bonifacius B. Cardinalis, tituli S. Marci.
Anaſtaſius R. Cardinalis, tituli S. Clementis.
Romanus R. Cardinalis, tituli S. Priſcæ.
Gregorius G. Cardinalis, tituli SS. Apoſtolorum.
Benedictus B. Cardinalis, tituli S. Petri ad vincula.
Robertus R. Cardinalis, tituli S. Euſebii.
. . . Boſo R. Cardinalis, tituli S. Laurentii in Damaſco.
Joannes J. Cardinalis, tituli S. Cæciliæ.
Divizo B. Cardinalis, tituli S. Martini.
Gregorius F. Cardinalis S. Chryſogoni.
Rainerius R. Cardinalis, tituli Ss. Petri & Marcellini.
Petrus V. Cardinalis, tituli S. Sixti.
Albericus A. Cardinalis, tituli S. Suſannæ.

Cardinales Diaconi octo.

Abbas Sublacenſis.
Joannes Abbas Cajetanus.
Abbas S. Andreæ.
Leo.
Gregorius.
Aldo.
Theobaldus.
Roſimannus.

Qui in damnationem dicti privilegii conſenſerunt, cum Abbatibus aliis, & multitudine innumerabili tam Clericorum quam Laicorum.

Et poſt hæc ita in Codice:

Hæc charta lecta eſt a Gerardo Engolismenſi, Leone Oſtienſi, Galone Legionenſi Epiſcopis, Roberto Cardinali tituli Sancti Euſebii, & Gregorio Cardinali tituli ſanctorum duodecim Apoſtolorum, de communi aliorum conſenſu.

Collectio Regia Concilior. Tom. XXVI. pag. 774.
Phil. Labbei. Concilior. collect. Tom. X. pag. 767.
Baronii Annal. Eccleſ. Tom. XII. ad annum 1112.
Dumont. Tom. I. Corps diplomatique No. CXIV.

ARGENTINÆ CONVENTUS
SUB OTTONE EPISCOPO.
ANNO CHRISTI MCXI. PASCHALIS II. PAPÆ XI. HENRICI V. REGIS VI.

SUMMA. *Nemini liceat bona Monachorum aut Canonicorum habere, aut uſurpare.*

MEnſe Septembri exeunte, Spirâ Argentinam aſcendit (Henricus V.) frequentemque inibi Germaniæ ſuperioris & Lotharingiæ præcipue Principum Conventum habuit, recenſentur in diplomatis teſtes: *Albertus Moguntinus Archiepiſcopus, Bruno Trevirenſis Archiepiſcopus, Cunradus Saltzburgenſis Archiepiſcopus, Burchardus Monaſterienſis Epiſcopus, Bruno Spirenſis Epiſcopus, Cuno Strazburgenſis Epiſcopus,*

pus, Albero Metensis Episcopus, Richardus Virdunensis Episcopus, Eberhardus Eistetensis Episcopus, Ulricus Constantiensis Episcopus, Rudolfus Basiliensis Episcopus, Fridericus Dux, Herimannus Marchio, Comes Godefridus de Calven, Fredericus de Zeilra &c. Data VII. Non. Octobris, Indictione IV. anno Dominicæ Incarnationis MCXI. Regnante Henrico V. Rege Romanorum anno VI. Imperante I. Actum est Argentinæ in Christo feliciter.

Ibidem pro tribunali ad supplicationem Monachorum Ettenheimensium, qui possessiones suas injuste a quibusdam retineri conquerebantur, edictum promulgavit: *Ne cuiquam liceat bona Monachorum & Canonicorum habere, aut inposterum usurpare.*

Guillimannus de Episcopis Argentinensib. pag. 219.

SYNODUS TULLENSIS DIOECESANA
SUB RIQUINO, DEI GRATIA, PROVISORE TULLENSIUM,
Adjudicante Prioratum Frondonensis cellæ Abbati Cluniacensi contra prætensiones Abbatis Mediani Monasterii.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Riquinus Dei gratia Provisor Tullensium, Pontio Abbati Cluniacensi, ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Apostolicæ dignitatis sublimitas tanto propensiori studio a cunctis est fidelibus incessanter honoranda, quanto constat evidentius, quoniam eorum meritis & doctrina, ut sol & luna, sancta refulget Ecclesia, quæ fundata super petram, hæreticæ pravitatis irritamenta respuit, nec recipit blandimenta. Cum igitur omnibus, quos Rex cœlestis Regni & gloriæ suæ consortes instituit, piæ devotionis sit adhibendum studium, instantius tamen ei præcordialis desiderii licet vigilanter impendere famulatum, cui Deus Ecclesiæ sanguine suo redemptæ specialiter constituit principatum, qui post Deum custos gregis, & pastor extat ovium, janitor cœli & Princeps Apostolorum. Denique Beati Petri nomine, & titulo triumphaliter insignita, sub prærogativa religionis fulget incomparabiliter sancta Cluniacensis Ecclesia; quæ clausis & depressis oculis carnalibus, fervore spirituali docet inhianter contemplari cœlestia, quæ summi patris familias, ut vere dicam, universalis domus est & curia, in qua Deo sacra laudum resultant præconia. Ab hac siquidem felici turma & inexpugnabili exercitu, Jerusalem superna agmina sibi assumit purpurea, quæ super thronos judicantium ordinem residendo gestant florentia serta, felix satis & beata devotio tam celeberrimæ congregationis & Ecclesiæ obsequiis & cultui fideliter inservire; cujus ego, licet indignus, beneficii & orationum exequutor, & particeps cupiens existere, hanc pro modulo meo necessariis ampliare sumptibus, & quæ in nostra Diœcesi possidebant, tenore canonico proposui stabilire.

Ad perpetuam itaque Monasterii tui pacem, Ponti in Christo dilectissime fili, manifestamus posterorum notitiæ determinationem causæ Frondoni-cellæ nostris temporibus definitæ. Abbas denique Mediani-Monasterii, Bertricus nomine, *in generali Synodo* nostram censuram adiens, querimoniam movit super Wicardo priore Frondonensis cellæ, asserens quoniam Odoinus vir illustris, sancto Petro Mediani-Monasterii coram liberis testibus de cella illa donum & investituram fecisset; sed facta postmodum retractatione, Cluniacensis Ecclesia eam irrationabiliter, etiam præsumptuose invasisset; præfatus siquidem Odoinus ibidem tunc præsens, hoc omnimodis denegavit etiam se nunquam Ecclesiæ Mediani-Monasterii inde donationem fecisse, productis liberalibus testibus jurare proposuit. Prior autem usus prudentiori consilio, Abbatem suum, ut res exigebat, super hoc consulturus, usque ad *proximam Synodum* inducias petiit, quas cum prolixitate itineris, tum re-

motione Abbatis, usque *ad tertiam Synodum*, ingruente rei difficultate, protraxit.

Tandem igitur in medio totius *Synodalis conventus* protulit cartham, felicis prædecessoris nostri piæ memoriæ Pibonis sigillo insignitam, in qua continebatur, quod per manum prædicti Pontificis Domnus Odoinus de cella Frondonensi, cum omnibus appenditiis suis, Sancto Petro Cluniacensi liberaliter donationem fecisset, & etiam Abbas Cluniacensis jam fere per XXX. annos sub sua dispositione quietè possedisset: super hoc & ipse Odoinus ultimo se constanter intulit, & hæc ita se habere, adhibitis sex liberalibus testibus, jurejurando probavit. Tam evidenti ratione, tam probabili discussione, Abbas Mediani-Monasterii vana spe frustratus recessit.

Prior vero Cluniacensis, quod nostri erat officii, super hoc fieri postulavit. Banno ergo Dei & nostro, authoritate etiam Pontificali sancimus & interdicimus, ne aliquis deinceps Ecclesiæ Cluniacensi pro cella Frondonensi calumniam moveat; alioquin maledictionem extremo districtionis die in anima sua inveniat, nec habeat partem in sorte electorum Dei, nisi digne satisfaciens resipiscat. Tibi autem & omnibus tuis in sancto suo servitio concedat Divina miseratio perseverantiam propositi salutaris: detque Dominus faciem vestram, ut adamantem & silicem, ut cum magna libertate possitis objurgare domum exasperantem. Ad excludendam itaque omnem imposterum controversiam, fieri decrevimus hujus descriptionis paginam, quam sigillo nostro legitime confirmantes, signis & testimonio nostrorum fidelium tradidimus roborandam.

Signum Riquini Episcopi.
Sign. Theomari Abbatis sancti Mansueti.
Sign. Vindrici Abbatis sancti Apri.
Sign. Stephani Primicerii.
Sign. Berengarii Decani.
Sign. Hugonis Archid.
Sign. Gotberti Archid. & cantoris.
Sign. Odoini.
Sign. Theoderici de sancto Hilario.
Sign. Theoderici de Clavo Monte.
Sign. Equini de Barbani-villa.
Sign. Girardi de Blanteriis.
Sign. Adelini de Girancort.
Sign. Galteri de Clavo-monte.
Sign. Galteri, & Theodorici fratris de Vinricort.

Acta sunt hæc Tulli in Synodo generali in majori Ecclesia Sancti Stephani Proto-Martyris, anno ab Incarnatione Domini MCXI. Ordinationis verò nostræ IV. Indictione IV. Epacta IX. Concurrente VI. Imperante Henrico V. regnante Domino nostro JESU Christo feliciter, Amen.

Calmet. Tomo IV. Probationum Historiæ Lotharingiæ pag. 526. 527.

CONVENTUS GOSLARIÆ

ANNO CHRISTI MCXV. PASCHALIS II. PAPÆ XVI. HENRICI V. REGIS X.

In Nativitate Sanctæ Mariæ Virginis Theodericus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyter, cum frequenti Saxoniæ Principum Conventu venit Goslariam, quo & Lotharius Saxo victor de exercitu Henrici V. Regis in Welpesholt venerat.

Ibi quædam de Ecclesiasticis negotiis utilia differunt: actum ibidem, ut Episcopi ab Imperatore (*Henrico V.*) constituti, quos schismaticos vocabant, sedibus suis expellerentur, subrogatis orthodoxis, qui legitimo Pontifici Paschali favebant.

Annales Hildehesmenses apud Leibnitz. Tom. I. Brunsvicens. pag. 738.
Heineccius antiquit. Goslariensium Lib. I. pag. 114.

SYNO-

SYNODUS HERBIPOLENSIS

SUB ERLONGO EPISCOPO.

ANNO CHRISTI MCXV. PASCHALIS II. PAPÆ XVI. HENRICI V. REG. X. IMP. V.

SUMMA. *Confirmantur bona Abbatiæ Swarzacensis. Contentio inter Kitzingam & Swarzach sedatur.*

TEmporibus (a) prædicti Abbatis anno videlicet MCXV. Indictione octava, Heinricus Comes de Gerlachshausen vendidit prædicto Abbati omnia bona sua, quæ habuit in Gerlachshausen & Sommerach, cum omnibus utilitatibus suis pro XXX. marcis argenti, & quoadusque vixit Comes Heinricus, tenebatur ei date Abbas Rupertus omni anno CC. & L. modios de diverso frumenti genere, item singulis annis tres carredas vini, duas cerevisiæ, X. modios braccii, XV. porcos, boves V. oves X. Idem Comes dedit nobis Parochiam de Gerlachshausen, quam habuit titulo feudali ab Episcopo Herbipolensi. "Ista omnia ratificavit & approba-" vit (b) Erlingus Episcopus Herbipolen-" sis *in Synodo suæ Ecclesiæ* coram multis " Prælatis. Hic etiam Venerabilis Pon-" tifex determinavit in prædicta Synodo " suæ Ecclesiæ quandam contentionem " inter nostrum, & Monasterium in Ki-" tzingen ex parte decimæ in Tettel-" bach.

Chronicon Schwarzacense, editum a Ludewigio volumine II. Scriptorum Germanicorum pag. 20.

(a) Rupertus fuit decimus tertius Abbas ab anno 1113.
(b) *aliis* Erlongus, Comes de Kalw, Episcopus XXV. Herbipoli, *Bucelino.*

SYNODUS PLENA TULLENSIS

DIOECESANA

Anno Christi MCXVI. Paschalis II. Papæ XVII. Henrici V. Reg. XI. Imp. VI.

In qua Riquinus Episcopus cellam Castiniaci donat Sancto Apro.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Riquinus Dei misericordia Leucorum episcopus, universis Catholicæ Ecclesiæ filiis. Officii nostri authorem Deum contemplantes, a Majestate ejus animamur pariter & terremur; quoniam sola salus, & summa est felicitas tanto Principi obaudire: & extrema miseria, in ejus animadversionem incidere. Pro debito itaque nostri ministerii commissarum nobis Ecclesiarum indefessam gerentes sollicitudinem, in præsenti quidem de provectu earum libenter laboramus, in posterum vero, quantum nostræ patet facultati, pacem & stabilitatem providemus.

Unde notum facimus tam præsentibus, quam futuri sæculi fidelibus, quod mater Ducis Theoderici, ipse Dux Theodericus, & filius ejus Simon, legitimâ donatione tradiderunt sancto Apro, nostro concivi, cellam sancti Petri, quæ est Casteniaci, præcepto & voluntate Abbatum sancti Apri ac Monachorum perpetuo ut propriam ipsorum disponendam. Ipsius autem cellæ patrono sancto Petro ad usus fratrum, Deo, & ipsi inibi servientium, tradiderunt in perpetuam possessionem decimas ejus, quæ ibi est Parochiæ per manum Tullensis episcopi, prædecessoris nostri, Pibonis.

Prætérea tradiderunt terram bobus fratrum excolendam, & pratum sufficienter ibidem, & mancipia utriusque sexus plurima. Concedentes hanc in perpetuum libertatem, ut quisquis undecumque de familia fratrum in ipsorum ibi terra habitaret, in nullis banno esset obnoxius. Si autem tunc in terra fratrum aliqui habitarent; diem unum ad corvadam Ducis, si tamen boves haberent, facientes, per cætera ab omnibus exactionibus toto anno degerent immunes. Donaverunt & redecimationes totius ibi indominicatus sui, tam in annona, quam vino: usum & pabuli, aquæ, sylvæ, sine ulla ad bannum responsione.

Tradiderunt & Theloneum nundinarum ibi in festo sancti Petri, & salem, quantum eorum fratrum inquam conducit usibus, de Theloneo Novi castri, & molendinum. Et apud Liso allodium suum, & Ecclesiam ejusdem villæ, & villam Bodingam, cum omni integritate in servis, ancillis, terris cultis & incultis, pratis, vineis, & molendinis; & Ecclesiam Ulmis, Ecclesiam de Meceo. Apud Noavium VI. Quartarios; apud Roverum IV. quartarios, & apud Mocultem II. Quartarios, & apud Altinei II. apud Valheri-villam II. apud Domni Remigii I. apud Romoldi-villam I. apud Morincort II. apud Ramers Lantfridus, & filii ejus Bencelinus & Amalricus, dederunt eidem loco IV. Quartarios, cum servis & uxoribus eorum, ac filiis: & apud Romaldi-villam V. mancipia, cum terra: & apud longum-campum I. mancipium, cum ejus Quartar: & eidem apud Belmonte, molendinum, & alterum molendinum Arembeti. Apud Betelicurtem Amalricus dedit servum unum, cum Quartario. Albertus ejusdem Lautfridi filius, apud Roverium dedit, quidquid ibi possidebat in servis, ancillis, terris, pratis, sylvis. Apud Hainovillam Eva dedit II. servos, cum terra. Apud Martinei Drogo I. servum, cum terra. Apud Cruselios Heinricus I. servum, cum terra. Apud Osenvillare, Hugo, Walterus, & alter Walterus, III. Quartarios, & Servos II. cum uxoribus & filiis. Apud Olenvillam, Drogo, Fulco Domerans III. Quartarios. Apud Bruchincort, Albertus II. Quartarios. Apud Berlei-villam, Odila I. servum, cum Quartario & partem decimarum, quam tenebat. Apud sanctum Paulum, Hugo I. Quartarium; Lamfridus Casteniaci vineam.

Præterea Dux Simon concessit fratribus, sine banni responsione, tabernam vini propriam habere, messes metere, fœnum facere. Nos quoque, ad majorem ejusdem loci reverentiam ac stabilitatem, concessimus sancto Apro jure perpetuo possidendum Altare ejus, quæ ibi est, Casteniaci inquam Parrochiæ, plena libertate, immune ab omni exactione Parrochialis consuetudinis; & si quando Parochia ipsa, quæ nunc in ipso est Cœnobio, alibi in eodem tamen atrio fratres pro sua pace transferre voluerint, ex voto nostram licentiam habent, eamque sanctus Aper, ut scriptum est, semper possideat.

Donavimus etiam sancto Apro Altare de Ulmis. Statutum autem, ut antefata cella, ad subjectionis testimonium annuatim ad Principale Altare nostræ sedis in die nostri Proto-Martyris, solidum nummorum pro censu persolvat. Has igitur nostras prænominatorum fidelium donationes, pariterque constitutiones, ne posteritatis oblivio deleret, ne forte malivolorum perversitas vi aut fraude subverteret; *nos in plena residentes Synodo*, hoc scriptum authoritate Dei sub anathematis sententia confirmamus in perpetuum, & sigilli nostri affiximus tutamentum.

Ego Riquinus Episcopus signo & confirmo.
Signum Tiemari Abbatis Sancti Mansueti.
Sign. Antonii Abbatis Senonensis.
Sign. Milonis Abbatis Medii-Monasterii.
Sign. Sigeberti Abbatis sancti Salvatoris.
Sign. Laurentii Abbatis sancti Vitoni.
Signuum Allonis Abbatis sancti Clementis.
Sig. Odelrici Abbatis Sancti Urbani.
Sign. Seheri Abbatis sancti Leonis.
Sign. Thezelini Archidiaconi.
Sign. Hugonis Archid. de Gondrecourt.

Sign.

Sign. Haimonis Archid.
Sign. Humaldi Magiſtri.
Sign. Symonis Ducis.
Sign. Rainardi Comitis.
Sign. Alberti de Devreyo.
Sign. Valdrici.
Sign. Ugonis de Darney.
Sign. Drogonis de Boſunvillare.
Sign. Hainrici de ſancto Vadaſto.
Sign. Stephani Primicerii.
Sign. Ramboldi Archid.
Sign. Gotberdi Archid.
Sign. Hugonis Archid.

Anno ab Incarnatione Domini MCXVI. Indict. IX. Epacta IV. II. Nonas Octobris in ſede Tullenſi publice recitata, generaliter approbata, legitime confirmata.

Calmet. Tomo IV. Probation. Hiſtor. Lotharingiæ pag. 538. 539. 540.

CONCILIUM COLONIENSE

ANNO CHRISTI MCXVI. PASCHALIS II. PAPÆ XVII.
HENRICI V. REG. XI. IMP. VI.

SUMMA. *Promulgatio iterata anathematis Pontificii. Conſecratio Moguntini Archiepiſcopi.*

ANno Dominicæ Incarnationis M. CXVI. Imperator Henricus *Natale Domini* Spiræ cum Epiſcopis & Principibus celebrans ea, quæ interim *Coloniæ* gerebantur, graviter tulit: audivit enim quamplurimos ibi conveniſſe non ſolum Metropolitanos, ſed etiam alios Epiſcopos, vel Optimates Regni: cauſa præcipua verbum excommunicationis in ſe manifeſtandi, quamvis Dietericus Cardinalis, cujus hæc injiciebantur auctoritate, in itinere jam defunctus, illo ad ſepulturam potius, quam ad actionem Concilii delatus eſſet: Sepultus eſt Coloniæ, aſtantibus Epiſcopis XIV. cum Liudero Duce, aliisque nonnullis Principibus.

In Natali S. Stephani Adalbertus Moguntinus Archi-Epiſcopus, ab Ottone venerabili Babenbergenſi Epiſcopo ordinatus.

Miſſus autem ab Imperatore illuc (*a*) Erluwinus Wirceburgenſis Epiſcopus audientiam, vel communionem, nonniſi reconciliatus habere meruit. Reverſus vero poſt redditam Legationem Imperatori communicare renuit; ſed vitæ periculo coactus, Miſſam coram Imperatore celebravit, indeque uſque ad mortem contriſtatus, latenter diſceſſit, ſicque rurſum Communioni priſtinæ multis lacrimis reconciliatus, ultra Imperatoris aſpectu ſimul & gratia caruit.

Annaliſta Saxo apud Eckhart. Tomo I.
Chronica Regia S. Pantaleonis apud eundem Tom. I.
Annales Hildesheimenſes ad hunc annum.
Abbas Urſpergenſis.
Trithemius in Chronico Hirſaugienſi.

(*a*) Erlongus *aliis ſcribitur.*

Epiſtola ADALBERTI Archi-Epiſcopi Moguntini ad Otthonem Bambergenſem Epiſcopum, ut ad Concilium Fridislarienſe veniat.

REVERENDISSIMO BAMBERGENSIUM EPISCOPO, ADALBERTUS MOGUNTINÆ SEDIS MINISTER INDIGNUS, FRATERNÆ DILECTIONIS ET ORATIONIS INVIOLABILE PIGNUS.

QUod proxime Dominus Præneſtinus, Romanæ Eccleſiæ Legatus, nobis Apoſtolica auctoritate denuntiaverat, noſtra quoque diligentia, per omnia Romanæ auctoritati ſubdita, ſollerter impleverat, denuntians & vobis

bis ſub eadem auctoritate & noſtra, uti ad Concilium Coloniæ celebrandum, veſtra veniret præſentia; ſed quia hoc, neſcio, qua prætermiſſum fuit negligentia, eadem quidem, quæ & cæteris ejuſdem Concilii neglectoribus, vobis quoque injuncta eſſet ſententia, ſcilicet vel Divini officii ſuſpenſio, vel a communione corporis & ſanguinis Dominici formidanda interdictio, niſi noſtræ peticionis diligentia hoc præveniſſet, & eximia Sanctitatis veſtræ reverentia, ne id fieret, apud Eccleſiam promeruiſſet. Quibus ſimul concurrentibus cauſis, & cooperantibus hoc tandem obtinuimus, ne quid ſeveritatis veſtra ſubiret dilectio, cujus hactenus in Eccleſia valuiſſet devotio. Dignum nimirum arbitratus ſum; in omnibus honori veſtro & reverentiæ parcendum, & pro poſſe loco, & tempori providere & conſulere, cum ſanctitatis veſtræ beata dilectio, magno ſe devotæ caritatis nobis obligaverat munere. De cœtero ſicut in mandatum accepimus, denuntiamus, ut ad Concilium v. Kal. Aug. Frideslariæ a prædicto Legato celebrandum, indubitanter veniatis; ne hujus etiam mandati neglector effectus auſterioris ſententiæ decretum, petitione mea nihil amplius prævalente, vobis inducatis. Præterea Ducem F. & C. fratrem ejus & G. Palatinum, & reliquos complices eorum in prædicto Concilio excommunicatos noveritis. Litteras etiam noſtras rogamus, ut fratribus noſtris, Pragenſi ſcilicet, & Moravienſi Epiſcopis dirigatis.

Ex cod. Zwetalenſi; etiam exſtat in Caniſii antiquis Lection. Tom. II.

Anno MCXV. ante feſtum omnium Sanctorum Theodericus S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Epiſcopi & Duces in Frideslar conveniunt, quæ ad honorem Regni & utilitatem ſunt, tractantur *Annal. Hildeheſmenſis Tomo I. Leibnitii Scriptor. Brunsvicenſ. pag.* 739. Aliud Fritislariæ Concilium fuit anno 1118. ante quod Adelbertus hanc Invitatoriam ſcripſit.

FRITESLARIENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI MCXVIII. GELASII II. PAPÆ I. HENRICI V. REG. XIII. IMP. VIII.

Alteram quoque Synodum in Friteslare eadem pro cauſa indixit, qua & habita eandem quam prius excommunicationem confirmavit.

Epiſcopi, Archi-Epiſcopi, Abbates, aliæque multæ perſonæ conſpicuæ, quæ negotiorum ſuorum cauſa ad *Friteslare* (*a*) Concilium coram D. Conone Cardinali Præneſtino Epiſcopo convenerant tractaturi, inito conſilio vocaverunt hominem Dei Norbertum.

Quo præſente cœperunt cum excommuni omnium conſenſu coram præfato Domino accuſantes redarguere, quare videlicet prædicationis officium uſurpaſſet, eosque in ipſa prædicatione quare verbis & convitiis tam acriter inſequeretur, cum a nullo mitteretur, nec eorum Princeps eſſet conſtitutus. Quare inſuper habitum religionis prætenderet, cum in nullo religio & proprietas convenirent? Et qua ratione pretioſas veſtes abjeciſſet, cum mos terræ id non habeat, & maxime apud Nobiles, qualis ipſe erat, ut quamdiu verſantur in ſæculo, agninis ſeu caprinis veſtibus utantur.

Ad hæc omnia Vir ſapiens, a Deo edoctus, ſapienter reſpondebat, dicens: Si de religione impetor, *Religio* (b) *munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas, in tribulatione ſua, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* Si de prædicatione: ſcriptum eſt: *Si quis* (c) *converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ſuam a morte, & operiet multitudinem pecca-*

(*a*) *Urſpergenſis* meminit Norberti in Concilio reprehenſi, ſed id ad Concilium Coloniæ anno 1118. celebratum refert: in quo errat. Etſi enim Concilium Coloniæ circa hæc tempora habitum fuerit. Biographus tamen S. Norberti coævus Canonicus Præmonſtratenſis in Friteslarienſi Concilio accuſationem & defenſionem refert. *Acta Ss. Tomo I. Junii. pag.* 828. *Pagi Crites* corrigit *Urſpergenſem*, uti nos ex Hugone coævo ad 1118. Friteslariæ revocans.

(*b*) Jacobi I, 17. [*c*] Jacobi V, 20.

peccatorum. Si de potestate: datur nobis in susceptione Sacerdotii: cum dicitur: *Accipite potestatem & estote relatores Verborum Dei.*

Si postremo de veste, docet nos primus Ecclesiæ Pastor, quia non in veste pretiosa acceptum est coram Deo: & Joannes Baptista vestitus pilis Camelorum, & Cæcilia, quæ induebatur cilicio ad carnem, & quod his omnibus majus est, Omnipotens Deus protoplasto Adæ in exordio mundi non purpuream vestem, sed pellicem tunicam fecit & dedit.

Taliter igitur invictus adjuvante se gratiâ Divina recessit ab eis, quia non erat conveniens testimonium illorum adversus eum.

Biographus S. Norberti coævus Canonicus Præmonstratensis. vitæ C. IV. apud Bollandistas Acta Ss. Junii Tomo I. pag. 826.

Anno 1118, adivit S. Norbertus portum villæ S. Ægidii, quò GELASIUS Papa electus, Schismaticorum rabiem declinans confugerat, eum adit: veniam ab eodem impetrat, quod duos simul supremos ordines contra Canonum instituta uno die susceperat. Papa visa viri constantiâ & devotione dedit ei licentiam prædicandi verbi Dei, ubicunque terrarum vellet & posset, & idipsum ex sua persona ei præcipiendo injunxit.

Hanc scripto acceptam facultatem Apostolicam a Gelasio Patribus, in Concilio Remensi anni 1119. 20. Octobris celebrari cœpti, admirantibus excellentiam verbi prædicationis, & duritiam, & austeritatem pœnitentiæ ostendit, imò à Papa Callisto II. renovari postulavit, & impetravit. De pœnitentia & vexatione corporis, cum plurimi Patrum eam remittendam postularent, nullam voluit accipere relaxationem. Anno 1126. petente Clero & populo Magdeburgensi successorem in Cathedra, defuncto Rukero, Norbertus ab Episcopis & Rege Lothario eligitur, & Magdeburgum deducitur. *Ex eodem Biographo S. Norberti apud Bollandistas Loc. cit.*

Epistola Commonitoria ad Canonicos Wirzeburgenses, Adelberti Archi-Episcopi Moguntini.

DILECTIS IN CHRISTO WIRZEBURGENSIS ECCLESIÆ FRATRIBUS V. DECANO, CAMERARIO, MAGISTRO SCHOLARUM, ET CŒTERIS EJUSDEM ECCLESIÆ CANONICIS, ADELBERTUS MOGUNTINUS DEI GRATIA, ID QUOD EST, DEBITAM IN CHRISTO SERVITUTEM ET ORATIONEM.

Ecclesia, cui qualiscunque, Deo jubente, deservio, hanc vestram Ecclesiam tamquam mater specialem filiam suam semper fovens & diligens, quantum de profectu suo in Domino ampliori exultat lætitia, tantum, si quid sinistri de ea fama respersit, abundantiori absorbetur tristitia: & merito; nos enim unum in Christo sentire, unum esse debemus, videlicet capiti membra concordare; quod caput Christus est, a quo, qui se demembrat aliquo schismatis, aut hæresis sacrilegio, profecto in æternum peribit. Deus enim noster, *non Deus* (a) *dissensionis est, sed Deus pacis & unitatis*, a quo dissentit, qui a Romana discordat Ecclesia, cui in his, quæ præcepit roborata Sanctorum Patrum auctoritas, non obedire, ariolari est; quod totum quisque tanto sibi perniciosius contemnit, quanto scientius. Si autem contemnens periclitatur, quid ergo dicemus de aliquo, obstinatâ mente contradicente & impugnante evidentissimam & saluberrimam veritatem? de quo comminantis voce Prophetæ dicitur; *Væ qui ponit lucem tenebras, & tenebras lucem, &* (b) *amarum dulce, dulce amarum*, & cætera, quæ terribiliter sequuntur. Quæ & similia vestræ fraternitatis prudentiæ nos recitare, idem est ac si laboremus solis claritatem facibus accensis adjuvare. Proinde Karissimi, ammoneo, & rogo fraternitatem vestram, ut viciniora saluti sentientes sanctæ matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ unitatem diligatis, & sollicitius totam summam & intentionem veteris ac novi Testamenti in hoc constare perpendatis; quod genus humanum Deo per obe-

(a) I. Corinth. XIV, 33.

(b) Isaiæ V, 21.

obedientiam reconciliatur; a quo in primo parente per inobedientiam recessit, & ut destruatur Regnum cupiditatis, & ædificetur regnum caritatis. Adhæc, quia aliqui vestrum proniores esse detecti sunt, quam suæ conveniat professioni, communicare excommunicatis, & defendere eos, quod dolens dico, pene incidistis in grave & intolerabile periculum, nam, ut testificari potest Dominus Heinricus frater vester, qui interfuit Concilio *Fridislariæ* Domini Cardinalis Cunonis, nisi noster pro vobis interventus intercessisset, sententiam excommnicationis incurrissetis, quam ne coram inspectore cordium incurratis, tam moneo vos, quam diligo, vos, qui ex professione laicis debetis esse speculum & fenestræ, per quas solis veri radii immitti debent Ecclesiæ sanctæ.

Ad summam nullus vestrum, Deo teste, sincerius & ardentius diligit & inquirit ea, quæ pacis sunt; quam ego; & sequentes, quod expedit eis, erga Deum & hominem veneror & amplector: alioquin nec ego, nec quilibet sane sapiens, contempto Rege Regum, obsequium vel dilectionem cuiquam debemus impendere.

Denique commonitorias has in præsentiarum caritati vestræ direximus litteras, multum confidentes de vestra correctionis melioratione, sin autem, quod absit, cor & aures obduraveritis, ut nihil in vos durius dicam, cavebo ulterius, per dissimulationem non bonam communicare peccatis alienis. Deus pacis & caritatis, omnium corda vestrûm, in sui amoris affectum accendat.

Ex codice MS. Zwetalensi descripsit Cl. Schannatus b. mem.

Coloniæ Concilium

ANNO CHRISTI MCXIX. CALLISTI II. PAPÆ I. HENRICI V. REG. XIV. IMP. IX.

IN diebus Rogationum Cuno, Prænestinus Episcopus, natione Germanus, Gelasii II. Papæ Legatus, Coloniæ Synodum cum Teutonicis habuit: ubi Imperatoris Henrici excommunicationem omnimodis propalavit.

Urspergensis & Annalista Saxo. Ex quibus Binius Tom. III. Part. II. pag. 459.

Synodus in Monasterio Cornelii ad Indam

IN COLONIENSI ARCHI-DIOECESI. ANNO EODEM.

De legitimo Episcopo Leodiensi Friderico in locum Alexandri Simoniaci depositi substituto.

AUdito, quod post mortem Oberti, Leodiensis Antistitis, Alexander Archi-Diaconus Leodiensis, simulque Præpositus Paulinus & Huensis Henricum Imperatorem adierit, & septem argentearum librarum millia obtulerit, si Episcopatu potiretur: eumque a Cæsare impetravit: Fridericus Metropolita Coloniensis Synodum indicit (*a*) in Monasterio (*b*) S. Cornelii ad Indam, & Leodiensibus edixit, ne Præsulem eum agnoscerent, evocatumque iterum ac tertio cum Primoribus Leodii Canonicorum, ad causam dicendam, postquam non aderat, excidisse pronuntiavit (*c*) jure omni.

Clerus Leodiensis eligit Fridericum Præpositum summæ ædis, qui Rhemos profectus, ubi Callistus II. Synodum celebrabat, & Simoniacos iterum Clerumque damnaverat, ipsius Fridericum consecravit, abjudicatâ Alexandro dignitate.

Friderico Sanctissimo Præsule mortuo anno 1121. Godefridus Lovaniensis Cleri

(*a*) IV. Nonas Septembris.
(*b*) Fullonius Coloniæ habitam primam Synodum, scribit *Tomo I. Histor. Leodiens. p.* 256.
(*c*) *Epistola Synodica Friderici ad Leodienses extat Tomo I. Anecdotorum, uti & Gotescalci Osnabrugensis Suffraganei hanc Simoniam deplorantis. Tomo I. Collect. amplissimæ vet. Monument. pag.* 642.

Cleri & populi Leodienſis animos ſollicitavit pro Alexandro reſtituendo, ſed Colonienſis Archi-Epiſcopus juſſis ad diem dictam in Divi Cornelii cœnobio adeſſe Leodienſium e ſacro ordine Primoribus, poſt biduanam diſceptationem adegit Alexandrum ad fatendam culpam, veniamque poſtulandam, quod conſuetudinem Ducis Lovanienſis non vitâſſet. Unde ab Epiſcopatu petendo abſtinere juſſus, qui biennio vacans manſit.

Chronica S. Trudonis Lib. XI. Spicilegii Dacherii Tom. VII.

Martene & Durand. in Præfatione Collectionis ampliſſimæ Tomi I.

VARII CONVENTUS IMPERATORIS HENRICI V.

ANNO MCXIX. CUM AMICIS ET ADVERSARIIS APUD *TRIBURIAM*, *ARGENTINAM*, APUD *VERDUNUM*, *METAS*, DEMUM APUD *MOSOMUM* CASTRUM, AD QUOD CALIXTUS PAPA è CONCILIO REMENSI CUM LEGATIS VENIT, SED OB INDUCIAS FRUSTRA PROTELATAS REMOS REDIIT, ET V. CANONES PROMULGARI FECIT.

HÆC OMNIA, ANNO 1119. ACTA INTER HENRICUM V. ET LEGATOS PAPÆ, PARASCEVE ERANT CONCORDATI, ANNO 1122. CONCLUDENDI.

VEnerunt ad Regem apud Argentinam (*a*) Epiſcopus Catalaunenſis, & Abbas Cluniacenſis, acturi cum eo de pace & concordia inter Regnum & Sacerdotium, a quibus, cum Rex conſilium quæreret, *quomodo ſine diminutione Regni ſui hoc exequi poſſet*, aſſumptâ parabola ſua reſpondit Epiſcopus: Si veram pacem, Domine Rex, deſideras habere, inveſtituram Epiſcopatuum & Abbatiarum omni modo dimittere te oportet. Ut autem in hoc Regni tui nullam diminutionem pro certo teneas, ſcito me in Regno Francorum Epiſcopum electum, nec ante conſecrationem aliquid ſuſcepiſſe de manu Regis, cui tamen de tributo, de militia, de theloneo, & de omnibus, quæ ad Rempublicam pertinebant antiquitus, ſed a Regibus Chriſtianis Eccleſiæ Dei donata ſunt, ita fideliter deſervio, ſicut in Regno tuo tibi Epiſcopi deſerviunt, quos huc uſque inveſtiendo, hanc diſcordiam, immo anathematis ſententiam, incurriſti. Ad hoc Rex elevatis manibus hoc reſponſum dedit: *Eja*, inquit, *ſic fiat, non quæro amplius.* Tunc ſubjunxit Epiſcopus: *Si igitur inveſtituras dimittere volueris, & poſſeſſiones Eccleſiarum, & eorum, qui pro Eccleſia laboraverunt, reddere, & veram pacem eis dare; laborabimus, Deo opitulante, huic contentioni finem imponere.* Quæ omnia Rex communicato cum ſuis conſilio, ſe proſecuturum promiſit, ſi fidem & juſtitiam apud Dominum Papam inveniret, & ſi veram pacem ipſe, & ſui, & poſſeſſiones, quas pro Werra iſta amiſerant, reciperent. Quibus auditis Epiſcopus certum ſe fieri ſuper denominatis capitulis poſtulavit, tum ut labor eorum non eſſet inutilis, tum ut Dominum Papam ad exequendam pacem facilius inclinarent. Tum Rex propria manu ſub teſtimonio Fidei Chriſtianæ in manu Epiſcopi & Abbatis firmavit, ſe præfata capitula ſine fraude proſecuturum. Poſt eum Epiſcopus Lauſannenſis, & Comes Palatinus, & cæteri Clerici & laici, qui cum

(*a*) Catalaunenſis Epiſcopus, & Cluniacenſis Abbas, apud Argentinam anni MCXIX. Henricum V. Imperatorem convenientes, multis rationibus obtinuerunt, ut omnibus, quæ ſibi imponerentur juxta Senatus conſultum Procerum Regni ſatisfacturum ſe ſponderet, & per omne Regnum unicuique ſuis rebus ſpoliato, propria concedi præciperet. *Annaliſta Saxo apud Eckbart. Tomo I. Corporis Hiſtoric. Germaniæ.*

Idem promiſerat hoc anno Imperator apud Triburiæ Conventum feſto S. Joannis Baptiſtæ, idem promiſerat circa Novembrem in Rhenanis partibus, audito amicorum & adverſariorum conſilio.

cum eo erant, hoc idem firmaverunt eodem modo. Acceptâ ſecuritate Epiſcopus & Abbas Domino Papæ *Pariſiis* occurrerunt, quæ viderant, & audierant, fideliter intimarunt, quibus applaudens Dominus Papa ſic reſpondit: *Utinam jam factum eſſet, ſi ſine fraude fieri poſſet!* Mox communicato cum Epiſcopis & Cardinalibus conſilio, eosdem, & cum eis de latere ſuo (Lambertum) Epiſcopum Oſtienſem, & Gregorium Cardinalem ad Regem remiſit, ut præfata capitula diligentius retractarent, atque ſcripto ex utraque parte firmarent. Et ſi hoc, ſicut promiſerat, exequi vellent, diem, quâ iſta complerentur, ante finem Concilii denominarent. Venientes ad eum, VIRDUNUM & METIM ei occurrerunt, quod Dominus Papa eum libenter reciperet, ſi promiſſum exequi vellet, retulerunt. Super quo quaſi gaviſus Rex, quod prius apud ARGENTINAM in manu prænominatorum firmaverat; iterum inibi in manu Epiſcopi Oſtienſis, & Gregorii Cardinalis, & Epiſcopi Catalaunenſis, & Abbatis propria manu firmavit, quod videlicet in proxima *VI. feria*, id eſt, Nono Kal. Novembris capitula, quæ ſequenti ſcripto continentur, apud MOSOMUM in præſentia Domini Papæ fideliter ſine omni fraude exequerentur. Poſt eum hoc idem juraverunt Dux Welph, Comes Beringarius, Comes Palatinus, Comes Wilhelmus, & alii Principes, Epiſcopi, Clerici, Laici multi. Exegit etiam ipſe a noſtris eodem modo firmari ſibi, quod, ſi in ipſo non remaneret, eodem die Dominus Papa, quæ in ſcripto ſuo continentur, adimpleret. Scriptum autem concordiæ hoc fuit:

EGo HENRICUS, Dei gratia, Romanorum Imp. Auguſtus, pro amore DEI & B. Petri, & Domini Papæ Calixti, dimitto omnem inveſtituram omnium Eccleſiarum, & do veram pacem omnibus, qui, ex quo diſcordia iſta cœpit, pro Eccleſia in Werra fuerunt, vel ſunt: poſſeſſiones autem Eccleſiarum, & omnium, qui pro Eccleſia laboraverunt, quas habeo, reddo: quas autem non habeo, ut rehabeant, fideliter adjuvabo. Quod ſi quæſtio inde emerſerit, quæ Eccleſiaſtica ſunt, canonico; quæ autem ſæcularia ſunt, ſæculari terminentur judicio.

Item Reſcriptum D. PAPÆ.

EGo CALIXTUS II. DEI gratia Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus Catholicus, do veram pacem Henrico Rom. Imp. Auguſto, & omnibus, qui pro eo contra Eccleſiam fuerunt, vel ſunt: poſſeſſiones eorum, quas pro Werra iſta perdiderunt, quas habeo, reddo, quas non habeo, ut rehabeant, fideliter adjuvabo. Quod ſi quæſtio inde emerſerit, quæ Eccleſiaſtica ſunt, canonico, quæ autem ſæcularia ſunt, ſæculari terminentur, judicio.

Hac itaque data, & accepta ſecuritate, feſtinanter ad Dominum Papam (*b*) REMIS redierunt, quæ fecerant, & quæ a Rege & a ſuis receperant, ante Concilium reportantes, ſimul & diem & locum colloquii deſignantes. Dominus Papa in Generali Concilio XIII. Kal. Novemb. Remis reſidens, inter cætera ſic exorſus eſt: *Domini Patres & Fratres: Cauſa pro qua vos de terra longinqua & remotis Regionibus ad Concilium vocavimus, hæc eſt: Scitis, quamdiu Romana Eccleſia contra diverſas hæreſes laboravit, & ſicut per Beatum Petrum, cui ſpecialiter dictum eſt a Domino:* Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. *Simon Magus judicio Spiritus Sancti ab Eccleſia Dei eliminatus periit, ſic uſque ad noſtra tempora, id eſt, per vicarios ſuos ſequaces Simonis expugnare, & ab Eccleſia Dei exſtirpare non deſinit. Ego quoque qualiscumque, licet indignus ejus Vicarius, Simoniacam hæreſim, quæ maxime per inveſtituras contra Eccleſiam Dei innovata eſt, ab Eccleſia Dei, opitulante Deo, veſtro conſilio & auxilio, modis omnibus eliminare deſidero: unde, ſi placet, a fratribus noſtris, qui inter nos & Regem, dictum Theutonicum, verba concordiæ portaverunt, ordinem cauſæ diligentius audiatis, & quid nobis ſuper his agendum ſit, unusquisque pro modo ſuo, quia cauſa communis eſt, prudentiori conſilio attendatis.* Tunc Dominus Papa Oſtienſi Epiſcopo injunxit, ut univerſo Concilio *latinè* cauſæ ordinem exponeret. Quod cum prudenter Epiſcopus Oſtienſis peroràſſet; iterum Catalaunen-

(*b*) Synodus Remenſis circa Feſtum S. Luciæ 1119. indicta, cui Adelbertus Moguntinus, & multi Germaniæ Epiſcopi interfuerunt.

launensis Episcopus ex præcepto Domini Papæ hoc idem Clericis & Laicis *materna lingua* exposuit. Quo completo multa capitula illo die & sequenti proposuit, & usque ad finem Concilii universa complenda distulit. Sequenti vero die, cum in hoc consilium Episcoporum sedisset, ut Dominus Papa ad diem colloquii pro componenda pace accederet, & utrum in veritate homo ille ageret, per semetipsum tentaret, circa finem Concilii illa die Domnus Papa sic prosecutus est: *Domini Patres, & Fratres: Scitis, quamdiu mater nostra Ecclesia contra Simoniacam hæresim, maxime, quæ per investituras fit, in partibus nostris laboraverit, & quia placuit omnipotenti Deo, nostris diebus Ecclesiæ suæ pacem offerre, & jam proxima dies colloquii ad ipsum locm crastina die nos compellit accedere, summopere rogamus, ut reditum nostrum patienter sustineatis, & si Deus pacem nobis dederit, commune gaudium universo mundo annuntietis. Si autem, quod Deus avertat, adversarius nobiscum agere tentaverit, festinanter ad vos revertemur, & sicut conventionem pacis, si fiat vobiscum, & per vos confirmare, sic in commentatorem fraudis, si infidelis evaserit, judicio Spiritus Sancti, & vestro, gladium sancti Petri vibrare tentabimus.* Quod cum sub obtentu obedientiæ Archi-Episcopis, Episcopis & Abbatibus injunxisset, præcepit etiam, ut interim, & maxime die colloquii Psalmos, orationes, & sacrificia spiritualia Deo offerrent, & a majori Remensi Ecclesia usque ad Ecclesiam beati Remigii cum processione nudis pedibus exirent. Sic interim dimisso Concilio feria IV. Dominus Papa ad locum colloquii exiit, & feria quinta cum multis vix cum maximo labore pervenit. Feria VI. vocatis in cameram Archi-Episcopis, Episcopis, Abbatibus, & cœteris sapientibus viris, quos multos secum duxerat, coram omnibus fecit legi, utrumque scriptum concordiæ. Cumque lectum fuisset, scriptum Regis diligentius ceperunt Episcopi retractare, maxime illud capitulum, ubi dicebatur: *Dimitto omnium investituram omnino Ecclesiarum:* dicentes: siquidem Rex simpliciter agit, verba ista sufficiunt: si autem sub hoc capitulo aliquid cavillare conatur, determinatione nobis videntur indigere, ne forte aut possessiones antiquas Ecclesiarum sibi conetur vendicare, aut iterum de eisdem Episcopos investire. Rursum in scripto Domini illud diligentius retractabant, ubi dicebatur: *Do veram pacem Regi, & omnibus, qui cum eo in Werra ista fuerunt vel sunt,* ne forte in danda pace plus intelligerent, quam reddendam communionem Ecclesiæ, & sub hoc verbo Ecclesia cogeretur suscipere, quos aut superpositos legitimis pastoribus, aut canonice depositos, sine gravi offensione non posset sustinere. Diligenter igitur omnibus retractatis, missi sunt ad castra Regis Episcopus Ostiensis, Joannes Cardinalis, Episcopus Vivariensis, Episcopus Catalaunensis & Abbas Cluniacensis, & alii multi cum eis, portantes scripta in manibus. Cumque pervenissent ad castra, ostenderunt scripta, determinaverunt capitula, prout omnium communi consilio diffinitum erat. Rex autem his auditis, prima fonte se nihil promisisse horum omnino abnegabat. Tunc Episcopus Catalaunensis zelo Dei inflammatus, & gladio verbi Dei accinctus respondit pro omnibus: *Si Domine Rex, negare vis scriptum, quod tenemus in manibus, & determinationem, quam audisti, paratus sum sub testimonio Religiosorum virorum qui inter me & te fuerunt, jurare super reliquias Sanctorum, & super Evangelium Christi, te ista omnia in manu mea firmasse, & me sub hac determinatione recepisse.* Cumque omnium testimonio vinceretur; tandem compulsus est confiteri, quod prius negaverat. Veruntamen conquerebatur de eis graviter, quia licet eorum consilio promiserit; *absque diminutione Regni exequi non valeret.* Cui sic Episcopus respondit. " In promissis nostris Domine Rex per omnia " nos fideles invenies. Non enim Do" minus Papa statum Imperii, aut " coronam Regni, sicut quidam semina" tores discordiæ obloquuntur, in quoli" bet imminuere attentat: immo pa" lam omnibus denuntiat, ut in exhibi" tione militiæ, & in cœteris omnibus, " in quibus tibi & antecessoribus tuis " servire consueverant, modis omnibus " deserviant. Si autem in hoc Imperii " statum imminui existimas, quod ul" terius tibi Episcopatus vendere non li" ceat; hoc potius Regni tui augmen" tum ac profectum sperare debueras, " si, quæ Deo contraria sunt, pro ejus

" ejus amore abjicias." Ad hæc omnia cum reſpondere non poſſet, mitiora verba cœpit proferre, & inducias quærere, vel uſque mane, dicens, *ſe nocte* illa *cum principibus velle de cauſa conferre*, & *ad exequendum promiſſum ſi poſſet, eorum corda inflectere*, & *ad alterutrum ſummo mane renuntiare.*

Poſt hæc ſui de modo abſolutionis & ſuſceptionis, cum noſtris ceperunt conferre. Durum ſibi, immo importabile videri, ſi more aliorum Dominus ſuus nudis pedibus ad abſolutionem accederet. Quibus condeſcendentes noſtri reſponderunt, quod modis omnibus laborent, ut Dominus Papa eum calciatum, quanto privatius poſſet, reciperet. In his verbis illa die colloquio terminato, noſtri ad Dominum Papam redierunt, quæ invenerant, reportantes. Tunc Dominus Papa quaſi jam de pace deſperans ordinabat ſummo mane ad fratres, quos Remis reliquerat, repedare. Sed conſilio Comitis Trecenſis & multorum aliorum compulſus eſt, ſabbatho fere ad horam VI. in eodem loco manere, & ut omne os adverſariorum obſtrueret, & vocem derogationis omnibus auferret. Summo mane iterum miſſi ſunt ad caſtra Epiſcopus Catalaunenſis, & Abbas Cluniacenſis, ſuper inducias acceptas reſponſum ejus audituri. Cumque illuc perveniſſent, ſicut pridie fecerat, repræſentavit Epiſcopus ſcripti veritatem, cum atteſtatione Sacramenti dicens: heri quidem, Domine Rex, cum juſtitia poſſemus a te recedere, quia die denominato parati fuimus, & promiſſum tuum tuum recipere, & noſtrum implere; verum quia tu inducias petendo, uſque in hanc diem diſtuliſti, nolumus, ut propter intervallum unius noctis, tantum bonum in nobis remaneat, & ſi hodie promiſſum tuum exequi volueris, paratus eſt adhuc Dominus Papa, quod per nos tibi promiſit, modis omnibus adimplere. Tunc Rex iratus iterum inducias cœpit quærere, donec generale colloquium cum Principibus Regni poſſet habere, ſine quorum conſilio inveſtituras non audebat dimittere. Ad hæc Epiſcopus, *quia ſæpe inducias quærendo, quæ promiſiſti, implere diſſimulas, nihil nobis & tibi amplius. . . Revertar ad Dominum Papam.* Sicque inſalutatus rediit, quæ invenerat, nuntiavit. Mox ergo Dominus Papa cum ſuis ad aliud caſtrum Comitis Trecenſis cum ſumma feſtinatione tranſivit, Rex autem nuntium ad Comitem direxit ſummopere rogans, ut Dominum Papam inibi die Dominico detineret, promittens ſe facturum modis omnibus feria II. quod totiens abnegaverat: Quod cum ad Dominum Papam delatum fuiſſet, communicato cum ſuis conſilio hoc breve dedit reſponſum: Feci, fratres, pro deſiderio pacis, quod ab Anteceſſoribus noſtris nunquam factum audivi: Generalem Synodum congregatam, & fratres multos, quaſi deſolatos, reliqui: ad hominem iſtum cum labore multo perveniens, quæ pacis ſunt, in eo, non invenio, unde nullatenus eum ulterius exſpectabo, ſed ad fratres noſtros, & ad Concilium, quantocius potero, regrediar. Si autem in Concilio, vel poſt Concilium, veram pacem Deus nobis obtulerit, paratus ero ſuſcipere, & amplecti. Die Dominica de eodem loco ante diem exivit, & cum tanta feſtinatione Remis uſque currit, ut XX. leugis conſummatis, eadem die Miſſam Remis celebraret.

Ex Commentariolo Heſſonis Scholaſtici, de Tractatu Pacis inter Calliſtum II. & Henricum V. edito a Gretſero, Tomo VI. novæ editionis pag. 530. *ad quem Commentariolum Urſpergenſis, & Annaliſta Saxo remittunt volentes diſcere hiſtoriam Concilii Remenſis anni* 1119.

Cætera Synodi Remenſis non ſpectant ad Concilia Germaniæ, ſed ad Concilia Galliæ.

SYNO-

SYNODUS HALBERSTADENSIS

Anno Chrifti MCXX. Callifti II. Papæ II. Henrici V. Reg. XV. Imp. X.

Reinhardi, Epifcopi Halberftadenfis, Diploma Fundationis Monafterii Schœningenfis S. Laurentii.

IN Nomine DEI Omnipotentis. REINHARDUS B. Stephani Proto-Martyris devotus famulus, fanctæ Halberftadenfis Ecclefiæ Divina gratia Antiftes. In inftituendis ac firmandis fanctæ Ecclefiæ, Juftitiæ, & Religionis incrementis Epifcopali præcipue decet providere vigilantia. Unde quamvis Matris Ecclefiæ ruinas frequenter multiplicari videamus, & eis, peccatis noftris exigentibus, pro debito noftro ad occurrendum per omnia minime fufficiamus; Divinâ favente tamen gratiâ fufceptum in his officii noftri minifterium pro poffe noftro recogitare ftudebimus. Notum igitur facimus præfentibus, & cunctis retro futuris S. Ecclefiæ fidelibus filiis, quod nos in Ecclefia nobis credita inordinata corrigere, & correcta fideli devotione perfequi cupientes, quandam Sanctimonialium congregationem apud villam Schœningen inftitutam, fed inutiliter & fine fructu fanctæ religionis, omnisque honeftatis dies fuos deducentem, communicato fidelium Ecclefiæ noftræ confilio, removimus, & Fratres juxta traditionem Regulæ *B. Auguftini* vitam ducentes, illis fubftituimus. Quia vero prioris Clauftri loca ad conftruenda domicilia Congregationis inconvenientia vidimus, fidelibus Ecclefiæ noftræ confulentibus, in curiam noftram, quam in fuperiori parte ejusdem villæ habuimus, ipfum clauftrum utilitatis, & commodorum gratia tranftulimus, antiquam tamen Ecclefiam cum bonis, prædiis, omnibusque juftitiis fuis in poteftatem & fubjectionem Congregationis perpetua ftabilitate concedentes. DEI igitur Omnipotentis auctoritate, Sanctæque Scripturæ præceptis informati ftatuimus, & firmando præcipimus, ut regularis profeffionis ordo ibidem, Divina favente gratia, incommutabiliter perfeveret, nullusque poft factam ibi profeffionem fine Præpofiti, totiusque Conventûs licentia abcedere, feu ad aliam vitam & ordinem præfumat transmigrare. Patre quoque ejusdem Ecclefiæ obeunte, vel decedente, nemo ibi violenter, feu alio quolibet malo conamine præficiatur. Sed unanimitate & concordia fratrum fana integraque perfiftente, electionis eis firma permaneat libertas, videlicet, ut de eodem clauftro, aut aliunde, fi opus eft, ejusdem tamen profeffionis in paternitatis officium idonea perfona fumatur. Cæterum pro removenda omnis infeftationis moleftia decernimus, ut omnia ejusdem Ecclefiæ prædia, in villis, agris, filvis, pratis, & molendinis, falva femper, & illibata permaneant, pro ibi famulantium ufibus debita commoditate proventura. Tres quoque manfos noftri juris in eadem villa fitos, omnemque decimam eorum profeffionis ex eadem Schœningenfi villa ad nos pertinenti, in eorum fuftentationem, obtentu Divinæ indulgentiæ, concedimus, ftatuentes, ut tam hæc, quam omnia, quæ vel per nos, noftrosve fucceffores, aut per alios fideles, congrua & jufta acquifitione quoquo modo in futurum confecuti fuerint; fine omni gravaminis importunitate fub eorum ditione permaneant; Apoftolica itaque traditione, pro auctoritate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ftatuimus, ut eandem Ecclefiam ad officium Divini cultus informatam nemo unquam hominum temeraria fatigatione, aut exactione inquietare vel ejus paffiones diripere, auferre, vel ablatas retinere, ullo modo præfumat, fed in pace & tranquillitate religionis fecura femper & libera confiftat. Si quis ergo huic noftræ inftitutionis fcripto pertinaciter obviare præfumpferit, nifi celeri, & digna correctione refipuerit, a vifceribus Matris Ecclefiæ fine dilatione feque-

sequestratus, Divino judicio plectendus subjaceat. Omnes autem eandem Ecclesiam in pace, & quiete foventes, ejusque profectum fideli congratulatione prosequentes; pretiosa Beati Laurentii Martyris oratio, & gratuita Domini Dei nostri Benedictio semper tueatur. Amen. Hæc itaque statuta, & decreta, ut firma semper, & illibata permaneant, in verbo Dei Omnipotentis, & B. Petri Apostoli auctoritate, vinculo anathematis interposito præcipimus, & sigilli nostri impressione inviolabiliter consolidamus. In hujus condonationis testimonium interfuerunt ELFERUS majoris Ecclesiæ Præpositus, Fridericus Decanus, Conradus Camerarius, Elferus Abbas de Hilesineburg, Thietmarus ejusdem Schœniggensis Ecclesiæ Præpositus, Fridericus, Comes Palatinus, ejusdem loci advocatus, cum aliis quam plurimis fidelibus. Data in Halberstad XV. Kal. Novemb. *in publico Concilio.* Incarnationis Dominicæ Anno MCXX. Indict. XIII. Præsulatus Domini Calixti PP. anno II. Ordinationis Venerandi Domini Reinhardi Episcopi XIII. feliciter. Amen.

Lunig. Spicilegii Ecclesiastici Parte II. Appendice N. XXV. pag. 30.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

Anno Christi MCXXI. Callisti II. Papæ III. Henrici V. Regis XVI. Imp. XI.

Reinhardi, Episcopi Halberstadensis, Confirmatio Monasterii Schœningensis in Diœcesi Halberstadiensi.

IN Nomine Sanctæ; & Individuæ Trinitatis; Reinhardus Dei gratia sanctæ Halverstadensis Ecclesiæ dictus Episcopus; beati Stephani Protomartyris humilis & devotus famulus, omnibus Christi fidelibus, tam futuris, quam præsentibus in perpetuum. Gratia vobis, & pax impleatur. Officii nostri debitum expostulat, nos Religiosos viros, fratres nostros, regulam B. Augustini professos; in contemplatione vitæ, dulcedine quiescentes, cum Maria ad pedes Domini sedentes, & verbum illius, optimam partem, etiam eligentes paterno caritatis affectu diligere, & cum Martha in activæ vitæ labore piam pro eis sollicitudinem gerere, & eos per omnia in suis opportunitatibus pro posse nostro confovere: & cum per Apostoli præceptum operari bonum ad omnes doceamur, maxime tamen domesticis fidei, Apostolicæ utique vitæ imitatoribus assistere informamur. Ea propter notum esse cupimus omnibus Christi fidelibus, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem, quod Schœningensis Cœnobii novellam plantationem quarundam sanctimonialium, ob inutilem earum conversationem, remotionem loci etiam, in quo manebunt, necessariam mutationem, & cætera, quæ literis prioribus adnotavimus, & posterorum memoriæ transmisimus, rata esse censemus, cum aliquid eorum, quæ scripta sunt, immutamus, ut videlicet regulæ B. Augustini Canonica professio in eodem loco in perpetuum permaneat, nullusque post factum inibi votum absque licentia Capituli recedere audeat. In statuendis etiam Præpositis canonicæ electionis libertas firma perduret; Prædia fratrum, quæ prius Sanctimoniales illæ possederunt, & quæ postmodum adjecimus, nullus temere invadat, ipsos & bona eorum tuentes, Dei omnipotentis gratia custodiat, & persequentes eos ultio Divina percellat. Præsentem paginam posteritati fidelium scribimus, inque locum quendam, qui calvo dicitur juxta in .... Tulonem situm, in quo felicis memoriæ *Oda* Comitissa, Regia stirpe orta, sanctimonialium congregationem pio voto collocaverat, sed peccatis exigentibus malorum hominum sæpius desolatus est, cum universis allodiis, quæ illi attinebant, Schœningensium fratrum utilitati Episcopali auctoritate delegamus. Eundem etiam locum, & om-

& omnia ad ipſum aliquando attinentia omnium hominum poteſtati , & uſui , anathemate interpoſito , abdicamus; Divina quoque illic celebrari , locumque ipſum ab aliquo incoli , niſi voluntate Schœningenſis Præpoſiti ; & fratrum ejus , nullius præſumptioni aſſenſum damus. Nullus etiam ſucceſſorum noſtrorum , nec aliqua prorſus Eccleſiaſtica , ſecularisve perſona annorum eorum centum & jus . . . . qui eis ſerviunt , & antiqua traditione uſque ad nos ſtatutum pro decimis addere , vel minuere vel mutare præſumat. Præterea , quem vulgato nomine advocatum vocant , Præpoſitus & fratres eligant , & ſi plus juſto forte importunus eſſe voluerit , Epiſcopali authoritate alium magis idoneum illi ſubſtituant.

Hæc autem ſunt prædia , quæ Venerabilis Matrona , & ejuſdem loci Abbatiſſæ aliquæ illi cœnobio contulerunt. In villa , quæ dicitur Hergrimeſtorp XVIII. areæ , cum decem , & novem manſis. In Helmerichſtorp XV. areæ cum duodecim manſis. In Suammere XII. manſi , & dimidius , & XV. areæ. In Luckestorp XI. areæ , & octo manſi. In Rodensleve XII. & XVI. areæ. In Geroldeſtorp VII. areæ , cum V. manſis. In Iggersleve II. & totidem manſi. In Helleſſe III. manſi & VII. areæ cum adjacente ſylva. In Budenſtedo I. manſus , & I. area. In Dalwersleve I. manſus & area. In Edentorp manſus & area. In Ballinge VI. manſi & X. areæ. In Suardeleſe VII. cum tot manſis. In Bulſtringe II. areæ & totidem manſi. In Bindorp III. areæ & duo manſi, & dimidius. In Bouga manſus, & area. Esleſtede & Akendorp juxta Gardeleve cum omni utilitate , in ſylva , qua Heineiſſe dicitur, & his contigua eſt participatio. Otologe cum omnibus attinentiis. Luiduine dimidia cum omni utilitate. Schirinbeche ex integro , exceptis duobus manſis noſtri juris , quos etiam beato Laurentio in Schœninge contulimus. In Hierenrode manſus , & area. In Allende tres manſi & dimidius , & duæ areæ. In Banisleve manſus , & area. In Udenheim III. manſi & dimidius cum tot areis. Juxta Bardewik in Mechtenhuſen unum panſtale & dimidium. In Bekenhuſen qui ſolvunt XXIV. ſolidos. In villa Schœninge XXII. areæ, & VII. manſi cum pratis & uſibus ſylvarum , & utilitate ſalis , & molendinum in ſuperiori parte ejuſdem villæ. Præterea omnia prædia Parochialis Eccleſiæ beati Stephani protomartyris in eadem villa , quæ fratrum uſibus aſſignavimus. Has itaque poſſeſſiones , quas præſens pagina continet , quas videlicet ſupra dicta nobilis fœmina , & aliæ Abbatiſſæ & reliqui fideles , juxta donationem priori loco delegaverunt in villis & locis deſertis , in campis & ſylvis , in agris cultis & incultis , in vineis & vinetis , in arbuſtis , & arboribus , in pratis & paſcuis , in aquis & aquarum decurſibus , in molis & molendinis , in piſcationibus , & venationibus , in exitibus , & reditibus , in viis & inviis , in acquiſitis , & acquirendis , vel etiam eas , quæ aliquorum violentiâ cœnobio ſubſtractæ ſunt , in ipſo ſub patrocinio beati Laurentii Deo famulantium uſibus hoc teſtamento aſſignamus , & ne in poſterum inquietorum temeraria præſumptione auferri debeant , ſigillo noſtro , quæ ſcripta ſunt , roboramus.

In Nomine etiam Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli , poteſtate quoque Domini Calixti ſummæ Sedis Pontificis , & banno noſtro Schœningenſi Monaſterio , & omnibus in eo merita beati Laurenti devote venerantibus , & eorum poſſeſſionibus , quas in præſenti juſte poſſident , & in futurum conceſſione Pontificum , largitione Regum , liberalitate Principum , oblatione fidelium , ſeu quibuslibet modis adipiſci poterunt , æterna pace firmamus , & hanc ab omnipotentis Dei miſericordia perpetuam eis imprecamur , & optamus. Si quis igitur , ſciens hæc ſtatuta noſtra contraire tentaverit , & fratres noſtros , & bona eorum in aliquo infeſtare præſumpſerit , non ſit ei hæreditas in Regno Chriſti & Dei , ſed abſciſſus ab unitate Corporis Eccleſiæ , nec reſurgat in Concilio juſtorum , ſi non agnoſcens reatum ſuum reſipuerit , & pro temeritatis auſu Patri Cœnobii & Fratribus ſatisfecerit. Omnes autem eidem loco , & Deo in ipſo ſervientibus , quæ juſta ſunt , deferentes , & tam ipſos , quam bona eorum pace proſequentes , & defendentes , gratuita Dei Omnipotentis

misericordia præveniat, & subsequatur, & gloriosa B. Laurentii incliti Martyris intercessio tueatur. Amen.

Hujus paginæ Testes sunt hi: Elverus majoris Ecclesiæ Præpositus, Gerardus Decanus, Martinus Custos, Conradus Camerarius, Martinus Abbas Hilsiniburgensis, Alfrinus Hugerburgensis Abbas, Gerhardus Præpositus S. Johannis in civitate, Thietmarus Præpositus Schœningensis cœnobii, Fridericus Palatinus Comes junior, Rudolphus Marchio, Adelbertus Comes de Wernigerode, Beringerus Advocatus majoris Domûs. Willerus Præfectus in civitate, Engilmarus Vice-Dominus, Eberhardus Advocatus Schœningensis Cœnobii, & alii quamplures Nobilium & Ministerialium. Actum Halberstad, anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo vigesimo primo, Indict. XIV. *in publica Synodo*, in festo Lucæ Evangelistæ. Præsulatus Domini Calixti Papæ III. Regnante Henrico V. Romanorum Imperatore Augusto. Anno Ordinationis Domini Reinhardi Episcopi XIV. feliciter. Amen.

Lentzen in Antiquitatibus Halberstadensibus Diplomate 66. *pag.* 712.
Lunig Spicilegii Ecclesiastici Parte II. Appendice N. XXVI. pag. 31. 32.

SYNODUS GENERALIS TULLENSIS DIOECESANA

Anno Christi MCXXII. Callisti II. Papæ IV. Henrici V. Regis XVII. Imp. XII.

Sub Riquino Episcopo, confirmante Prioratum S. Dodonis Martyris, Monasterio S. Mansueti donatum & dotatum a variis, consecratum a Pibone antecessore.

IN Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Requinus Dei misericordia sanctæ Tullensis Ecclesiæ Minister, & servus, universalis Christianæ professionis cultoribus. Commutare feliciter pro terrenis cœlestia, pro perituris æterna, felix est ante Dominum sinceræ intentionis affectus, quem feliciori piæ devotionis studio felicissimus bonæ operationis comitatur effectus. Nos autem, quibus præcipue ad lucrum commissa sunt Dominicæ talenta pecuniæ, segnioribus convenit imitandos proponere, quos perseveranti animo in bono proposito probamus, & amplectimur, instantius permanere. Ad exemplum itaque imitationis notificamus præsentibus, & posteris, quoniam instinctu Theomari Abbatis sancti Mansueti, dilecti filii nostri, venerunt ad nos vir illustris Widricus de Domna Basula, cum filio suo Theodorico, & Ida venerabilis matrona cum Haymone filio, dederuntque per manum nostram SANCTO MANSUETO Ecclesiam in proprio constructam alodio, consecratam in honore SANCTI DODONIS MARTYRIS a Domno Pibone Pontifice, felici prædecessore nostro. Atrium siquidem ejusdem Ecclesiæ, quod eatenus angustius erat, idem Pontifex ex propria terra, quam juxta habebat, dilatavit, determinavit limitibus, & cimiterium benedixit. Eandem siquidem Ecclesiam Haymo & Theodoricus Baudus de Domna Basula progenitores eorum ex propriis sumptibus dedicari fecerant, duosque terræ Quartarios ad dotem Altaris contulerant, Pontificali authoritate a prædicto Præsule, concessâ sibi & hæredibus suis libera potestate, ut VIII. tantum nummos Sancto Protho-Martyri pro censu persolverent, & cuicumque Ecclesiæ vellent nostræ duntaxat Diœcesis, eam libere & absolute sicut liberam contraderent.

Nostris denique temporibus prædicto Widrico & Ida, hæredibusque eorum supplicantibus constituimus, ut prænominatus Abbas SANCTI MANSUETI in sua eam providentia susciperet, & quidquid habebat sanctus Mansuetus in villa de Domna Basula, ad præbendam fratrum inibi degentium converte-

verteret & augeret. Enimvero Drogo de Strena dederat ſancto Manſueto VII. terra Quartarios, & dimidium, in termino de Domna Baſula, & portionem, quam habebat in eadem Eccleſia, integram videlicet decimam hominum ad ſe pertinentium, & partem decimarum, quam accipiebat ab hominibus ſancti Gorgonii, qui morantur in eadem villa. Dedit etiam Albertum cum uxore & filiis, & aſlulſum, & VI. virgas molendini, & communem uſum in aquis, ſylvis, & paſcuis, inſiſtente propemodum Abbate. Prædicti Widricus & Ida, & hæredes eorum, quædam jugera atrio ſancti Dodonis contigua, ſancto Manſueto contulerunt, & ad conſtruenda ædificia translata eminus publica ſemitâ ambitum loci dilataverant.

Adjecerunt præterea quidquid habebant in Eccleſia de Domna Baſula in decimis, tam de proprio alodio, quam de externis hominibus, oblationibus & heleemoſynis; conductum etiam Presbyteri, & medietatem eulogiarum matricularii. Prædicti viri Widricus, & Theodoricus filius ejus, Ida, Haymo, Rodulfus & Ermentrudis hæredes ejus, Gerardus de Vitrimont, aſſenſu uxoris ſuæ Leuchardis, & Herimanni filii ſui, aliorumque hæredum ſuorum, dederunt nobis portiones vinearum & manſuum, ſicuti poſſidebant. Dedit etiam Haymo nobis pro anima Rodulfi fratris ſui, ſcabellum vineæ, quod in vicino poſſidebat, & tres partes terræ incultæ, quam in rivulis habebat.

Aſſentientibus deinde Dominis totius alodii, & miniſterialibus conceſſum, ut tam fratres loci, quam univerſi advenæ vel indigenæ, qui devotione ſancti ibidem ad manendum convenirent, reliquorum hominum more, ejuſdem villæ in paſcuis, ſylvis, aquis communem uſum haberent, nec propter hoc reſpectum aliquem ſervitii vel conſuetudinis vel Dominis vel miniſtris exhiberent. Hoc igitur piæ devotionis inſtitutum, ut inviolabile perſiſtat, ſub anathemate Pontificali authoritate firmavimus, ſignis etiam & teſtimonio noſtrorum fidelium roborandum contradimus. Signum Theomari Abbatis ſancti Manſueti. Sign. Petri Abbatis S. Apri. Sign. Stephani Archidiaconi. Sign. Haymonis Archidiaconi. S. Hugonis Rufi Archidiaconi. Sign. Hugonis Gundricurtenſis Arcidiaconi. Sign. Hugonis albi Archidiaconi.

Confirmatum eſt teſtamentum hoc *in Generali Synodo* anno ab Incarnatione Domini MCXXII. Indict. XV. Epacta XI. Concurrente VI. Ordinationis noſtræ XV. Regnante per ſæcula Domino JEſu Chriſto.

Calmet. Hiſtoriæ Lotharingiæ Tom. IV. Probationum pag. CCLXVIII. CCLXIX.

CONCILIUM WORMATIENSE

Anno Chriſti MCXXII. Calliſti II. Papæ IV. Henrici V. Regis XVII.

Præparatoria ad Concilium anni 1122. *menſe Septembri habendum, indictum Wirceburgi, ſed Wormatiæ celebratum.*

ANno MCXXI. fiebant per omnes Eccleſias jejunia, ſupplicationes, vel litaniæ, nec erat ulla filia Sion, quæ ſe faceret expertem tanti periculi matris ſuæ. Quapropter reſpexit Dominus in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum: ſed miſſo principali Spiritu ſuo, Spiritu conſilii & pacis, inter Principes utriusque populi (*Henrico V. vel Calixto II. addicti*) miſſis utrimque quibusdam Sapientiſſimis atque Religioſis Proceribus, de concordia honorabiliter tractare cœperunt. Quid plura? Eousque Spiritus JEſu, pro pretio ſanguinis filii ſui, filiisque ſponſæ ſuæ dimicans, ſpiritui ſuperbiæ prævaluit: ut mentibus univerſorum, in uno Divinæ voluntatis aſſenſu connexis ipſorum conſilio, ſuaſione & obſecratione, Regis indignatio in tantum mitigaretur; ut ipſe præſens negotium non ſuo, ſed Optimatum utriusque partis arbitrio terminandum decreverit

verit. Inde rerum omnium gubernatori cunctis gratias agentibus denominati sunt ex utraque parte XII. Primates, quorum corda timor Dei possidens, inveteratam discordiam inter Regnum & Sacerdotium sedare, nemine resistente, sufficeret. Ad hæc terminanda collaudatur Conventus totius Regni Principum, Curia Wurceburg, tempus festum S. Michaelis, & unoquoque, propria manu in alterius manum hujusmodi pactum, quasi sub Sacramento firmante, cum pace & gaudio discessum est.

Evolutis posthæc quasi tribus mensibus, Imperator cum ingenti Comitatu venit in Wurceburg: juxta condictum vero Saxonum Principes una cum Moguntino Præsule, cæterisque, castra metati sunt juxta rivum Werna, unius diei interstitio ab urbe, & castris, securitate per internuntios datâ, per septimanam uni se quotidie curiæ colligunt super præsenti schismate. Nonnulli pacem odientes, scandala superseminare tentabant; sed multitudini cedendum fuit. Multa, quæ ibi disposita sunt, præterimus. Ea tantum hic annotantur, quæ ad pacem firmissimam & universalem constituta sunt. Nempe ut regalia regno, Ecclesiastica Ecclesiis, prædia deprædatis, hæreditates hæredibus omnique personæ vel conditioni propria adjudicetur justitia. Prædones, fures Imperialibus edictis & legibus antiquis coerceantur, omne scandalum omnino eradicetur.

De verbo *Excommunicationis* nihil est definitum, sed ad Apostolicam præsentiam dilatum. Delegati Romam Episcopus Spirensis, Abbas Fuldensis Erlolfus. Denominati Legati in Bavariam horum nuntiorum bajuli: Otto Babenbergensis Præsul, Dux Henricus, Comes Beringerus, qui eadem nuntia ferant Noricis Principibus absentibus, sed apud Ratisbonam kal. Novembris convocandis.

Anno MCXXII. ipso tempore (Verno) Episcopus Spirensis, & Abbas Fuldensis, Legatione totius Regni apud Sedem Apostolicam peractâ redierunt, ducentes secum Lambertum Ostiensem Episcopum vicem Domini Apostolici per omnia tenentem, cum duobus Cardinalibus Cardinali S. Stephani in cœlo aureo Saxone, Gregorio Cardinali S. Angeli missis eodem fine ad concordiam Regni & Sacerdotii.

Indicitur Colloquium generale per Provincias ad Wurceburg in festo S. Petri. Facto igitur universali Conventu apud urbem Wangionum, incredibile est, quam prudenti, quam instanti, quam sollicito per unam vel amplius hebdomadam studio pro pace certatum sit, donec Deus, in cujus manu cor Regis est, omnem animositatem Imperatoris ad Apostolicæ Sedis obedientiam inflexit.

Moxque ab Apostolicæ Sedis Apocrisiariis in communionem receptus, tam ipse Imperator, quam universus sibi subjectus exercitus, immo generali absolutione cunctis hoc schismate pollutis per auctoritatem Apostolicam factâ: Qualiter Ecclesiasticas investituras, cæteraque spiritualia negotia, quæ tanto tempore Reges Teutonici administraverant, quæque ipse Imperator, *ne Regni imminueretur bonor*, nunquam vita comite se dimissurum proposuerat, humiliatus pro Christo coram multitudine maxima abnegaverit in manus Episcopi Ostiensis, ac per ipsum Domino nostro JESU Christo, suæque in perpetuum Jus Ecclesiæ dimiserit: rursumque qualia sibi ob honorem Regni observandum auctoritas Apostolica concesserit, utriusque partis melius edocebunt super annotata Scripta:

Concordatum [a] *inter Imp. HENRICUM V. & Pontificem CALLISTUM II, de Investituris, quibus per pedum & annulum faciendis renuntiat Imperator, publicatum Wormatiæ.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS, Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ,

[a] Leibnitius asserit hoc Concordato plus juris tribui Imperatori, quam vulgo credatur. Goldasti editio plenior est Leibnitiana, hinc secutus est illam. *Cl. Dumontius Tomo I. Corporis Diplomatici.*

& Domini Papæ Callixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & Sanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo, ſanctæque Catholicæ Eccleſiæ, omnem inveſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in Regno, vel Imperio meo ſunt, canonicam fieri electionem & liberam conſecrationem.

II. Poſſeſſiones & regalia B. Petri, quæ a principio hujus diſcordiæ uſque ad hodiernam diem, ſive tempore Patris mei, ſive etiam meo, ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo: quæ autem non habeo, ut reſtituantur, fideliter curabo.

III. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum & Principum, & omnium aliorum tam Clericorum, quam Laicorum, quæ in guerra iſta amiſſæ ſunt, conſilio Principum & juſtitia, quas habeo reddam, quas non habeo, ut reddantur, fideliter juvabo.

IV. Et do veram pacem Domino Papæ Callixto, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, & omnibus, qui in partibus ejus ſunt, vel fuerunt: & in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit a me, fideliter juvabo, & de quibus fecerit mihi querimoniam, debitam ſibi faciam juſtitiam.

Hæc omnia acta ſunt conſenſu & conſilio Principum, quorum nomina ſubſcripta ſunt,

Adalbertus Archi-Epiſcopus Moguntinus,
Fridericus Archi-Epiſc. Colonienſis,
H. . . . . Ratisponenſis Epiſc,
Otto Babenbergenſis Epiſc,
H. . . . . Auguſtenſis Epiſc.
Godebaldus Trajectenſis Epiſc,
Udalricus Conſtantienſis Epiſc,
H. . . . . Fuldenſis Abbas,
(b) Henricus Dux Bavariæ,
Fridericus Dux Sueviæ,
Bruno Dux Saxoniæ.
Dietboldus Marchio Cambienſis a Vochburg.
Bonifacius Marchio Tuſciæ.
Theobaldus Marchio.
(c) Gotfridus Palatinus Comes Rheni.
(d) Otho Palatinus Comes a Wietelsbach.
Engelbertus Marchio Iſtriæ,
(e) Beringarius Comes Habspurgi.
Theodericus Comes Montisbellicardi, & alii complures (f)

PROFESSIO PAPÆ.

EGo CALIXTUS ſervus ſervorum Dei, tibi dilecto filio HEINRICO Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſque Simonia & aliqua violentia, ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium conſilio, vel judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum a te recipiat, & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii conſecratus infra ſex menſes regalia a te per ſceptrum recipiat, & quæ ex his jure tibi debet, faciat: exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur. De quibus vero mihi querimoniam feceris, & auxilium poſtulaveris, ſecundum officii mei debitum, auxilium meum præſtabo. Do tibi

(b) *Alias* Hermannus Dux. *Sine adjectione loci.*
[c] *Alias* Arnulfus Comes Palatinus. *Sine adjectione loci.*
(d) *Alias* Othbertus Comes Palatinus. *Sine adjectione loci.*
(e) Sultzbachenſis.
(f) *Editio Regia Conciliorum ſubnectit hæc, quæ ſequuntur*: Ego Fridericus, Colonienſis Epiſcopus, & Cancellarius, recognovi. Hoc autem Privilegium aureo ſigillo ipſius Imperatoris munitum in Archivis Romanæ Eccleſiæ tenetur reconditum. *Dumontii Nota.*

tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua ſunt, vel fuerunt tempore hujus diſcordiæ. Data Anno MCXXII nono Calendas Octobris.

GOLDAST. Tom. I. pag. 258. *Franc. HAREE in Chronologia ad annum* 1122. *G. G. LEBNITZ codex Diplomaticus pag.* 2. *Conciliorum Collectio Regia, Tom. XXVII. pag.* 43. *PHIL. LABBEI. Collectio Concilior. Tom. X. col.* 889. & 901. *BARONII Annales Eccleſiaſtici Tom. XII. an.* 1122. *Chronicon Mellicenſe, Part. II. p.* 57. *Centuriæ Magdeburgenſes, Vol. III. Cent. XII. cap. IX. de Synodis. LEHMANNUS, Chronicon Spirenſe, Lib. V. cap. XLII. pag.* 427. *LUNIG, Spicilegium Eccleſiaſticum Part. I. pag.* 153. (f) *DUMONT, Corps Diplomatique Tom. I. pag.* 67.

(g) *Dumontii Nota.* Hujus Calixtini Concordati variæ ſunt in variis Auctoribus Lectiones: pleniſſima eſt in Goldaſto; ſed ea charta, quæ nunc ſequitur, eſt in Bullario magno.

Ejusdem CONCORDATI aliud Exemplar.

Ex parte Imperatoris.

IN Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ Calliſti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & ſanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo, & ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ omnem inveſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis fieri electionem, & liberam conſecrationem: poſſeſſiones & regalia beati Petri, quæ a principio hujus diſcordiæ uſque ad hodiernam diem, ſive tempore Patris mei, ſive etiam meo, ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo; quæ autem non habeo, ut reſtituantur fideliter adjuvabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum, & Principum & aliorum tam Clericorum, quam laicorum, conſilio Principum & juſtitia, quas habeo, ut reddantur, fideliter juvabo. Et do veram pacem D. Papæ Calliſto, S. R. Eccleſiæ, & omnibus qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt. In quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit, fideliter juvabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam ſibi juſtitiam faciam.

Adalbertus Moguntinus Archi-Epiſcopus.
Fridericus Colonienſis Archi-Epiſcopus.
Ratisponenſis Epiſcopus.
Otho Bambergenſis Epiſcopus.
Bruno Spirenſis Epiſcopus.
A. Auguſtenſis Epiſcopus.
G. Trajectenſis Epiſcopus.
V. Conſtantienſis Epiſcopus.
F. Abbas Fuldenſis.
Northmannus Dux.
Fridericus Dux.
Bonifacius Marchio.
Theobaldus Marchio.
Cynulphus Comes Palatinus.
Obertus Comes Palatinus.
A. Berngarius Comes.
Godefridus Comes.
Ego Fridericus Colonienſis Epiſcopus & Cancellarius recognovi.

Ex parte Papæ.

EGo Caliſtus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio ſuo Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto, concedo electiones Epiſcoporum, & Abbatum Theutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, in præſentia tua fieri, abſque ſimonia, & aliqua violentia, ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & provincialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per *ſceptrum* a te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur, &, quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii conſecratus infra ſex menſes regalia per ſceptrum a te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris & auxilium poſtulaveris, ſecundum officii mei debitum, auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua ſunt, vel fuerunt tempore hujus diſcordiæ. Data anno 1122. nono Kalendas Octobris.

Bullarium magnum Romanum Tomo I. pag. 58.
Dumont Corps Diplomatique Tom. I. N. CXIX. pag. 67.

Hujus-

Hujuſmodi Scripta atque Reſcripta propter infinitæ multitudinis conventum loco Campeſtri juxra Rhenum lecta ſunt, data, & accepta, poſtque multimodas laudes rerum gubernatori redditas: Celebratis a Domino Oſtienſi Divinis Sacramentis, inter quæ Dominum Imperatorem cum pacis oſculo, ſanctaque Communione pleniſſime reconciliavit, diſceſſum eſt ab omnibus cum lætitia infinita.

Annaliſta Saxo editus ab Eckharto T. I. Scriptor. German.

CALLISTI Papæ II. Literæ Apoſtolicæ ad HENRICUM V. Imperatorem de reconciliatione inter eos facta. Datæ Laterani Idibus Decembris.

CALLISTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, CARISSIMO IN CHRISTO FILIO HENRICO, GLORIOSO ROMANORUM IMPERATORI AUGUSTO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

OMnipotenti Domino Deo noſtro, Auctori omnium bonorum, laudes & gratias agimus, qui per immenſam bonitatis ſuæ clementiam cor tuum aſpiratione ſui Spiritus illuſtravit, & te jam dudum nimium reluctantem, nunc tandem ad Eccleſiæ gremium revocavit. Siquidem, prout dilecti filii noſtri, & Diaconi Cardinales, & fidelium nuntiorum tuorum relatione, ac literarum lectione percepimus, ſano uſus conſilio, noſtris & Eccleſiæ Catholicæ ſalutaribus monitis humiliter obediſti: & nos ergo in Beati Petri filium paternæ affectionis brachiis te ſuſcipimus, & perſonam tuam, & imperium tanto deinceps amplius & benignius diligere, ac Divina præeunte gratia honorare optamus, quanto devotius præ tuis modernis prædeceſſoribus Romanæ Eccleſiæ obediſti, & quanto ſpecialius carnis es nobis conſanguinitate conjunctus. Age ergo fili chariſſime, ut & tu nobis, & nos te fruamur in Domino: Perpendat Imperialis Excellentia tua, quantum diuturna Eccleſiæ, imperiique diſcordia, Europæ fidelibus intulerit detrimentum, & quantum noſtra pax afferre poterit boni fructus, Domino cooperante, incrementum. Sane de ſtatu noſtro noverit tua tua dilectio, quia licet nos graviter quandoque infirmi fuerimus, nunc tamen per Dei gratiam incolumes ſumus, & tuam tam animæ, quam corporis ſanitatem per omnia deſideramus. De iis autem, quæ viva voce referenda prædictis fidelibus tuis nuntiis commiſiſti, per eoſdem, quid nobis, & noſtris videatur fratribus, reſpondemus. Legatos itaque noſtros, qui apud vos ſunt, benevolentiæ veſtræ attentius commendantes rogamus, ut quia Concilium indictum a nobis accelerat, cito eos ad nos Domino largiente remittas. Tuos vero Legatos ita inſtructos dirigas, ut juxta promiſſum tuum regalia in integrum Eccleſiæ Romanæ reſtituant. Ad hæc pro nepote noſtro Metenſi Epiſcopo, & fratribus ejus gratias tuæ benignitati referimus, quoniam in iis primitias bonitatis tuæ cognovimus. Illa enim bonæ voluntatis pax eſſe conſpicitur, ex qua bonæ voluntatis opera demonſtrantur. Fratres enim Epiſcopi, Cardinales, & totus Romanus Clerus una nobiſcum te, & Principes, & Barones tuos ſalutant, Divinæ Majeſtatis miſericordiam deprecantes, ut vos ad honorem ſuum, & Eccleſiæ ſuæ in longum cuſtodiat.

Data Laterani idibus Decembris.

Bullarium magnum Tomo I. pag. 58.

Ex quo Dumont. Corps Diplomatique N. CXX. pag. 67.

Con-

Conventus Wormatiensis Actio alia.

Controversia inter duos Wurceburgensis Ecclesiæ Episcopos Rokkerum electum a Clero & populo, Gebehardum investitum ab Henrico V. a Legatis & Episcopis Germaniæ utcunque dirimitur.

ANno MCXXII. Domnus Erlungus Episcopus Wurceburgensis, per quatuor annos elephantino morbo vexatus, in Natali Innocentium obiit, & prohibente schismate (Henrici V.) non in civitate, sed in Monasterio Swarzaha sepulturam obtinuit.

Imperator Henricus V. vacanti Cathedræ consulturus illo devenit, & consilio suorum usus, quendam adolescentem, *Gevehardum*, bene quidem natum, sed adhuc præ studiis scholaribus, nulla Ecclesiastica promotione mancipatum, Pontificali investitura sublimavit: non modica quidem, & saniore parte Cleri ac populi idipsum renuente, alterum autem, nomine *Rokkerum*, ejusdem Ecclesiæ Diaconum, ibi nutritum, atque Canonicum, canonice eligente. Hunc Adalbertus Archi-Episcopus Moguntinus ordinavit, imo ipse cum Legatis sanctæ Sedis, & nonnullis Saxoniæ Principibus contra voluntatem Imperatoris Rokkerum Præsulatus electione & investiturâ confirmavit.

Hæc Annalista Saxo.

Contra Gevehardus, ab Moguntino Archi-Episcopo non auditus, querimonias ad Calistum, & Romanam Ecclesiam transmisit, de cujus latere ad causam discutiendam missus fuit Prænestinus Episcopus.

Igitur Gebehardus cum omnibus prioribus Clericis, Abbatibus, & Laicis Wormatiam venit: præsentatur Archi-Episcopo, qui communicato consilio cum Legato, responsurum se super his promisit.

Præsente igitur Legato Apostolico, congregati coram Imperatore, pro hac causa tractanda, convenerunt Archi-Episcopus Moguntinus, Archi-Episcopus Coloniensis, Arnoldus Spirensis, Goteboldus Trajectensis, Godefridus Treverensis Archi-Episcopus; Conradus Tullensis, Bruno Argentinensis, Bertholdus Basileensis Episcopi, & alii Fideles Imperatoris, quibus, diu ventilato consilio, placuit, ut D. Cardinalis locum & Ecclesiam Wurceburgensem visitaret, concordiam Ecclesiæ super electione Gevehardi investigaret. Quam si inveniret, ab eodem promoveretur ad Presbyterii ordinem, statim consecuturus ab Archi-Episcopo Moguntino Episcopalem benedictionem.

Venit Dominus Cardinalis in Wurzeburch, & congregati sunt universus Clerus & Populus, majores & minores, absente Gebehardo inventi sunt in electione ejus concordes. Gratias Deo egit Legatus & ad ordinem Presbyteri Gebehardum promovit, & canonicæ electioni Gebehardi tam in Romana Ecclesia, quam in conspectu Moguntini Archi-Episcopi testimonium perhibuit, sicut audivit & vidit.

Hactenus Epistola Apologetica ipsius Gebehardi, electi Wurzeburgensis, edita a Clmo Tegnagelio, & in Gretseri operum novæ editionis Tomo VI. pag. 568. in qua diversa asseruntur ab iis, quæ Annalista Saxo supra asseruit, imo a veritate, ut infra patebit.

Addo exitum rei ex Annalista Saxone, apud Eckhartum Tomo I. Corporis Historici.

Interim Gebehardus fœderatis sibi firmiter Urbanis, intra muros Wirceburgi copiosa cum turba dum residet, quadam die post meridiem, assumpta de his, qui secum erant, manu validâ, quosdam, qui jam uno pene milliario ab urbe castra posuerant, nil mali suspicantes invadere tentavit, & quia hostes Regni reputans, sive turpiter pellere, sive incautos sternere proponit. At illi clamore venientium excitati gemina contra acie celeriter instructa, naviter resistendo, se suaq; castra defendebant, & ex utraque parte cæsis vulneratis atque nonnullis captis, die etiam ad vesperas vergente, certe hi ad urbem, isti ad tentoria redeunt. Hinc efferati Principes ad civitatem unanimiter convertuntur, Rokkerum inthronizare contendentes. Verum, id non sine sanguine fieri posse perpendentes, ad Monasterium Schwarzaha divertunt, ibique illum coram omni

omni Concilio tam Metropolitanus Adalbertus, quam cæteri Romani Legati Præsulem urbis Wurceburch consecrantes, ad propria se quisque convertunt. Exinde Rokkerus eam partem Episcopii, quæ Necaro fluvio circumjacet, in proprios usus tenuit. Gebehardus urbem, & quæ illi contigua sunt, secure possedet.

Hactenus Annalista Saxo.

Bucelinus Parte I. Germaniæ sacræ Gebehardum Comitem Hennebergium ab Henrico V. intrusum scribit, qui post annum 1125. denuo potestate Regia Cathedram tenuit. Rukgerum vero facit Comitem a Vayngen, qui videtur tempestati cessisse; Cœnobio Swarzachensi se inclusit, & anno 1126. finem vitæ habuit.

SYNODUS MOGUNTINA

ANNO CHRISTI MCXXII. CALIXTI II. PAPÆ IV.
HENRICI V. REG. XVII.

SUMMA. *Ecclesia parochialis in Gensheim, post Synodalem deliberationem, a Burchardo, Abbate S. Jacobi, traditur Folmaro, quæ traditio Banno Episcopi confirmatur.*

IN nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. *Adelbertus*, Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus. Noverint universi . . . qualiter dilectus noster *Burchardus*, Monasterii Sancti Jacobi quondam Abbas, Ecclesiam parochialem in Gensheim, in generali Concilio, ab *Embricone* de *Hepenhefde*, & Fratribus suis, dictante justitia, obtinuit, & eandem Ecclesiam fratri eorum *Folmaro*, ad sopiendam in perpetuum de eadem controversiam, consilio Saniorum, qui interfuerunt, tradidit. Quod quidem sub nobis rationabiliter actitatum, & postea, in *plenaria Synodo*, ab *Arnolfo* Advocato, & *Werinboldo* ejusdem Monasterii Abbate, judiciario more promulgatum, banni nostri confirmatione est roboratum.

Hujus rei Testes sunt: *Bruno* Archi-Episcopus Trevirensis, *Otto* Babenbergensis Episcopus, *Arnoldus* Capellarius Imperatoris, *Anshelmus* Præpositus de Domo, *Asmarus* Camerarius, *Udalricus* de *Eppenstein*, *Bertolfus* Comes de *Nuringes*, *Embrico* Vice-Dominus, & præterea quotquot interfuerunt Clerici & Laici, generali Conventui.

Et ut hæc rata & inconvulsa omni ævo permaneant, hanc cartam inde conscriptam, Sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXXII. Indict. XV.

Ex Archiv. Monasterii S. Jacobi Moguntiæ.

CONCILIUM LATERANENSE I. (a)

ANNO CHRISTI MCXXIII. CALLISTI II. PAPÆ V.
HENRICI V. REG. XVIII. IMP. XIII.

Inter generalia Concilia Nonum: in Occidente Primum generale.

PRÆSIDE CALLISTO III. PRÆSENTIBUS EPISCOPIS CCC. ET AMPLIUS QUOS INTER GERMANI OCTO.

SUMMA. *Pax inter Sacerdotium & Imperium Wormatiæ anno superiore inita confirmatur ab hoc generali Concilio: Investituris per annulum & pedum renuntiatur; per sceptrum investitura Imperatori tribuitur Episcopis & Abbatibus impertienda. Deinde Canones XXII. conduntur. Expeditio sacra contra Saracenos indulgentiis indultis promovetur.*

AUditi sunt in Concilio HENRICI Imperatoris Legati, & pacta in Conventu Wormatiensi anno MCXXII. inter Ecclesiam Romanam & Imperium Concor-

Concordata, totius Synodi judicio confirmata sunt: Callistus Pontifex, inquit *Falco Beneventanus in Chronico*, consilio salutis accepto, Ultramontanos fere omnes Episcopos, & Archi-Episcopos, & Abbates, & totius, ut ita dicam, Italiæ Pastores accersiri præcepit, (*b*) quatenus sancta synodali confabulatione firmata pactum cum Imperatore Henrico positum (*in eodem Conventu Wormatiensi*) perpetuo confirmaret. Ad cujus sacri Conventus præsentiam Rofridus Beneventanus Antistes honeste properavit. Ordinato itaque Concilio tali ac tanto, Apostolicus ipse Sacramenti privilegium, quod prædictus Imperator constituerat pacis in conspectu omnium, qui convenerant, adduci & legi præcepit. Continuo ab omnibus confirmatum est & commendatum.

Restitutionis autem investiturarum ab eodem Imperatore in dicto Wormatiensi Conventu factæ, & in hoc Concilio confirmatæ, tenor talis est. "Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Callisti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & Sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo, & sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, omnem investituram *per annulum & baculum*, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem, & liberam consecrationem. Possessiones & regalia beati Petri, quæ a principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem sive temporibus Patris mei, sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo, quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter adjuvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum & Principum, & aliorum tam clericorum quam laicorum consilio Principum & justitia, quæ habeo, ut eis reddantur, fideliter juvabo. Et do veram pacem Domino Papæ Callisto, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & omnibus, qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt. Et in quibus sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo; Et in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam sibi justitiam faciam.

Hæc omnia acta sunt consilio & assensu Principum, quorum nomina subscripta sunt:

Adalbertus Moguntinus Archi-Episcopus.
Fridericus Coloniensis Archiepiscopus.
- - - Ratisponensis Episcopus.
Otto Bambergensis Episc.
Bruno Spirensis Episc.
A. Augustensis Episc.
G. Trajectensis Episc.
V. Constantiensis Episc.
E. Abbas Fuldensis.
(*c*) Nortmannus Dux.
Fridericus Dux.
Bonifacius Marchio.
Theobaldus Marchio.
(*d*) Cyniphus Comes Palatinus.
(*e*) Otbertus Comes Palatinus.
Berengarius Comes.
Godefridus Comes.

Ego Fridericus Coloniensis Episcopus & Cancellarius recognovi.

Hoc autem Privilegium aureo sigillo ipsius Imperatoris munitum, in Archivis Romanæ Ecclesiæ tenetur reconditum.

Hæc Nomina ex Binio descripta.

Concessionis vero Callisti Papæ Henrico Imperatori factæ hic est tenor: "Ego Callistus, servus servorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Theutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque Simonia & aliqua violentia: ut si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio & judicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem regalia *per sceptrum* a te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur,

(*a*) In Lateranensi Ecclesia hoc Sæculo XII. plura fuere celebrata Concilia annis 1102, 1111, 1116, sed erant vel Provincialia vel Nationalia. Ad Concilium autem anni 1123. fuêre invitati Episcopi a Papa ex toto orbe Catholico, quod ad generalitatem sufficit.

(*b*) Solus Papa hoc Concilium generale in Occidente indixit, solus præsedit.

(*c*) *Lege:* Hermannus. (*d*) *Lege:* Ernulphus. [*e*] *Lege:* Orbertus.

„ tur, & quæ ex his jure tibi debet, fa- „ ciat. Ex aliis vero partibus Imperii „ consecratus infra sex menses regalia „ *per sceptrum* a te recipiat. De quibus „ vero mihi querimoniam feceris, & „ auxilium postulaveris, secundum offi- „ cii mei debitum auxilium meum præ- „ stabo. Do tibi veram pacem, & om- „ nibus, qui in parte tua sunt vel fue- „ runt, tempore hujus discordiæ. Data „ anno Millesimo centesimo vigesimo „ secundo, nono Kalendas Octobris.

Decretis in Concilio hæc verba subnectit Simeon Dunelmensis laudatus: His synodalibus Decretis subscriptis & confirmatis, Imperatorem per Legatos suos & scripta, secundum præmissum Scriptorum tenorem promittentem se sanctæ Romanæ Ecclesiæ justa servaturum, generali Concilii sententia ab excommunicationis absolvit vinculo, quo in Remensi Concilio fuerat ligatus.

Canones XXII. in hoc generali Concilio editos refert *Binius Tomi III. Concil. p. II.* postea *Baluzius* eos edidit cum codice *MS. Anianensi* collatos, post quem *Labbeius* & *Cossartius* eos recuderunt. Sed hæc ad Concilia Germaniæ non spectant. Nos ex hoc generali Concilio hæc sola excerpsimus, quæ ad Concilii Wormatiensis confirmationem spectant.



FRIDERICI, ARCHI-EPISCOPI COLONIENSIS, EPISTOLA AD ECCLESIAM LEODIENSEM.

Mandat, ne intrusum per Simoniam nominatione Regia in Sede Leodiensi recipiant.

FRIDERICUS Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ humilis Minister: Leodiensis Ecclesiæ Archi-Diaconis, Præpositis, Decanis, Scholasticis, Cantoribus, omnibusque Catholicis, a proposito sancto nullius necessitatis occasione declinare. Ex auctoritate evangelica, necesse est, ut veniant scandala, ut dum revelatur filius perditionis manifesti fiant, & probati, quotquot præordinati sunt in sortem supernæ retributionis. Unde fraternitatem vestram præmonentes pia sollicitudine monemus obtestamur, & præcipimus ex debito sanctæ obedientiæ, ut (ne) recipiatis...... Regiæ intrusionis violentia sub nomine designati Episcopi ad vos venientem: quia temeraria invasione Sedem nostram, quantum in ipso fuit, privavit Archi-Episcopali honore, vosque contempsit, quibus imponi voluit sine canonica electione, non veritus prævenire Simoniaca ambitione inducias, electionis vestræ denominata die præordinatas, quas & vestra Ecclesia expetiit, & Sedis nostræ authoritas concessit. Igitur in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, in ipsum, & in omnes ipsius sequaces vel eidem communicantes paravimus anathematis sententiam, à qua liberari desideramus fraternitatis vestræ obedientiam.

Martene & Durand. Anecdotorum Tomo I. pag. 376. ex MS. S. Trudonis.



EPISTOLA FRIDERICI ARCHI-EPISC. COLON. AD CLERUM LEODIENSEM.

Increpat eos, quod præcipiti Electione admissis, etiam in suo Conventu excommunicatis, in Alexandrum vota sua contulerint, eosque ad suum citat tribunal ad Indam Monasterium.

F. Gratia Dei Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ humilis Minister, toti Clero, qui Leodii est, scrutari testimonia Domini, ut in toto corde exquirant eum.

Litteras vestras ad nos per fratrem Nicolaum directas paterno affectu recepimus, qui in his & nostram desiderare videmini præsentiam, & tanquam filii obe-

obedientiæ noſtro corrigendum obtuliſtis conſilio, ſi quid veſtro exceſſiſtis arbitrio. Unum vobis notum fieri volumus, quia ad vos deſcendere & debita pietate vobis conſulere parati fuiſſemus, ſi exceſſus veſtros tam manifeſtos, tam contrarios decretis Sanctorum Canonum, noſtræque auctoritati & veſtræ ſaluti non perſpexiſſemus. Defuncto enim beatæ Memoriæ Domno Frederico Epiſcopo veſtro, litteras conſolatorias vobis direximus, deſolationem veſtram paternis lacrymis deplorantes, & ut in Domini conſolatione ſpem veſtram defigeretis, affectuoſe vos exhortantes: ſed quia tunc temporis occupati tenebamur magnis Eccleſiæ & Imperii negotiis, ut veſtram ad noſtrum conſilium & reditum differretis electionem, debitâ auctoritate monuimus, quia veſtræ puſillanimitati & temporali pace, & nihilominus canonica electione conſultum eſſe voluimus. Vos autem interim Divinæ inſtitutioni, & noſtræ ammonitioni non acquieſcentes, in Conventum veſtrum multitudinem eorum, qui veſtra petitione a Domino Papa, a nobis, a veſtro etiam Epiſcopo excommunicati habebantur, admiſiſtis, ibique noſtræ auctoritati præjudicantes, communicato cum excommunicatis conſilio, ea quæ deſtruxeratis, reædificando, quod ſine gravi dolore loqui non poſſumus, vos ipſos prævaricatores, excommunicatorum conſortio contaminatos conſtituiſtis. Habemus quidem hujus miſerabilis culpæ evidens argumentum, litteras veſtras tam Colonienſi Eccleſiæ, quam Venera.... filio veſtro Andreæ Miſſas, in qûibus Alexandrum (*a*) Dominum & Epiſcopum veſtrum vos recepiſſe ſatis inconſideratè ſignificaſtis, & ad cumulum inexcuſabilitatis veſtræ conſpirativa confœderatione ſubjungendo affirmaſtis, nullum vos velle vel poſſe contra eum recipere conſilium. Quòd ſi in hoc conſpiraſtis, ut quid quæritur deſcenſionis ad vos conſili noſtri præſentia? Ut quid ore & ſcriptis veſtris frequens & aſſidua nobis demandatur obedientia, quam deſtruit conſpirationis hujus, ut aſſeritis, fixa cordibus veſtris inſolentia? Miramur & non parum miramur, quomodo vos ſcribendo appellatis totam Leodienſem Eccleſiam; nam ut taceamus de Archi-Epiſcopi dignitate, quæ membrum excellentius debemus eſſe Leodienſis Eccleſiæ, fraternitatis noſtræ dilectio, quæ hactenus particeps & ſocia fuit tribulationum veſtrarum, contemtuoſe videtur repudiata. Si iterum Eccleſia, quorſum excluditis eam, quam tantum cognoſcimus, & fatemur Leodienſem Eccleſiam; Præpoſitum (*b*) Andream & Archidiaconos Henricum & Stepponem, Magiſtrum Stephanum & religioſos Abbates, (*c*) aliosque, qui licet locorum diverſitatibus disjuncti, tamen in unitate ſpiritus vobiscum ſunt fratres. Hos procul dubio Leodienſem Eccleſiam teſtatur bonæ ſimplicitatis obedientia, & perſecutio, quam paſſi ſunt, & quotidie patiuntur pro juſtitia, ſed & hoc reticere non poſſumus, quod contra Sanctorum Canonum ſtatuta, neglecto immo contemto chrismate anni præſentis & oleo, de veteri plures annos reſervato, per quorumdam veſtrum Archi-Diaconatus adhuc fiunt unctiones a Sacerdotibus, contra Canones & noſtram auctoritatem, per inobedientiam cum excommunicatis Divina celebrare præſumentibus. Longum eſt enumerare, quot & quantis exceſſibus Domini provocaſtis longanimitatem, & in noſtram præſumtuoſe egiſtis auctoritatem, quia non ſolum vos ab Eccleſia Dei alienatis, ſed & eos, qui ſincere nobiſcum uſque nunc permanſerant, in prævaricationis conſortium pertraxiſtis.

Quia ergo his exceſſibus tam manifeſtis, & Deo odibilibus non debetur paternæ Conſolationis viſitatio, ſed magis infligenda eſt condignæ ſeveritatis increpatio; ad ſedem Colonienſem, cui tam grave intuliſtis præjudicium, vos invitamus, ut ſi exceſſus veſtros, ſicut ſcripſiſtis, noſtro corrigere volueritis conſilio, exemplo Patris Evangelici, prolem, quæ perierat, gratantes recipiamus, ſub utriuſque Colonienſis videlicet & Leodienſis Eccleſiæ, quæ nobiſcum eſt, teſtimonio; verumtamen ex ſuprabundanti, ſi veſtra hæc efflagitat humilitas, apud S. Cornelium Indæ; cum filiis prædictarum Eccleſiarum vobis

(*a*) Alexander, qui ab Henrico V. pedum emerat, anathematizatus, poſt mortem S. Friderici veneno extincti, iterum ambivit mitram Leodienſem, & aliquot fautores nactus eſt.
(*b*) Majoris Præpoſitus, ſubin Trajectenſis Epiſcopus.
(*c*) Rudolphum S. Trudonis: Heribrandum S. Laurentii;

bis occurremus IV. nonas Septembris, parati misericorditer recipere in spiritu lenitatis, & correctos instruere, & quoniam Alexander per Godescalcum Trajectensem Clericum obedientiam & subjectionem nobis præsente Ecclesia demandavit, & se velle de omnibus suis excessibus nostro adquiescere consilio, per eumdem nobis insinuavit III. nonas Septembris nos in prædicto commoraturos cœnobio; eidem remandavimus, ut si forte velit aliquid rationabiliter deferre, ad aures Ecclesiæ, audiatur. Si quis autem inter vos habet zelum Domini, eumdem ammonere, arguere, increpare, obsecrare, orare non dissimulet, ut sibi ipsi propitius pareat Christi Ecclesiæ, ne incipiat infamis haberi, totiens per Dominum Apostolicum, per Nos per suum Episcopum ejectus á Sanctæ Matris Ecclesiæ liminibus. Plures enim repulsæ personam ejus infamem sicque reddunt Ecclesiæ notabilem, ut non solum id, quod male nititur, non apprehendat, sed & honoris & ordinis periculum subeat, quod adhuc retinere ex affectu maternæ pietatis Ecclesiæ mansuetudo tolerat. Hæc vobis, fratres charissimi, scribimus in spiritu caritatis, non ut vos confundamus, sed sicut per priores litteras præmisimus, ut tam spirituali, quam temporali pace consolandos ad sinum unitatis Ecclesiæ redeamus.

Ex MS. S. Laurentii Leodiensis.
Martene & Durand. Tomo I. amplissimæ Collectionis p. 674.

SYNODUS DIOECESANA TULLENSIS

Anno Christi MCXXIII. Callisti II. Papæ IV. Henrici V. Reg. XVIII. Imp. XIII.

Riquinus, Episcopus Leucorum, confirmat concordiam initam inter Lanzonem S. Michaelis & Abbatissam Sanctimonialium Laudunensium circa castrum de Bolmone, seu Prioratum S. Theobaldi.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Riquinus Dei misericordia Tullensis Episcopus, Lanzoni venerabili Abbati, ejusque in perpetuum successoribus. Quoniam Dominus noster Deus pacis est, & non dissensionis, nos qui vicarii ejus sumus, pacem omnibus, quantum in nobis est, procurare & facere exigimur. Unde illa, quæ inter tuam, & Laudunensium Sanctimonialium Ecclesiam diu pertracta est controversia, cum nostro quoque tempore moveretur, cura fuit & studium, ut nostris quoque diebus sopiretur. Sane castrum de Bolmone, & terra castro subjacens fundus est Sanctæ Mariæ Laudunensium, sibi ab antiquissimo tempore à Campaniæ Comitibus ita in beneficium traditum, ut nullum in aliquo responsum præfatis Sanctimonialibus inveniatur redditum. Cum itaque prædictum castrum nobilis quidam Hugo, ab Hugone Comite Campaniæ hæreditaria successione in beneficium possideret, sub castro, in villa, quæ dicitur sancti Theobaldi, partem ejus fundi tuæ contradidit Ecclesiæ, ut Monachi sancti Michaëlis oratorium, & officinas inibi construentes, ad Divinum peragendum obsequium, cellam ibi futuris temporibus obtinerent. Quia vero his, qui pie volunt vivere, nunquam deest oppressio, Sanctimoniales Laudunenses, quæ, dum illud sæculares homines tenuerant, nunquam aliud exegerant, sed nec de pluribus aliis, qui similiter tenent, quicquam aliquid exigunt, in te tuosque titulum intentionis arripiunt, & quasi invasores fundi sui sub nostra audientia, quippe idem fundus in nostra consistit Parochia, pulsaverunt.

Nos itaque sæpius ventilata & discussa controversiâ, diligentius etiam intuentes, quod si oblatum vobis fundum jure Dei redderetis, jure tamen mundi & præfati beneficii non sanctimonialibus cedet, sed ad Dominum castri remearet: amba-

ambarum cosensu partium media caritate dispofuimus, ut æstimatione boni & æqui duos solidos Tullensis monetæ, nomine census, prædictis monialibus, earumque Monasterio, in natale Sancti Johannis Baptistæ annuatim solveretis; talique responso oratorium, quod denique vestræ occupant officinæ, libere & quiete in perpetuum sine ulla alia exactione possideretis. Placuit etiam, ut si forte aliquis aliud de eadem terra futuris temporibus tuæ Ecclesiæ obtulerit, non novus exinde census a Sanctimonialibus requiratur; sed per prætaxatos duos solidos, simili quiete a vobis teneatur: æstimantes utilius fore sanctimonialibus, vel multum a monachis per censum possideri, quam a sæcularibus, omnia sine ullo responso detineri. Quoniam quidem in altero est fundi alienatio, at in altero Ecclesiæ Laudunensi fundi sui per censum assignatur possessio: In hunc sane modum in nostra præsentia abbatissa, consensu earum, quæ vice capituli direxerant sororum, tuisque fundum quem oratorium, quem vestræ apud sanctum Theobaldum sub Bolmunt occupant officinæ, seu id quod adhuc forte aliquis exinde tuæ obtulit Ecclesiæ, perpetuo possidendum contradidit.

Porro ambo postulatis, ut hanc ante nos & per nos sententiam, juxta quod prælibatum est, compositionem scripto firmaremus, banno Ecclesiastico muniremus. Si qua ergo Ecclesiastica sæcularisve persona temere, quod absit, inter vos factam compositionem dissolvere præsumpsit, authoritate Dei Omnipotentis & nostra, anathematis maledictione innodetur, donec ad emendationem veniat, & parti, quam læsit, satisfaciat.

Signum Domini Riquini Episcopi.
Sign. Stephani Primicerii.
Sign. Beringarii Decani.
Sign. Haymonis Archidiaconi.
Sign. Hugonis Archidiaconi.
Sign. Roberti Archidiaconi & Cantoris.
Sign. Hugonis Magistri.
Sign. Humaudi Archid. & Magistri.
Sign. Hugonis Archid.
Sign. Ulrici Cancellarii Sancti Mansueti.
Sign. Wilani Archid. Lingonensis.
Sign. Ruardi Lingonensis.
Sign. Thiemari Abbatis sancti Mansueti.
Sign. Petri Abbatis sancti Apri.
Sign. Wiberti Abbatis sancti Salvatoris.

Anno ab Incarnatione Domini MCXXIII. Epacta XXII. concurrente VI. Indict. I. XVII. Calend. Julii. Feria VI. in Ecclesia B. Stephani Proto-Martyris Tullensi. Actum in plenaria Synodo.

Calmet. Tomo IV. Probationum Historiæ Lotharingiæ pag. 269. ad 270.

CONVENTUS BAMBERGENSIS
Anno Christi MCXXIV. Honorii II. Papæ I. Henrici V. Reg. XIX. Imp. XIV.

ACTIO I. (a) *Pacatio Principum.*
II. (b) *Otto, Episc. Bambergensis, valedicit Pomeranis docendis invitatus, assensu Papæ Calixti, Imperatoris & Principum.*
III. (c) *Imperator fundationem cœnobii in Usenhoven translatam, in Schiren confirmat, variis privilegiis adjectis.*
IV. (d) *Otto Episcopus, donat cœnobio S. Michaelis in favorem cellam quandam cum multis aliis Donariis.*

(*a*) IMperator anno MCXXIV. Optimatibus quibuscum Wormatiæ collocutus fuerat, circa mediam Quadragesimam, Saxonibus, Bajoariis & Bohemis

mis ad curiam venire Babenberc Nonis Maji indixit. Maxime propter Lotharii Ducis insolentiam, qui nova moliri dicebatur ob illatam sorori ab Imperatore injuriam. Factus Conventus non modicus quibus singulis necessarios sumptus ministrabat. (*b*) Otto Episcopus præter publicum Imperatori constitutum servitium: in eodem Conventu insinuat Otto Augusto & Primoribus literas Pomeraniæ Ducis, quibus ad prædicationem Evangelii vocabatur in Pomeraniam, permissu ac benedictione Papæ Callisti,

Urspergensis in Chronico ad hunc annum. Hoffmann in Annal. Bambergens.

(*c*) In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. *Henricus* Dei gratia Romanorum Imperator Augustus. Ecclesiarum consulere utilitatibus constat acceptum esse coram Deo, & hominibus, unde ad fidelium Christi tam futurorum quam præsentium transfundimus notitiam, quod in Regno nostro quidam magni nominis Comites Perichtoldus & Otho cum conjuge sua Hazacha & filiis suis Eckehardo, & Bernardo quoddam Monasterium in Episcopatu Frisingi in Pago Ouskohove juxta fluvium Glana, in comitatu Husen, quod Usenhoven dicitur, pro remedio animæ suæ fundaverint. Transacto autem tempore, dum idem locus inhabitationi & conversationi cœnobitarum nimis difficilis & ineptus esset, necessitati & petitioni eorum condescentes, prædictorum virorum nepotes videlicet comitissa Beatrix & filii ejus Comites Conradus, & Otto de Dachaw, nec non Palatinus Comes Otho, & patrueles sui Otho, Bernardus, Eckehardus, prædictum cœnobium Schiren transferri fecerunt, & per manum fidejussoris sui ad Altare S. Petri Principis Apostolorum apud Romam obtulerunt, multa beneficia & prædia large & benevole addentes, & pro remedio animæ suæ omni proprietario & hæreditario jure & servitio ejusdem cœnobii se abdicantes, Brunoni Abbati & ejus successoribus ad utilitatem fratrum inibi Deo servientium, liberam dispensationem & administrationem delegaverunt ea conditione, ut omnia quæcumque ad prius Monasterium Usinhoven pertinuerunt ad istud quoque Monasterium Schiren pertineant, & ut idem cœnobium perpetualiter sub Romano mundiburnio, & tutela permaneat, statuerunt, ut singulis annis ab Abbate ejusdem cœnobii aureus nummus, quem Bisantium dicimus, ad Altare S. Petri Romam persolvatur. Qui nummus, si uno vel duobus vel tribus annis negligatur, in quarto pleniter componatur: his votis piorum virorum Ecclesiæ Dei fundatorum cooperatores, & participes esse cupientes ex petitione eorum donamus 1. omnimodam libertatem prædicto cœnobio ab omni sæculari Dominio. 2. Mortuo Abbate fratres cœnobii liberam potestatem habeant inter se vel undecunque, si opus fuerit, eligendi & constituendi sibi Abbatem. 3. Abbas electus & regulariter constitutus clero, populoque advocato & sanctuario præsentibus accipiat virgam Regiminis de Altari S. Mariæ, 4. Deinde canonice Abbas ordinatus juxta ordinem suum libere Deo serviat, liberamque omnino commissarum rerum sibi intus & foris potestatem habeat. Qui si forte dissipator Ecclesiæ sibi commissæ fuerit, vel oppressor, vel si quibuslibet personis consentiens libertatem Monasterii invertere studuerit, si conventus, accusatus, justeque conventus incorrigibilis permanserit, dejiciatur, alterque absque omni contradictione substituatur. 5. Advocatiam ejusdem cœnobii nemo nisi Dominus Otho Palatinus Comes, & filii ejus, successoresque filiorum eorundem absque omni contradictione habeant. Ter in anno ibi placitum habeat, si forte pro necessitate fratrum ab Abbate invitatus fuerit, & ibi placitum justum pro caussis, & necessitatibus monasterri rite peragat, nec aliud servitium, jus, aut beneficium sibi pro hoc concedi postulet aut exigat, nisi tertium bannum & consuetudinariam justitiam & legem, quam ceteri advocati in aliis Monasteriis, item liberis habent super fures & protervos & censuales & cætera talia. Detur & tantum in illis trium placitorum diebus in unoquoque unum maldrum frumenti & cætera ad hoc pertinentia. Nullum prorsus pro se subadvocatum ponat, nec ullam quavis occasione calumniam, pervasionem monasterio, Abbati, vel familiæ faciat. Præterea decernimus, si quisquam vel heres fundatorum vel alter cujuslibet personæ homo vineam vel mansum ullum de prædicta cella vi abstulerit, red-

reddito prius cellæ, quod abſtulit, ad fiſcum Regis tria talenta auri perſolvat. Si quis curtim aut villam inde per vim alienaverit, ſive manifeſtus invaſor bonorum cellæ fuerit, vel ſi teſtamentum traditionis pervertere vel infringere niſus fuerit, decem talenta auri ad cameram Regis perſolvat, &, quod abſtulit, primus reſtituat. Miniſtris quoque eandem legem concedimus & ſervitutem, quam cæteræ in regno noſtro Abbatiæ liberæ habent. Hæc prædicta, ſi quis invertat, iram Dei Omnipotentis ſentiat, niſi reſipiſcat; inſuper nos ea ſigilli noſtri impreſſione ſtabilimus, firmamus, & corroboramus. Acta ſunt hæc Incarnationis Dominicæ MCXXIV. indict. XIII. in Curia Babenberch VII. Kal. Maji feliciter Amen.

(L.S.)

Ex Diplomatario Schirenſis Monaſterii deſcripſit Cl. Schannatus bon. mem.

(*d*) In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto Divina diſpenſante clementia octavus Bambergenſis Epiſcopus. Quia facile in oblivionem res ducitur, cujus cauſa neſcitur, debet rerum geſtarum ſeries literis imprimi, ne à ſuccedentium memoria poſſit elabi: proinde univerſorum notitiæ patere volumus, qualiter nos, Divini amoris inſtinctu, *cellam* in Occidentali parte montis *B. Archangeli Michaëlis*, in honore Domini & B. Fidis Virginis conſtruximus, eamque cum omnibus appendiciis ſuis *in Cœnobio S. Michaëlis donavimus*, volentes utique in hoc utroque loco conſulere, quatenus uni præſtaretur obſequium, nec alteri neceſſitatis ſuæ deeſſet ſolatium. A venerabili quoque Hermanno Abbate, & reliquis fratribus prædicti Cœnobii, hoc obtinuimus, atque ab eis perpetuo firmatum eſt, ut ſeptem fratres, & duos converſos, eidem cellæ dimittant, qui in eadem cella quotidianas circa divinum obſequium excubias agant, & propriis utilitatibus tam foris, quam intra ſerviant, ad quorum ſuſtentationem, hæc prædia eidem loco contulimus, Volendorf, Tragamuſil, Gicliſſital, quæ una cum Eccleſia & mancipio ac molendino comparavimus a Richperto de Saxonia octoginta marcis, & Gebehardo Comiti de Sultzpach defenſanda commiſimus. Item . . . . & Grunowa, quæ emimus a Limpoldo de Nachendorf, ſimul cum miniſteriali quodam nomine Bertolfo, qui de ipſo allodio duos manſos in beneficium habet. Qui ſcilicet manſi, poſt obitum ejusdem Bertolfi ad S. Fidem, ſicut & cætera pertinebunt, eo quod filios non de conſociali, ſed de externa habet uxore. Ipſa bona Bertolfo Comiti de Blaſſenberg ſub mundiburdio commendavimus. Item prædium apud Gemtmerice, quod poſtea commutavimus cum Klucovia & Kumule, & Durnonnia, & Bucha, & Revit, & Stretevit, ac manſo uno apud Goren, quæ partim a Regni Botone Comite de Giche, & ab Eberhardo miniſteriali noſtro digno pretio adquiſivimus, partim ab Eckberto de Saxonia XL. marcis emimus, & inſuper uxori ejus Berthæ ac filiæ ejus, beneficium, quod ab Eccleſia noſtra idem Eckbertus habuerat, conceſſimus; Quorum ſcilicet bonorum Popo Comes Advocatus eſt: item prædium ac beneficium cujusdam Tiemonis apud Alren, & Eppental, & Timmenreut, quod ab ipſo Tiemone & ab hæredibus ſuis XLV. marcis redemimus; ſed & hujus allodii Popo Comes Advocatus eſt. Dedimus præterea ejusdem cellæ S. Fidis Hoſpitale S. Gertrudis, quod ex altera parte fluminis cum prædiis ſuis Micinhule & Potechendorff, quod utrumque accepimus ab Hermanno de Bamberg, pro beneficio fratris ſui Stephani, ipſorumque bonorum advocatiam, idem Hermannus habet. Item apud Schlurispach XVI. manſos una cum Eccleſia ac dote ejus ac molendino, quod Rapetoni Comiti, tuendum commiſimus, ipſum eſt allodium, quod nobis Sigebato de Wundigeſalze dedit pro advocatia Holveld, & pro beneficio, quod habuit Waldo maritus ſororis ejus, præter Utzingen, Arnoldo de Chunſtat, Wunckendorff, Friderico de Luitenbach defenſandum commiſimus, ſtatuentes tam de his, quam de prænominatis prædiis, quotidie ad ipſum Hoſpitale VI. denarios dari, quibus alantur advenientes peregrini. Sane advocatias omnium prædictorum bonorum, prænominatis perſonis ſub tali conditione conceſſimus, ut per ſemetipſos, ſine ſub advocatis, eas adminiſtrent, placitum vero cum colonis, nequaquam ponant, niſi aut de percuſſura, aut de furto, aut de irrupto agrorum limite, vel certe ſi adverſian-

versiantur a Præposito vel Priore, quinque dies in anno quilibet Rusticus, suo operatur advocato. Dedimus autem eandem cellam *prædicto S. Michaëlis Cænobio*, cum omni justitia ad se pertinente, hoc est, utriusque sexus mancipiis, Ecclesiis, villis, ædificiis, areis, exitibus & reditibus, agris cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, pratis, pascuis, viis & inviis, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, silvis, venationibus, ac cum omni utilitate, quæ ullo modo inde pervenire poterat, statuentes, ut nulli deinceps personæ facultas sit, ipsam cellam cum quibuslibet pertinentiis suis, occasione qualibet, ab ejusdem Cœnobii jurisdictione subtrahere. Fratribus autem in ipsa cella habitantibus de bonis S. Michaëlis ab Abbate obtinuimus, in circuitu ipsius cellæ, de cultis & incultis circiter XXX. jugera, ad faciendos hortos, & pomaria, sive alia utilitati suæ necessaria. Nulli ergo temerare liceat, quæ a nobis pro Divini Numinis honore sunt disposita: maneant humilitatis nostræ statuta omni ævo inconvulsa, nulli successorum nostrorum Pontificum ea violare sit licitum, pro quorum custoditione præmium debet impetrare perpetuum, de cujus pietate confidimus, ut ea, quæ ministrantium Deo, usibus, a nobis pro ejus sunt amore collata, augeat potius, quam minuat. Si quis autem contra hæc venire tentaverit, ipse peccabit, admonitusque, si reatum suum digna emendatione non correxerit pœnas delicti sui in judicio Domini sustinebit: cunctis autem eidem cellæ justa servantibus, eique de suis largitionibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, æterna restitutio in vita perenni. Verum ut hæc sciantur a posteris, præsentem Chartam fecimus inde conscribi, quam banno roborantes, sigilli quoque nostri impressione jussimus insigniri. Hujus rei testes sunt *Eberhardus Propositus*, *Egilbertus Decanus*, *Chunradus Custos*, *Tuto Scholasticus*, Pero, Henricus, Udalricus, Sefridus; Canonici: Hacho, Bernolt, Hartnid, Gerunch, Megindach, & cœteri Parrochiani. Rapoto Comes, Walpoto, Hilerber de Stema, Arnold de Cunstat & frater ejus Wirnt, Heinrich de Hoflete, Pabo de Schönebrunnen, Hermannus Otgotz de Licendorff, Pillunc de Mamensdorff, & frater ejus Gundelach & alii multi.

Data & confirmata anno Dominicæ Incarnationis MCXXVI. Indict. XIV. IIX. Calend. Junii. feria III. In Synodo Babebergensi in præsentia Cleri & populi.

Ludewig. Volumine I. Bambergensium rerum pag. 1122. 1123. 1124.

Non judicavi hanc donationem separandam ab hoc Concilio anni 1124. in cujus subscriptione error est, nam anno 1126. currebat Indictio IV. non XIV. nec volui sine necessitate multiplicare Synodos.

CONVENTUS MOGUNTINUS

ANNO CHRISTI MCXXV.

Lotharius, Dux Saxoniæ, Catholicæ Ecclesiæ unitatis promotor & fautor, Rex eligitur.

IN festo S. Bartholomæi omnes totius Imperii Principes Moguntiam convenerunt. Ibi Episcopi, Duces, Marchiones, Comites omnes unanimiter Ducem Saxoniæ Luiderum sive Lotharium in Regem elegerunt, virum jam inde ab adolescentia in bellis experientissimum, & in victoriis frequentissimum.

Et quomodo Ecclesiæ studiosus defensor erat, adnitentibus Episcopis & maxime Archi-Episcopo Adelberto, & Archi-Episcopo Coloniensi Friderico, viris in Ecclesiasticis negotiis disertissimis, Rex effectus est. Erat enim vir totius prudentiæ, Sacerdotii & Regni fidelissimus coadunator, apud Deum summæ devotionis, providus in consilio, strenuitate bellorum fortissimus, & nullius unquam timore periculi perterritus, ita ut eisdem temporibus ad Regni gubernacula videretur esse decentissimus. Denique in schismate, quo Ecclesia Dei sub ejus antecessoribus Imperatoribus propter discordiam Regni & Sacerdotii plurimum

rimum desudabat, & multorum animos in utroque ordine Cleri videlicet & populi quodam erroris nubilo obtenebraverat, iste religiosus & Catholicus Princeps principalem animum gerens, quorumlibet Ecclesiæ fidelium defensor extitit, & tantis virtutum insignibus præditus, Henrico illius nominis quinto sine superstite hærede decedente, unanimi voto totius Ecclesiæ & Regni Principum, utpote fidelissimus Patronus in solium Regni est sublevatus.

Uxor ejus Donna Richoza Coloniæ a Friderico Archi-Episcopo in Reginam consecratur.

Annalista Saxo apud Eckhart. Tomo I. Script. Germaniæ ad hunc annum. pag. 657. 658.

Alii referunt hoc Concilium ad 1124, *Mansi ad* 1126.

Subjiciuntur Literæ Adelberti, Moguntini Archi-Episcopi, ad Ottonem Babenbergensem Episcopum, quibus invitatur ad Concilium Moguntinum, in proximo festo S. Lucæ habendum, in causa Gebehardi Herbipolensis ab Henrico V. investiti contra Rokkerum a Clero & populo Wirceburgensi electum, ab Adelberto consecratum, sed forte anno 1125. aut 1126. mortuum. Quo Nuntio mortis accepto Gebehardus ad Concilium Moguntinum advolavit, causam suæ nominationis ad Cathedram Herbipolensem, cujus Cleri partem sibi faventem habuisse videtur, Concilio probare annisus est; nec tamen ad Adelberto Moguntino Metropolita suo consecratus fuit. *Hæc ex Epistola Gebehardi Herbipolensis intrusi.*

Epistola Adalberti Archi-Episc. Moguntini, ad Ottonem Babenbergensem Episcopum, ut ad Concilium, in causa Gebehardi Herbipolensis, celebrandum veniat.

ADELBERTUS SANCTÆ MOGUNTINÆ ECCLESIÆ HUMILIS MINISTER, ET APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, VENERABILI ET IN CHRISTO DILECTO FRATRI ET COEPISCOPO, DOMNO OTTONI SALUTEM ET OBSEQUIUM FRATERNÆ DILECTIONIS.

Tribulationes & destructiones Herbipolensis Ecclesiæ, quæ & quantæ sint, quamdiu duraverint, jam dudum discretioni vestræ innotuit, quæ usque adeo multiplicatæ sunt, nisi in brevi eis provideat omnipotens & misericors Dominus, quod in proximo Ecclesia illa omnimodis annihilabitur. Unde si facultas suppeteret, vestræ Fraternitatis præsentiam & consilium potissimum desideraremus convenire, & de ipsius reformanda pace & religione, quantum Divina misericordia concedet sollicitius pertractare. Siquidem fratrum, *qui nobiscum sunt*, & quos præsentialiter vel per litteras nostras convenire potuimus, tale est consilium. Quoniam Venerabilis Frater & Coepiscopus noster *Rogerus*, viam universæ carnis ingressus est, (*a*) in hoc Ecclesiæ illi provideamus, ut promovendo Fratrem illum *Gebehardum* dispersa illius Ecclesiæ, dispensatoriè potius recolligamus, quam alium superimponendo, graviter quidem dispersa, funditus extirpare permittamus.

Quocirca fraterna vos commonemus caritate, ut præsentiam vestram conventui Fratrum nostrorum, quos in idipsum convocavimus *in proximo Festo B. Lucæ* velitis repræsentare, vel, si id minime valueritis adimplere consilio, quod Spiritus Sanctus vobis dictaverit, consensus vestri litteras non differatis transmittere. Valete & in orationibus vestris, nostri memoriam facite.

In Gretseri Divis Bambergensibus extat hæc Epistola.

(*a*) Circa 1126.

CON-

CONCILIUM EPISCOPORUM circa 1126.

SUB ROTHERO, MAGDEBURGENSI ARCHI-EPISCOPO.

DEDO, Filius Thiemonis Comitis, duxit uxorem Bertham filiam Wiperti de Groiz, genuitque ex ea filiam nomine Mathildem, quæ nupſit Comiti Rabodoni, Advocato Bambergenſi. Idem Dedo Eccleſiam in honore beati Petri Apoſtolorum Principis initiavit; quam præventus morte fratri ſuo conſummandam reliquit. Habens enim votum viſitandi ſepulcrum Domini, uxorem ſuam Bertham, quam repudiaverat, Epiſcoporum conſilio & judicio recepit, ſicque profectus in terram peregrinationis ſuæ obiit; & lignum Dominicæ crucis, Eccleſiæ, quam *in Monte Sereno* fundare, primus cœperat anno 1124. transmiſit.

Supplementum Chronici Montis Sereni, editum a Menckenio Tomo II. Script. German. pag. 309.

CONCILIUM WORMATIENSE

ANNO CHRISTI MCXXVII. HONORII II. PAPÆ IV. LOTHARII II. REGIS III.

Juſſu Honorii II. Pont. Max. ad inſtantiam Cleri Trevirenſis, qui Archi-Epiſcopi ſui Electionem vitioſam criminabatur, celebratum.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Innoteſcat univerſis Chriſtifidelibus &c. quo in loco, & quo tempore, quæ etiam conditione, Ego *Cunradus*, filius Comitis *Bopponis* de *Loufo*, beneficium, quod Pater meus de Epiſcopatu Wormatienſi habuerat, obtinuerim.

Tempore Concilii, quod Petrus, Diaconus Cardinalis, Domino Godefrido, Trevirenſi Archi-Epiſcopo, Wormatiæ, ad Expurgationem ſuam de Simonia, cum aliis Catholicis, inſtituit; Ego Cunradus, beneficio Patris mei, a Domino meo *Buggone*, Wormatienſi Epiſcopo inveſtitus ſum; ad cujus memoriam confirmandam, in familiam beati Petri, ſuper altare ipſius, VIII. ex Miniſterialibus meis melioribus, cum uxoribus, & filiis, & cum omni poſſeſſione & proprietate ipſorum ſecundum Legem Francorum, per manum Bertolfi Comitis contradidi. Ut autem hæc traditio in æternum firma & inconvulſa perſeveret, Domnus meus Buggo Epiſcopus, hanc cartam ſuper his conſcribi fecit, eamque ſigilli ſui impreſſione conſignavit, & auctoritate, & teſtimonio ſubſcriptorum Epiſcoporum, & Clericorum, ſive Laicorum corroboravit.

TESTES: Sigefridus, Spirenſis Epiſcopus, cum *Clero*, & *Familia* ſua.
Udalricus, Conſtantienſis Epiſcopus.
Henricus, Tullenſis Epiſc.
Clerus, & *Familia Wormatienſis.*
Brutgoz, Præpoſitus de Wileburg.

De Laicis Miniſterialibus S. Petri.

Gumbertus.
Rucgerus, Vice-Dominus.
Gerbodo, Thelonarius.

De Liberis.

Comes *Bertolfus.*
Wernhart, & *Liutolt*, filius ſuus.
Gerung de *Alenvelt.*
Cunrat de *Hohenhart*, & alii quam plures Clerici, & Laici.

Data XV. Kal. Junii. Anno Dom. Incarnationis MCXXVII. Indict. III. Regnante Domino *Lothario III.* Rege Romanorum Auguſto. *Buggone* Epiſcopo venerabiliter adminiſtrante, & providente ſanctæ Wormatienſi Eccleſiæ, anno VII. Ordinationis ſuæ.

Actum *Wormatiæ*, feliciter.

Ex Archiv. Epiſcop. Wormat.

In certam hujus Concilii notitiam nos inducit Charta præmiſſa. Acta quidem ulteriora ignorantur; hoc ſaltem conſtat, eo abſoluto, Godefridum, ſeu ſponte, ſeu coactum, dignitati ſuæ Archi-Epiſcopali ceſſiſſe, poſtquam eandem annis II. menſibus X. jam occupaverat.

SYNODUS MOGUNTINA

SUB ADELBERTO, CORAM PRÆLATIS ET RECTORIBUS ECCLESIÆ MOGUNTINÆ,

Anno Chrifti MCXXVII. Honorii II. Papæ IV. Lotharii II. Regis III.

Adelberti Archi-Epifcopi Conftitutio, qua injuftitia repreffa, LEGE SYNODALI *definivit, cœnobio S. Dyfibodi de locis, ubi creverint fruges, dandam effe Decimam.*

ADelbertus, Dei gratia Moguntinus Archi-Epifcopus, & Apoftolicæ Sedis Legatus. Notum effe cupimus omnibus tam futuræ, quam præfentis ignorationis fidelibus, qualiter anteceffor nofter, felicis memoriæ Dominus RUTHARDUS Archi-Epifcopus, inter cætera, quæ pro remedio animæ fuæ, ac pro fpe æternæ retributionis contulit fratribus, in cœnobio B. Disboti Deo militantibus, tradidit etiam Decimam omnium pertinencium ad Epifcopalem curiam, quæ fita eft in monte B. Albani Martyris, exceptâ Dominicali terrâ Epifcopatus S. Albani, S. Victoris, S. Mariæ in campo, S. Nicomedis Martyris. Quam laudabilem ac Deo placitam traditionem Banni fui obligacione fratribus firmavit; Nos quoque auctoritate noftra firmamus.

Eandem vero decimam exterius perfolvendam, in agris fcilicet, vineisque, pro fœcunditate aut fterilitate anni & fundi, prout juftitiæ regula exigit, & jam frequentior ufus fere apud omnes obtinuit, fuccedente mutabilitate temporum plebs, ut femper in deterius prona eft, poftponens juftitiam, collectis tantum frugibus, ac repofitis, menfuram quandam ad placitum denominatam, perfolvere, ufurpavit potius, quam elegit. Et hæc abufio perniciofior dantibus, quam accipientibus, iftis quidem in dampno temporalium rerum; illis vero in periculo animarum, multis annis perduravit; fratribus illi pro poffe renitentibus, nobisque annuatim de injuria fua proclamantibus.

Volentes ergo utrisque provifum ac confultum effe refpectu Divinæ mifcracionis, & affiduâ fratrum querela tandem devicti, tocius controverfiæ hujus finem hoc ordine fecimus.

Quæfita enim a *Prælatis & Rectoribus Ecclefiæ* noftræ fententia, & judicio, fuper hujusmodi caufa & diffenfione, decretum eft ab eis Lege Synodali: *In locis ubi creverint fruges, dandam effe decimam.* Quod tandem, cogente jufticia, rogatu quoque & exhortationis noftræ efficacia, pace & affenfu illorum collaudatum & confirmatum eft.

Ne vero aliquorum præfumpcio commutationem hanc, de non legali ad legale, de injufticia ad jufticiam tam rationabiliter factam, infringere, vel infirmare inpofterum audeat, fub anathemate interdiximus. Atque in fignum ac teftimonium totius actionis hujus, hanc Chartam confcribi, & figilli noftri impreffione infigniri fecimus, proprie manus fcripto roborantes eam. Sunt autem teftes hujus rei:

Folbertus Abbas S. Albani.
Werenboldus Abbas S. Jacobi.
Adelhun Abbas S. Disboti.
Bernhelm Abbas de Spanheim.
Richardus Major Præpofitus.
Cuno Cuftos & Decanus de Domo.

De Liberis autem.

Eggebertus Comes.
Adelbertus de Vehilbruccun.
Wolfram de Sueneburc.
Gerunc de Alveldun.
Ernold Vice-Dominus.
Warmunt Scultetus.
Thurimbertus Magifter Scholarum.
Hartmannus Cantor & Præpofitus S. Mauricii.
Godefcalcus Præpofitus S. Mariæ in Campo.

Hein-

Heinricus Bingensis Præpositus de Franckenevort, & alii multi de Clero.
Ruthart Magister Monete.
Emdcho, Walthere, Cunrad de Hepenhefte.
Obbrecht, Luiffrit, Folbrecht, Otto, & frater ejus Luiffrit.
Eigelwart, & frater ejus Dudo; & alii quam plures.
Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXXVII. Indictione V. Regnante Domino Lothario hujus nominis tertio, anno Regni ejus secundo.
Signum Domini Adelberti, Moguntini Archi-Episcopi, & Apostolicæ Sedis Legati.
Data Moguntiæ, per manum Godeschalci Capellani, VI. Kalend. Martii.

Gudenus, Codice diplomatico, exhibente Moguntiaca, N. XXVIII. Gœttingæ impresso 1743. *pag.* 65.

CONVENTUS SEU CONCILIUM IN UZEDOM, civitate POMERANIÆ,

SUB DUCE VRATIZLAO, (a) ET S. OTHONE EPISCOPO BAMBERGENSI, APOSTOLO POMERANORUM à PAPA MISSO.

Anno Christi MCXXVII. Honorii II. Papæ IV. Lotharii II. Regis III.

In eo ad fidem conversi Principes Pomeraniæ, & Populus baptizantur per Othonem Episcopum Bambergensem.

IN hac civitate Uznoym, quia prope fuit festum Adventus Spiritus Sancti, Dux terræ Urotizlaus toto corde Christianus instinctu Ottonis (*Episcopi*) Baronibus ac Capitaneis totius Provinciæ ac profectis in civitatem in festo Pentecostes *Conventum* indixit; causam simul Christi mandans, Evangelium & Evangelistam iterum advenisse Ottonem Episcopum. Itaque die statuto congregatis omnibus, adducto in medium Episcopo Dux ait: " En ad quod venistis, " en coram est nuncius Altissimi, pacem " fert non arma, neque vestra sibi sed " vosmetipsos Deo lucrari quærit. Attendite, oro, ante hoc quadriennium in superioribus hujus terræ partibus docens, me teste, nostis quoque & " ipsi, omnia replevit Evangelio. Et " tunc quidem has partes visitare volebat, sed Deo prosperante negotia sua, " toto anno illo sanctis operibus illic tenebatur occupatus, emensoque anno " ad sua reverti, suæ sedis rationibus " cogebatur, nec ad vos venire prævaluit, sed quæso, una mecum & hujus & illius viæ causas diligenter advertite. Longa deinde ad suos oratione habita SEFREDUS subdit.

Affuit Spiritus Sancti gratia & sermonem Ducis omnium cordibus, altius quam dici queat implantavit, omnesque pari voto pari consensu faciendum respondent, quidquid Episcopus suaderet, igitur occasione ipsius temporis *de adventu Spiritus Sancti, de remissione peccatorum, de variis charismatum donis, de bonitate & Clementia Divina, sermone mirabili Præsul* eos alloquens, Evangelizavit eis Jesum, & quosdam quidem jam dudum Christianos, sed errore paganismi denuo inquinatos præsenti sermone ad com-

(a) Wortizlaus, scribit *Gretserus Tomo VI. novæ editionis pag.* 645.

Primus secessus Sancti Ottonis, Bambergensis Episcopi, in Pomeraniam annuente Callisto II. Papa fuit anno 1124. die 24. Aprilis, rediit Bambergam 1125. 29. Martii. Secunda profectio Bamberga in Pomeraniam anno 1127. certè non post 1128. sub Honorio II. Bambergam reversus, obiit 1137. 30. Julii. Synodus hæc habita fuit post 2dum iter circa 1128. *Hæc ex Actis Ss. Antwerp. ad diem 2. Julii.*

compunctionem & validam cordis constructionem emollitos, cum magno fructu aspicientium per manus impositionem Ecclesiæ reconciliavit; alios autem certatim se offerentes Catechizatos ac pro tempore instructos baptizavit, & totam illam hebdomadam doctrinæ sacrisque operibus instabat, gaudio ingenti adeo, ut vere Spiritus Sancti præsentiam illic adesse certissime constaret. Itaque Concilium hoc non antea solutum est, quam Principes ipsi & omnes qui cum eis advenerant, baptismati Sacramenta percepissent.

Ex Sefredo coævo in vita S. Ottonis Lib. III. Cap. I. n. 124.

Apud Canisium Lection. antiquar. L. III.

Sed plenior & accuratior extat eadem *die 2da Julii pag.* 407. *apud Hagiographos Antverpienses.*

Rursum apud Gretserum Tomo VI. novæ editionis pag. 645.

Sermo, quem habuit S. OTTO ad primitivam suam Ecclesiam anno 1124. *fundatam, habitus Pirissæ in Pomerania, cum ab ea prima vice Bambergam rediret.*

FRatres æmulor vos Dei æmulatione, (*a*) vos enim omnes, qui in præsentiarum ad me audiendum convenistis, & me docente, Christo credidistis, & Christiani facti estis, una in Domino Ecclesia estis (*b*) desponsati per fidem Domino meo Jesu Christo; una, inquam, vos omnes Ecclesia estis, una & unica sponsa Domini mei Jesu Christi; quia universali Ecclesiæ per fidem incorporati estis. Sed quia ego per ejus gratiam hujus vestræ desponsationis auctor esse videor, nam ego & uni viro despondi vos: *Virginem* (c) *castam exhibere Christo.* Hinc est, quod *æmulor vos*, non tamen qualibet, sed *æmulatione Dei.* Nam & mala æmulatio esse potest, juxta illud Apostoli; *Sunt* (d) *quidam, qui æmulantur vos non bene*: æmulari autem est, velle indignari, licet pro *imitari* nonnunquam positum inveniatur: ut est; *æmulamini* (e) *charismata meliora.* Volo autem vobis indignari, & paratus vobis indignari, quod pridem dixi, *æmulor vos.* Quia sine tristitia & indignatione ferre non possum nec potero, si, quod absit, ad injuriam Domini mei JESU, cui per fidem vos despondi, cum diis alienis vos denuo contaminare volueritis. Hoc enim est fornicationis genus, quod maxime separat a Deo.

Fratres intendite; ecce: *Omnes* (*f*) *in Christo baptizati estis, & omnes Christum induistis*; originalium, & actualium peccatorum indulgentiam accepistis ab ipso, mundi estis & Sancti, non per nos sed per eum mundati, & sanctificati; quia ipse sanguine suo lavit peccata mundi. Nolite ergo iterum inquinare vos cultura idolorum. Nam hæc est immunditia, qua omnino Deus offenditur & penitus separat a Deo. Nolite vos prostituere corruptoribus & immundis spiritibus: soli Deo creatori vestro, nulli autem creaturæ Divinum exhibete honorem: ne indignatio ejus & furor veniat super vos: sed magis in fide spe & charitate proficite, ut benedictio ejus veniat super vos & super filios vestros, & ut ei credentes, & fidem operibus exornantes, *vitam* (g) *habeatis in nomine ipsius, qui de tenebris vocavit vos in admirabile lumen suum.* Certi enim esse, & nullatenus dubitare debetis, quia, si hanc, in qua hodie positi estis, innocentiam & sanctificationem, ipsius adjutorio servare usque in finem vitæ studueritis, non solum mortem evadetis æternam, sed etiam gaudium Regni cœlestis possidebitis in æternum.

Sed quia vita præsens sine peccatis duci non potest; *lucta enim & tentatio* (h) *est vita hominis super terram.* Discessurus a vobis, trado vobis, quæ tradita sunt nobis a Domino, arrham fidei sanctæ inter vos & Deum, septem videlicet.

(*a*) II. Corinth. XI.
(*b*) Lege: *desponsati*, & si Gretseri editio habeat *dispensati.*
[*c*] I. Corinth. VII.
(*d*) Gal. IV.
(*e*) I. Corinth. XII.
(*f*) Galat. III.
(*g*) Joan. V. I. Petr. II.
(*h*) Job. VII.

cet Sacramenta Ecclesiæ, quasi septem sanctificativa dona Sancti Spiritus, quibus utendo in laboribus & certamine hujus vitæ non deficere sed proficere vestra possit Ecclesia, suosque defectus reficere. Videte ergo & tenete; & ut sciatis, diligenter enumerate, quæ tradidimus vobis, discedentes a vobis.

Primum ergo Sacramentum est, quo jam imbuti estis, Sacrosanctus *Baptismus*. Hoc Sacramentum fratres mei, abhinc & semper tenere & venerari debetis, & parvulis opportuno tempore, scilicet in *Sabbato sancto Paschæ & Pentecostes*, per manus Sacerdotum, tradere debetis, certissime scientes, quod quicumque sine illo de de hac vita migraverit, & Regno Dei carebit, & insuper maledicti originalis pœnas luet æternas.

Secundum Sacramentum est *Confirmatio*, id est, unctio Chrismatis in fronte. Hoc Sacramentum victuris est necessarium, videlicet, ut Spiritus Sancti corroboratione muniantur, si armentur contra omnes tentationes & nequitias vitæ pugnaturi. Non autem usque in senectam differendum est, ut quidam putant, sed in ipsius adolescentiæ fervore percipiendum, quia illa ætas magis obnoxia est tentationibus.

Tertium Sacramentum est *unctio infirmorum*, quod ideo morituris necessarium est, quia in illa unctione per virtutem Spiritus Sancti remissio datur peccatorum, & ipse, qui moriturus est, contra spirituales nequitias, id est, contra malignos spiritus in exitu vitæ animabus insidiantes eadem Spiritus Sancti virtute pugnaturus armatur. Hoc omni Christiano in agone mortis ardentissime desiderandum & devotissime percipiendum est, utpote remedium animæ certissimum.

Quartum Sacramentum est *corpus & sanguis Domini*. Hoc Sacramentum victuris & morituris est necessarium, sive vivimus sive morimur, hoc viatico semper est utendum. Est enim cibus animæ verus, vitam in se habens æternam. Unde frequenter Missæ celebrandæ sunt, & vos ad easdem devote convenire debetis, ut sæpius huic viatico communicetis. Quod si non potestis, quia carnales estis, huic tam Sanctissimæ rei per vos ad omnes Missas participari, saltem per mediatorem vestrum scilicet Sacerdotem, qui pro vobis communicat, fideliter, reverenter & devote Missas audiendo communicate. Oportet tamen & vos ipsos ter vel quater in anno, si amplius fieri non potest & confessionem facere, atque ipsi Sacramento communicare.

Quintum Sacramentum est *per pœnitentiam reconciliatio* lapsorum, id est, ipsorum, qui post baptismum propter graviores culpas ab Ecclesia projecti, satisfactione pœnitentiæ iterum ei reformantur, & hoc Sacramentum quasi malagma & recuperatio est cadentium in pugna & vulneratorum.

Sextum Sacramentum est *conjugium*, id est, copula matrimonialis. Quinque autem Sacramenta superiora quasi generalia sunt, & omni Christiano necessaria. Istud autem quasi particulare est, quia non omnibus necessarium est, sed eis tantum, qui se continere non possunt. Et sicut ad superiora Sacramenta omnes homines trahendi sunt & invitandi: ita nullus ad hoc trahendus vel invitandus est, nisi, qui, ut dictum est, se non continent, sed vaga & illicito concubitu se se polluunt & commaculant. His enim suadendum est, ut infirmitati suæ honestiori subveniant remedio. Vos autem, qui usque adhæc tempora non Christiani sed pagani fuistis, Sacramentum conjugii non habuistis: quia fidem uni thoro non servastis, qui voluistis, plures habuistis uxores, quod deinceps vobis non licebit: sed unus vir unam tantum habere debet uxorem, & una unum, quod amplius est, a malo est. Si quis ergo in vobis est, qui plures habuerat uxores ante baptismum, nunc unam de illis, quæ sibi magis placet, eligat, dimissisque aliis, hanc solam habeat, ritu Christiano. Et partus, *inquit*, femineos audio, quia vos o mulieres, necare consuevistis: quod quantum abominationis habeat, exprimi sermone non potest. Videte, si hoc vel bruta animalia faciant fœtibus suis. Parricidium hoc non fiat modo in vobis, quia sine gravissima pœnitentia dimitti non potest: sive igitur sit masculus, sive femina, diligenter nutrite partus vestros. Dei enim est & marem procreare & fœminam.

Septi-

Septimum itaque Sacramentum eſt *ordinatio* ſive conſecratio Clericorum, quod & ipſum particulare eſt & non generale; quia non omni homini neceſſarium: quamvis enim omnes homines indigeant Clericis, non tamen eſt neceſſarium, omnes homines fieri Clericos. Ad ipſum tamen Sacramentum, qui moribus & ſcientia magis idonei ſunt, invitandi ſunt potius, quam trahendi. Unde adhortor vos & invito, quia cogere non debeo, ut de liberis veſtris ad Clericatum tradatis liberalibus ſtudiis prius diligenter inſtructos, ut ipſi per vos, ſicut aliæ gentes de lingua veſtra latinitatis conſcios poſſitis habere Clericos & Sacerdotes.

Iſta igitur ſeptem Sacramenta, quæ iterum veſtri cauſa enumerare libet, id eſt, baptiſmum, confirmationem, infirmorum unctionem, Euchariſtiam, lapſorum reconciliationem, conjugium & ordines per nos humiles ſuos paranymphos cœleſtis ſponſus in arrham veræ dilectionis vobis, Eccleſiæ ac ſponſæ ſuæ transmittere dignatus eſt. Quapropter omni honore ac reverentia eadem Sacramenta ſervate, diligite & veneramini; docete ea filios veſtros, ut memoriter teneant, & diligenter obſervent in omnes generationes. Ecce habetis Eccleſiam, habetis Sacerdotem, de his omnibus, & quæcunque ſunt neceſſaria vobis, abundantius vos inſtruere ſcientem. Ipſum ergo, ſicut me audietis, honorantes & amantes eum, & quæcunque vobis dixerit, facientes. Et nunc ego vado, iterum cito reverſurus ad vos: valete in Domino.

Hunc ſermonem S. Othonis ad naſcentem ſuam in Pomerania Eccleſia habitam ponit *Andreas Biographus, editus a Gretſero Tomo X. novæ editionis pag.* 620, habitum poſt inchoatam primam converſionem circa 1124. 1125. ſed quo anno præcisè ſit habitus nil intereſt: hoc intereſt, ut Catholici ſciant, quam fidem prædicaverit Otto in Pomeraniam invitatus a Duce, & miſſus a Papa Calliſto II. prædicaverit Neophytis Pomeranis, nempe Catholicam prorſus, qualem hoc Sæculo XVIII. Catholici profitemur.

Urſpergenſis præter hæc dogmata a S. Othone annuntiata, narrat Leges diſciplinæ & morum noſtris conformes, præſcriptas Neophytis deſumptas ex Diſciplina Germanicæ Eccleſiæ.

Secundò. Ideo hanc doctrinam habitam in Pomerania apud Conventum Neophytorum, ſive Piriſſæ, ſive Damini, ſive Uzedomi adſcripſi, ut pateat orbi honorato impudentia & calumnia tum Danielis Crameri in dem groſſen Pomerſchen Kirchen-*Chronico* a Gretſero pro merito caſtigata ac confutata *Tomo X. novæ editionis*, qui auſus eſt ſcribere a S. Othone non fuiſſe Chriſtum Pomeranis prædicatum, ſed papiſticas ſuperſtitiones: tum aliorum Acatholicorum, qui non ceſſant etiam hoc Sæculo eleganti ſcurrilibus calumniis Sanctiſſimi Apoſtoli vitam & prædicationem lacerare, non obſtantibus clariſſimis coævorum teſtimoniis a Gretſero & Bollandiſtis ad diem II. Julii collectis.

SYNODUS HERBIPOLENSIS

ANNO CHRISTI MCXXVIII. HONORII II. PAPÆ V. LOTHARII II. REGIS IV.

1. *Excommunicatio Conradi, Ducis Anti-cæſaris, primò in Synodo Wurceburgenſi, deinde in Papienſi.*
2. *Excommunicatio iterata Gebehardi, Wurceburgenſis Epiſcopi.*
3. *Uthalricus, Abbas Fuldenſis, Conrado Anticæſari favens deponitur.*

EOdem anno. XV. Kal. Januar. Cunradus (*a*) frater Friderici Ducis Suavorum Regium nomen machinantibus quibusdam Principibus tyrannicè ſibi impo-

(*a*) Conradus, Dux Franciæ Orientalis, ex ſententia fratris Friderici Regium nomen ſumpſit, circa exitum anni 1127. anno ſequenti alpibus tranſcenſis, in feſto S. Petri Modoctiæ ab Anſelmo Mediolanenſi Rex Italiæ coronatur, quam coronationem Papa Honorius per Legatum in Synodo Papienſi irritam declaravit, & Conradum jam in Germania excommunicatum excommunicavit.

imposuit, propter quod a tribus Archi-Episcopis Moguntino, Saltzburgensi, & Magdeburgensi & eorum Suffraganeis excommunicatus est, & ab omni Ecclesia anathematizatus.

Anno Domin. Incarn. MCXXVIII. Rex Natale Domini Wirceburch celebrat, ibique sinistro rumore percellitur; Conradum fratrem Friderici Ducis Alsatiæ Regium nomen usurpasse: hac de causa Magedaburgensis & Moguntinus, & Salseburgensis Archi-Episcopi aliique plures, qui tunc aderant, Episcopi Conradum excommunicant.

Annalista Saxo ad hunc annum.
Eckbarti Annales Bosovienses ibid.

Anno MCXXVIII. Rex Natale Domini Wirceburc celebrans, Embrichonem (b) eidem præfecit Episcopio, ejecto Gebehardo, ubi & Cunradus Regni rebellis excommunicatur.

Adalberti Archiepiscopi Moguntini ad Ottonem Bambergensem Epistola.

ADalbertus Dei gratia Moguntinus Archi-Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus venerabili fratri Ottoni Bambergensi Episcopo salutem in Domino. Excommunicationem, quam communicato Fratrum, & Principum consilio Cunradus Rex in invasorem Regni fecimus, jam dudum fraternitati vestræ per litteras nostras significavimus, sed quia dubitamus, utrum ad vos pervenerint litteræ (audivimus enim quod Ecclesia vestra velit eas ignorare) mittimus iterum præsentes apices monentes, ut, quod fecimus nos, & vos faciatis, & per omnes Ecclesias vestras ipsum iniquitatis autorem cum fautoribus suis a communione Christiana, & omni Divino officio arceri præcipiatis.

Ex MS. codice Zwetalensi descripsit Cl. Schannatus.

Epistola Wirtzburgensis Ecclesiæ ad Ecclesiam Bambergensem, in causa Gebehardi, quod eum recepissent, semel & iterum excommunicatum.

OBstupescimus valde, quomodo hominem illum, Dominum Gebehardum, quem Romana Ecclesia damnavit, quem Metropolitanus noster cum Archi-Episcopis & Episcopis multis, consequenter ab Ecclesia sequestravit, vos in Catholica communione recepistis, & si cum gratia vestra dici potest, quasi ad contemptum Romanæ immo totius Ecclesiæ, sicut scriptum est, cornu peccatori dedistis. Hoc autem eo magis miramur, quod Præpositus vester Dominus E. præsens apud nos erat, quando Dominus Archi-Episcopus publice in pulpito nostro renuntiavit Clero & populo, quomodo, quibus de causis, quove ordine Romana Ecclesia eum a communione Ecclesiæ sequestrâsset, & quomodo postmodum Dominus Gerhardus Cardinalis una cum ipso & cum tota Ecclesia ibidem congregata in *Argentinensi* Ecclesia, præsente Domino Rege sententiam excommunicationis in eum promulgasset. &c.

Epistola Honorii II. P. Max. ad Adalbertum Archiepisc. Mogunt. de Gebehardo electo Wirtzburc.

HONORIUS Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Adalberto Moguntino Archi-Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Super causa Gebehardi, de quo nos rogavit tua fraternitas, fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilium requisivimus. Ex eorum ergo deliberatione provisum est, quod in Herbipolensi Ecclesia Gebehardus idem, non debeat ulterius Episcopatûs apicem obtinere. Dat. Lateran. IV. Non. Martii.

Anno 1127. Udalricus Abbas Fuldensis, ob inordinatam vitæ suæ rationem, a Patribus ibidem synodaliter congregatis depositus fuit, & in ejus locum substitutus Henricus I. à Kemnata.

OTTO-

Uthalrici XXIX. Abbatis Fuldensis viri cætera præclari peccatum fuit, quod Conrado Duci contra Lotharium II. Imperatorem adhæserit. *Breviarium Fuldense editum a Paullini in Syntagmate rerum Germaniæ pag.* 433.

(b) Præpositum Erfurtensem.

OTTONIS, HALBERSTADENSIS EPISCOPI, ACCUSATIO IN SYNODIS MOGUNTIÆ, ROMÆ, ET PISIS, EJUSDEMQUE ABSOLUTIO LEODIENSI IN SYNODO RESTITUTIO: SED POST PISANAM SYNODUM DEPOSITIO.

Anno Chrifti MCXXVII. Honorii II. Papæ IV. Lotharii Regis III.

OTHO (a) Halberftadenfis implorat opem Othonis Bambergenfis Epifcopi adverfus Calumniatorem.

OTTONI Domino fuo venerabili, Sanctæ Bambergenfis Ecclefiæ Pontifici Otto per mifericordiam Dei Halverftatenfis Ecclefiæ Epifcopus, fi quid eft, cottidianum laudabilis vitæ incrementum. Si rerum veftrarum ftatus profperitate fruitur, fi condigne morum ac vitæ compofitioni concordat urbs, ut decet, congaudemus, fi non, condolemus, quia idipfum de fidelitatis veftræ excellentia fperamus, immo certum habemus, fi ergo rerum noftrarum ftatum fcire cupitis, ut amico, cui maxime confidimus, cui fluctuantis navis noftræ anchoram, ingruente tempeftate, configimus, ut amico, in quem poft Deum, unicum ac certiffimum imbecillitatis noftræ fuftentaculum effe non diffidimus, dilectioni veftræ intimamus. De proxima ifta, quam noftis expeditione, in qua ob honorem Regni & Ecclefiæ diligentius ceteris, laboravimus reverfi, domi, ubi pacem & concordiam, ubi tranquillitatem & recreationem invenire debuiffemus, odium & difcordiam, fchismata & inteftina bella, peccato heu! noftro exigente, invenimus, adverfarii enim noftri N. & N. Ecclefiæ noftræ Canonici, qui prius nobis adverfabantur, quibusdam folitæ fraudis induftriâ collectis, inter quos N. nominatiffimus & quafi Primicerius eft, iterum in nos infurrexerunt, Cleroque convocato, lacrymabilia & inaudita crimina, quæ Deo tefte nunquam commifimus, in faciem nobis objecerunt, inter quæ, electionem noftram non fuiffe canonicam, ideoque & confecrationem noftram afferunt effe irritam. Infuper quoque & Simoniam, nefcimus quam N. nobis imponit, quam fe Canonica auctoritate, ftatuto tempore probaturum afferit; Nos ergo tanta tamque inaudita infamatione perculfi Moguntinæ Sedis Archi-Epifcopo rem omnem fcriptis aperuimus, hujusque rei confilium & auxilium quæfivimus, qui litteris ad Ecclefiam noftram directis, omnimodis nos excufavit, electionemque noftram, juftam ac canonicam fuiffe comprobans, criminatores noftros reconciliari nobis condigna fatisfactione præcepit. Illi vero obftinationi fuæ, juffa Archi-Epifcopi poftponentes, nec non Magdeburgenfis Archi Epifcopi, qui ad fedandam hanc motionem Regio juffu advenit, monita fpernentes, adhuc in confpirationis fuæ vecordia perfiftunt, quapropter aram mifericordiæ veftræ amplectentes ad vos confugimus, debitumque clementiæ veftræ auxilium humiliter imploramus. Quicquid enim alii faciant, veftrum eft ex gemino caritatis vincu-

(*a*) Defuncto Reinhardo anno gratiæ MCXXIII. Indict. I. Regni autem Henrici V. Imperatoris XIX. Halberftadenfis Ecclefiæ curam fufcipit Dominus OTTO vir pacificus & manfuetus. *Chronicon Halberftadenfe Leibnitii Tomo II. Script. Brunsvicenf. pag.* 131.

Videtur Otto folius Imperatoris Lotharii nutu inductus in Cathedram Halberftadienfem nullâ vel fpretâ prævia electione Cleri: hinc a Clero fuit accufatus, primo Moguntiæ, 2do Romæ, 3tio in Concilio Pifano: & ob Simoniam & Inveftituram fine prævia Cleri electione citatus eft.

vinculo nobis aſſiſtere, labantesque brachio virtutis veſtræ ſuſtentare; proinde rogamus, quatenus litteras veſtras ad *Metropolitanum* dirigatis, & ut in cauſa noſtra diligens eſſe velit, cauſa veſtri efflagitetis. Rogamus quoque, ut ubicunque Concilium pro hujus rei diſcuſſione convocetur, vos adeſſe velitis.

SYNODUS MOGUNTINA anni 1127.
ALTERA 1128.

Epiſtola Adalberti Archi-Epiſcopi Moguntini, qua Ottonem Epiſcopum Bambergenſem convocat ad Synodum in cauſa Ottonis Halberſtadenſis.

ADalbertus Dei gratia Moguntinus Archi-Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, venerabili Confratri ſuo Ottoni Babenbergenſi Epiſcopo ſalutem cum oratione & obſequio. Controverſia magna inter fratrem noſtrum Dominum Halberſtatenſem, & quosdam fratres ſuos regulares eſt habita. Vocatis autem utrisque in *audientiam*, quia terminare eam & ad concordiam eos revocare, nulla ratione cum fratre noſtro Hildenheimenſi potuimus, pluribus fratribus noſtris ad hoc nobiscum pertractandum deſtinatis, *ſecundò in audientiam* veniendi *diem & locum* eis ſtatuimus: ſed quia prudentia veſtra in negotio hoc nullo modo poſſumus carere, rogamus vos & rogando auctoritati noſtra injungimus, quatenus *proxima Dominica poſt Aſcenſionem Domini* nobiscum ad diffiniendam hanc diſcordiam velitis adeſſe.

Ad annum 1129. *refert hanc Epiſtolam ex Synodo Romana Cl. Samuel Lenzen in Hiſtoria Diplomatica Halberſtadii.*
Chronographus Saxo ad annum 1128.
Annales Boſovienſes apud Eckhartum ad 1008. *ſed Lentzenii opinio præferenda videtur.*

Fuit igitur anno 1127. vel 1128. Synodus Moguntiæ, cujusmodi & nos jam retulimus: ſed anno 1128. in ſecunda Synodo vel audientia Moguntina videtur Otto abſolutus fuiſſe, quanquam hujus actionis apud Serarium & alios mentio clara non extet.

SYNODUS ROMANA anni 1129.

OTTO autem Halberſtadenſis Epiſcopus, Ordinationis ſuæ anno VI, apud Dominum Papam Honorium accuſatus eſt de Simoniaca pravitate. Unde ipſum a dignitate Epiſcopali deſtituens, Literas Apoſtolicás deſtinavit Halberſtadenſi Eccleſiæ in hunc modum: Honorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis Filiis ſuis, Clero & Populo Halberſtadenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Otto veſter Epiſcopus in noſtra & fratrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium præſentia de Simonia accuſatus, & per teſtes ſufficientes de Simonia, quam in conſecratione Burnenſis Eccleſiæ de XXX. ſolidis, pro ipſius conſecratione per pactionem ab eo requiſitis commiſerat, convictus eſt. Ideoque, quoniam in hoc ſibi parcere non potuimus nec debuimus, & in hanc partem exardeſcere ſemper debet Eccleſia, communicato conſilio in eum depoſitionis ſententiam protulimus. Ea propter per præſentia ſcripta vobis mandamus, quatenus invocata Spiritus Sancti gratiâ, idoneam perſonam canonice vobis in Epiſcopum eligatis.

Idem Chronicon Halberſtadenſe Loco cit. pag. 134.

SYNODUS LEODIENSIS anni 1131.

ANno MCXXXI. in Conventu Leodii Innocentii II. & Lotharii II. & totius Regni Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Ducum, Marchionum, Otto Halberſtadenſis Epiſcopus, petitione Regis & totius Eccleſiæ ab Innocentio II. priſtino honori reſtituitur.

Abbas Stadenſis in Chronico, excerptus a Binio Tomo III. P. II.
Chronicon Montis Sereni Tomo II. Script. Menckenii pag. 174.

Sed Chronicon Halberstadense

Anno MCXXXIII. quando Romæ Lotharius a Domino Papa Innocentio cum multa gloria & honore Imperiali diademate sublimatus narrat, quod eodem Imperatore, & multis de Teutonia Episcopis pro Ottone Halberstadensis Ecclesiæ Episcopo intercedentibus, mediante Domino Adelberto Moguntinæ Sedis Archi-Episcopo, fuit Cathedræ suæ restitutus.

Chronicon Halberstadiense Tomo II. Leibnitii Script. Brunsvic. pag. 135.

Quod & refert Cl. Lentzen & verosimilior videtur restitutio Cathedræ Leodii facta 1131. *quam illa Romæ* 1133.

SYNODUS PISANA anni 1134.

OTTO autem Halberstadensis Episcopus IV. anno, postquam restitutus fuit sedi suæ, Xmo vero Ordinationis suæ anno *in Pisano Concilio* (a) à Papa Innocentio Patriarcharum, & multorum, qui aderant, Pontificum judicio & consilio, irrecuperabiliter, jam secundo Episcopali destitutus est dignitate.

(*a*) Anno MCXXXIV. *Chronicon Halberstadense, Annalista Saxo idem narrat.*

Anno igitur Domini 1137. Indict. XIV. Regni vero Lotharii undecimo, Imperii tertio, Ecclesia Halberstadensi non habente Pastorem, Imperator Lotharius, Gerhardus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, Adelbertus Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus, Bernhardus Hildesiensis Episcopus cum multis religiosis viris conveniunt ad electionem, & invocatâ Spiritus Sancti gratiâ Dominus RUDOLPHUS, vir patiens & quietus, & vita honestus, pari voto totius Cleri, & unanimi consensu populi in Episcopum est electus, in Dominica Lætare Jerusalem, 6. Non. Martii. Auctoritate igitur tam celebri personarum venerabilium confirmatus, post proximum Pascha in Dominica, quâ cantatur Jubilate, Idibus Aprilis a prædicto Archi-Episcopo Moguntino Herpersfordæ benedictionem Episcopalem rite accepit.

Chronicon Halberstadense apud Leibnitz. Tom. II. Loc. cit.

Cl. Lentzen ad annum 1136. *refert electionem Rudolphi.*

CONVENTUS PLURIUM EPISCOPORUM IN LAUFFEN DIŒCESEOS SALISBURGI,

Anno Christi MCXXIX. coram Saltzburgensi Archi-Episcopo Conrado, quod Ellinehardus, Episcopus Frisingensis, non fuerit complex hæreseos Wicberti, sed sit mortuus in communione Sanctæ Ecclesiæ.

ANno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo nono, primo Kalend. Augusti collectis apud Lauffen quam pluribus, Saltzburgensis, Ratisponensis, Pataviensis, Eistelensis Ecclesiarum Clericis religiosis & litteratis, insuper Abbatibus & monachis, & non modico Principum ac populorum collegio, coram Archi-Episcopo Saltzburgensi Conrado & Reginberto Brixiensi Episcopo, inter cætera causa *Ellinhardi* Frisingensis Episcopi jam dudum ante annos quinquaginta duos feliciter viam universæ carnis ingressi ventilata est. Quia hoc ipso tempore GREGORIO VII. qui & Hildebrandus sub hæresi Wicbertina quibusdam defunctus esse putabatur, a præfato Metropolitanæ Sedis Archi-Episcopo plus annos quinquaginta duos, quibus sine reclamatione canonica tam mortuis quam vivis vere Catholicus est habitus, irrationabiliter est impetitus; cum utique duobus annis prius ipse de mundo excesserit, quam

quam Wicbertus hæresiarcha Rom. Sedis Cathedram invaserit. Sed beati viri meritis exigentibus probabili septem probabilium virorum testimonio canonice excusatus; imo meritorum prærogativa & miraculorum attestatione venerabilis semper inventus, reverentiam, quam apud Dominum & homines dudum vivens emeruit, etiam mortuus, Domino propitiante irrefragabiliter obtinuit. Probatum est itaque legitimo ac canonico Rudolphi Abbatis Distellensis testimonio, Diethmari S. Andreæ Decani, Hannonis Presbyteri, Chunonis Parochiani, Herigeri Presbyteri de Glane, cœterarumque venerabilium personarum, quod venerabilis idem Episcopus in gratia Sedis Apostolicæ & communione matris Ecclesiæ indubitanter obierit. Ne ergo digna tantæ rei memoria ulla posterorum oblivione deleatur, placuit, ut hujus comprobationis notitia per litterarum indicia posteris nostris transmittatur. Acta sunt hæc præsentibus subscriptis testibus, & aliis quam pluribus. Abbas Saltzburgensis Paldricus, Abbas Scitensis, Guntherus, Præpositus Saltzburgensis, Hermannus Præpositus Chimescensis, Hartmannus Præpositus de Perchteres, Kademan Libernuinus Præpositus de Garze, Hugo Præpositus de Onne, Heribertus, Præpositus de cella: Burchardus, Wernherus Canonicus Ratisponensis, Frisingenses canonici, Adalpero Præpositus, Adalpertus Decanus, Wichmannus Præpositus S. Viti, Henricus Præpositus S. Castuli, Hoholdus Præpositus S. Zenonis, Waltherus Tridentinus Præpositus.

Hundius in Additamentis ad Episcopos Frisingenses post Metropolim Salisburgensem.

Ex quo Lunig Parte II. Spicilegii Ecclesiastici, tacito fonte pro more.

Epistola Adelberti ad Ottonem Babenbergensem, de Gebehardo Herbipolensi Episcopo. Invitatoria ad Synodum Moguntinam, festo S. Lucæ, pro iterata promotione Gebehardi ad Cathedram Herbipolensem.

Anno Christi MCXXX. Innocentii II. Papæ I. Lotharii Regis VI.

Adelbertus Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ humilis Minister, & Apostolicæ Sedis Legatus, Venerabili, & in Christo dilecto Fratri & Coepiscopo, Domino Ottoni salutem & obsequium fraternæ dilectionis. Tribulationes & destructiones Herbipolensis Ecclesiæ, quæ & quantæ sint, quamdiu duraverint, jam dudum discretioni vestræ innotuit; quæ usque adeo multiplicatæ sunt; nisi in brevi eis provideat omnipotens & misericors Dominus; quod in proximo Ecclesia illa omnimodis annihilabitur. Unde si facultas suppeteret, vestræ fraternitatis præsentiam & consilium potissimum desideramus convenire, & de ipsius reformanda pace & religione, quantum Divina misericordia concedet, solicitius pertractare. Siquidem fratrum, qui nobiscum sunt, & quos præsentialiter vel per litteras nostras convenire potuimus, tale est consilium, quoniam venerabilis frater & Coepiscopus noster Rogerus (a) viam universæ carnis ingressus est, in hoc Ecclesiæ illi provideamus, ut promovendo fratrem illum Gebehardum, dispersa illius Ecclesiæ dispensatorie potius recolligamus, quam alium super imponendo graviter quidem dispersa funditus extirpari permittamus. Quocirca fraterna vos commonemus charitate, ut præsentiam vestram conventui fratrum nostrorum, quos in idipsum convocavimus, in proxima

(a) Ruggerus, legitimus Ecclesiæ Wirtzburgensis Episcopus, circa 1122. Bucelino dicitur cessisse, & Cœnobio Swarzacensi inclusus obiisse 1130. Gebehardus intrusus ab Henrico V, a nulla vel minori parte Cleri electus, *à Bucelino* simpliciter intrusus dicitur: at ipse in literis suis a maxima Cleri parte electum se scribit.

ximo festo beati Lucæ velitis repræsentare; vel si id minime valueritis adimplere, consilio, quod Spiritus S. vobis dictaverit, consensus vestri literas non differatis transmittere. Valete & in orationibus vestris nostri memoriam facite.

Gretserus Tomo X. novæ edition. p. 678.

Epistola Honorii Pontif. de eodem Gebehardo.

Decretalis ex consilio Episcoporum & Cardinalium, de Gebehardo Ecclesiæ Herbipolensi non restituendo.

HOnorius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Adalberto Moguntino Archi-Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Super causa Gebehardi, de quo nos rogavit tua fraternitas, fratrum nostrorum Episcoporum, & Cardinalium consilium requisivimus. Ex eorum ergo deliberatione provisum est, quod in Herbipolensi Ecclesia Gebehardus idem non debeat ulterius Episcopatus apicem obtinere. Data Lateranis IV. Non Martii.

Gretserus Tomo X. novæ edition. pag. 679.

Honorius II. obiit 14. Februarii anno 1130.

Baronius ad annum 1129. N. III. scribit ex Dodechino: Halberstadensem Episcopum a suis Canonicis accusatum fuisse, ab Apostolicæ Sedis Legato depositum: an a Matthæo, Episcopo Albanensi, Legato in *Galliam* misso hoc anno 1129? an a Moguntino, qua Legato Apostolicæ Sedis, id factum fuerit, nescio.

Epistola Adelberti ad Ecclesiam Herbipolensem, de eodem Gebehardo.

Exhortatoria ad concordiam, & schisma in electione Antistitis vitandum.

ADelbertus Dei gratia sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ humilis Minister, & Apostolicæ Sedis Legatus, dilectis in Christo filiis Wirzeburgensis Ecclesiæ Prælatis, & subditis Clero & populo, esse in Christo cor unum & anima una. Condolentes ex corde Ecclesiæ vestræ, tot jam ac tantis tribulationibus attritæ, exhortamur vos in Domino, ut simplices & unanimes in domo Dei ambulare satagatis; quia scriptura teste *in scissura mentium Deus non est*. Et quæcunque mala vos adinvenerunt, ex discordiæ radice processerunt. Unde oportet, ut ad hanc extirpandam diligentius invigiletis, Deumque & singuli & in commune precemini, quatenus misericordiæ suæ oculis vos recipiat, & talem finem diuturnæ calamitati vestræ imponat, ne deinceps talis oppressionis periculum vobis incumbat. Concordia siquidem, sicut sæpe audistis, parvæ res crescunt, discordia magnæ dispereunt. Quod quia manifesto experimento didicistis, commonemus, ut tanti mali perniciem devitare studeatis.

Ne vero voluntatis nostræ ignorantia vos in aliquo commoveat, vel diffidere faciat: noverit pro certo dilectio vestra, nos idem sentire, quod omnes Catholici de vestra sentiunt Ecclesia, id ratum tenere, quod Romana sanxit & denuntiavit auctoritas: cujus terminos nec debemus nec volumus transire, quia hæreticum constat esse, quisquis Romanæ Ecclesiæ etiam in tam justo judicio non concordat. Quod si adeo nos concordes in justitiæ causa perpenditis, ut locum vestrum ab invasione impetitoris alicujus, si quis forte emerserit, defendere confidatis, in nomine Domini, quidquid vobis gratia ejus inspiraverit, confidenter aggrediamini: si quo minus, salubriori, & propensiori consilio res tractetur; quia consulta & considerata dilatio, licet gravis & onerosa sit laborantibus, plus tamen utilitatis solet afferre, quam festinata, & indiscreta rei præcipitatio. Cupientes autem in omnibus, vobis esse provisum, nihil aliud audemus ad præsens persuadere: ne si forte res in contrarium cesserit, quod Deus avertat, omnem culpam in me, quasi auctorem, refundatis.

Gretserus Tomo X. novæ edition. pag. 679.

Epiſtola Innocentii II. Pontif. ad Adalbertum Archi-Epiſcopum Moguntinum.

INN. ſervus ſervorum Dei, Adalberto, venerabili fratri Moguntino Archi-Epiſcopo & Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Scimus quidem zelum Dei vos habere, quem tamen ſalva charitate condire debetis, ut nihil indiſcrete, ſed omnia rationabiliter & ſecundum Deum agere valeatis. *Wirzeburgenſis quippe Eccleſiæ* deſignatus Epiſcopus ſe a vobis contra juſtitiam gravari & præjudicium ſuſtinere, querelas nobis depoſuit, quod ipſum neque accuſatoribus neque teſtibus legitimis convictum, neque ſponte confeſſum, neque canonice examinatum, tanquam Eccleſiæ invaſorem, in qua ſe electum aſſeruerat, & *Simoniacum* pronuntiatum, communione Eccleſiaſtica privaveritis. Quod ſi ita eſt, fraternitatem veſtram a canonicis regulis divinitus inſpiratis, liquido conſtat deviaſſe. Ait enim ſacra canonum auctoritas, *adimi Epiſcopo* (a) *Epiſcopatum non debere, antequam cauſæ ejus exitus appareat.* Item exempla *Felicis Papæ ſcripta Athanaſio*, (b) *& cæteris Epiſcopis in Alexandrina Synodo congregatis.* " De judiciis Epiſcoporum, unde nos conſuluiſtis, diverſas a Patribus regulas invenimus conſtitutas. Quidam enim ad repellenda imperitorum machinamenta, & ſuas præparandas reſponſiones & teſtes confirmandos, & Concilia Epiſcoporum quærenda, annum & ſex menſes mandaverunt concedi. Quidam autem annum, in quo plurimi concordant. Minus vero quam ſex menſes non reperi; quia hæc laicis indulta ſunt: quanto magis Sacerdotibus. Induciæ namque non ſub anguſto tempore; ſed ſub longo ſpacio concedendæ ſunt, ut accuſati ſe præparare & teſtes parare, atque contra inſidiatores ſe pleniter munire valeant. Judices (c) autem & accuſatores tales eſſe debent, qui omni careant ſuſpicione, & ex charitatis radice, ſuam deſiderent ſententiam promere.

Gretſerus Tomo X. novæ editionis. pag. 680.

[a] Felix cum LXX. Epiſcopis in Synodo ante medium: *Epiſtola II. Burchardus L. I. C.* 181. V. *Tomi I. noſtri pag.* 251. *C. V.*
(b) Felix II. in Synodo Romana *Epiſtol. I. C.* 20. *ex quo Burchardus L. I. C. CLXXX.*
(c) Felix II. in Epiſtola Cap. 21.

Adelberti Archi-Epiſcopi Moguntini reſponſoria & apologetica Synodi Moguntinæ, Gebehardum ob probata crimina examinatum, convictum, excommunicantis, & refutatoria eorum, quæ amici Gebehardi ſub- & obrependo Innocentio II. allegaverant.

INnocentio Sanctiſſimo & univerſali Papæ, Adalbertus Dei gratia Sanctæ Moguntinæ Eccleſiæ humilis Miniſter, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, debitam ut tanto Apoſtolico obedientiam, & devotiſſimam, ut tanto Patri, reverentiam.

Acceptis Sanctitatis veſtræ Literis ſuper cauſa fratris illius, ſi tamen frater dici debet, qui ſibi ſanctæ Wurzeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopatum uſurpat: intelleximus totius cauſæ ordinem longe aliter, quam ſe veritas habet, ſummo Apoſtolatui veſtro innotuiſſe: quia multa ſolent per ſurreptionem fieri. Idem namque Sanctitati veſtræ contra nos querelas depoſuit, dicens ſe a nobis præjudicium ſuſtinere, & contra juſtitiam prægravari. Nec vero in hac cauſa Deo teſte, & conſcientia noſtra nihil egimus, quod canonicis regulis poſſit obviare; nihil, unde Sanctitati veſtræ ſuſpecti eſſe debeamus; nihil, unde aliquis, qui cauſam ipſam plenius tractaverit, poſſit nos reprehendere. Sed quidquid in hac cauſa egimus, non zelo amaritudinis, ſed zelo juſtitiæ; non aliquo odio promoti, ſed officii intuitu; non contra Sanctorum PP. Canones, ſed ſecundum Canones egimus.

Scimus

Scimus quidem juxta Sanctorum Patrum regulas divinitus inspiratas, Episcopo *Episcopatum adimi non debere, antequam causæ ejus exitus appareat.* Sed optime novit Sanctissimus Apostolatus vester hanc sanctorum Patrum sententiam de dubiis Episcoporum causis, non de manifestis intelligi debere. Ejus vero, de quo agitur, impudentissima causa & certum crimen, nullum legitimæ defensionis, nullum justæ excusationis colorem recepit. Luce enim clarius patet omnibus, quod nullis meritorum privilegiis, nulla præeunte electione ad tanti Sacerdotii gradum est adscitus: sed tyrannicâ violentiâ intrusus, in ovile Dominicum non per ostium intravit, sed aliunde per ambitionem, & Simoniacam hæresin tanquam fur & latro impudentissime irrupit; & quod sine magno dolore & cordis compunctione dicere non possumus, locum legitimi Pastoris sibi usurpavit, quem sibi sancta Wirzeburgensis Ecclesia de filiis suis, communi voto & consensu Cleri & plebis, nobisque laudantibus & consentientibus canonicè inthronizandum elegerat, utpote natalibus & moribus nobilem, Ecclesiastica disciplina apprime imbutum, fide Catholicum, naturâ prudentem, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, literatum, in Lege Dei instructum, in sensibus scripturarum tacitum, & per omnia Sacerdotii nomine & honore dignissimum.

Gretserus Tomo X. novæ edition. pag. 681.

CONCILIUM HERBIPOLENSE

Anno Christi MCXXX. Innocentii II. Papæ I. Lotharii Regis VI.

SUMMA. 1. *Innocentii II. Epistola ad Lotharium.*
2. *Gualterii Archiep. Epistola ad Ottonem Bambergensem.*
3. *Lotharii Epistola ad Ottonem.*
4. *Anacleti Epistola ad Lotharium.*

HONORIO mortuo hoc anno XVI. Kalendas Martii, postero die XV. Kalend. Martii electus est GREGORIUS Diaconus Cardinalis S. Angeli, & INNOCENTIUS II. nominatus fuit. Coronatus die XXIII. Februarii, consecratus apud Mariam Majorem, eodem die XV. Februarii simul electus fuit PETRUS LEONIS dictus ANACLETUS, consecratus apud S. Petrum, Rogerio Rege Siciliæ favente.

Hoc facto INNOCENTIUS electus, misit Literas ad LOTHARIUM Regem, suo & electorum nomine hujus tenoris:

Innocentius II. PP. invitat Lotharium Romam.

GRegorius quondam Sancti Angeli Cardinalis, Diaconus, nunc autem Deo disponente in Pontificem Romanum electus, Guilelmus Prænestinus, M. Albanensis, J. Hostiensis, Chuno Sabinensis Episcopi & Catholici Cardinales, qui Romæ sunt, Lothario Illustri Glorioso Regi & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ defensori ac speciali filio salutem & Apostolicam benedictionem. Karissimus Pater noster felicis memoriæ Papa *Honorius* cum tota sancta Ecclesia Romana Ecclesia, quoniam maximum fructum de persona tua speravit sanctæ Ecclesiæ proventurum, quod de te factum est, auctoritate Apostolica confirmavit, & in Chunradum Regni invasorem, excommunicationis sententiam promulgavit. Nos autem ipsius inhærentes vestigiis quoniam de tuæ fidei firmitate & justitia valde confidimus, per Karissimum fratrem nostrum Gerhardum, Cardinalem Presbyterum Apostolicæ Sedis Legatum, prudentiæ tuæ mandamus, quatenus proxima ventura hyeme ad sedem Apostolicam venias, honoris & dignitatis plenitudinem præstante Domino suscepturus. Sicut ergo tantum virum decet

decet, ita munitus accedas, ut & pacem ſtatuere & hoſtes Eccleſiæ & Imperii ſuffragante Divina gratia valeas ſubjugare.

Cauſam Halberſtadenſis Epiſcopi præfato fratri noſtro Gerardo commiſimus, Colonienſi verò Archi-Epiſcopo, pro quo rogaſti, ut tibi fidelior ſit, Epiſcopale officium indulgemus. Dat. apud Palladium XII. Kal. Martii.

Ex codice MS. Zwetalenſi deſcripſit Cl. Schannat b. m.

Epiſtola Gualterii Archiepiſc. Ravennatis, & G. Cardinalis ad Ottonem Epiſcopum Bambergenſem, ut ad Wirtzburgenſem conventum veniat.

IN Chriſto plurimum Dilecto fratri Ottoni, Bambergenſis Eccleſiæ venerabili Epiſcopo, frater Gualterius Ravennatis Eccleſiæ humilis Miniſter, & frater Gerhardus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legati, ſalutem, & omne bonum. Fraternitati veſtræ notum eſſe credimus, quod Dominus noſter Papa Innocentius cum litteris ſuis miſit nos & ad Regem & ad Regni Principes, qui cum amore & honore nos recepit, ſed reſponſionem ſuam ad conſilium Principum diſtulit, inter quos fraternitatem veſtram primam aut inter primos pro ſervitio Eccleſiæ ad curiam feſtinaſſe credidimus, quippe quem inter reliquos Epiſcopos Regni Teutonici mater noſtra Romana Eccleſia quadam prærogativa dilexit, & tamquam ſpecialem filium creans, propriis manibus benedixit. Rogamus itaque dilectionem veſtram, & in ea fide & devotione, quam matri veſtræ Romanæ Eccleſiæ debetis, mandamus, ut omni occaſione & excuſatione remotâ quantocius ad nos veniatis, & in cauſa Eccleſiæ tamquam fidelis, & Catholicus nobis aſſiſtendo legationem Domini Papæ cum litteris ſuis una cum aliis fratribus recipiatis & obaudiatis.

Lotharii Regis ad eundem, in eadem cauſa.

LOtharius Dei gratia Rom. Rex, Ottoni dilecto fidelique ſuo Babenbergenſi Epiſcopo gratiam ſuam, & omne bonum. Propter inſtans & valde neceſſarium Eccleſiæ & Regni negocium Wirtzburch gratiâ Spiritus Sancti tractandum, de infirmitate tua, quæ adventum tuum ad nos tardavit, dolemus, quia prudentiæ tuæ diſcretione ac conſilio ad opus Eccleſiæ & Regni potiſſimum nunc indigemus. Verum, quia virtus in infirmitate perficitur, in ea caritate, quam Eccleſiæ, pro qua, Dei gratia ſemper devotè laboraſti, debes, commonemus te, & quam intime rogamus, ut ſi alio vehiculo non poſſis, navigio ſaltem ad nos & ad Conventum venerabilium Confratrum, & Coepiſcoporum tuorum Wirtzburch unà nobiſcum adventum tuum deſiderabilem præſtolantium, venire properes. Vale.

Ex cod. MS. Zwetalenſi deſcripſit Cl. Schannatus b. m.

Anacleti II. Anti-Papæ Literæ ad Lotharium Regem.

VEteris amicitiæ memores & ejus præcipue, quæ inter TE, & bonæ memoriæ Patrem meum longo tempore ſtabili firmitate duravit, dignum duximus, nobilem prudentiam tuam Sedis Apoſtolicæ litteris viſitare & mutuæ affectionis fœdera dignis allegationibus innovare. Quamobrem quanto te arctius charitatis brachiis cupimus amplexari, tanto diligentius de ſtatu Romanæ Eccleſiæ, ſeu de his, quæ penes nos ſunt acta, literarum noſtrarum ſerie dilectioni tuæ intimare curavimus. Obeunte ſiquidem piæ memoriæ Papa *Honorio* fratres noſtri Cardinales Presbyteri, & Diacones cum omni Clero Romano, expetente populo, & indefeſſis vocibus inſiſtente, conſentientibus etiam juxta te-

ta tenorem canonum, honoratis devotis animis, & affectione unanimi invitum me & viribus imparem concorditer elegerunt, electumque postea frater noster Portuensis, convenientibus diversarum Regionum Episcopis ad Altare B. Petri sub oculis omnium in Romanum Pontificem celeberrime consecravit.

Verum quidam de fratribus loco & tempore novitii, & paucissimi numero quorundam perfidorum blandis astutiis suffocati Altare aliud erigere: & anathema Hiericho in sanctuarium Dei introducere & simulacrum Phegor de inauribus mulierum insipientium sunt in tenebris fabricare conati. Sed Deus omnipotens, qui consilium Achitophel infatuavit, eorum prava consilia modo destruxit mirabili. De Domo namque Leonis Fraiapani (*Frangipanis alias*) cujus potissimum viribus videbantur inniti, nocturno tempore fugientes se trans Tiberim contulerunt, & ibi quasi quodam carcere latitantes, præsumptionis suæ ignominiam crebris doloribus flebiliter experiuntur.

Sane Clerus omnis Romanus individua nobis charitate adhæret. Præfectus urbis Leo Frajapanis cum filio & Cencio Frajapane & nobiles omnes & plebs omnis Romana consuetam nobis fidelitatem fecerunt. Nos quoque, quæ officii nostri sunt, in urbe intus & extra libere exercemus. Ordinationes Cardinalium fecimus, & Episcopos largiente Deo consecravimus. Rogamus itaque Nobilitatem tuam, ut, sicut de te spem firmissimam possidemus: pro Romana Ecclesia consueta debeas instantia laborare, & dilectionis tuæ insignia manifestis nos facias effectibus experiri. Hæc enim agens & Romanam Ecclesiam semper obnoxiam, & nos tibi de cætero facies debitores.

Nec te, charissime Haimerici, quondam Cancellarii prædonis improbi, simoniæ servi, seu Joannis de Crema hominis turpissimi, & circumcisi & veri Nicolaitæ monstruosa mendacia moveant, nec fidei tuæ murum vaniloquia, aut venenosa mendacia penetrent, qui velut Cain a facie Domini fugientes maledicti a terra, fratricidii signum meretriciâ coguntur fronte gestare. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. (*b*) Maji.

Baronius in Annalibus ad MCXXX. No. XIII. pag. 199. ex Bibliothecæ Cassinensis codice MS.

(*b*) Martii, *corrigit Baronius.*

Mendacia plura hujus Epistolæ corrigit *Baronius* testimoniis S. Bernardi, & aliorum coævorum hujus Petri Leonis, seu Anti-Papæ Anacleti scelera & infamiam describentium.

Scripserunt & Cardinales, Anacleto Anti-Papæ faventes, ad Lotharium Regem: literas recitat *N. XVI. Baronius.*

Cum Lotharius neutris Literis responderet, alias Literas ad Lotharium Regem, alias ad Reginam scripsit Anti-Papa, relatas *a Baronio N. XIX. XXII.* sed nullis literis, nullis blandimentis induci potuit Lotharius ad Anti-Papæ aut schismatis favorem.

Quare Rex ex Concilio Nortberti Magdeburgensis, Ottonis Bambergensis, Alberonis Trevirensis, aliorumque sanctorum Germaniæ Episcoporum Concilium indicit Herbipoli, ibique Legatos Innocentii II. recepit.

CONCILIUM HERBIPOLENSE.

I. HIs litteris acceptis, accedente etiam sollicitatione Bernardi Claræ-vallensis Abbatis, Lotharius Herbipoli conventum indicit: convenit Gualterus Archi-Episcopus Ravennas sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Legatus & XVI. Episcopi unà cum Lothario Rege.

II. Innocentius II. omnium votis verus & legitimus Christi in terris Vicarius renuntiatur, eligitur & confirmatur.

III. Mittuntur Legati Clarum montem in Arvennis, ubi Papa Concilio præsidebat ex Italia profugus; Conradus Saltzburgensis Archi-Episcopus, Egbertus Monasteriensis Episcopus, Regis & Germaniæ nomine universæ agnoscunt Pontificem, illique obedientiam præstant.

Reversi de Germania Legati Domini Papæ Gualterius Ravennas Archi-Episcopus & N. tam Episcoporum Germaniæ quam

quam Lotharii Regis assensum & litteras detulerunt, & deprecationem publicam, ut ad eos transiens suam eis desideratam exhiberet præsentiam. Facile enim persuasi sunt recipere eum, quem jam cæteri Fratres & Episcopi Franciæ & Angliæ recipissent.

S. Bernardus Epist. 124.
Chronicon Magdeburgense MS.
Chronographus Saxo ad annum MCXXX.

LEODII SYNODUS NATIONALIS

SUB INNOCENTIO II. ET LOTHARIO REGE.

A.C. MCXXXI. Domin. Lætare. Innocentii II. PP. II. Lotharii Regis VII.

SUMMA. 1. *Innocentio II. cum S. Bernardo & aliis Leodium adventanti, Lotharius Rex cum magno Collegio Archi-episcoporum & Episcoporum occurrens, summa reverentia deducit*

2. *Dominicâ Lætare ab Ecclesia S. Martini ad S. Lamberti Papam, qui facto Sacrificio coronat Lotharium & Reginam.*

3. *Investituras repetiturus Imperator a S. Bernardo sedatur.*

4. *Petrus Leonis, seu Anacletus Antipapa, Duces Conradus Anticæsar, & Fredericus, excommunicantur.*

5. *Otto, Halberstadensis Episcopus, restituitur suæ Sedi.*

6. *Presbyteris parochianis conjugia interdicuntur: Sacrificiis conjugatorum Presbyterorum nemo assistat.*

7. *Vita S. Godehardi legitur, & canonizatio ejus ab Episcopo Hildesiensi postulatur, sed ad Synodum Remensem, uti generaliorem differtur.*

8. *Cameracensis, &* 9. *Virdunensis Episcopi institutio.*

10. *Lotharii donatio facta Ecclesiæ Leodiensi S. Joannis.*

Adjicitur confutatio Petri, Cassinensis Diaconi, ex Baronio, *& vera transactio de hæreditate Mathildis inter Innocentium II. & Lotharium II.*

I.

INnocentius II. visitando Gallicanam Ecclesiam ad partes se transfert Lotharingorum; cui, cum Rex Lotharius in civitate Leodii cum magno Archi-Episcoporum, & Episcoporum & Teutonici Regni Optimatum collegio celeberrime occurrisset, in platea ante Episcopalem Ecclesiam humillime se ipsum stratorem offerens, pedes per medium sanctæ processionis ad eum festinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frœnum albi equi accipiens tamquam Dominum deducebat. Descendente vero tota statione eum sub brachio arcto deportans Celsitudinem Paternitatis ejus notis & ignotis clarificavit.

Sugerius S. Dionysii Abbas, in vita Ludovici Grossi.

Leodiensi Synodo interfuere Episcopi hi ex Germania:

Albertus Moguntinus Archi-Episcopus fere cum omnibus suis Comprovincialibus.

Fridericus Coloniensis cum suis.

Norbertus Magdeburgensis cum suis.

Conradus Saltzburgensis cum suis.
Alexander Leodiensis Episcopus.
Dux Lotharingiæ Waleranus.
Dux Alsatiæ Simon.
Comes Withikinus.
Comes Namurciensis Godefridus.
Reinaldus de Monceon.
Arnulfus de Los.
Gozwinus de Falconmont.

Hi noti sunt ex diplomate Lotharii pro Leodiensi S. Martini Ecclesia hoc anno Leodii dato; statim subjungendo.

Aderat Innocentius cum *Cardinalibus suis & Præsulibus Gallicanis* haud paucis & Abbatibus, quos inter Clarevallensis Bernardus eminebat eloquentia & Sanctitate, & inde maxima auctoritate apud Papam & Regem.

II. Dominica in medio quadragesimæ Innocentius cum curribus, & Rhedis ab Ecclesia Sancti Martini in publico monte quasi Romæ via triumphali usque ad Capitolium S. Lamberti adscendit, Missam celebrat, Regem & Reginam Richezam coronat, qua corona in solemni curia uti solebant.

Anselmus Gemblacensis in Chronico.

III. Eodem tempore Papa petiit ab Imperatore Lothario favorem & auxilium contra Petrum Leonis pseudo Papam, & hujus fautores. Sane Imperator usus consilio super hujusmodi responso, cœpit a Papa repetere investituras Episcoporum, quas multo tempore Imperatores ante se habuerunt. Ideoque Apostolicus non modicum turbatus est, & de adventu suo est contristatus, de reditu quoque anxius effectus. Nam petitionem Principis exaudire non poterat super tali articulo. Interveniente tamen consilio & orationibus beati Bernardi securus recessit ab Imperatore.

Urspergensis in Chronico.

Otto Frisingensis id tantum a Cæsare propositum refert, non postulatum: imò ipsis Episcopis Germaniæ non arrisit consilium Regis, quibus electionum libertas adeo placuit, ut inter conditiones Regni illam posuerint.

Nota hæc Cl. Mascovii.

S. Bernardus audacter resistens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate composuit.

Bernardus bonæ vallis in vita S. Bernardi.

IV. Petrus Leonis, seu Anacletus Antipapa, Conradus, & Fridericus Duces Sueviæ, excommunicati fuere.

Chronographus Saxo auctor coævus.

V. Otto Halberstadensis Episcopus anno 1126. ab Honorio II. Papa depositus, ad petitionem Regis & Ecclesiæ ad pristinam sedem rediit.

Chronographus Saxo apud Eckhartum Tom. I.

VI. Conjugati Presbyteri excommunicati fuere, & interdictum, ne quis eorum sacrificiis assistendo faveret.

Anselmus Gemblacensis & Chronicon Engelhusii.

VII. Bernhardus Episcopus Hildenesheimensis cum majoribus suæ Ecclesiæ assistens huic Synodo videt opportunitatem ultro oblatam, Apostolicum cum omni Curia Romana aggrediendi. Ergo vita Pastoris Hildenesheimensis GODEHARDI coram ipsis recitatur, & ut per eum in Ecclesia Dei canonizetur, devotissime preces funduntur. Sed cum sit consuetudo Romanæ Ecclesiæ, in generali Concilio Sanctos Dei canonizare, quod tunc temporis in Remensem civitatem in festo S. Lucæ indictum erat, accepto consilio, petitionem Ecclesiæ Hildesiensis usque in prædictum locum distulit, ibique definiturum certissime promisit.

Acta Sanctorum ad diem IV. Maji. Ex Biographo coævo S. Godehardi.

VIII. Burchardo Cameracensi defuncto Augustus substitutum cupiebat capellanum suum Lietardum, quem Innocentio II. Papæ sic commendavit, ut non annuere non potuerit, quanquam ægre admodum, cum nullum virtutis tanto fastigio dignæ argumentum præ se ferret, & vero post sex annos abdicare jussus est.

Fisen Lib. XV. Histor. Leod.

IX. Ursio Virdunensis Episcopus cum Ecclesiæ suæ immanibus obrutæ calamitatibus, opem ferre non posset, vel

vel ob prævalentes vires adversariorum vel ob ingenii sui tenuitatem, id coram illo nobilissimo cœtu palam confiteri modestissimus Præsul non erubuit, evicitque summis precibus licentiam abdicandi pedi. Subrogatus fuit ex Synodi sententia Albero vir omnium ea infula dignus.

Fisen Lib. X. Hist. Leod.

DIPLOMA LOTHARII II. IMPER.

PRO LEODIENSI S. JOHANNIS, ECCLESIA COLLEGIATA LEODII, IN EADEM SYNODO DATUM.

Judicio Principum suæ curiæ restituit ei, & confirmat teloneum Visati.

X. IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Lotharius tertius (*a*) Divina favente clementia Romanorum Rex. Notum sit tam futuris quam præsentibus, quod Ecclesia B. Joannis, quæ est in Insula Leodii, anniversarium teloneum de foro Visati, per Regiam traditionem OTTONIS videlicet Imperatoris Augusti felicis memoriæ, usque ad nostra tempora sine omni calumnia totum & ad integrum tenuerat: cujus traditionis privilegium signo prædicti Imperatoris munitum coram me, cum Leodii tunc essem, & coram Regni Principibus, Archiepiscopis, & Episcopis quam pluribus, ceterisque primatibus publice est recitatum. Sed erat super quo gravem satis apud nos ejusdem Sancti Johannis Ecclesiæ fratres querelam deponerent: ajebant enim nondum tunc transacto anno, Hojenses judicio tantum Scabinorum Leodiensium jurasse, de pellibus Silvestrium animalium se nullum in foro isto debere teloneum: sicque & istorum gravatos præjudicio, & illorum se affectos querenbatur spolio. Hanc querelam satis clementer, ut dignum erat, suscipientes, tam præsumtivam audaciam referire dignum duximus, & Regni primates, qui in præsentiarum aderant, & privilegium jam dicti Imperatoris super hac traditione nobiscum audierant, ut secundum testimonium privilegii, & tam diuturnam Ecclesiæ possessionem super hac re judicium mihi darent, commonuimus. Communicato illi inter se consilio, scabinorum illorum abjudicaverunt judicium, addentes per hujusmodi Regiæ traditionis tam indignum quam injustum posse infirmari privilegium. Nos autem Regiæ potestatis utentes censura, prædictis fratribus jam dicti mercati teloneum judicio Primatum nostroque edicto & banno totum restituimus: Et ad integrum, quicquid videlicet ex coemtione animalium vel ex omni genere tam vestium quam ferri & metallorum, vel ex reditu navium vel ex omnium commercio vectigalium, vel ex jure forali vel ex districto judiciali possit provenire, privilegio, quod recitatum fuerat, sic attestante, & ut hæc Ecclesiasticæ possessionis per nos factæ reformatio per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & sigilli nostri impressione signari jussimus. Nomina autem eorum, qui inter fuerunt & judicaverunt, subnotari fecimus.

Albertus Moguntinus Archi-Episcopus fere cum omnibus suis comprovincialibus.
Fridericus Coloniensis cum suis.
Norbertus Madeburgensis cum suis,
Cunradus Salzburgensis cum suis.
Alexander Leodiensis Episcopus.
Dux Lotharingiæ Waleranus.
Dux Alsatiæ Simon.
Comes Withikinus.
Comes Namurcencii Godefridus.
Reinaldus de Monceon.
Arnuleus de Los.
Gozoinus de Falconmont.
Willelmus advocatus ipsius villæ Visate.

Actum est Leodii anno Incarnati Domini MCXXXI. indict. IX. feliciter.

Martene & Durand. amplissimæ collectionis Tom. II. pag. 704. ex Schedis Perillustris Baronis de Crassier.

(*a*) Nota, quod cum Imperatoris titulum sumit, secundus tantum nominatur; cum vero Regis, tertius appellatur, ut in quam pluribus cartis animadvertimus. Idem observandum de Henricis tertio & quarto.

Illmi Baronii Notatio ad Synodum Leodienſem,
qualis a Petro Diacono deſcribitur.

Hic tu videas redargui mendaciſſimum Petrum Diaconum Caſſinenſem, dum in gratiam ejusdem Lotharii, qui poſtea (ut ſuo loco dicturi ſumus) inhæſit adverſus tam apertiſſimam veritatem de Inveſtituris, affirmat eas ab Innocentio Papa in eo Conventu Leodienſi Lothario fuiſſe conceſſas, ſic dicens: [a] *Innocentius igitur Germaniam ingreſſus a Lothario Rege juxta Leodium excipitur, virgam ei & annulum antiquo ex more confirmans, & terram Comitiſſæ Mathildæ condonans.* Hæc ipſe Petrus, qui adverſus Papam Innocentium una cum ſuis pro ſchismaticorum parte ſtetit, ac laboravit, ut ſæpe inferius ex ſuis ipſius ſcriptis intelliges, ſed & in eo etiam mendax [b] eſſe convincitur, dum juxta Leodium donationem terræ Mathildæ factam ab Innocentio aſſerit: nempe Romæ 1133. facta eſt uti & juramentum ſequens

FINIS SYNODI LEODIENSIS.

HOc eſt juramentnm, quod D. Rex Lotharius tempore hæreſis filii Petri Leonis Dno Papæ Innocentio præſtitit ante fores baſilicæ ſancti Salvatoris, quæ Conſtantiniana appellatur, in die quâ coronatus eſt ab ipſo Innocentio, antequam coronam acciperet, D. Cenrio de Frajapanis juramentum computante, & Ottone nepote ſuo, ac cæteris nobilibus Romanis ibi exiſtentibus:

" Ego LOTHARIUS Rex, promitto, " & juro tibi Domino Papæ Innocentio, " tuisque ſucceſſoribus ſecuritatem vitæ, " & in membris, & malæ captionis, & " defendere Papatum, & honorem tuum, " & regalia S. Petri quæ habes, manu " tenere, & quæ non habes, juxta meum " poſſe recuperare.

Baronius ad hunc annum.

Nota 2da. Quod autem in Lateranenſi Baſilica præter morem facta ſit coronatio Lotharii Imperatoris, hanc accipe rationem ab Ottone Friſingenſi, qui ait: *Rex autem* [c] *plus mente, quam milite confidentiam gerens, ad urbem uſque progreditur, ibique, qualibus potuit cum paucis ſtrenue peractis, in Eccleſia ſancti Salvatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, a ſummo Pontifice Innocentio coronatus, Imperatoris & Auguſti adeptus eſt nomen. Nempe Eccleſiam beati Petri, ubi mos coronari erat Imperatoribus, Petrus Leonis eo tempore occupaverat. Hæc OTTO.*

Tunc temporis idem Innocentius Papa eidem Lothario Imperatori concedit Allodium Comitiſſæ Mathildis, ſub obligatione hominii & cenſûs, nec non reverſionis ad ſanctam Sedem poſt eorum obitum. Datum 1133. quod ſic ſe habet:

Innocentius Papa II. Lothario Imperatori
Auguſto, & Riget (c) *Imperatrici.*

SI auctoritas ſacra Pontificum, & poteſtas Imperialis vere glutino charitatis ad invicem complentur, Omnipotenti debitus famulatus libere poterit exhiberi, & Chriſtianus populus grata pace & tranquillitate gaudebit. Nihil enim in præſenti ſæculo eſt Pontifice clarius, nihil Rege ſublimius; nihil eſt, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe; nihil eſt, quod ita nequeat occaſui ſubjacere, quam vera religio. Quæ nimirum omnia tanto manifeſtius, Deo gratias, in perſona tua clareſcunt, quanto ab ineunte ætate amator religionis & cultor juſtitiæ extitiſſe cognoſceris, & noviſſime diebus iſtis, nec perſonæ tuæ, nec propriæ parcendo pecuniæ, pro beati Petri ſervitio multos labores & immenſa pericula pertuliſti. Cum ergo, teſtante ſacro eloquio, etiam *mali Patres* bona *data filiis ſuis* debeant *impertire:* dignum profecto eſt, ut Nos, qui diſponente Domino, univerſis Catholicæ Eccleſiæ filiis debemus ſollicitudine paterna conſulere, perſonam Tuam arctius diligamus, & tamquam ſpecialiſſimo

(a) *Pet. Diacon. Chron. Caſſ. Lib. IV. Cap.* 99.
(b) Vide ſtatim ſecuturam conceſſionem Allodii Mathildis factam Romæ 1133. ab Innocentio II. Regi Lothario, & poſt eum Duci Bavariæ.
(c) *pro:* Richenzæ.

mo Ecclefiæ defenfori, in his, quæ ad ftatum Imperii in fuo robore confervandum, & utilitatem, ac liberationem Catholicæ Ecclefiæ fpectare nofcuntur, tam fecundum Ecclefiafticum officium, quam temporaliter Imperatoriam potentiam augeamus. Hoc nimirum intuitu Allodium bonæ memoriæ Comitiffæ MATHILDÆ, quod utique ab ea beato Petro conftat effe collatum, Vobis committimus, & ex Apoftolicæ Sedis difpenfatione concedimus, atque in præfentia fratrum noftrorum Archi-Epifcoporum, Epifcoporum, Abbatum, nec non Principum & Baronum per annulum inveftimus: ita videlicet, ut centum libras argenti fingulis annis nobis, & fucceſſoribus noftris exolvas, & poft tuum obitum proprietas ad jus & Dominium S.R.E. cum integritate absque diminutione & moleftia revertatur. Quodfi Nos vel fucceffores noftros in eamdem terram venire, manere, tranfire oportuerit; tam in fufceptione, quam in procuratione, atque fecuro conductu, prout Apoftolica Sedes decreverit, honoremur. Qui vero arces tenuerit, vel rector terræ fuerit, beato Petro & nobis, noftrisque fucceſſoribus fidelitatem faciant. Cæterum pro charitate veftra nobili viro Henrico Bavariæ Duci genero veftro, & filiæ veftræ uxori ejus, eamdem terram cum præfato cenfu & fupradictis conditionibus Apoftolicâ benignitate concedimus; ita tamen ut idem Dux hominium faciat, & fidelitatem beato Petro ac Nobis, noftrisque fucceſſoribus juret. Poft quorum obitum prædictum Comitiffæ Mathildæ Allodium & jus & Dominium Sanctæ R. E. ficut fupra dictum eft, integrum, & absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur: falvo tamen femper in omnibus ejusdem S. R. E. jure ac proprietate. Datum Laterani, fexto Idus Junii.

Hactenus conceffio Allodii Mathildæ facta ab Innocentio Papa Lothario Imperatori. Ita *Fulco in Chronico Benevtano.*

Illm. Baronius ad annum 1133. *No. III.*

Collectio Regia Conciliorum T. XXVII.

Labbé Collect. Concil. volum. 946. *T. X.*

Dumont Corps Diplomatique Tomo I. N. CXXIII.

Edictum Imperiale contra Anti-Papam Anacletum II, feu Petrum filium Leonis, in Curia Imperiali Romæ celebrata, eum & illius gregales jure damnatos edicit.

LOTHARIUS, DEI GRATIA, ROMANORUM REX, REGIBUS, ARCHI-EPISCOPIS, EPISCOPIS, PRINCIPIBUS, ET UNIVERSIS DEI FIDELIBUS, AD QUOD LITTERÆ ISTÆ PERVENERINT, SALUTEM.

MAjeftatis Divinæ difpenfationi & confilio placuit, Nos patronum ac defenforem fanctæ Ecclefiæ Romanæ ftatuere, adeoque neceffe habuimus pro ipfius liberatione propenfius laborare. Cum igitur afcitis nobis Archi-Epifcopis, Abbatibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Marchionibus *Regni noftri*, Epifcopos, etiam Comites & alios Barones *Italiæ* nobifcum ducentes, bellico apparatu ftipati, ad urbem proficifceremur, nuntios fchifmatici illius *Petri Leonis* frequenter habuimus. Qui nimirum ex parte illius juftitiam prætendentes, ipfi in jus ire parato, non debere audientiam denegari, nec hoftilibus impugnationibus moleftari, publicis clamoribus afferebant. Diutinis ergo eorum interpellationibus provocati, idipfum Epifcopis & Cardinalibus, qui cum Domno Papa Innocentio erant, fignificare coacti fumus. Ipfi vero, tamquam Cano-

Anno 1133. Natalem Domini Rex Lotharius in Longobardia celebrat: in Territorio Pifano apud Calcinariam cum Pontifice colloquium habet, quem Romam introducit II. Kalendas Maji. Pontifex in Palatio Lateranenfi hofpitatur. Lotharius in monte Aventino caftra metatur, Curiam indicit, ad quam cum Anacletus ejusque complices, cum fæpe commoniti, implere, quod promiferat, noluerint, tanquam Divinæ & Regiæ Majeftatis rei damnati fuerunt.

Obferva: Natalem Domini, de quo fupra, fpectare ad annum 1132. noftro ftylo: fed Scriptorum hujus ævi ftilo a Natale Domini annus 1133. inchoatur.

Canonicarum Sanctionum, & institutionum Ecclesiasticarum non ignari, universam Dei Ecclesiam jam super hoc promulgasse sententiam, *Petrum Leonis* ac complices suos damnasse asserentes, quod erat universitatis, non debere privatum fieri, responderunt.

Nos autem idipsum cum patientia supportantes, & patrem nostrum Papam Innocentium ad urbem cum gloria duximus, & Lateranensi Cathedræ restituimus, atque in monte Aventino castra metati fuimus: ibique *Petrus Leonis* aures nostras & Principum nostrorum per Petrum olim Portuensem Episcopum, & per alios fautores suos prætendendo justitiam, sollicitare non destitit. Quid? jam munitiones & obsides se nobis daturos ad sufficientiam pro servando judicio & viva voce & literis promiserunt. Pacem igitur sine effusione sanguinis reformare in Dei Ecclesia cupientes, quæ nobis illi dixerant, fratribus, qui cum Domno Papa Innocentio erant, per nos ipsos significavimus. Cæterum ipsi, utpote pacis amatores, de justitia confidentes, tam personas suas, quam *Leonis* & filiorum suorum, nec non *Cen. Pet. Frajapanis*, & *Petri Leonis*, & munitiones in manu nostra libere obtulerunt. Adversa vero pars dies redimere cupiens, sub velamine fraudulentarum promissionum nos aliquanto tempore a nostra intentione retraxit. Tandem, quia ipsi sæpe commoniti, implere, quod promiserant, noluerunt, tanquam fallaces & perfidi, & tam Divinæ quam Regiæ Majestatis rei, cum Petro Leonis, ejusque complicibus damnati sunt, & hostes a Principibus nostræ curiæ judicati. videlicet Norberto Magdeburgensi Cancellario nostro, & Adelberone Bremensi Archiepiscopis, & Philippo Osemburgensi, P. Adelbronnensi. (*c*) An. Brandenburgensi, & Bernardo Parmensi, Robaldo Albensi, Ottone Astensi, Oberto Cremonensi, Guidone (*d*) Yponensi Episcopis: & Abbatibus, Henrico Fuldensi, Alberone Noemburgensi & Luneburgi: Proceribus Alberone & Henrico Marchionibus: Othone, Sagifrido (*e*) vexillifero, Hermanno, Willelmo de Marchvingo, Hidebrando & Tancredo de Prato Comitibus & Alberto de Castello. (*f*)

Ex Tomo III. Spicilegii D'acheriani pag. 485. 486.

Nota: hoc edictum in Curia Imperiali Romæ celebrata edictum spectat ad annum 1133. quia vero in eo confirmatur electio seu acceptatio Innocentii II. facta ab Rege & Principibus Germaniæ 1130. Herbipoli, & 1131. Leodii, hinc eam Leodiensi subjunxi.

Anno 1133. die IV. Junii, quæ erat Dominica III. post Pentecosten, Lotharius & Rechenza uxor Imperiali corona redimiti fuere ab Innocentio II. in Basilica Lateranensi. *Annalista Saxo & OTTO Frisingensis in Chronico Lib. VIII. Cap.* 18.

Coronam Patriciam a nobilitate Romana sibi oblatam, in oppido S. Germani acceptavit die exaltatæ crucis in 2do itinere Italico circa 1136. Coronam Regni Italiæ, nec Modoetiæ, nec Mediolani suscepit, judice Clarissimo MASCOVIO, e quo hæc scribo, & illi subscribo.

[*c*] Bernardo Padelbronnensi, *legit Schatenus.*
(*d*) Guidone Yporiensi, *legit Schatenus*, ego Eporediensi.
(*e*) Sigifredo, *Schatenus.* (*f*) de Cassello, *Schatenus ex Baluzio.*

CONCILIUM MOGUNTINUM PROVINCIALE
ANNO CHRISTI MCXXXI. INNOCENTII II. PAPÆ II. LOTHARII REGIS VII.

Resignatio Episcopatus Argentinensis facta a Brunone.

ADelbertus (*a*) Synodum Provincialem Moguntiæ habuit, cui præsedit Matthæus Albanensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, cum ipso Archi-Episcopo, præsente Lothario Rege, Ottone Bambergensi, Buggone Wormatiense, Sifrido Spirense, Embrichano Herbipolensi, Hermanno Augustano

(*a*) Chronicographus Moguntinus a Serario citatus *Lib. V. rerum Moguntiacarum pag.* 811.

guſtano, Udalrico Eiſtetenſi, Bernardo Hildesheimenſi, pluribusque aliis Epiſcopis & Prælatis: Brunone (b) Argentinenſi Epiſcopatum ſuum propter impetitionem Cleri & populi illic reſignante, ita Eccleſiæ ſuæ commodis invigilans Imperii curam neutiquam depoſuit Adelbertus.

Sueviæ Ducem Conradum (c) odio Lotharii Regium nomen & poteſtatem uſurpantem anathemati ſubjecit, quam ſententiam Honorius Romanus Pontifex ratificavit.

Serarius Lib. V. rerum Moguntiacarum pag. 811.

(b) Bruno depoſitus anno 1131, quem nonnulli reſtitutum volunt, & reconciliatum Imperatori, *ait Bucelinus.*

(c) Honorius II. anno *MCXXV.* Sedis ſuæ primo, excommunicaverat Conradum ſororium Henrici V. Modoetiæ, tunc ab Anſelmo Mediolanenſi coronatum, & Regem unctum Italiæ, de hac excommunicatione videtur loqui Chronicographus Moguntinus MS. a Serario hic citatus. *Baronius in Annal. Eccleſ. ad* 1125. *No XI.*

CONCILIUM TREVIRENSE

Anno Chriſti MCXXXI. Innocentii II. Papæ II. Lotharii Regis VII.

De eligendo Archi-Epiſcopo Treverico in locum Megingeri defuncti, præſente Lothario Rege, tribus Legatis Apoſtolicis, clero & nobilitate Trevericis. Eadem electio Leodii, Moguntiæ, Remis agitata fuit, ac demum Viennæ conſecratio ſecuta.

Lotharius Rex ad Paſcha Treveros profectus eſt, ubi novus in locum Megingeri defuncti Archiepiſcopus eligendus erat. Magna ibi contentio inter Clerum & nobiles, qui populi nomine ſuffragium ferre ſolebant, nequidquam Rege & Mathilda, vel Cardinali Albanenſi, Pontificis Legato, mollire animos & reconciliare ſatagentibus; die ſtatutâ electioni prorſus irritis Comitiis deceditur.

Treverenſes ſcribunt Pontifici Innocentio has litteras.

Beatiſſimo Eccleſiæ Catholicæ Pontifici Innocentio Trevirenſis Eccleſiæ cœtus devotum obedientiæ promptæ ac ſedulitatis obſequium. Haud ignoras Pater venerande, quemadmodum hæc noſtra biennium jam ſuo orbata paſtore Eccleſia. Neque ſimiliter neſcis, quod Brunonem, (a) quem magna voluntatum conſenſione Antiſtitem deſtinaveramus, habere non permiſſum ſit; ſed enim nos laboribus & malis ingentibus, quæ ſcilicet hac de cauſa ſuſtinuimus, enarrandis jam ſuperſedentes, en nova tibi certamina & pericula denuntiamus, finemque illorum per tuæ Paternitatis auxilium mox admodum obtinere cupimus. Majeſtatis igitur tuæ provoluti pedibus per flagrantem Jeſu Chriſti charitatem te quæſumus & obteſtamur, ut quo primum tempore fieri poteſt, Regis favorem, quem Dominus Albanenſis ac Metenſis (b) Epiſcopus addixerant, nobis reconcilies, quod ſane ſi fieri omnino nequit, illud perfecto relinquitur, ut vel Bruno-

(a) Bruno, Adolphi Comitis de Monte frater, & Præpoſitus S. Florini Confluentiæ, & Decanus ad S. Gereonis Coloniæ, anno 1131. Cleri & Optimatum Treverorum unanimi voto electus fuerat VII. Idus Decembris Archi-Epiſcopus Treverenſis: ſed coram recuſavit mitram, & ab Innocentio II. Leodii immunitatem ab oblato pedo obtinuit. Leodii Legati Eccleſiæ Trevericæ in Concilio inſtant pro electione Brunonis ratificanda, ſed abnuit Pontifex. Igitur fit nova electio: de qua hic in Paſchate anni hujus.

(b) Stephanus, qui cum Riquino Tullenſi Epiſcopo eminebant in Clero Treverico.

Brunonem nobis reſtituas, vel alium deſignes idoneum virum, in quem ſublatis diſſidiis omnium communiter vota conſpirent. Enim vero non tam nos malorum præſentium acerbitas ac futurorum metus percellit, quam gravem luctus imaginem quotidie renovant in felicium viduarum ululatus, & flebiles Sanctimonialium querelæ, Clericorum etiam & Monachorum voces omnium certe diſcriminum, quibus ad hunc diem conflictantur, nos videlicet authores eſſe coarguentium.

Browerus Lib. XIII. Annalium Treverenſium.

His Literis acceptis Pontifex Alberonem, Primicerium Metenſem, à Clero ſolo electum, contra Godefridum Metropolitanæ Eccleſiæ Præpoſitum, a Comite Palatino Advocato Eccleſiæ, a nobilitate & populo electum, cùm in Concilio Moguntino hujus anni a Lothario Albanenſis Cardinalis Matthæus conſenſum obtinere non poſſet, in Concilio Remenſi anni hujus partim Eccleſiæ Trevericæ direptionem miſeratus, partim Alberonis modeſtia permotus, in medio Epiſcoporum circumſedentium rapi ſublimem jubet, ac Pontificalibus veſtimentis indutum inter Archi-Epiſcopos ſedere.

Concilio Remenſi dimiſſo, quum Albero denuo vacationem oraret, Pontifex eundem Viennam ſecum abductum Archi-Epiſcopum ſolemnibus & graviſſimis cæremoniis ipſe conſecravit.

En tribus imo quatuor Conciliis abſolutam Archi-Epiſcopi Treverici electionem & conſecrationem. *Browerus Loco citato.*

SYNODUS HILDESHEIMENSIS
SUB BERNARDO EPISCOPO.
Anno Chriſti MCXXXI. Innocentii II. Papæ II. Lotharii Regis VII.

SUMMA. 1. *Admittitur fundatio Richenbergenſis Præpoſituræ Canonicorum S. Auguſtini.*
2. *Approbatur a Synodo Diœceſana.*
3. *Electio Præpoſiti fratribus conceditur: ſi diſcordes, Epiſcopo.*
4. *Immediate ſub Epiſcopi regimine ſit.*
5. *Electio Advocati indulgetur.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Bernardus* Dei gratia ſanctæ Hildenesheimenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Sancti propoſiti vota non ſolum Epiſcopali debent patrocinio ſublevari, ſed etiam ſuffragio uſquequaque corroborari. Notum igitur eſſe, volumus tam futuris quam præſentibus, quod fidelis Dei famulus Petrus Goslarienſis Eccleſiæ Subdiaconus, igne Divini amoris accenſus, Eccleſiam in honore Sanctiſſimæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ in patrimonio ſuo in loco, qui *Richenbercg* dictus eſt, ædificare deſiderans cum *Elfſero* venerabili Presbytero, & *Elvebone* cognato ſuo *Hildenesheimenſis Eccleſiæ Fratrum conventum* convenit, quatenus accepta ab Epiſcopali poteſtate ſecundum Canonicæ inſtitutionis rationem, ædificandi licentia animi ſui votum Eccleſiæ firmaret conſilium. Congratulantes igitur univerſi fratres tam juniores quam ſeniores ipſius bonæ voluntati communi conſenſu hoc ſalubre dederunt conſilium, ut eadem Eccleſia, pro qua conſtruenda conſulti fuerant, hac forma inſtitueretur, ut quicunque in ea ad ſerviendm Deo ejusque piæ genitrici Mariæ congregarentur ſecundum regulam Auguſtini, Religioni communis vitæ ſubjacerent, atque in electione Præpoſiti, ſi quando is, qui loco & populo inibi coadunato præerat, vel mortis neceſſitate interveniente, vel alia qualibet de cauſa a prælationis officio

Canonice amotus discederet, liberam eligendi haberent facultatem, & non alius ibi, nisi quem fratrum concors societas vel pars sanioris consilii in eodem claustro vel in eodem proposito quemcunque in Christo militantem elegerit, substituatur. 3. Si vero (quod absit) in electione fratres inter se discordaverint, auctoritate Episcopali sanioris partis electio confirmaretur & adversæ partis præsumptio comprimeretur, 4. & ut nulli fratrum post exhibitam regulariter professionem sine licentia de præfato claustro liceret discedere vel alium habitum assumere. Verum ut prædicta Ecclesia ab omni jure & Dominio, ab omni læsione & molestia in perpetuum inconcussa & quieta persisteret, integra in suis rebus suisque possessionibus in sæcula constans, 5. nulla potestas Imperialis vel Regia, Ecclesiastica vel sæcularis vel quævis hominum persona, cujuscunque sit sexus vel conditionis vel pietatis, imperitando, dominando, perturbando, eam molestare præsumeret. Sed *Episcopus* spirituali gubernatione & Ecclesiastico regimine Canonice moderando disponeret. 6. De advocato vero eidem Ecclesiæ substituendo communi consilii sententia provisum est, ut si in cognitione Domini *Petri* vir tantæ strenuitatis & industriæ reperiretur, qui loco tutando & conservando commodus haberetur, advocatia ejusdem sacri loci ob amorem & reverentiam Domini Petri ejus fidei committeretur. Si autem res in contrarium relaberetur, liberum esset Præposito, & fratribus ibidem pro tempore Deo servientibus alium idoneum in loco ejus subrogare, & auctoritate Domini Episcopi id ipsum salubriter confirmare. Quoniam igitur hujus rei institutum Hildenesheimensis Ecclesiæ consilio fideliter est inchoatum & eadem admittente Deoque favente alacriter pro tempore consumatum, non abs re visum est, ut hujus formæ institutio rata, inconcussa, & irrecisa maneat, Episcopali banno & sigilli ejus impressione rem stabiliter roborare, petente hoc sæpe jam dicto Domino Petro in generali *Synodo a me in Monasterio beatæ Mariæ Hildenesheimensi II. idus Junii solemniter celebrata* & ordinem inchoationis, institutionis & consummationis ejusdem Ecclesiæ scriptis digestum propria manu dextræ meæ cunctis videntibus porrigente.

Anno Incarnationis Domini MCXXXI. indict. IX. regnante Lothario Romanorum Rege, Anno vero regni ejus VII. Anno vero Pontificatus mei II. Anno etiam ejusdem inchoationis Richenbergensis Ecclesiæ. Actum est feliciter.

Heineccius in antiquitat. Goslariensibus, pag. 134.

CONVENTUS AQUISGRANENSIS

LOTHARII REGIS, LEGATORUM PONTIFICIS ET EPISCOPORUM. ANNO CHRISTI MCXXXII. INNOCENTII II. PAPÆ III. LOTHARII REGIS VIII.

SUMMA. *Lotharius Rex Ecclesiæ Trajectensi S. Servatii, uti imperiali capitulo, concedit Primas in omnibus, Marianæ vero, uti tunc Episcopali Ecclesiæ, id solum concedit, ut in hac fiant synodales Conventus, sub Archi-Diaconi, ab Episcopo directi, præsentia.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego *Lotharius* hujus nominis Rex Romanorum tertius. Notum sit omnibus tam posteris quam præsentibus, quod secundum privilegia antecessorum nostrorum, Trajectensi Ecclesiæ S. Servatii, quandam legem & justitiam renovavimus, quam antea trecentis annis & eo amplius in quiete & silentio tenuerat, & eam assensu & favore *Alexandri* Leodiensis Episcopi confirmavimus, ad destruendam controversiam, quam Præpositus & fratres de S. Maria Trajecti, in contradictione ejusdem legis suscitaverant; est autem ipsa lex & justitia talis, quod Ecclesia Parochiæ S. Servatii sola

ſola in Trajectenſi urbe habeat decimas & terminum & omnes de quacumque Regione ad manendum ibi confluxerint, præter familiam S. Mariæ, S. Lamberti, ad juſtitiam Regis pertinent & in Parochia S. Servatii baptizari & ſepeliri debent: & conſuetudo eſt longo uſu in habitum converſa, ut Presbyter Parochiæ S. Servatii & Presbyter Parochiæ ſanctæ Mariæ, præſidente Archi-Diacono communiter habeant Synodum in Eccleſia S. Mariæ, ita ut Presbyter ſancti Servatii appellet ſuos, videlicet omnes pertinentes ad juſtitiam Regis, ubicumque maneant, in eadem urbe, & culpas eorum Synodali lege corrigat, ſicut & Presbyter de ſancta Maria ſuos appellat, ſcilicet omnes ad juſtitiam Epiſcopi attinentes, & culpas eorum Synodali lege corrigat. Quod ſi quis hanc juſtitiam ulterius infringere tentaverit, offenſam Dei & noſtram & noſtrorum Regali poteſtate fungentium incurrere merebitur, quia dignum eſt, ut quod tam libera Eccleſia Regno attinens tanto tempore obtinuit, noſtro Regali Banno ſtabile & inconvulſum pertineat.

Factum eſt hoc Aquisgrani, in Paſchali Curia, anno ab Incarnatione Domini MCXXXII. Indict. X. Regnante Lothario hujus nominis Rege tertio. Alexandro Epiſcopo Leodienſi exiſtente.

Hujus Rei teſtes fuerunt:

Wilhelmus Preneſtinenſis Epiſcopus, Cardinalis.
Mathæus Albanenſis Epiſcopus, Cardinalis.
Joannes de Crema Presbyter Cardinalis.
Wido Diaconus Cardinalis.
Albero Archi-Epiſcopus Trevirenſis.
Stephanus Metenſis Epiſcopus.
Luitardus Cameracenſis Epiſcopus.

De Principibus.

Dux Walramus.
Dux Simon.
Comes Arnulfus de Lopp. (*a*)
Greswynus de Falco-monte.
Gerardus Hoſtade.

De Fratribus Eccleſiæ.

Joannes Decanus.
Willo Camerarius.
Wynandus Cuſtos.
Henricus Cantor.
Renerus Scholaſticus.

De Miniſtris.

Godefridus.
Chriſtianus.
Waltherus.

Signum Domini Lotharii Invictiſſimi Romanorum Regis tertii.

Ego Nicolinus ad vicem Adalberti Moguntinenſis Archi-Epiſcopi Archi-Cancellarii recognovi.

In actis Ss. Maji Tomo VII. Diſſertatione prævia de Epiſcopatu Trajectenſi, ſeu Tungrenſi.

(*a*) *Lege* de Lozz.

CONVENTUS HILDESIENSIS
SUB BERNARDO EPISCOPO.

ANNO CHRISTI MCXXXII. INNOCENTII II. PAPÆ III. LOTHARII II. REG. VIII. IV. NON. MAJI.

SUMMA. Acceptâ notitia authenticâ Canonizationis factæ in Concilio Remenſi ab ipſo Pontifice Hildeſienſibus ſcripta, Epiſcopus corpus elevat & transfert ad publicam venerationem.

INNOCENTII Papæ ad Clerum & populum Hildeſienſem Nuntiatoria declaratæ Canonizationis S. GODEHARDI in Concilio Remenſi MCXXXI.

INNOCENTIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTIS FILIIS, CLERO ET POPULO HILDENESHEIMENSI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

VEniens ad Nos venerabilis frater noſter Bernardus Epiſcopus veſter in plenaria Synodo, quæ Remis per Dei gratiam fuerat congregata, atteſtatione fratrum

fratrum nostrorum Episcoporum & Abbatum, & aliorum, qui secum venerant, sanctæ memoriæ Godehardum Episcopum vestrum laudabiliter vixisse in mundo, & tam in vita, quam post mortem multis miraculis coruscasse asseruit. Unde nos cum fratribus nostris Omnipotenti Deo gratias referentes, habito eorum consilio & collaudatione, quia eundem in cœlis cum Sanctis credimus coronari, ipsum inter Sanctos honorari præcipimus, mandantes vobis, ut & eidem beato Viro solemnitatem in vestra Ecclesia statuatis, & ad eam annualiter venire curetis. Data Remis, IV. Kal. Novembris.

Ex vita S. Godehardi in Actis Ss. ad diem IV. Maji.

QUia tum (finito Concilio Remensi 1130.) hibernum tempus imminebat, nec ad tantum negotium se expedire valebat, visum est congruum, quæ per Apostolicum concessa sunt, Catholicis & religiosis viris nuntiari, & ipsam translationem usque in quartum Nonas Maji differri.

Et jam tempus advenerat, cum tam celebris rumor, scilicet de translatione tanti Patroni in nostram civitatem plures tam religiosos quam promiscui sexus homines coadunabat.

His visis consilium in communi Conventu capitur, qualiter caute sine perturbatione transferatur; ne aliquod scandalum Ecclesiæ nostræ inde oriatur. Nam fuere quidam religiosi viri admodum timentes, propter longitudinem temporis vel corpus non inveniri, vel nullum indicium Sanctitatis reperiri.. sed tandem post multas disceptationes in hoc omnes conveniunt, ut remota multitudine, ante matutinales horas omnes conveniant, & sic tumbam, in qua positus fuerat, cum omni devotione aperiant. Mediæ ergo noctis tempore Antistes noster, unà cum religiosis viris tam monachis, quam regularibus sibi coadunatis, cum magno timore ac tremore cryptam nostræ Ecclesiæ subiit, & sarcophagum, in quo positus fuerat noster Patronus, aperiri præcepit: ipseque cum cæteris fidelibus orationibus interea devotissime institit. Sed ubi summus labor in frangendo sarcophago antea visus fuerat, jam Deo faciente illico se aperiebat, & aditum facillimum ad corpus præbebat.

Tum vero aperto sarcophago..... Divinus quidam odor & incognitus odor fragrabat, qui quosdam astantes quasi quadam spirituali dulcedine refocillabat, & in perfecta fide Sanctitatis ejus eos corroborabat.

Tandem omnibus cunctantibus & longam moram facientibus per fratrem nostrum Præpositum Bertholdum corpus sublevatur; & propter multitudinem populi, quæ ad tantam rem videndam convenerant, in secretum Sacrarii nostri deportatur.

In actis Ss. ad diem IV. Maji ex Browero. Chronographus Saxo solemnis Elevationis meminit ad IV. Maji.

Notant Hagiographi Antverpienses hic multa deesse, nempe quî corpus postridie publico ostensum, solemni supplicatione ad montem S. Mauritii, & alia loca translatum, venerationi populi concessum fuerit: de quibus inter multa miracula, quæ ibidem sequuntur, aliqua vestigia deprehendis.

SYNODUS COLONIENSIS

ANNO CHRISTI MCXXXII. INNOCENTII II. PAPÆ III. LOTHARII REGIS VIII.

Bruno, Archiepisc. Coloniensis, præfertur judicio Regis & Synodi, Godefrido electo a clero & populo.

REx Lotharius Natalem Domini Coloniæ celebrat, in cujus præsentia gravissimæ partes sunt utriusque ordinis, Cleri scilicet & populi, in electione Domini Godefridi Santensis Præpositi, præsidentibus tribus Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatis, Wilhelmo scilicet Prænestino Episcopo, Widone (qui Innocentio Romæ successit) & Joanne Cremensi Episcopo. Tandem judi-

judicio Regis ac Principum, & ipſorum Cardinalium ad unanimitatem Eccleſia perducitur. Atque ſaniori conſilio, Godefrido ceſſante, Dominus Bruno (a) Præpoſitus S. Gereonis Colonienſi Cathedræ inthronizatur.

Interim dum hæc agenda tractantur, Eckbertus Monaſterienſis Epiſcopus, primum Decanus majoris Eccleſiæ Beati Petri Coloniæ, qui huic Concilio intererat, ibidem infirmatus moritur, reportatusque ad ſuam tumulatur.

Chronica Regia S. Pantaleonis apud Eckbartum Tom. I.

Merſæus Cratepolius in Chronica Archiep. Colon.

(a) Bruno II, Adolphi Comitis de Altena & Monte filius, Præpoſitus erat Metropolitanæ Colonienſis, & Confluentinæ Eccleſiæ S. Florini: hic anno 113. poſt mortem Meginheri recuſaverat Cathedram Trevericam oblatam, quia comitiali morbo laborabat: quo levatus, dum Regem Coloniam ſequitur, contra Cleri & populi votum gratiâ Regis præfertur Godefrido.

IN SYNODO ROMANA BERTHOLDO PADERBORNENSI EPISCOPO CONCEDITUR
USUS RATIONALIS, (b)

In celebrando Sacrificio ſtatutis temporibus, in conſecrationibus Eccleſiarum & ordinationibus Clericorum, ſed in proprio tantum Epiſcopatu.

ANNO CHRISTI MCXXXIII. INNOCENTII II. PAPÆ IV. LOTHARII II. REG. IX. IMP. I. NONIS JUNII.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Bernardo Padelburgenſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus Canonice promovendis. Sicut omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, & a Patre luminum deſcendere Scripturæ Sacræ auctoritas proteſtatur: ita procul dubio noſtram gloriam atque lætitiam fore credimus, ſi fratres noſtri digni honore inveniuntur, & pro ſua probitate atque ſcientia de magnis honoribus Eccleſiaſticis ac dignitatibus ad altiora provehi promerentur. Hoc profecto intuitu, quoniam multa de tuæ devotionis erga beatum Petrum ſtudio, venerabilis frater Bernarde Epiſcope, noſtris ſunt auribus nuntiata, & hoc ipſum certis indiciis comprobavimus, æquum eſt, ut pro impenſo obſequio à ſede Apoſtolica amplius honoreris, & ut de cætero fraternitatem tuam nobis magis obnoxiam ſtatuimus, tam temporaliter quam ſpiritualiter gratum emolumentum Domino cooperante recipias. Et quoniam tanquam Aaron ad Pontificalis dignitatis faſtigium Divina providentia te credimus evocatum, & loco Moyſi ad regimen es, & Principatum Chriſtiani populi conſtitutus, eorumque quoque dignitatis te Principem conſtituimus, & uſum Rationalis tibi tuiſque ſucceſſoribus ex Apoſtolicæ ſedis benignitate concedimus. Hoc videlicet ſancientes, ut eodem his diebus per Parrochiam tuam infra Eccleſiam duntaxat utamini, qui in præſentis ſcripti pagina perſcribuntur, id eſt, Cœna Domini, Paſcha, Aſcenſione, Pentecoſte, Natale beati Joannis Baptiſtæ, feſtivitatibus beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſolemnitatibus Beatæ Mariæ & omnium Sanctorum, Natale Domini, & Epiphania. In conſecrationibus quoque Eccleſiarum infra tuam Parrochiam

Eadem in Synodo creditur Norberto Magdeburgenſi datus vel confirmatus Primatus. *Vitæ Norberti C. X.*

In eadem, Bertholdo, Fuldenſi Abbati, conceſſum jus mitræ, Baculi, annuli.

(b) Rationale λογιον opus ex auro ſerico & gemmis forma quadrangula contextum, quod inſertum collo humeros & pectus tegit, dependentibus a tergo quatuor faſciis limbiſque, haud multum diſſimile epomidi, unde & ſuperhumerale dicitur aliis. *Schatenus ad h. ann.*

chiam, nec non etiam ordinationibus Clericorum, in Anniversario dedicationis Padelburgensis Ecclesiæ & in festivitate sancti Liborii. Tua itaque frater dilectissime, interest, ut, quod in facie geris Ecclesiæ, operum tuorum commendet effectus. Et tua dilectio hac semper gratia valeat dignior inveniri.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Signum manus meæ: adjuva nos Deus salutaris noster.

Datum Laterani per manus Armerici sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, Non. Junii, Indict. XI. Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIII. Pontificatus vero Domini Innocentii II. Anno IV.

Schatenus in Annal. Paderbornensibus ad A.C. 1133. *post Chronicon Hildesiense.*
Gobelinum ætat. VI. c. 59.
Crantzium Lib. VI. Metropoleos C. X.

Herbipoli Conventus

ANNO CHRISTI MCXXXIII. INNOCENTII II. PAPÆ IV. LOTHARII II. REGIS IX. IMP. I.

POstquam Lotharius Imp. cum Conjuge sua ab Innocentio II. Romæ II. Non. Maji Imperialem benedictionem suscepisset. Transcensis Alpibus celebrat Nativitatem S. Mariæ in *Werzeburch*, habuitque gloriosum occursum ad Curiam suam, ex Principibus diversarum Provinciarum, tam Ecclesiastici ordinis sublimitate, quam & sæculari dignitate præfulgentibus. Ibi confirmantur electiones Episcoporum *Henrici* Ratisbonensis & *Walteri* Augustensis: & quia *Henricus* Basiliensis Episcopus omnino degradatus fuit; *Adalbero* Nienburgensis Abbas eidem canonica electione Cleri & populi per consilium Imperatoris successit.

Chronographus Saxo., auctor æqualis ad hunc annum.

SYNODUS TREVERICA

SUB ALBERONE ARCHI-EPISCOPO.

ANNO CHRISTI MCXXXV. INNOCENTII II. PAPÆ VI. LOTHARII II. REG. XI. IMP. III.

SUMMA. Deciditur controversia de Decimis inter Ecclesias Steinveldensem & Cardonensem per commutationem a Synodo Treverica probatam.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Adelherus, (*a*) Dei gratia, Trevirensis Ecclesiæ Archi-Episcopus; notum esse volo tam futuris, quam præsentibus, qualiter nostro studio & consilio terminata est controversia, quæ aliquotiens coram nobis ventilata est inter duas Ecclesias, *Steinvelt* & *Cardonum*, pro decima quarundam vinearum in villa Elenze. Convenerunt etenim ex condicto, earundem Ecclesiarum uterque Præpositus, *Godefridus* videlicet, & *Everwinus*, cum fratribus suis, & inito consilio finierunt litem suam per quandam commutationem. Ecclesia namque Steinvelt, ut sine calumpnia decimam, pro qua impetebatur, in perpetuum possideat, dedit Ecclesiæ de Cardono vineam unam sitam juxta Cœmiterium prædictæ villæ Elenzæ. Ut ergo hæc actio firma & inconvusa permaneat, placuit eam corroborari non tantum scripto, sed & sigilli nostri impressione, & Episcopalis banni auctoritate.

Hujus rei testes sunt Archidiaconi: Arnoldus, Alexander, Milo.

Abbates: Godefridus de Echtirnaco; Giselbertus de Lacu; Rutardus de Sprengirsbach.

Liberi

(*a*) *Alberonem* semper vocat Browerus: electus fuit, ac demum coactus admittere Archi-Episcopatum in Concilio Remensi anni 1131.

Liberi homines: Ludovicus Comes de Arenftein, Henricus de Molsburg.

Facta funt hæc *in generali Synodo Treviris* Anno Incarnationis Domini MCXXXV. Indict. XIII. Epifcopatus noftri IV.

Ex Archivio Monafterii Steinveldenfis defcripfit Cl. Schannat b.m. Browero & Mafenio, & Illmo Honthemio ignotam Synodum.

CONCILIUM PROVINCIALE MAGDEBURGENSE, HALÆ CELEBRATUM,

Anno Chrifti MCXXXV. Innocentii II. Papæ VI. Lotharii Regis XI.

Monafterii gratiæ Dei fundatio, dotatio, Privilegia confirmantur.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Cunradus Dei gratia Sanctæ Magdeburgenfis Ecclefiæ Archi-Epifcopus. Si femper funt confirmanda, quæ piis defideriis congruunt, quanto potiffimum ea, quæ Divini cultus prærogativa gaudent privilegiis communienda. Quapropter cupimus notum fieri omnibus Sanctæ Ecclefiæ fidelibus hæc legentibus vel audientibus, quod quidam nobilis Otto de REVENINGE inftinctu Sancti Spiritus, ob fpem vitæ æternæ fe ipfum cum omnibus bonis fuis obtulit, & in confilium & difpofitionem Prædecefforis noftri venerabilis Archiepifcopi *NORBERTI MAGNI ET INCOMPARABILIS VIRI* fefe prorfus depofuit, ejusque confilio & legitimorum hæredum confenfu . . . . beneficio beato Mauricio tradidit, propofuit etiam idem Otto pro fua fuorumque Parentum falute, ut in aliquo fundo allodii fui Canonici Regulares, fecundum inftitutionem ejufdem Norberti ordinarentur, in quorum ufus omnia reliqua bona ejus cederent, & inter quos ipfe fub eadem profeffione pauperum Chrifti Chrifto militaret. Quia vero prædictus Norbertus, in fua Parrochiâ religionem propagare femper ftuduit, rogavit eundem Ottonem, & ut hoc in fuo potius Epifcopatu vellet facere, promifit, fe omnem diligentiam tam in fpiritualibus, quam in temporalibus, adhibiturum, qui tandem ejus petitioni annuens partem bonorum fuorum videlicet curtim Cruttorf cum omnibus fuis appendiciis, & curtim Ekkenfteden cum omnibus fuis appendiciis, & curtim Rinberche cum fuis appendiciis ad locum, qui GRATIA DEI dicitur, beato Victori in ufus pauperum Chrifti contulit, quos in eodem loco venerabilis Norbertus in regulari profeffione nuper ordinaverat. Porro de reliqua parte bonorum fuorum, videlicet de Reveningen, & ejus appendiciis diftulit, donec videret, fi Religionem ibidem ex confilio ejus aliquo modo poffet nunciare. Interim autem beatus Norbertus Archi-Epifcopus tranfivit ad Chriftum, & de Reveningen & ejus Appendiciis nec per eum, nec per Ottonem quicquam ad Religionem difpofitum vel ordinatum eft. Poftquam autem Divina Clementia nos in vicem tanti viri Archi-Epifcopali dignitate fubftituit, communicato fidelium Chrifti confilio, volente quoque & confentiente eodem Ottone, cuncta quæ poffederat tam in fuis quam in exteris locis ad prædictum locum, qui vocatur *Gratia DEI*, attitulata & contradita funt, ut in ufus fratrum ibidem Deo regulariter fervientium in perpetuum maneant, & nos caftrum, quod dicitur Reveninge, cum reditibus VII. Talentorum, in confilio, & confenfu Præpofito & Fratrum prædicti loci, & ejus utilitate, liberi quoque in Cambio pro fupradicto loco, qui dicitur gratia Dei, quæ de pertinentiis erat Ecclefiæ noftræ, cum omnibus illius appendiciis, volente Ottone, nobis & Ecclefiæ noftræ retinuimus, ea videlicet ratione, ut nullus Archi-Epifcopus idem caftrum alicui in beneficio præftet, nifi & confilio & confenfu Præpofiti & Fratrum prædicti loci & ejus

" ejus utilitate." Liberi quoque ſicut & Miniſteriales cum ſuis beneficiis ad nos & ad ſucceſſores noſtros reſpiciant. Prædictæ vero canoniæ Præpoſitum donamus Libertatis Privilegio, "ut nullius " expeditionis aut alterius ſervitii in- " commoda exactione gravetur. Si ve- " ro conſilia Sanctorum Patrum agun- " tur, vocatus adveniat, & debitum " honorem & reverentiam Epiſcopo ju- " beat. Canonici autem, defuncto pa- " tre, alterius profeſſionis clericum non " cogantur accipere, ſed quem in ipſa " canonica vita probatum, moribus ex- " ornatum proſpexerunt, libere & con- " corditer eligant, & ſibi Præpoſitum " efficiant. Quod ſi in eligendo Præpo- " ſiti vota partium ſe diviſerint, aliis " alium clamantibus, ſanior pars, fa- " vente gratia Epiſcopi, quem elegerit, " obtineat." Statuimus igitur & auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli, Venerabilis Papæ Innocentii & Prædeceſſoris noſtri Norberti, & noſtrâ ſancimus, ut nulla Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona, locum aut Fratres, vel omnia eis pertinentia, inquietare vel moleſtare audeat, ſed ipſi libere & quiete Deo ſerviant, & tam in mancipiis, quam in terris, cultis & incultis, agris, vineis, pratis, paſcuis, ſylvis, aquis, aquarumve decurſibus piſcationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, vel ſi quid aliud dici poteſt, liberam habeant facultatem, in proprios uſus convertendi, vel etiam, ſi voluerint, commutandi. Et ut hæc noſtri ſcripti pagina firma & inconvulſa permaneant, ſigilli noſtri impreſſione eam roborare curavimus. Si quis autem hujus confirmationis & privilegii " transgreſſor extiterit, & eosdem fra- " tres inquietare ſeu bona eorum aliena- " re, Corporis & Sanguinis Domini " noſtri JESU CHRISTI ſe reum ille " & anathematizatum noverit, qui vero " obſervaverit pio intuitu, benedictio- " nem & peccatorum remiſſionem a " Domino conſequatur." Hujus autem noſtræ Sanctionis hi ſunt idonei Teſtes: *Noſtræ Eccleſiæ Suffraganei, videlicet Udo, Cizenſis Epiſcopus, Meyngotus Merſeburgenſis Epiſcopus, Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus, Godeboldus Miſnenſis Epiſcopus, Ludolfus Brandeburgenſis Epiſcopus.* Arnoldus Abbas de Monte. Canonici ſancti Mauritii, Frithericus Præpoſitus, Gezo Decanus, Fridericus Præpoſitus de Bivera, Bodo Scholaſticus, Gerhardus Cellerarius, Theodoricus . . . . Lambertus Præpoſitus Hallenſis, Wikerus Præpoſitus S. Mariæ Magdal. reliquo Clero annuente & conſentiente, *Principes*: Henricus Marchio & Advocatus, Cunradus Marchio, Adelbertus Marchio, Retrardus Comes, Rutholfus Comes, Frithericus Comes Palatinus. *Nobiles*: Luthewicus, Burchardus, Lambertus. *Miniſteriales*: Hathamarus, Rudolfus, Suitherus, Richardus, Sifridus. Data quarta Nonas Martii apud Canonicum S. Mariæ Dei Genitricis Hallæ, quæ dicitur *novum opus* a venerabili Conrado Magad. Archi-Epiſcopo, præſentibus . . . . . Havelburgenſi Epiſcopo. Hallenſi Præpoſito reverendo Lamberto, ex Gratia Dei Præpoſito, primo Religioſo Evermudo cum aliis pluribus. Anno Dominicæ Incarnat. Milleſimo, centeſimo, XXX. quinto, Indictione XIII. Præſidente ſanctæ univerſali Romanæ Eccleſiæ Innocentio ſecundo Papa, Regnante Luthario tertio.

Leuckfeldt in Antiquitat. Præmonſtratenſibus pag. 17.

SYNODUS AUGUSTANA

SUB WALTHERO EPISCOPO.

Anno Chriſti MCXXXV. Innocentii II. Papæ VI. Lotharii Regis XI. Imp. II.

Confirmat Waltherus cœnobium Kaysheim fundatum cum variis Privilegiis.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ejuſdemque inſeparabilis Unitatis, Waltherus Dei gratia Auguſtenſis Eccleſiæ Epiſcopus Catholicus. Decet nos

nos honorem, quem gerimus nomine, moribus exhibere, colere & obſervare juſtitiam, qui ſuſcepimus locum ad æquitatem proferendam, ne fiat exemplum pravum, qui electus ad laudabile cognoſcitur inſtitutum, ſed per virtutis exemplum, luceat gratia dignitatum. Ideoque libenter omnimodis præbemus aſſenſum, quotiens juſta eſt vox poſcentium, nec a nobis difficile prodibit beneficium, quod non patitur largitate detrimentum. Ea propter notum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus Chriſti fidelibus, qualiter Comes *Heinricus de Lechsgemunde & uxor ejus Comitiſſa Luicardis*, & filius ejus Volcradus conſenſu & collaudatione filiorum, filiarum, nec non univerſorum legitimorum ejuſdem prædii cohæredum ſuorum quoddam cœnobium in proprio fundo ſuo quod (*a*) *Kaysheim* dicitur, conſtruxerunt, & ut puritas regulæ S. Benedicti & Ordo Ciſtercienſis ibidem perpetuo conſervetur, firmaverunt: Deinde præfatum cœnobium cum agris, ſylvis, campis, pratis, viis & inviis, cum omnibus denique appenditiis ſeu appertinentiis ſuis, per manum cujusdam nobilis & inluſtris viri HARTNIDI de GRAIFERSPACH ad ſummum Altare Sanctæ Matricis Auguſtenſis Eccleſiæ jure legitimo tradiderunt, ita plane, ut fratres ejusdem cœnobii, Eccleſiæ eidem talentum ceræ annuatim perſolvant; nullumque advocatum præter filium virginis habeant, nec cuiquam Regum, Epiſcoporum, Principum, nec non ejuſdem loci fundatorum ſeu poſterorum ſuorum quicquam in præfato loco ordinare, immutare, conſtituere, deſtituere vel ſubſtituere liceat, niſi rogatu fratrum, ut quieti quiete & ſine omni perturbatione laudibus Divinis inſerviant. Præterea ſi quis de noſtro Epiſcopatu ibi ſepeliri, vel ſi qui miniſterialium Eccleſiæ noſtræ illis bona vel prædia ſua pro exſpectatione futurorum conferre voluerint, utriuſque licere, ratum duximus & jure perpetuo firmamus. Sane memoriæ commendandum, quod ejuſdem loci fundatores de ſylva, quæ vulgo Haidwang dicitur, quantum poſtulat neceſſitas fratrum, libere & ſine omni poſterorum contradictione dederunt perpetuo poſſidendum, & ut hæc omnia rata atque inconvulva permaneant, hanc ipſis chartam ſcribi juſſimus, quam ſigilli noſtri impreſſione munivimus. Quæcunque ergo Eccleſiaſtica, ſæcularisve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam, ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſe a quolibet eorundum fratrum injuſto gravamine non correxerit, poteſtatis, honorisque dignitate careat; reamque ſe Divino judicio exiſtere pro certo cognoſcat & a Sacratiſſimo corpore & ſanguine Domini noſtri JESU Chriſti aliena fiat, niſi pœnitendo reſipiſcat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri JESU Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia pacis æternæ inveniant. Amen. Amen. Amen.

Acta ſunt hæc anno Incarnationis Domini MCXXXV. Indict. XII. XI. Kalend. Octob. in civitate Auguſta præſente *Clero Comprovinciali eodem tempore ad Capitulum congregato*, præſidente Papa Innocentio, ſub Imperatore Lothario: Regnante Chriſto feliciter. Hujus rei teſtes ſunt hi.

Udalſcalk Abbas S. Udalrici.
Gotebold Abbas de Eſchenprunnen.
Dieterich Abbas de Werde.
Ulricus Præpoſitus de Urſperch & alii multi.
Hilteprandus Præpoſitus.
Conradus Vice-Dominus.
Egelwart Decanus.
Conradus Archi-Presbyter.
Hermannus cuſtos.
Hermannus Scholaſticus, Canonici & alii multi.
Bertholdus de Bertholdesheim.
Hartnid de Graiffenspach.
Ratoli de Emichſesheim.

Ru-

Waltherus Epiſcopus XXXI. Auguſtanus electus 1134. juxta *Stengelium.*
Waltherus Comes Palatinus Tubingenſis electus poſt 1133. Cœnobium Brentzanhuſanum & S. Georgii in urbe condidit: reſignavit pedum 1150. in Monaſterio Selingeſtadienſi vixit ad 1153. *Bucelinus.*

(*a*) Quia Monaſterium hoc Ciſtercienſe a Lothario II. Cæſare confirmatum fuit, ideo *Kayſersheim* v. *Keisheim* dictum.

Ruprecht de Tringesheim liberi & alii multi.
Witegon Præfectus.
Ebo, Billunc.
Amelio, Wieman.
Benico, Karl.
Regilo, Harward ministeriales & alii multi.

SYNODUS DIOECESANA
WIRCEBURGENSIS
Anno Christi MCXXXVI. Innocentii II. Papæ VII. Lotharii Regis XII.
AB EMBRICONE EPISCOPO WIRCEB. CELEBRATA,
In qua Aschabach Ecclesia in Parochialem erigitur.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego *Embrico*, licet indignus, per gratiam Dei Wirceburgensis Episcopus, notum esse cupio tam præsentibus quam futuris Christi-Fidelibus, qualiter honesta quædam & venerabilis Matrona, nomine *Gundrun*, liberæ conditionis fœmina, post mortem viri sui cum quo religiose vixerat, cum liberam disponendarum rerum suarum facultatem primum fuisset adepta, satis ostendit, qualem marito suo viventi fidem servaverit, quæ post ipsius mortem non solum alterius viri consortia declinavit, sed & omnibus hujus Sæculi voluptatibus plenarie renuntiavit; defuncto enim marito suo statum viduitatis, & conservandæ semper imposterum continentiæ habitum assumpsit, quem vigiliis, orationibus, & eleemosynis, & aliis, quibus poterat, benefactis decorare non omisit; deinde in prædio suo Aschabach, Ecclesiam quandam in honore beatissimæ Virginis, & Matris Domini, quam pro peccatis suis specialem sibi apud Dominum Patronam delegerat, construxit, & ad ejusdem Ecclesiæ consecrationem cum omni diligentia nos invitavit, obsecrans nos per Dei misericordiam, ut a Parochia Haselach, in cujus terminis sita erat, Ecclesiam eandem absolvere, & penitus liberam facere vellemus.

Nos igitur pro ipsius reverentia vix ei aliquid audentes denegare, petitioni ipsius nos libenter satisfacturos promisimus, si pro nostro, & meliorum Ecclesiæ nostræ consilio, pro justitia illa, quam parochianus Presbyter de Haselaha in villa ista Aschabach in sepultura, in baptismo, in numis illis, qui missales dicuntur, & cæteris justiciis solebat habere, partem prædiorum suorum Parochiali Ecclesiæ tradere & delegare, & huic Ecclesiæ tantum de prædiis suis vellet conferre, unde Sacerdos aliquis Deo, & Reliquiis illic reconditis devote servire volens, se honeste sustentare valeret; hæc igitur, ut tota erat Christianissima, hæc omnia pro nostro consilio se libentissime facturam promisit, & pro justitia illa, quam parochianus Presbyter de Haselaha in villa ista Aschabah hucusque solebat habere, duos mansos, unum in Tiderichesdorf, alterum apud Frigenhaselah, Ecclesiæ parochiali designavit & tradidit: cætera omnia, quæ habuit, prædia sua, & utriusque sexus mancipia, Ecclesiæ suæ, ipsa consecrationis die, sub nostra præsentia, in rectam & stabilem dotem tradidit atque delegavit; ita ut ipsa, quousque vixerit, necessaria victus & vestitus inde habeat, de hoc vero quod residuum fuerit, pauperibus, & Sacerdoti, qui Deo illic servierit, ipsa provideat; post mortem vero ipsius omnis inde descendens utilitas usibus Sacerdotis plenarie subjaceat.

Totam igitur hujus causæ seriem in *Synodo* nostra, ad omnem Ecclesiæ Conventum detulimus, & totius Ecclesiæ nostræ consilio & auctoritate, prædictam Ecclesiam in Aschebah a parochiali Ecclesia, cum præmissa conditione, absolvimus, & penitus liberam fecimus; ita ut omnis populus, qui eandem vil-

lam Aſchabah inhabitat, ſepulturam & baptiſma illic habeat, & a parochiano Sacerdote prorſus liber, hujus Eccleſiæ Sacerdoti in omnibus obediat, omni anno ſemel tantum ad Eccleſiam parochialem, cum Archi-Diaconus vice noſtra placitum illic habuerit, veniat, & ipſi Archi-Diacono in omnibus, quæ Eccleſiaſtica cenſura exigit, prout juſtum eſt, obediat. Ut autem hæc omnia ita rata & inconvulſa permaneant, nos ſuper his hanc cartam conſcribi fecimus, quam ſigilli noſtri impreſſione inſignitam, ſubſcriptorum Teſtium teſtimonio, ex Dei Omnipotentis & officii noſtri auctoritate, confirmavimus, & qui hæc unquam infregerit, ſit anathema, maranatha.

Teſtes hujus rei ſunt: *Otto* Præpoſitus, *Babo* Decanus, *Sigefridus* Præpoſitus, *Guntherus* Præpoſitus, *Curradus* Præpoſitus, *Gebehart*, *Hertwich*, *Swibodo*, *Gozelin*, *Wichnant*, *Burchard*, *Adelbero*, & omnes, qui Synodo illi interfuerunt, Clerici.

Laici liberi: *Godeboldus* Comes, *Rabodo* Comes, *Wolframus* Comes, *Rupret*, *Erkenbret*, *Marckwart*, *Otto*, *Gozwin*, *Cuonrat*, & plures alii.

Miniſteriales: *Otto*, *Volcger*, *Folcnant*, *Eber*, *Herolt*, *Irinc*, *Richalm*, *Billunc*, *Edelrich*, *Wolffmar*.

Acta *Wirciburg*, Calend. Maji. Anno Domin. Incarnationis MCXXXVI. Indict. XIV. Regnante glorioſo Rom. Imperatore III. *Lothario*, *Godeboldo* Comite.

Ex codice MS. Monaſterii S. Michaelis Bambergæ deſcripſit Cl. Schannat. b. mem.

SYNODUS IN RHETEL

ARCHI-DIOECESIS TREVERENSIS

Anno Chriſti MCXXXVI. Innocentii II. Papæ VII. Lotharii Regis XII.

SUMMA. Concordia poſt multas guerras, & labores, & expenſas inita inter Henricum Tullenſem Epiſcopum, & Fridericum Comitem Tullenſem, RUTILE in Treverenſi Parochia, id eſt, Archi-Diœceſi, præſentibus Tituino Epiſcopo S. Ruffinæ, Apoſtolicæ Sedis Legato, Alberone Treverenſi Archiepiſcopo, & Suffraganeis ſuis, Stephano Metenſi, Alberone Virdunenſi Epiſcopis, nec non aliis nobilibus Principibus, infra recitatis in Epiſtola Pontificis Innocentii II. confirmatoria hujus concordiæ, quæ ſequitur.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Henrico Leucorum Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus Canonice promovendis in perpetuum. Statuta fratrum noſtrorum, ſicut irrationabilia debemus Eccleſiaſticæ diſciplinæ moderatione corrigere, ita nihilominus convenit eorum bene geſta firmare. Quamobrem venerabilis frater Henrice Epiſcope, pacem & concordiam, quæ poſt multas guerras & labores atque expenſas, inter te & nobilem virum Fridericum Comitem Tullenſem in præſentia venerabilium fratrum noſtrorum Tecwini Epiſcopi ſanctæ Ruffinæ, tunc Apoſtolicæ Sedis Legati, Alberonis Trevirenſis Archi-Epiſcopi & ſuffraganeorum ſuorum, Stephani videlicet Metenſis, Alberonis Virdunenſis Epiſcoporum, nec non aliorum nobilium Principum, videlicet Simonis Ducis, Adeleidis Duciſſæ uxoris ſuæ, Rainaldi Barrenſium Comitis, Gualteri de Gondricurte, Odonis de Melaino, & Petri de Briſſejo, Rutilæ in Trevirenſi Parochia facta eſt, præſenti ſcripti pagina confirmamus, & futuris temporibus ratam manere decernimus.

Ita ſcilicet, ut de hoſpitalitate ſeu conſuetudine, quam præfatus Comes Fride-

Fridericus in præbenda fratrum Tullensis Ecclesiæ sibi usurpare contra justitiam nitebatur, nihil sibi deinceps ex debito audeat vindicare. Verumtamen si prædictus Comes, Vischeriaci in præbenda fratrum bis in anno, cum septem vel decem militibus tantum hospitari voluerit, idipsum ei minime negabitur, sed fratres ejusdem loci sustinebunt, nec eum exinde molestabant, si in domo fratrum hospitium susceperit, si ministeriolum administratione procurari voluerit, si nullam exactionem in eadem villa vel per se vel per alios fecerit. Cæterum si ipse transgredi vel violare præsumpserit, jam dicti fratres idipsum ab eo per justitiam exquirere possint.

Præterea si, quando necesse fuerit, ut idem Comes a Decano vel Præposito postulaverit in præbenda fratrum semel in anno cum septem vel decem militibus, tantum tertium hospitium ei dabitur. Si vero necessitas ingruerit, & nec Decanum nec Præpositum ad obtinendum hospitium habere poterit, hospitium ipsum per ministerialium manus accipiat & servitium competens, quod ei exhibitum fuerit, cum gratiarum actione suscipiat. Quod si Comes aliter, quam supra scriptum est, fecerit, & conventionem laudatam cum præfatis Episcopis atque Principibus, violaverit, aut exactionem aliquam vel violentiam in villis fratrum supradictorum exercuerit; si servitia sufferentiâ Canonicorum antedictâ, & eo modo, quo sunt determinata, per manus ministerialium non susceperit, hospitia, quæ non debito aut justitia, sed per sufferentiam fratrum accipiebat, prorsus amittat. Et hoc tamdiu stare poterit, quandiu ipse debitam fratribus amicitiam observaverit. Decernimus ergo, ut neque præfato Comiti, neque alicui hominum liceat te, vel successores tuos, seu Tullensem Ecclesiam, aut Canonicos super hoc temere infestare, aut aliquid ultra id, quod prædictum est, a te vel ab ipsis exigere; sed potius ipse statutis hospitiis contentus existat, & Tullensis Ecclesia, & Canonici ab ipsius infestatione de cætero liberi maneant & quieti.

Si quis autem hujus nostræ confirmationis paginam sciens contra eam venire tentaverit temere, secundo tertiove commonitus, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui periculum patiatur & à Sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi alienus fiat. Conservantes autem omnipotentis Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli gratiam consequantur. Data Pisis per manum Almerici, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii VII. idus Junii. Indict. XIII. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXVI. Pontificatus Domini Innocentii Papæ II. anno VI.

Inter Epistolas Innocentii II. est Numero XLVIII. apud Harduinum Tomo VI. Concilior. Parte II.

Calmet eandem refert Tomo IV. Probationum Historiæ Lotharingicæ pagina CCCXI.

SYNODUS TULLENSIS
SUB HENRICO EPISCOPO.
Anno Christi MCXXXVI. Innocentii II. Papæ VII. Lotharii Regis XII.

Confirmante factam Abbatiæ S. Mansueti donationem allodii de Monces, à Simone Duce Lotharingiæ, & Adelheida Ducissa.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Henricus Dei misericordia sanctæ Tullensis Minister servus, universis Sanctæ Matris Ecclesiæ fratribus & filiis desiderabilem in Domino perpetuitatem misericordiæ Salvatoris. Pontificalis dignitas ideo in populo acquisitionis, Eccle-

Ecclesiasticæ dispensationis obtinet Principatum, ad sustentandam Dei servorum inopiam, monitis & increpationibus studeat incitare, qui Divinam pro ipsis Clementiam insistant assidue devotius exorare. Ad excitandum igitur in bonis operibus posterorum industriam, notificamus tam posteris quam præsentibus, quod instinctu Divino SIMON Clarissimus Dux Lotharingorum & Marchio, venerabilisque Ducissa nomine Adeleidis uxor sua, piam sollicitudinem gerentes de salute animarum suarum, in vita sua Deo dare disposuerunt, quæ sibi suisque post mortem profutura crediderunt. Siquidem astantibus & consentientibus filiis suis Mathæo atque Balduino Ecclesiæ beati Mansueti primi pastoris & primi protectoris nostri, ut ibi exinde post obitum eorum evidentius memoria haberetur, allodium suum de Monces adjacens ante novum castrum, quod emerunt a Domino Widone de Wangionis vivo, & Herardo de Beburiac, & XL. marcarum cum additamento loricæ, & equi, & annuli aurei conjugi memorati Widonis donati, & in suo Dominicatu jam dudum possederunt, sicut est in omni usu, perpetualiter possidendum tradiderunt, in terris videlicet cultis & incultis, pratis, agris sylvis, molendinis, analibus (*forte canalibus*) aquis, aquarumve decursibus, exitibus vel reditibus, & mancipiis utriusque sexus.

Cum ergo hoc donum per illustres viros & idoneos, vice ipsorum Ducis scilicet & Ducissæ, super sancti Mansueti Altare fuisset positum (neque enim tunc temporis Ducissa venire valebat, quia vicina partui extabat) postmodum in præsentia nostri & coram multitudine magna Cleri & populi, plurimorumque nobilium & testium, quorum nomina subscripta sunt, supra Altare S. Mansueti per manum nostram, seu propria manu posuerunt, seque de cætero defensores promptissimos existere, si unquam necessitas exigeret, vel temerario ausu super eo, quicumque calumniam concitare intentaret, Deo & Sanctis ejus omnique congregationi quoad viverent, devoverunt, filiisque suis prænominatis adhuc adolescentulis post obitum eorum idipsum servare promittere, fecerunt.

Et quia officii nostri est benefactis aliorum pastoralem adhibere defensionem, petitione prædictorum Principum, ne quis deinceps super hoc donum temerarius accedat, sub annulo Dei & nostro, Pontificalem posuimus excommunicationem, & ad posterorum monimentum præsens testamentum nostro sigillo firmavimus, signis etiam & testimonio nostrorum fidelium roborandum tradidimus.

Signum Henrici Tullensis Episcopi.
Signum Rainaldi Abbatis S. Mansueti.
Sign. Eurardi sancti Apri.
Sign. Petri Decani.
Sign. Stephani.
Sign. Adelberonis primi Archidiaconi.
Sign. Haimonis Archi-Diaconi.
Sign. Hugonis Gundricurtensis Archi-Diaconi.
Sign. Goberti Cantoris & Archi-Diaconi.
Sign. Hugonis Rufi Archi Diaconi.
Sign. Stephani Archi-Diaconi.
Sign. Henrici Archi-Diaconi.
Sign. Simonis Ducis.
Sign. Theodori filii Widerici de Valcourt.
Sign. Ebroini de Granges.
Sign. Theodorici de Roau filii Bononis.
Sign. Gisliberti de novo castello.
Sign. Drogonis filii Waldrici de Bosani villa.
Sign. Umberti filii Alberti de Amerelli villa.
Sign. Stephani filii Alberti de Rossel.
Sign. Guillelmi de Castiniaco.
Sign. Falconis de Mandales.
Sign. Alberti de Darnejo.
Sihn. Karoli de Fonteniaco.
Sign. Warneri de Campinolis.
Sign. Odonis de Vassejo.
Sign. Alberti nepotis ejus.
Sign. Olderici Cancellarii.
Sign. Ebroini Decani.
Sign. Walteri Scabini.

Acta sunt hæc Tulli, anno ab Incarnatione Domini MCXXXVI. Indict. VI.

Epacta XVII. concurrente VI. Luna XX. X. Kal. Julii, in generali Synodo. Ordinationis vero nostræ anno IV. Imperante Lothario, Duce (a) Simondo, Comite Friderico, regnante per sæcula Domino JESU CHRISTO.

Calmet. Tomo IV. Probationum Historiæ Lotharingiæ pag. CCCXII. CCCXIII.

(a) Lege: *Simone.*

SYNODUS WURZEBURGENSIS

Anno Christi MCXXXVII. Innocentii II. Papæ VIII. Lotharii Regis VIII. Imp. V.

Embrico, Episcopus Herbipolensis, Donationes factas Monasterio B. M. V. in Ebera, confirmat in Synodo Diœcesana numerosa.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Embrico, licet indignus per gratiam Dei Wirceburgensis Episcopus. Notum esse cupimus omnibus tam præsentibus quam post futuris Christi fidelibus, qualiter venerabiles & in Christo dilecti, Dominus Adam Abbas de Ebera & ejusdem cœnobii fundator F. Berno; cum Iringo, ministeriali nostro, de commutatione beneficii sui, quod ipse habebat in villa Alolvesheim, inter se convenerint & in ejusdem commutationis certitudinem tres marcas & dimidium illi persolverint. Sed prius quam hæc inter eos facta conventio ad effectum perduci potuisset, idem Iringus oculto Dei judicio interfectus obiit, & parvulum quendam filium, tum hujus beneficii quam aliorum beneficiorum suorum hæredem reliquit. Causa igitur quæ cum prædicto Iringo inchoata sed nec dum consumata fuerat, ut non idcirco minus ad effectum perduceretur tum pro Deo, tum pro petitione Domini Adam & prædicti F. Bernonis, quos præcordialiter diliximus omni modis operam dedimus, & cum avo prædicti pueri, currando videlicet, de Pleiveld & cum Ebone, qui & ejusdem pueri patrinus & mundiburdus fuerat, assentientibus etiam ceteris omnibus ejusdem pueri cognati & amicis hoc tandem effecimus, quod ex eorum petitione & consensu Dominus Gebehardus de Sulzbach qui idem beneficium in villa Alolvesheim principaliter a nobis habebat, illud cum omni justitia ex integro nobis resignaret & in ejusdem commutationem XIV. mansos, & dimidium in villa Geldersheim & prædium, quod fuerat cujusdam Waldolfi in eadem villa cum decimis & cum omni justitia a nobis in beneficium reciperet. Hoc autem sic commutatum Dominus Gebehardus usque ad legitimos annos pueri se jure beneficiali in suis usibus habere velle asserebat, sed & justitiam illam, quam vulgo *Hergvede* vocant, a puero prædicto exigebat, prædicti autem fratres Dominus Adam Abbas videlicet & F. Berno septendecim marcas & dimidium Domino Gebehardo persolverunt, ut puer ex hac justitia, quæ dicitur Hergvede omnino liber remaneat & idem beneficium ita commutatum cum quiete & sine omni contradictione possideret. Subinde cum idem beneficium ad Dominum Adeloldum, qui Walpoto dicitur pervenisset, ille similiter prædictum puerum de justitia illa, quæ vocatur Hergvede, impetiit, ubi iterum Dominus Adam & F. Berno datis eidem Adeloldo quinque talentis ab hac exactione sæpe dictum puerum absolverunt. Hæc autem omnia tam distincte & tam diligenter sic assignari idcirco voluimus, ut cunctis liquido clarescat, quanto labore & dispendio prædicti fratres beneficium illud absolverint. Seorsum autem duos illos

Embrico, Wirceburgensis Episcopus, doctrinæ & facundiæ laude non minus inter Episcopos, quam ob rerum gerendarum dexteritatem in Curia clarus. *Scribit Cl. Mascovius in Comment. de rebus Conradi III. Lib. III. §. IV.*

illos manſos, quos Ebo præfati pueri patruus & mundiburdus in eadem villa Alolvesheim in beneficio habuerat, datis ſibi XIV. marcis pœnitus abſoluerunt, ſed & alios duos manſos, quos in eadem villa Rudegerus, miniſterialis noſter a nobis in beneficio habebat, & eoſdem ille nobis reſignaret; cum ipſo effecerunt. Advocatia vero ſuper eadem bona & ſuper homines ad eadem bona pertinentes, viginti tria mancipia utriuſque ſexus, quorum nomina. Poſtſcripta habentur, quam Comes Hermannus de Hoheſtatt de nobis habuerat, & prædicto Eboni in beneficium conceſſerat, datis ipſi Comiti ſeptem talentis effecerunt, ut eam ipſe nobis reſignaret, & ſimiliter Ebo in noſtra præſentia & multorum parium ſuorum eandem advocatiam abſtipularet. Omnia ergo hæc bona in prædicta villa Alolvesheim *cum omni ſua juſtitia*, ita ut diximus, vobis reſignata cum illis viginti tribus mancipiis quorum hæc ſunt nomina: Berthold, Nathild, Nathild, Cunrad, Diethold, Lieman, Immikind, Herman, Adelold, Herburg, Eberling, Imikind, Burcard, Adelot, Erckenbret, Meinold, Matholff, Gezeman, Sigefrid, Herburg, Rielint, Rudeger in ſpem retributionis æternæ tradidimus ac delegavimus. *Ad Altare Sanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ in Ebera, ut fratres ibidem Deo famulantes, hæc eadem bona libere & ſine omni contradictione cum omni ſua juſtitia perpetuo poſſideant & nunquam alium ſuper eadem bona niſi filium virginis advocatum habeant.* Sed nec hoc prætereundum fore neceſſarium duximus, quod prædicti fratres Dominus Adam & F. Berno prædium illud *Bleiveld*, quod fuerat cujuſdam Godefridi & quod idem Godefridus iturus Jeroſolimam in manus Domini ſui Cunradi de Bleiveld tradiderat, & ad Altare Beatæ Virginis & Matris Domini in Ebera, ſi ipſe in via illa moreretur, pro remedio animæ delegari rogaverat, hoc idem inquam prædium continens III. manſos & III. jugera & curtim quandam & quædam prata præfato puero in proprietatem tradi ac delegari fecerunt, ut idem puer & cognati & amici ipſius prædicti beneficii commutationem libentius & ſibi commodius collaudarent, & gratiorem haberent. Ut ergo hæc omnia deinceps rata & inconvulſa permaneant, hanc illis chartam fieri juſſimus, quam ſigilli noſtri impreſſione inſignitam ex Dei omnipotentis & officii noſtri auctoritate ſub anathemate confirmavimus, ut qui unquam aliquid ex his infregerit, ſit anathema, manaratha. Hujus rei teſtes ſubſcripti habentur, *Clerici*: Otto majoris Præpoſitus, Babo Decan. Guntherus Præpoſitus, Sigefridus Præpoſitus, Cunradus Præpoſitus, Gebehardus, Hertwicus, Gundramus, Grim, Heinrich, Gozelin, Burcard, Richolf, Bernard, Cunrat, Winthere, Wortwin, Wignant, Emicho, Ditmar; *Laici*, *Liberi*: Godeboldus Comes, & duo filii ſui Poppo & Berchtold, Hermannus Comes, Rnprech de Caſtele cum duobus ſuis filiis Ruberto & Hermanno, Gozwin de Trimberg, Otto de Wigereshuſin, Cunrad de Tungeden, Walther & Engilhard de Lubenhuſen, Wolfram & frater ejus Graf de Sveneburg; *Miniſteriales*: Cunrad viee Dominus, Herolt, Otto Volenant & frater ejus Warmunt, Udalrich, Germunt, Edelrich, Billunc, Richalm, Godefrid, Engilbret, Cunrat, & ejus Irinc, & ejus frater Heinrich, Godebolt, Rutwich, Wolfram, Rainhart, Kateloch. Data Wirceburg *in Synodo noſtra* III. Non. Maji. Anno Dom. Incarnat. MCXXXVII. Indict. XV. regnante Glorioſo Rom. Imperatore III. Luthario, Goteboltо Comite.

In actis Monaſterii Ebracenſis contra Wurtzburg invenit Cl. Schannatus b. mem.

HAL-

HALBERSTADENSIS SYNODUS

Anno Chrifti MCXXXVII. Innocentii II. Papæ VII. Lotharii Regis XIII. Imp. V.

SUMMA. Donationes Schœningenfi Cœnobio factas a Reinhardo anteceffore confirmat Rodolfus Epifc.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Rodolffus S. Halberftadenfis Ecclefiæ Epifcopus licet indignus, tamen fecundum difpenfationem in Chrifto creditam, fola hac illus gratiâ operante fum id, quod fum. Unde ne gratia in me vacua fcire (*a*) otiofa ab ipfo requiratur, neceffarium me, non folum pro mea verum etiam pro aliorum confervorum meorum falute invigilare, fi beati fervi confortem me oblectat, quem, cum veniret, Dominus invenire, vigilantem. Inftant enim tempora periculofa, in quibus, ut ait Apoftolus, homines fe ipfum amantes, cupidi, fuperbi, elati, & ideo tanto operofius eft falus tuenda, religio firmanda, & Ecclefiarum facultas, ne impofterum dilabatur, cœleftibus loris munienda. Jam enim abundante iniquitate, refriguit charitas; jam omnia iniquitatis myfteria manifefta funt, & tanto periculofius vivitur, quanto omnium virtutum vocabulis fe vitia palliare cœperunt. Perfidia namque prudentiæ, fraus diligentiæ, & cœtera, qnæ finem nefciunt, vitia fic virtutum nomina ufurparunt, fic exuberant, fic infolenti huic ætati complacent, ut nemo fapientum neget, hæc effe certiffima veftigia per quæ Anti-Chriftus ingreffurus eft in mundum. Unde beatus Johannes Ecclefiæ modernæ figuram in hoc loco gerens, hæcque tempora execrans, & antiqua commendans & exoptans ait: *utinam fuiffem ficut fui in diebus Adolefcentiæ meæ.* Itaque contra tot, & inopinata pericula, contra infolentiam & temeritatem, contra fraudem & violentiam, fi non merito tamen eodem cenfu, & charitate beati & cum Chrifto regnantis *Reinhardi* Epifcopi veftigia calcans, omnia quæ Ecclefiæ Chrifti & beati Laurentii titulo (*b*) fignitæ *in Schenninge* collata funt ab ipfo, & clavibus cœli confirmata, five quæ Præpofitorum induftriâ five quorumlibet fidelium devotione acquifita funt, hujus teftamenti donatione confirmo, figilli imagine notifico, & adhibitis cœli clavibus banno concludo. Quicunque ergo vel fraude vel violentia deinceps hæc (*c*) ceffare attemptaverit, fit reus Majeftatis Divinæ, fit exclufus a Regno, quia cœleftium clavium temeravit auctoritatem fervorum five pauperum Chrifti; fit fuper eum judicium, nec refurgat, nifi forte, quod optamus, pœnitens fatisfecerit. Nec folum fratres, quod fundator mihi Sacræ Religionis præfatus Epifcopus, quia hæc ipfe eidem contulerit & confirmaverit, confirmo, verum etiam quia a beato Papa Innnocentio eadem Ecclefia, & regularis profeffionis Religio cum omnibus ad fe pertinentibus bonis & redditibus cum anathematis edicto poftmodum confirmata eft. *Amen. Amen.*

Hæc funt prædia beati Laurentii in Schenninge XXII. areæ cum utilitatibus fuis & X. manfi & dimidius, finguli VIII. folidos folventes, cum pratis & reliquis utilitatibus. III. Molendina cum pifcinis, duo in villa, unum in agro. In valle, quæ dicitur Merdfidat lucus, & tria pansthalia. Decimæ novalium, quæ per omnem Schenningenfem parrochiam fita funt. In villa quæ dicitur Asbike, VI. areæ cum fex manfis, fingulis VIII. folidos folventibus, cum pratis & ufibus filvarum. In villa quæ dicitur Wille I. area & unus manfus, perfolvens IX. folidos. In villa quæ dicitur Salingke VIII. areæ & decem manfi & dimidius, cum pratis & ufibus filvarum. In villa, quæ dicitur Geroldeftorp

(*a*) *lege:* five (*b*) *pro:* infignitæ (*c*) *lege:* caffare

deſtorp VIII. areæ cum quinque manſis & ſolvunt L. ſolidos. In villa, quæ dicitur Debbenhem V. areæ & V. manſi, & ſeptem jugeres, & unum molendinum cum uſibus pratorum & ſilvarum. In villa, quæ dicitur Wardegeſtorp, duæ areæ cum XII. manſis, qui ſolvant XIV. ſolidos. In villa, quæ dicitur Wobicke L. areæ & unus manſus, VIII. ſolidos perſolvens, cum uſibus pratorum & ſilvarum. In villa, quæ dicitur Iggersleve XII. areæ & XII. manſi. In villa, quæ dicitur Badenſtide I. area & I. manſus. In villa, quæ dicitur Getekole I. area & unus manſus, V. ſolidos perſolvens, cum uſibus pratorum & ſilvarum. In villa, quæ dicitur Dalversleve I. area & unus manſus perſolvens IX. ſolidos. In villa, quæ dicitur Edentorp I. area & I. manſus. In villa, quæ dicitur Hermigeſtorp XVIII. areæ & XIX. manſi. In villa, quæ dicitur Palligge X. manſi. In villa, quæ dicitur Swerthetoſe VII. areæ cum ſeptem manſis. Villa, quæ dicitur Ackenthorp tota eſt hujus Eccleſiæ. In villa, quæ dicitur Hamerickeſtorp XVI. areæ cum XIII. manſis. In villa, quæ dicitur Bulſterigge XII. areæ cum XII. manſis. In villa, quæ dicitur Boya I. area & I. manſus. In villa, quæ dicitur Bindhorp III. areæ & XII. manſi & dimidius. Villa, quæ dicitur Dorplogo cum omni utilitate ſua. Villæ, quæ dicitur Linswine dimidia cum omni utilitate ſua. Villa, quæ dicitur Schorimbecke tota eſt hujus Eccleſiæ, exceptis tribus manſis cum omni utilitate ſua. In villa, quæ dicitur Allende CXXI. manſi & dimidius, & duæ areæ. In villa, quæ dicitur Thietmerode I. manſus & I. area. In Machtenhuſen unum panſtale. In Beckenhuſen dimidium, quæ exſolvunt XXIII. ſolidos. In villa, quæ dicitur Suammere XII. manſi & dimidius, & XV. areæ. In villa, quæ dicitur Luckestorp VIII. manſi, & XI. areæ. In villa, quæ dicitur Bardewick quædam prædia quatuor ſolidos ſolvunt. In villa, quæ dicitur Helleſe CXII. manſi & VIII. areæ & I. ſilva. In villa, quæ dicitur Rochenesleve VIII. manſi & XIII. areæ.

Actum anno MCXXXVII. Indict. I. *in magna Synodo*, in feſto Beati Lucæ Evangeliſtæ, præſidente ſanctæ & univerſali Eccleſiæ beato PP. Innocentio II. & regnante Lothario III. Imperatore Auguſto in gloria. Anno vero Rodolfi Epiſcopi Venerabilis ſecundo Electionis & Ordinationis illius feliciter. Amen.

Leuckfeld antiquitates nummariæ Halberſtadenſes pag. 52.

ARNOLDI I. COLON. ARCHI-EPISC. SYNODUS PROVINCIALIS

ANNO CHRISTI MCXXXVIII. INNOCENTII II. PAPÆ IX. CONRADI III. REG. I.

Solemnis Deciſio de primo loco inter Bonnenſem & Xantenſem Præpoſitos.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Arnoldus Divinâ clementiâ favente Colonienſis Archi-Epiſcopus. Aliter pax Eccleſiæ ſtare non poteſt, niſi unusquiſque frater ſui Prioratus locum ordinemque agnoſcat, & eo contentus intra propriam menſuram ſe contineat; hanc igitur rationem attendentes, & unicuique ſibi debitum locum & ordinem in Eccleſia ſervare cupientes, ſcire voluimus (*a*) tam præſentes, quam futuros cunctos Eccleſiæ Prælatos, & Subditos, qualiter unius diſceptationis ſcrupulum uſque ad noſtra tempora indiſcuſſum, juſto judicio terminavimus. Erat nimirum inter fratres antiqua & interminata quæſtio, eo quod Præpoſitus S. Gereonis adverſus Bonnenſem & Xantenſem Præpoſitum (*b*), de Prioratus ſui ordine & loco ſemper diſceptaret, namque (*c*) ipſe Superiorem eis locum in Choro S. Petri, & in publicis proceſſionibus ac conventibus habere deberet; contra illos (*d*) ſe ſuperiorem habiturus locum unâ ratione affir-

(*a*) volumus (*b*) Præpoſitos (*c*) tanquam
(*d*) illis. *Notæ Cl. Joannis in Spicilegio pag.* 5.

affirmantibus ; ex qua disceptatione simultates & odia nascitura timuimus, nisi rem juste terminaremus. Utriusque igitur partis petitione prædictis Præpositis die ac loco præfixo (e) audientiam dedimus. *Dato igitur utrique parti Prolocutore* asseruerunt Venerabiles Fratres, Gerardus Bonnensis (f) Præpositus, ob hoc sibi locum superiorem deberi, quia Ecclesiæ nostræ Archi-Diaconi essent, & illis Ecclesiis præsiderent, quibus Archi-Diaconatus a prima (g) constitutione adjuncti essent, & quia *IN GENERALI SYNODO* & cæteris Conventibus publicis a latere nostro residerent, & ad tractanda sive invenienda seu promulganda judicia, post reliquos Archi-Diaconos nostros primi essent, (h) econtra frater Bruno S. Gereonis Præpositus dixit, quod ob hoc sibi locus superior deberet, quia sui Prædecessores eum eatenus habuissent, quod tamen reliquus Clerus non fatebatur, nam etsi ipse & sui Prædecessores aliquando superiorem locum occupassent, tamen res semper in lite (i) permansit ; Deinde, cum utraque pars ad tenorem utrarumque rationum judicium expeteret, a venerabili fratre nostro Arnoldo majoris Ecclesiæ Præposito judicium quæsivimus, quo inducias postulante adhuc sub Judicio pendente negotio, ne quod temerarium Judicium præcipitaretur, Venerabilem Dnum Tietuvinum, S. Rufinæ Episcopum, qui tunc Coloniæ fuit, ad hanc causam accivimus, & Dnum Alberonem Leodiensem Episcopum, Andream Trajectensem Episcopum, Wernerum Monasteriensem Episc. Udonem Osnaburgensem Episcopum, Embriconem Wirzeburgensem Episcopum, & Nicolaum Cameracensem Episcopum, quibus rei gestæ ordinem diximus, & quid eis de Judicio videretur, interrogavimus. Hi vero auditis utrobique rationibus, secundum Judicium & consuetudinem omnium aliarum Ecclesiarum adjudicarunt Archi-Diaconis superiorem ubique locum. Judicium ergo datum hoc modo, & in nostra præsentia, (k) ac a venerabilibus Episcopis, & Clero approbatum, authoritate S. Petri, & nostra venerabili Gerhardo Bonnensi Præposito, (l) & eorum successoribus, & eorum Ecclesiis in perpetuum confirmamus, & sub anathemate interdicimus, ne aliqua imposterum persona revocet ad litem, quod semel Judiciario ordine debitum accepit finem, & ut inconcussum Judicium permaneat, præsentem paginam sigillo nostro signari, & testes ejus rei subternotare curavimus, quorum hæc nomina sunt : Albero Leodiensis Episcopus, Andreas Trajectensis Episcopus, Wernerus Monasteriensis Episcopus, Udo Osemburgensis Episcopus, Embrico Wirzeburgensis Episcopus, Nicolaus Camerazensis Episcopus, Arnoldus majoris Ecclesiæ Præpositus, Walterus Decanus, Gerardus Abbas S. Panthaleonis, Wilhelmus Abbas S. Martini, Rudolphus Tuitiensis Abbas, Cuno Sybergensis Abbas, Fridericus Campensis Abbas, (m) Tiebaldus S. Severini Præpositus, Berno S. Cuniberti Præpositus, Beringerus S. Andreæ Præpositus, Fridericus Ss. Apostolorum Præpositus, Wilhelmus S. Mariæ Præpositus, Godefridus Subdecanus, Sigeboldo Cantor, Obertus Scholasticus, & totus S. Petri conventus, cum reliquis Ecclesiarum aliarum Prioribus : de S. Gereone Ruberto Decano, de S. Severino Alberone Decano, de Ss. Apostolis Arnoldo Decano, de S. Cuniberto Volckoldo Decano, de S. Maria in gradibus Volcwino Decano, de S. Georgio Friderico Decano. Acta sunt Coloniæ Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tricesimo octavo, indictione 1ma, regnante Conrado secundo anno Regni ejus 1mo.

Ex Chronico MS. Cunibertino Adolphi de Bingen descripsi.
Georgius Christianus Joannis in Spicilegio pag. 5.

COMI-

(e) præfixis (f) & Hermannus Xantensis (g) primæva
(h) Venerabilis (i) remansit (k) ac *deest in Joannis MS.*
(l) Hermanno Xantensi Præposito (m) Theobaldus

COMITIA CONFLUENTINA
COLONIÆ CURIA,

ANNO CHRISTI MCXXXVIII. INNOCENTII II. PAPÆ IX. CONRADI III. REGIS I.

Conradi III. Sueviæ Ducis electio & unctio in Regem Romanorum.

INdicta igitur Confluentiæ ad Cathedram S. Petri XXII. Februarii Comitia ſtudio Alberonis Treverenſis Archi-Epiſcopi ; ad quæ præter Adalberonem convenere Theoduinus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Arnoldus Colonienſis Archi-Epiſcopus, tum Brunoni ſuffectus, Buggo Vangionum Præſul, Fridericus Sueviæ Dux, aliique Epiſcopi ac Principes, a quibus Conradus Dux REX ſalutatus. Vel eo ad id proniores fuêre, quod Legatus Apoſtolicus Apoſtolicæ Sedis aſſenſum promitteret, multique cum Adalberone Trevirenſi Archi-Epiſcopo averſarentur HENRICI ſuperbi elatos animos, quod ne eligentium quidem gratiam ſollicitare dignatus; tanquam aut merito aut rebus præclare geſtis, aut terrore potentiæ faſces ultro in manus venturi eſſent ; eoque etiam inſolentior erat, quod jam Principes aliquot Regium illi nomen obtuliſſent. Quare Confluentiam feſtinatum ; ubi in medio *Quadragesimæ* a Legato Apoſtolico inunctus eſt Conradus. Nam Colonienſis, cui id debebatur, quia nondum Pallio decoratus erat, *ut Otto* (a) *Friſingenſis ſcribit*, ceſſit Legato munus. Quinam vero ex Saxoniæ Epiſcopis interfuerunt, non reperio, certe Saxones principio huic electioni obſtitêre, quod pro Henrico Duce ſuo facerent.

Paſcha deinde Rex Coloniæ celebravit, magna Epiſcoporum & Principum frequentia. Nam cum novo iſtic Rege fuere Theodwinus Legatus Apoſtolicus, Arnoldus Colonienſis, Albero Trevirenſis Archi-Epiſcopi, Embrico Herbipolenſis, Albero Leodienſis, Wernerus Monaſterienſis, Udo Osnabrugenſis, Stephanus Metenſis, Nicolaus Cameracenſis, Andreas Ultrajectenſis; Rudolphus Halberſtadienſis Epiſcopi.

Horum nomina conſtant *ex tabulis Ultrajectenſis & Aquisgranenſis Eccleſiæ*, quas illic conſignarunt: quarum alteris Conradus Rex Comitatus Friſiæ: Oſtergoam & Weſtergoam, Andreæ Trajectenſi Epiſcopo reſtituit; alteris prædium Aquisgranenſibus confirmat. *Tabulas Trajectenſi Eccleſiæ* conſcripſit ARNOLDUS Colonienſis Archi-Epiſcopus, Vice-Cancellarius.

Schatenus in Annal. Paderborn. ad h. a. *Ex Ottone Friſingenſi L. VII. C. XXII.*
Ex Heda in Hiſtoria Ultrajectina. *Ex Pontano Lib. VI. Gelriæ.*
Ex Miræi Notitia Belgica C. 149, *Ex Gelenio.*

Aquisgrani fuiſſe coronatum Conradum Regem a Dietwino Cardinali Legato, aſſerunt Catalogi MS. Archi-Epiſcoporum Colonienſium.

Schannat. Hiſtoriæ Wormatienſ. Tom. I. p. 353. & *Otto Friſingenſis L. VII. c.* 22. unde convenitur erroris Schatenus Confluentiæ eum coronatum narrantis.

(a) Hoc Sæculo XVIII. prodiit anonyma diſquiſitio:
An Pallium ſit neceſſarium Archi-Epiſcopo inuncturo Regem Romanorum?
Et negativa Reſolutio hic:
Interim Legatus Apoſtolicus nonniſi *cedente* ſpontaneâ ceſſione Arnoldo Colonienſi auſus eſt Regem Conradum in territorio Colon. Archi-Diœc. ungere.

CONCILIUM TREVIRENSE

ANNO CHRISTI MCXXXIX. INNOCENTII II. PAPÆ X. CONRADI III. REGIS II.

SUMMA. *Adalbero Archi-Epiſcopus Trevirenſis admittit & confirmat primum Præpoſitum Arneſteinii cœnobii.*

ANNO Dominicæ Incarnationis MCXXXIX. Comes Lodewicus cum venerabili conjuge ſua Gauda (*a*) caſtrum ſuum Armſtein in Trevirenſi Diœce-

Diœcesi constitutum ad laudem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti in honore Gloriosæ & intemeratæ Virginis Mariæ, & magnifici confessoris Nicolai in manus Godefridi Scholastici, & fratrum de gratia Dei (*b*) seque & omnia sua libera contradidit voluntate, Marquardus etiam Capellanus, & Notarius ipsius Schwikerus quoque dapifer & alii milites quinque sæculum abdicantes cum ipso sanctæ professionis habitum induerunt, quorum Pater in Christo jam Dominus Godefridus ipso tempore a venerabili Adelberone Trevirorum Archi-Episcopo, & Apostolicæ Sedis in Teutonico Regno Legato, *in generali Synodo* solenniter est ordinatus.

Browerus in vita Ludovici Comitis de Arenstein edita 1616. *Moguntiæ pag.* 10.

[*a*] Guda Borineburgica, *ait Reverendissimus Stivagiensis in Historia Ord. Præmonstratensis.*
(*b*) *Gratia Dei*, Cœnobium Ord. Præmonstratensis ad Salam Saxonicam situm, e quo Colonia XII. Canonicorum Arnsteinium deducta fuit.

SYNODUS MAGDEBURGENSIS

AB ANNO CHRISTI MCXXIX. AD MCXL. INNOCENTII II. PAPÆ XI. CONRADI III. REGIS III.

SUMMA. *Ammenslovensis Monasterii status, mutatio, dedicatio, Abbatis benedictio, confirmatio.*

IN Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Conradus Dei gratia Magdeburgensis Archi-Episcopus. Quomodo nostri est officii in Divinæ laudis, & Dominici gregis augmento & pia custodia jugiter insudare, idcirco notificamus sanctæ universitati tam præsentis, quam futuri temporis fidelium, qualiter Amenslovensi Cœnobio in nostra Parrochia sito, perpetuum pacis & libertatis prospeximus subsidium. Vir itaque religiosus, Hermannus Comes, nepos meus, cum consensu fratrum suorum Ottonis & Thiederici, eandem Ecclesiam ex hæreditate Parentum suorum constructam in manus piæ memoriæ decessoris *nostri Norberti*, hujus sanctæ Ecclesiæ Archi-Episcopi libertate donavit, & ex *Clericali ordine in Monasticam* religionem per Dominum Arnoldum Abbatem ex Bergensi cœnobio transmutavit. Hæc autem hujus donationis conditio fuit, ut eadem Ecclesia cum Abbate & fratribus inibi Deo famulantibus, sub Mundiburdio Romanæ sedis constituta, nec cuiquam hæredum, nec ulli prorsus spirituali, aut sæculari personæ, quicquam terreni famulaminis vel privati juris debeat, sed libera cum universis attinentiis suis ab omni exactione & violentia in suscepta professione perpetualiter secura permaneat. *ADVOCATIAM* vero ipse pius Hermannus obtinuit, suisque hanc legitimis hæredibus, & ex ipsis, ei qui natu major foret, concedendam sub tali duntaxat pacto statuit; ut cum assensu vel petitione Abbatis & fratrum omnia faciat, & nulla gravamina, aut violentiam eidem Ecclesiæ, aut famulis illius, aliqua occasione inferat, sed magis pium se illorum defensorem & ad omnem profectum cooperatorem recognoscat, nullumque exinde commodum præter Christi, & beati Petri gratiam requirat. Salubri quoque provisione decretum est, ut obeunte Abbate nec Advocatus, nec alia qualiscunque persona ad dispensationem Ecclesiasticarum rerum sine voluntate & petitione fratrum se aliquatenus ingerat: fratres vero liberam electionem Abbatis infra suum claustrum habeant, in qua nullius violentiam sustineant, cui electioni solus Advocatus intersit, qui tamen nihil privato & quasi potiori, sed communi & simili cum fratribus jure & consilio agere ibi se debere noverit. Quod si inter se idoneum patrem non invenerint, in Bergensi monasterio, unde primitus ille cœpit, ordo requirat; quod si nec ibi, de quolibet Episcopi Magdeburgensis claustro, secundum ordinem duntaxat Hirsaugiensium

ſium dignum eligant. Hanc igitur traditionem vel conſtitutionem præfatus Archi-Epiſcopus Norbertus de manu prædicti Comitis Hermanni ſuſcipiens, terribilis banni interminatione per authoritatem beati Petri & Romanæ Sedis confirmavit, favore & conſilio gravium virorum, qui huic negotio intererant, ſcilicet Epiſcoporum, Ludulphi Brandenburgenſis, Anshelmi Havelbergenſis, Abbatum Arnoldi Bergenſis, Irmenhardi Hildenslovenſis, Præpoſitorum quoque Friderici de majori Eccleſia, Friderici de Bivaria, Wicheri de S. Maria, Jetzonis Decani, Volcoldi vice Domini, aliorumque plurimorum, me quoque præſente & aſſentiente *cum tota Synodo Magdeburgenſi.* Anno Dominicæ Incarnationis. M. C. XXIX. Indictione VII.

Non longe vero poſt tempore prænominatis ſcilicet Norberto (*a*) Archi-Epiſcopo, & Hermanno Comite defunctis, ego Conradus ejuſdem ſanctæ Magdeburgenſis Eccleſiæ Dei diſponente Clementia, licet indignus ordinatus Archi-Epiſcopus, jam dictis duobus fratribus, cognatis meis ſcilicet, Ottone Comite, & Thiederico petentibus, primi in præfato loco Amenslove Monaſterii dedicationem, Deo annuente cum Domino Anshelmo Havelbergenſi Epiſcopo peregi, ubi & omnia de ejuſdem cœnobii libertate & Abbatis vel Advocati privilegio, qui prælati ſumus a deceſſore meo, decreta & confirmata, ego quoque decrevi & confirmavi ſub gravi anathematis ſententia. Cujus rei teſtes aderant ſæpe nominatus Anshelmus Havelbergenſis Epiſcopus, Arnoldus Bergenſis Abbas, Everhardus Lutherenſis Abbas, Irminhardus Hildeslov. Jezo Decanus. Otto Comes, & tunc ejuſdem loci Advocatus cum Theodorico fratre & Bia ſorore, qui devotum huic negotio tribuerint aſſenſum, aſtante innumerabili utriusque ſexus multitudine Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXXV. Indictione XIII.

Dehinc ratione & tempore poſcente, primum quoque ejusdem cellæ Abbatem venerabilem ſcilicet virum Bertholdum nomine, libere de Bergenſi clauſtro electum, ordinavi, ubi nihilominus tertio omnia ſuperius de ipſo & ejus Monaſterio ſancio banno, & præſentis privilegii teſtimonio corroboravi, annuentibus, & ſummo ſtudio corroborantibus *Wichero* (*b*) Brandenburgenſi Epiſcopo, Arnoldo quoque Bergenſi, Irminhardo Hildeslov. Johanne Ballenſtadienſi, Burchardo Wimodeburgenſi Abbatibus. Gerhardo Præpoſito majoris Eccleſiæ, Friderico Præpoſito de Bivarâ, Evermud Præpoſito S. Mariæ, Theodorico cum Biâ ſorore, aliisque quam plurimis, *coram omni Eccleſiâ Magdeburgenſi.* Hujus rei ergo teſtamenti conſtitutionem ſigilli noſtri impreſſione roboratam pro Cœnobio Amensloven, & omnibus attinentiis ejus, quæſitis vel adhuc inquirendis per inconvulſam B. Petri & Romanæ Sedis, noſtræque auctoritatem perpetuo anathemate & Divini judicii interminatione confirmamus. *Data Calendis Januarii, anno Dominic. Incarnat. MCXL. Indict. III.* Actum Magdeburg in Dei nomine feliciter. Amen.

Leuckfeldt antiquitat. Burſfeldenſ. Cap. 3. *pag.* 55.

(*a*) S. Norbertus obiit 1134. 6. Junii.
(*b*) Wigerus ex præpoſito Eccleſiæ B. M. V. Ordinis Præmonſtratenſis, anno 1139. eligitur Epiſcopus Brandenburgenſis, obiit 1160. XVII. Kal. Septembris.

CONVENTUS RATISPONENSIS
ANNO CHRISTI MCXL. (*a*) INNOCENTII II. PAPÆ XI. CONRADI III. REGIS III.

SUMMA. Quod Palatinus de Wittelspach nullam jurisdictionem in Miniſtros Epiſcopii Friſingenſis habeat, ſed ſolus Epiſcopus Friſingenſis.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Chunradus Divina favente Clementia Roman. Rex ſecundus. Sicut Divina præordinante Clementia cæteris

(*a*) Error typi eſt. Spectat hæc Charta ad 1143. adeoque triennio poſtponenda.

teris mortalibus quodammodo ſupereminemus; ſic etiam Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas ab invaſione quorumlibet regali potentiâ a Deo nobis conceſſâ defendere debemus: per hoc enim & temporalia noſtra ſucceſſu reguntur proſpero, & ipſius miſerante clementia, qui dat ſalutem Regibus, gloriâ & honore coronabimur in cœlo. Noverit igitur omnium tam futurorum quam præſentium induſtria, qualiter Palatinus Otto Witelinespach noſtra fretus ammonitione judiciaria poteſtate, quam ſuper Miniſteriales Eccleſiæ Friſingenſis jure advocatiæ habere videbatur, prorſus abnegavit, & *in præſentia Epiſcoporum & cæterorum Principum*, compenſata ſibi tamen conſenſu totius Eccleſiæ convenienti utilitate ſecundum conſuetudinem curiæ omnino exfeſtucavit. Hujus rei gratia petitione chariſſimi fratris noſtri Ottonis ejusdem Eccleſiæ venerabilis Epiſcopi, tam pro conſervanda Friſingenſis Eccleſiæ antiqua libertate, quam pro reformanda pacis tranquillitate conſtituimus, edicto regali præcipientes, ne præfatus Palatinus vel aliquis hæredum ſuorum ullam deinceps judiciariam poteſtatem ſuper Miniſteriales Friſingenſis Eccleſiæ ſibi uſurpare præſumat; ſed ipſi Domino ſuo Epiſcopo debita ſubjectione inſerviant, & jure cæterorum Miniſterialium ſine aliqua inquietatione fruantur. Si quis vero, quod abſit hujus præcepti noſtri conſtitutum, infringere tentaverit, mille libras auri puriſſimi componat, quarum partem dimidiam Cameræ noſtræ, reliquam vero præfatæ Eccleſiæ perſolvat. Ut autem hujus præcepti noſtri pagina firma & inconvulſa omni tempore permaneat, impreſſione ſigilli noſtri eam inſigniri juſſimus, manu propriâ, ut infra apparet, corroborantes. Teſtes, qui aderant, ſubter notari fecimus; quorum nomina hæc ſunt: *Theodewinus Sanctæ Ruffinæ Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus*, *Heinricus Ratisponenſis Epiſcopus*, *Embricho Wirceburgenſis Epiſcopus*, Theobaldus Marchio, Fridericus Advocatus Ratisponenſis, Heinricus Præfectus Ratisponenſis, Udalricus Comes de Lenteburch, Gebehardus Comes de Sultzebach, Adalbertus Comes de Bogen, & filius ejus Hartwicus, Engilbertus Comes Hallenſis, Chunradus Comes de Dachowe, Conradus Comes de Valeja, Waltherus de Lovenhuſen, Marquardus de Bruenbach, Adalbertus de Moſeburch, Otto de Steina, Bernhard de Eigelwanck. Signum Domini Chunradi Romanorum ſecundi Regis invictiſſimi. Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archi-Epiſcopi & Archi-Cancellarii recognovi. Anno Dominicæ Incarnationis MCXLIII. Indict. III. Regnante Chunrado Romanorum Rege II. anno Regni ejus III. Data eſt Ratiſpone in Chriſto feliciter. Amen.

Lunig. Parte II. Spicilegii Eccleſiaſtici pag. 231. 232.

SYNODUS SALTZBURGENSIS
SUB CONRADO I. ARCHI-EPISCOPO SALISBURGENSI.
ANNO CHRISTI MCXLI. INNOCENTII II. PAPÆ XII. CONRADI III. REGIS IV.

Conradus ab Innocentio Papa delegatus Judex cognoſcendæ cauſæ: an Pabo Abbas S. Emmerani in Diœceſi Ratisbonenſi Simoniæ accuſatus jure ſit depoſitus ab Henrico Ratisbonenſi Epiſcopo?

Circa annum 1141. deceſſerat Engelfridus Abbas S. Emmerani, in cujus locum ſuffectus Pavo vel Pabo, quem de Simonia petitum Henricus Epiſcopus Ratisbonenſis loco movit.

Re ad Innocentium Papam delata hic Conrado Archi-Epiſcopo mandat per litteras cognitionem cauſæ, ut ad Ratisbonenſem Eccleſiam per ſemetipſum accedens diligenter inquirat, an judicium de ſimonia rite & ordine fuerit inſtitutum: ſin; Abbatem loco reſtituendum. Conradus indixit *Synodalem Conventum* judicium retexuit & Abbatem Pavonem abſolvit ab impacto crimine.

Quo facto Pontifex litteras per eundem

dem Abbatem ad Epiſcopum dedit pro reſtitutione.

Henricus Epiſcopus contemſit literas Pontificias nec accipere voluit, earumque latorem gravibus contumeliis affecit.

Quare Innocentius repetitas ſcripſit, quas per Archi-Epiſcopum voluit præſentari Henrico, ne, inquit, aut deſpiciantur, aut earum ſententia clam habeatur.

Erat autem reprehenſio Epiſcopi ex his capitibus. I. Quod Monaſterium S. Emmerani ad Romanam Eccleſiam pertinens ditioni Apoſtolicæ ſubtrahere nitatur; 2do quod litteras ad ſe miſſas earumque delatorem contumeliis affecerit, 3tio quod ad Synodalem Conventum venire contemſerit: ad extremum mandat Papa, ut intra viginti dies Abbatem integre reſtituat, alioquin ab officio Epiſcopali ſe noverit interdictum.

Hanſitz Germaniæ Sacræ Tom. II. pag. 240.

Effectus hujus Concilii ignotus eſt. Certe catalogo Abbatum Emmeranenſium nullus viſitur ad hoc tempus Pavo, ſed Engelfrido ſubjicitur Bertoldus ex Monaſterio Admontenſi accitus. Vèroſimile eſt Pabonem jure ſuo ſponte ceſſiſſe.

Hæc Hanſizii reflexio ad hunc annum Germaniæ ſacræ Tom. II. pag. 240.

SYNODUS TREVIRENSIS

Anno Chriſti MCXLII. Innocentii II. Papæ XIII. Conradi III. Regis V.

SUMMA. §. *I. Relatio litterarum Apoſtolicarum ad Alberonem in Synodo.*
§. *II. Inveſtitura Abbatis Sprinkirsbacenſis de Eccleſia Keimeta.*
§. *III. Oppido Cellarum providet de curionibus.*
§. *IV. Eccleſiæ Elræ matrici reſtituit jus antiquum decimarum.*
§. *V. Auguſtinianos in Valendra collocat.*
§. *VI. Epiſtola apologetica S. Bernardi ad Papam pro juriſdictione Metropolica contra appellationes ad Curiam Romanam.*

§. I.

Fratres de Eccleſia Confluentina Alberonem quoque infeſtare cœperunt. Præpoſitum enim contra ejus voluntatem elegerunt, virum nobilem Dominum Ludovicum de Iſenburg, cum quo Romam magnis expenſis pergentes, litteras Apoſtolicas retulerunt Domino Archi-Epiſcopo, ſuæ voluntati valde contrarias. Quas cum Domino Archi-Epiſcopo in Synodo reſidenti obtuliſſent; ipſe ex animi commotione ipſas in terram abjecit. Unde apud Dominum Papam Innocentium II. accuſatus, ab ipſo eſt vocatus ad diem præſcriptum: & cum ad diem non veniſſet, Epiſcopali eſt officio ſuſpenſus. Hæc mala omnia venerunt ſimul ſuper illum, & de his omnibus liberavit eum Domnus. Romam enim veniens effecit, quod Abbas S. Maximini obedientiam ei promiſit, & juramento fidelitatem fecit, & electionem Confluentinorum caſſavit.

Geſta Treverorum apud Illmum Hontheimium Prodromi Hiſtoriæ Trevericæ Parte poſteriore pag. 776.

§. II. Nactus eſt a Wilhelmo (fuit is Comes Palatinus) Eccleſiam Keimetam Albero: quam in pleno Synodi conventu Richardo Sprinckirsbacenſi (Abbati) cum inveſtiendi jure, cum quinquaginta pauperum refectione eodem in loco procurata.

§. III. Inſuper deductos aliquot ex Monaſterio cœnobitas, S. Petri montem cum Eccleſia inſidere voluit, ad cujus montis radices Cellarum oppidum Moſellæ viſitur, quorum ſcilicet id munus eſſet, ut tanquam Curiones iſtuc ex

ex universa se incurvantis amnis paroecia venientes, & sacro fonte lustrarent, & vivos Sacramentis, Deique verbo pascerent, & mortuos sepelirent.

§. IV. Hac eadem in Synodo causa Ecclesiæ Elræ, pagi apud Mosellam non obscuri, agitata videtur, ob jus antiquum illi ab Edegranis vicinis ademptum, vel interversum. Quippe vicini tractûs Ecclesiarum complurium per fluminis sinum mater numerabatur Elrensis Parochia, S. Hilario sacra, cui vicinitas omnis prolixa liberalitate censum & decimas inferebat: cum forte Edegrani, erecto S. Arnulphi memoriæ sacello, & quæsito sacerdote, Divina sibi seorsim procurare, & condere domi mortuos cœpere: atque, ut difficulter invalescenti obsistitur consuetudini, evenit post hæc, ut Lambertus Curio, seu ob paucitatem suorum, seu benevolentiam erga vicinos, Synodi senatum in Edegram, quod fieri in Elra solebat, transferret, quo uno facto latebra quæsita occultandi vel obruendi vetus Elrensium jus: qui, cum hoc tempore fructu & prisca dignitate carerent, depellendæ servitutis gratia causam suam apud Alberonem dixere, cum præcipuo jam tum jure nixi Edegrani, ad templi sui sarta tecta, & novorum operum molitiones ab his subsidia cogerent. Etsi vero quid pro æquo & bono in Synodo definitum sit, non satis ex veteribus cognoscatur, Alberonem tamen apparet Elrenses à servitute vindicasse: at penes Edegranos reliquisse prærogativam occupati honoris.

§. V. Eadem in Synodo familiæ S. Augustini cœnobitas, Folmanni Abbatis rogatu e vico Lonechio in pagi Valendræ viciniam proxime Rhenum apud Confluentes transtulit, raraque beneficentiâ complexus advenas, novalium, & pecorum decimas eis remisit, similique onere fundos, quos in prædio Valendra Reinbaldus & Sigefridus Isenburgii donarant, levavit. Denique ab omni solutis sæcularium jurisdictione, retento sibi imperio summo, juris administrandi copiam fecit. Acta hæc Treviris in generali Synodo ANNO MCXLII. Indictione V. testes cum aliis Godefridus Prumiæ, Bertolffus S. Eucharii, Giselbertus de Lacu, Stephanus de Mediolacu Abbates. Walramus Arluni, Fridericus Viennæ Comites.

Browerus L. XIV. Annal. ad h. a.

§. VI. *Epistola S. Bernardi, qua Innocentium II. Papam M. orat pro tuenda Alberonis Archi-Episcopi Treverensis Metropolitica auctoritate, præsertim adversus appellationes ad Sedem Romanam.*

AMantissimo Patri & Domino Innocentio summo Pontifici suus Bernardus, quod suus. Fideliter loquor, quia fideliter amo. Nec enim sincerus est amor, ubi dubietatis scrupulus suspicionis fecem retinet. Querimonia Domini Trevirensis non est ei solius, sed communis multorum; eorumque præcipue, qui sinceriori affectu vos diligunt. Vox una omnium, qui fideli apud nos cura populis præsunt, justitiam in Ecclesia deperire, annullari Ecclesiæ claves, EPiscopalem omnino vilescere auctoritatem, dum nemo EPiscoporum in promptu habebat ulcisci injurias Dei, nulli liceat illicita quævis, ne in propria quidem parœcia, castigare. Causam referunt in vos, curiamque Romanam. Recte gesta ab illis (ut ajunt) destruitis, juste destructa statuitis. Quique flagitiosi & contentiosi de populo sive de clero aut etiam ex Monasteriis pulsati currunt ad vos, redeuntes jactant, & gestiunt, se obtinuisse tutores, quos magis ultores sensisse debuerant. Annon gladius Phinees promptissime atque justissime eductus fuerat ad condemnandum incestuosum concubitum Drogonis & Milis? Sed confusus atque retusus abiit retrorsum, scuto nimirum Apostolicæ defensionis opposito. Proh pudor, quos cachinnos res ista movit, & movet Ecclesiæ inimicis, eisque etiam ipsis, quorum fortasse metu aut favore a recto tramite abducti sumus! Amici confunduntur, fidelibus insultatur, Episcopi ubique in opprobrium veniunt & contemptum, quo-

quorum dum recta judicia contemnuntur, vestræ quoque plurimum derogatur auctoritati.

Ipsi sunt enim, qui honorem vestrum zelant, qui vestra pro pace, & exaltatione laborant fideliter, quidem, sed vereor, ne inefficaciter. Quid vobis vires minuitis? Quid robur vestrum deprimitis? Quousque retunditis arma fidelia militantia vobis, humilitatis corona erecta vestræ virtutis, & salutis? Plorans plorat desolationem suam apud Tullum Ecclesia S. Gangulphi, nec est, qui consoletur eam. Quis se enim opponat brachio excelso, torrentis impetui, summæ arbitrio potestatis? Eandem se sustinere beatus Paulus violentiam apud Virdunum conqueritur, Archi-Episcopo jam non valente eum defendere ab insania Monachorum, quippe Apostolicis sustentationibus amplius confirmata; quasi non satis per se insanirent. Quid quæso novæ rationis tandem inventum est, ut, quod semel bonæ famæ & vitæ canonicis vestra fuerat provida, & necessaria dispensatione concessum, secundo confirmatum, tertio, ut ajunt, roboratum, rursum veniat in jus, revocetur in discussionem? Siquidem & duo illa supra memorata, per vos nihilominus sancita, per vos & convulsa dicuntur. Talibus hostiis non promeretur Deus, heu, non placatur ira, non conciliatur gratia, non provocatur misericordia. Pro his atque similibus necdum avertitur furor Domini; sed adhuc brachium ejus extentum, & virga illa apud Hieremiam vigilans super peccata nostra.

Et quidem iratus est Deus Schismaticis: sed Catholicis nequaquam propitius. Ecclesia quoque Metensis gravi (quod vobis bene compertum est) Episcopi & Clericorum contentione periclitatur. Super quo, quid decernere vobis placuerit: vos scitis: sed pax nondum est, nec proxime futura speratur. Ego (ut quod super his meæ visum est parvitati, non taceam) & hoc & duo illa alia, Tullense dico & Virdunense, terminanda negotia securius Metropolitano atque convenientius posse committi putaverim, qui & omnia novit, & in multis probatus, Ecclesiæ testimonio fidelis inventus est. Alioquin videte, quid illis Episcopatibus faciatis, Metensi scilicet atque Tullensi, quia, si verum fatear, videntur esse absque Episcopis, & utinam absque tyrannis. Tales cum defensantur, sustentantur, honorantur, foventur, mirantur nimirum, & scandalizantur multi, qui illa in minoribus & vita eorum certissime sciunt, quæ magis essent, non dico in Episcopis, sed etiam in quibuslibet sæcularibus damnanda penitus & execranda. Quæ quidem & me scribere puduit, nec vos decuisset audire. Esto, quod nemine accusante, non possint deponi; nunquid tamen, quos passim accusat fama, Apostolicæ sedis essent familiaritate speciali donandi vel amplius exaltandi?

Quonam enim merito suæ vel sacerdotalis sanctitatis vel Episcopalis honestatis obtinuit Metensis, ut & electio facta a canonicis, ad nutum ejus una cum Ecclesiæ libertate cassetur, & Primicerius ad consilium ejus contra illius Ecclesiæ privilegia eligatur? Quam justius honestiusque, si vestræ placuisset discretioni, homo majori dignus honore, debito proprioque non privaretur? Treverensem dico, quem & ab hoc, & a cæteris Diœcesis sive terminandis negotiis, quasi suspectum, aut minus expertum non sine murmure multorum Deum timentium exclusistis. Credite fideli vestro, quia Provinciæ illi, quantum comperi, omnino non expedit.

Hæc scribens præsumptionis meturerem notam, si nescirem, cui, & nescirer, qui scribam, sed novi ingenitam mansuetudinem vestram; novi & me notum vobis, & affectum, quo hæc audeam apud vos dulcissime & amantissime Pater. Iterum de Treverensi, ut sciatis, qualiter nuntium ejus suscipi oporteat, & verba, quæ portat, dico vobis, quod magnum locum tenet in regno illo, vobis & Ecclesiæ Dei homo fidelis & constans & nullatenus malevolis & subversoribus assensum præbens, a quibus non deest eis frequens & satis importuna tentatio; nec deerit insultatio, si quo minus a vobis eum exaudiri contigerit. Nuntium in fine commendare volui, sed satis eum suæ hone-

honeſtatis commendant merita, præcipueque amor ſpecialis & fidelis devotio, quia ipſum vobis firmiter inhærere, ſi non crederem, nequaquam per eum tam familiaria ſcriberem.

Illmus Honthemius Tomo I. Hiſtoriæ Diplomaticæ Treverenſis No. CCCLIX.

Epiſt. 178. *S. Bernardi ex Editione Merloni Horſtii* adnotantis, hanc Epiſtolam conſonare *Capiti II. Libri III. de Conſideratione* ad Eugenium Papam, in quo Sanctus Doctor gravi querimonia intempeſtivas provocationes ad Romanam Curiam, earumque incommoda, vehementer perſtringit. Similis eſt illa *Broweri Lib. XIV. Annal. Treverenſium* ad hunc locum Alberonis Epiſtola. In his itaque motibus, cum pars offenſa, læſaque ad Archi-Epiſcopum confugere, Epiſcopi Provinciales pars Metropolitanum judicem recuſare, & Romanæ Curiæ judicia periclitari præoptant, illico omnibus patefit janua juſſa atque judicata detrectandi, miſcendi per æqua iniqua, infima ſummis. Unde ad extremum deterrima cuique licentia incidebat ab Archi-Epiſcopo provocandi ad Apoſtolicæ Sedis tribunal contra ſui Epiſcopi decreta. *Merlonus in annotationibus ad Tomi I. S. Bernardi pag.* 53.



CONCILIUM PROVINCIALE MOGUNTINUM,

AB HENRICO ARCHI-EPISC. MOGUNTINO CELEBRATUM,

Anno Chriſti MCXLIII. Cœleſtini II. Papæ I. Conradi III. Regis VI.

SUMMA. *Lis, quæ Erfordienſem, & Diſibodebergenſem, Abbates diutine exagitaverat, componitur.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Heinricus*, Dei gratia, Maguntienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, notum fieri volumus cunctis Chriſti-fidelibus præſentibus & futuris, quomodo Sancti Spiritus inſpiratione, & noſtro, aliorumque Venerabilium & Religioſorum Virorum conſilio, determinata ſit diuturna altercatio Fratrum Ss. Apoſt. Petri, & Pauli, in Erphesfurt, & Fratrum de S. Diſibodo, ſuper injuſta prædii ablatione in Biſcofesrode: multis annis plures Synodos prædictorum Monaſteriorum Abbates frequentaverunt, utrique Privilegia, & viros teſtes legitimæ traditionis coram præſentare ſe poſſe proclamaverunt, ſed nec juſtitiam, nec miſericordiam obtinere valuerunt.

In *Generali* ergo *Synodo*, quam apud *Moguntiam* habuimus in menſe Martio, prædictorum Monaſteriorum Abbates in Synodo ſurrexerunt, antiquam querimoniam ſuper deprædatione locorum ſibi commiſſorum replicaverunt, & juſtitiam Synodi ſuper hoc poſtulaverunt. Placuit igitur nobis, & venerabilibus Abbatibus, religioſiſque Præpoſitis, utriusque Ordinis, aliiſque ſapientibus Viris, tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus, ut non juſtitia, ſed conſilio duarum partium, altercatio terminaretur; quod, cum utræque partes laudaſſent, in id conſilii totus Conventus unanimiter concordavit, ut quicquid prædii de Biſcofesrode poſſeſſores injuſti, noſtra auctoritate cogente, ſive pretii quantitate ſuadente, remitterent, prædictorum Fratres Cœnobiorum inter ſe charitative perpetuatim dividerent; ſi aliquid pro redemptione dandum eſſet, æqualiter darent, redemptumque æqualiter poſſiderent: ſi una congregatio aliquid ex hoc prædio reacquireret, redemptum eadem cum alia partiretur. Ergo notum ſit unicuique nos ejusdem prædii partem, Curiam videlicet a *Giſelberto*, quondam Vice-Domino recepiſſe, & eam prædictis Abbatibus æqualiter dividiſſe. Item; notum eſſe volumus: quod Cella S. Martini juxta Falkanaha, & prædia ad illam pertinentia non ſunt cum hoc prædio dividenda, quoniam Dominus *Rutbardus* Archi-Epiſcopus, cujus nos vicem gerimus, ante plures annos, quam prædium in Biſcofesrode ad Erpesfurt delegaret,

garet, ſuadente fratre ſuo, Domino videlicet *Diedone*, qui eam ſibi ſpecialiter manſionem elegerat, eandem Cellam cum prædiis ad illam pertinentibus Sanctorum Apoſtolorum Principibus delegavit.

Ut autem hæc omnia, quæ a nobis determinata ſunt, & in hac Cartha prænotata, rata & inconvulſa permaneant, auctoritate ſigilli noſtri corroboravimus, ut nulli poſt hæc liceat horum aliquid permutare, vel irritum facere. Iſtarum autem rerum Teſtes ſunt:

Burchardus, Argentinenſis Epiſc.
Anſelmus, Havelbergenſis Epiſc.
Hartmannus, majoris Eccleſiæ Decanus, & S. Stephani Præpoſitus.
Heinricus, majoris Eccleſiæ Cuſtos, & Erphesfurdenſis Præpoſitus.
Gerlacus, Sancti Victoris Præpoſitus.
Arnoldus, Præpoſitus, & Camerarius.
Goteboldus, Friteslarienſis Præpoſitus.
Magiſter Willehelmus.
Gozbertus, Cantor, & Præpoſitus.
Adelbardus, S. Severi Præpoſitus.

Abbates:

Wernerus, de S. Albano.
Folmarus, Hirſaugienſis.
Cono, S. Diſiboti.
Heinricus, S. Jacobi.

Regulares Præpoſiti.

Erenfridus de Winckele.
Antonius de Eleſeſtat.
Guntherus de Lupoldesberc.

Comites.

Emicho de *Linungen.*
Conradus de *Chircberch.*
Dammo de *Hagenovva.*
Wiggerus, & frater ejus *Godefridus* de *Huſte.*
Retherus de *Wende.*
Dudo de *Ruſteberch*, urbis Præfectus.

Miniſteriales:

Embrico, Ringravius.
Dudo, & *Meingoz* frater ejus.
Rothardus, Vice-Dominus.
Dudo, Scultetus.
Cunrat de *Gesmare.*

Acta ſunt autem hæc anno Domin. Incarnationis Milleſimo, centeſimo, XLIII. Indict. VI. Regnante Rege *Cuonrado*, hujus nominis Tertio.

Ex codice MS. Bibliothecæ S. Michaelis Bambergæ deſcripſit Cl. Schannat. b. mem.

§. II. *Diploma Henrici Archi-Epiſcopi Moguntini in eadem Synodo, quo bona & poſſeſſiones Monaſterii S. Petri Erfordiæ, ſub protectione ſua recipit.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus Chriſti-Fidelibus tam modernis, quam poſtfuturis, quod Ego HENRICUS DEI gratia Moguntinæ Sedis Archi-Epiſcopus Prædeceſſorum meorum Religioſis Inſtitutis devota mente conſentio, & quidquid ab eis in honorem Dei, & laudem ſancitum eſt, ſanctum teneo, & quidquid ab eis canonice reprobatum eſt, irritum teneo, & quidquid ab eis Eccleſiaſtica auctoritate in melius commutatum eſt, utilitatis aut neceſſitatis cauſa, ratum eſſe cenſeo: ſi quid vero ex his, quæ decreverint per negligentiam, vel antiquitatem depravatum eſt, aut oblivioni traditum eſt, libenter & devote pro conſilio Catholicorum Virorum, & pro poſſe meo reſtauro; hujus itaque benevolentiæ conſtantia firmatus, Abbatiam S. Petri in Erffort in patrocinium meæ defenſionis aſſumo, & quidquid honoris & utilitatis ab anteceſſoribus meis ei collatum eſt, Ego non imminuo, imo ſi adhuc quid deeſt, libenter ſupplebo: enim vero cum tempore Archi-Epiſcopi SIFRIDI, Canonici absque Monachis Erphesfurt Deo ſervirent, & contemnentes Sæculum ſe extra Erphesfurt ad Monachorum transferrent conſortium, ex conſilio Canonicorum, Monachorum, Laicorum, zelum Dei habentium, Canonicos, qui tunc Montem S. Petri inhabitabant, cum charitate, & paſtorali diſpenſatione removit, *& celebrata Synodo omnibus Catholicis*, qui ibi aderant, unanimiter in ipſum conſentientibus, Monachos ibi ſubſtituit, ut in tam celebri loco pœnitentes invenirent, quo confugerent, & ſæcularium hominum ineptias, Monachorum orationes, & exempla temperarent, quod poſtquam Banno, & Privilegii ſui atteſtatione confirmavit, prædictam

dictam Abbatiam, tam ipſe, quam ſucceſſores illius prædiis & mancipiis, cæterarumque neceſſariarum rerum largitionibus, magnifice locupletavit, & ab omni ſæculari exactione, & ab omni perſonarum ſæcularium prægravatione, eam liberam eſſe conſtituit, ſicque factum eſt, ut locus ille cooperante Gratiâ Dei in omnibus feliciter procederet, & per oblationes Fidelium, uſque ad hæc tempora pulchre & honeſte ſubſiſteret: unde & Anteceſſores mei eundem locum in defenſione ſua habuerunt, & eum diligentes inſtituta illius Privilegiis firmaverunt, ego quoque Majorum meorum beneficentiæ conſentiens, Litterarum & Sigilli mei confirmatione & ſub vinculo anathematis decerno, ut quidquid ipſe locus habet in prædiis, in mancipiis, paſcuis, ſylvis, cultis & incultis, in areis, ædificatis & ædificandis, in pratis, & agris, in molendinis, in hortis, aquis, piſcationibus, aquarumque decurſibus, denique in omnibus rebus utenſilibus & poſſeſſionibus ſeu modo habitis & hic ſubſcriptis in Erffort, in Alich, Bindersleben, Tutelſtete, Weytere, Mulhuſen, Stuchsfurt, Honige, Tifental, Crotendorf, Nabawinede, Bachſtete, Franckenrode, Enzenrode, Eiſlelyben, Aſſchere, Abterode, Huren, Baldeſtete, Walren, Sweſtete, Utſtete, Gotenſtete, Rode, Frinſtete, Geurislyben, Ingerislyben, Eislyben, Buſeleyben, Kirſpeleyben, Vipeche, Tutileyben, Aroltishauſen, Tunzrenhuſen, Fladehindorf, Hainme, Rugerisleyben, Suzere, Summeringen, Tabeha, Talheym, Topfſtete, Blanckenberg, Urleyben, Hagen, Hochdorff, Golſa, Kirchenheiligen, Gisbotisleyben, Hachſtete, Linderbach, Mittelhauſen, Tundorf, Eichelborn, Balnhuſen, Boleſtete, Dachebeche, Turowa, Biſſchoverode, Berringen, Muntheszelle: ſeu adhuc juſte adipiſcendis, a nullo lædatur, a nullo calumniam malitioſe patiatur, ſit liber ab omni ſæculari exactione, ab injuſta Advocatorum, ſeu aliarum laicarum perſonarum prægravatione, in eligendo Abbate liberam in Deo habeat poteſtatem, vel in proprio, vel alieno Clauſtro ejusdem converſationis: quod ſi omnium Prædeceſſorum meorum Privilegia, vel per negligentiam perdita, vel quod abſit incendio fuerint concremata, hujus Privilegii noſtri auctoritate, ſint cuncta pleniter reparata: ſi quis contra auctoritatem, rapinis, incendiis, vaſtationibus, ſeu aliis infeſtationibus inquietaverit locum illum, cum Diabolo & Angelis ejus, æterno nunquam ſalvandus, deputetur incendio. Hujus ita noſtræ Confirmationis Teſtes ſunt: Burchardus Argentinenſis Epiſcopus, Anselmus Havelbergenſis Epiſcopus, Hartmannus Majoris Eccleſiæ Decanus & S. Stephani Præpoſitus, Henricus Majoris Eccleſiæ Cuſtos & Erffordenſis Præpoſitus, Gerlacus S. Victoris Præpoſitus, Arnoldus Præpoſitus & Camerarius, Goteboldus Friſlarienſis Præpoſitus, Magiſter Wilhelmus, Gozbertus Curator & Præpoſitus, Adelhardus S. Severi Præpoſitus. *Capellani*: Godefridus, Conradus, Giſilbertus. *Abbates*: Wernherus de S. Albano, Volmarus Hirſaugienſis, Cuno S. Diſiboti, Henricus electus S. Jacobi. *Regulares Præpoſiti*: Erenfridus, W. de Winchele, Antonius de Elefeſtat, Gunterus de Lupoldesberg, Emicho de Linungen, Conradus de Chireberech, Tammo de Hagenowe, Wiger & frater ejus Godefridus de Huſte, Retherus de Werede, Dudo de Ruſteberg urbis Præfectus. *Miniſteriales*: Embrico, Ringevig, Dudo, & Megengotus frater ejus, Ruthardus Vice-Dominus, Dudo Scultetus, Conradus de Gesmare.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo, Centeſimo quadrageſimo tertio, indictione ſexta, regnante Rege Conrado hujus Nominis tertio. Data Moguntiæ XIII. Kal. Aprilis, per manum Sigeloi Notarii.

Ex Codice MS. Erfordienſi.

SYNODUS LEODIENSIS

ANNO CHRISTI MCXLIV. LUCII II. PAPÆ I.
CONRADI III. REG. VII.

Adelbero Episcopus ratificat transitum Ecclesiæ Alnensis a communi Clericorum vita ad professionem Regulæ Canonicæ S. Augustini.

EGo Adelbero Dei gratia Leodiensium humilis Minister, Alnensem Ecclesiam considerans quotidianis laborare defectibus, & cum detrimento religionis facultatum & possessionum suarum grave sustinere dispendium, *communicato cum Ecclesia nostra consilio* postulanti venerabili fratre *Radulfo* loci ipsius Abbate: qui de *communi* Clericorum vita *ad regularis* professionis se nitebatur transferre propositum, Ecclesiam ipsam secundum regulam B. Augustini censui sub ejusdem personæ regimine convenientius ordinandam. Quo de religionis proposito, quod in animo habebat implente, piæ conversionis effectu & ad Dominum sub regulari habitu tota mentis intentione conversio confirmare dignum duxi, Pontificalis autoritatis munimine, quod agebat, & novum Ecclesiæ statum ad honorem Dei & Apostolorum Principis Petri & Pauli, quorum honore & nomine dedicata prædicta esse cognoscitur Alnensis Ecclesia mansuro in perpetuum privilegio communire: ne novella plantationis germina male radicata & novus turbo disperderet & antiquus ille Christiani nominis inimicus aditum inveniret, quo pullulantis boni honestatem devenustare posset in semine. Statuimus ergo & episcopali autoritate decernimus, ut prædicta Ecclesia sub regulari habitu, & B. Augustini regula perpetuo in posterum tempore perseveret, nullique unquam sæculari vel Ecclesiasticæ personæ liceat nostrum hoc mutare vel evacuare decretum: sed in convulsa maneat & illi tota nostra dispositio, & decedente ipsius loci Abbate, secundum Canonum instituta & B. Augustini regulam successor eligatur idoneus, cum nostro ac successorum nostrorum assensu & dono, qui & Leodiensi Ecclesiæ debitam in omnibus exhibeat subjectionem, & obedientiam secundum antiquam ejusdem Ecclesiæ consuetudinem in ordine vicis suæ mihi & successoribus meis, cum necessitas fuerit, tanquam Capellanus assistat, salvo statu & honestate ordinis sui & juxta religionis propositum circa subditos salutem operetur animarum. Habitus autem Deo inibi servientium fratrum talis erit, qui occasione vanitatis careat & nihil novitatis aut superfluitatis redoleat. Cappas gestent nigras; & superpellicea linea, quæ ne reprehensionis aliquid aut detractionis habeant. *Ne si forte causis exigentibus in conventum nostrum venerint, dissimiles nobis habitus novitate inveniantur.* Si quis autem hanc nostræ constitutionis paginam sciens temere contraire tentaverit, & quod tam juste quam rationabiliter factum est, voluerit iniqua machinatione convellere, æternæ maledictioni subjaceat, atque a Sacratissimo Christi JESU corpore & sanguine alienus fiat, & Apostolorum Principis Petri & Pauli sentiat offensam, quos eadem Ecclesia defensores habet & Advocatos. Actum Leodii feliciter Anno ab Incarnatione Dom. MCXLIV. Indict. VII. regnante Conrado hujus nominis II. præsidente Leodiensi Cathedræ Alberone II.

Huic rei testes interfuerunt: Henricus Præpositus, Ebertus Archi-Diaconus, Dodo Archi-Diaconus, Joannes, Philippus, Archi-Diaconi. Rembaldus Decan. Nicolaus Canonicus, & Præpositus S. Dionisii, Guido de Wahart Canonicus, Petrus Canonicus, Balduinus Canonicus & Magister Scholarum, Ebertus Abbas S. Jacobi, Wahelinus Abbas S. Laurentii, Lucas Abbas beatorum Apostolorum in Cornelio-monte, Arnulfus Abbas de Gemblou.

Fisen Historiæ Leodiensis Lib. X.
In notationibus adjectis pag. 405. 406.

CONCI-

CONCILIUM PROVINCIALE HALLENSE,

SUB CONRADO I. SALZPURGENSI ARCHIEP. CELEBRATUM, Anno Christi MCXLV. Eugenii III. Papæ I. Conradi III. Regis VIII.

In causa controversa inter Burensis & Admontensis Monasteriorum, Abbates.

SCiant tam præsentes, quam etiam posteri, quod *Udalricus*, liber homo de Elsendorff cum sæculo renuntiare deliberaret; Burense Cenobium adiit, filiamque suam, nomine *Richizzam* secum adduxit, & an ibi remanere posset ad profectum salutis suæ, solerter explorare cœpit; nulla obedientiæ professione vel præmissa, vel sequente; gladium deposuit, filiam suam non super Altare, sed coram Altari, in manus *Chunradi*, Salisburgensis Archi-Episcopi, ad Monasticæ vitæ professionem Deo obtulit: pro remedio autem animæ suæ curtem I. in Elsendorff cum vineis suis, quas in montanis ex hæreditate patris habuerat, eidem Altari tradidit, reliqua sibi, filiæque suæ servare deliberavit, donec videret, si ibi remanere sibi complaceret.

Videns tandem non esse sibi proficuum, si se per obedientiæ vinculum astringeret ad idem Cenobium, tum quia Monasticæ Religionis ibi collapsum fuerat ædificium, tum quia Augustensis Episcopus idem impetebat Monasterium, volens illud in suum trahere Dominium, sicut libere venerat, sic libere de eodem loco recessit, filiamque suam, quam in manus Archi-Episcopi, Deo coram Altari, non super Altare obtulerat, secum abduxit, ac in nostrum Admontense Cenobium secedens, prædia sua apud Elsendorff, quorum nomina hæc sunt: Lintchirchen, Tanhusen, Lagenbach, & Surloch, cum Ecclesia decimali in manum Traditoris sui *Adelberonis* de *Morlbach*, ea conditione tradidit: ut ubicumque ejus præfata filia Richiza sub Monastica professione Deo servitura remaneret, ipse Traditor prænominatæ hæreditatis Traditionem eidem Monasterio sollempniter conferret.

Eandem sane Filiam Dominus Archi-Episcopus Salisburgensis in Saxoniam, in Monasterium, quod Truoberh vocatur, diligenti commendatione transmisit: sed insurgente super eam nimio propinquorum suorum clamore, qui eam mundo magis, quam Deo optabant servire, Episcopus Halverstadensis, ipsius cognatus, eorum precibus compulsus, eam de Monasterio abstractam aviæ suæ reddidit, quæ, cum eam nigris vestibus exspoliatam albis vestibus induisset, eamque preciosis monilibus auri oneratam magis quam ornatam, nec minis, nec precibus, nec promissionibus flectere potuisset, quin ornamenta ab illa sibi imposita abjiceret, & suis ea pedibus conculcaret: tandem *Conventus solemnis* tam propinquorum ejus, quam & spiritualium virorum agitur, ipsaque puella in medio sistitur; optione igitur sibi data, ut quorsum ire deliberaret, eo se libere verteret. Carne sibi propinquos reliquit, Spiritus Sancti conjunctos elegit & ad eos transiit; sicque cum magno omnium spiritualium gaudio ad Monasterium rediit. Tandem Dominus Archi-Episcopus pro ea misit, & multis vel litteris, vel precibus, ut sibi redderetur, vix obtinuuit, eamque sibi redditam ad Monasterium nostrum honorifice transmisit.

Interea Abbas Burensis *Waltherus*, præfatum fratrem nostrum, Dominum Udalricum, de promissa suo Monasterio obedientia, falso impetere cœpit, ita ut per falsam querimoniam litteras Domini P.P. Innocentii II. acquireret, quibus eum a nostro Monasterio abstractum, ad suum venire constringeret; tandem post multas impetitiones præfati Abbatis, præcepto Domini Chunradi Saltzeburgensis Archi-

Archi-Episcopi, Abbas Monasterii nostri Dominus *Gotefridus* eum secum *in Conventum Hallensem* adduxit, ubi præsentia ipsius Archi-Episcopi, Brixinensis Episcopi, multorumque Abbatum, & præpositorum, Clericorum & Laicorum, judicio totius Ecclesiæ, ipse hoc obtinuit, quod Abbati Burensi de obedientiæ professione nihil debuerit. Cum igitur jam dictus Abbas nec sic quicquam effecisset, statim filiam ejus cœpit impetere, licet non eam, sed per eam, hæreditatem prænominatam obtinere voluit.

Facta ergo anno MCXLV. generali totius Bavariæ *Synodo*, præsidente præfato Archi-Episcopo Chunrado, cum suffraganeis suis: *Ratisponensi*; *Frisingensi*; *Pataviensi*: *Gurcensi*; absente solo Brixinensi; coram frequentia Abbatum, Præpositorum, totius etiam Cleri & populi, Abbas Burensis surrexit, sororemque nostram, quasi suam oblatam, requirere cœpit, Abbatem *S. Georgii* de *Intal*, & præpositum *Dietramnum*, in testimonium conatus est producere, qui ambo in præsentia Synodi Canonice ab Archi-Episcopo requisiti, confessi sunt nihil se de sororis oblatione, juxta Abbatis querimoniam, vel vidisse, vel audivisse; Abbas rursus alia die idoneos testes se producturum perhibuit, sequentique die Ecclesiæ suæ famulos in testimonium adduxit. Frisingensis Episcopus testimonium illud famulorum super fœminam liberam non esse idoneum vel legitimum judicavit, ejusque Judicium tota Synodus Bajoariorum Episcoporum, Abbatum, Præpositorum, Principum, Clericorum & Laicorum, comprobavit. Sic generali totius Synodi sententia est diffinitum, & Ecclesia nostra, pro ista causa, Burensi Monasterio nullum ulterius reddat responsum.

Ex veteri Chartario Admontensi descripsit Cl. Schannat. b. m.

Anno 1145. Patavii colloquium habuit Conradus I. Archi-Epis. Salisburgensis cum suffraganeis suis, Henrico Ratisponensi; Reginberto Pataviensi, Romano Gurcensi Episcopo, Eberhardo Præposito Babenbergensi, præsentibus etiam quam plurimis Abbatibus & Præpositis, aliisque diversæ professionis. Ibi ventilata est lis inter Abbatem Admontensem & Saltzburgensem, propter quasdam possessiones in valle Admontensi.

Hæc ex relatione Eberhardi Archi-Episc. in codice Diplomatico Admontensi N. XXX. describit Hansitz. Tomo II. Germaniæ sacræ in Historia Archiepisc. Salisburg.

Quæ Synodus Pataviensis hujus anni 1145. Patavii habita, diversa est a Synodo Hallensi anni hujus: licet eædem fors personæ utrobique intervenerint.

Deinde argumentum diversum est, ut legenti patet, nam Hallis controversia erat inter Burensem & Admontensem Abbates, Patavii inter Admontensem & Saltzburgensem Abbates, etsi illius non meminerit *Hansizius* nec *Hundius*.

CHUNRADUS SALISBURG.

IN SYNODO HALLENSI CONFIRMAT FUNDATIONEM SECCOV.

ANNO CHRISTI MCXLVI. EUGENII III. PAPÆ II. CONRADI III. REGIS IX.

CHunradus sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus &c. quia Divina favente Clementia: (recenset fundationem Seccoviensem, ejusque a Sede *Apostolica confirmationem*) his ita transactis ad Synodum nostram, quæ celebrabatur in festo B. Dionysii apud Hallæ, properavit (*nempe Adelramus fundator*) ordinem suæ causæ omnibus palam recitavit. Huic Concilio multæ eminentes personæ aderant, *Heinricus Ratispon. Episcopus*, *Reginbertus Pataviensis Episcopus*, *Otto Frisingensis Episcopus*, *Romanus Gurcensis Episcopus*, & plures Præpositi & Abbates de Episcopalibus istis. Principes quoque, Otto Palatinus, nempe de Witlsbach; Engelbertus Comes Halsensis, cognatus ejus, Rapato Comes, Fridericus Advoc. Ratisponensis, Hartwicus Comes de Bogen. Clericorum quoque & Monachorum, nec non nobilium Laicorum magna copia. Igitur auctoritate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nec non Sanctæ Synodus (lege Synodi) nostræ sicut

Hæc Confirmatio legitur *eodem Tomo I. Diplomatariæ sacræ N. V. & N. I.*

ſicut locum hunc ſuſcepimus ad regendum & defenſandum, anathematizamus omnem perſonam iſti Eccleſiæ injuriam facientem &c. Omniaque tradita, ſive adhuc conferenda banno noſtro concludimus & ſtabilimus, atque præſentem paginam ſigillo noſtro inſignimus &c. Actum Hallæ anno ab Incarnat. Domini Milleſ. centeſ. quadrageſ. ſexto, Indictione nona, quinto Kal. Octobr. Anno ſecundo Domini Papæ Eugenii, quadrageſ. primo D. Chunr. Saltzb. Archi-Epiſcopi, octavo Chunradi Regis.

Puſch Diplomataria ſacra Styriæ Tomo I. Documenta Seccovienſia N. VI. pag. 145.

Hoc Salisburgenſis Archi-Epiſcopi Concilium in oppido Hallenſi celebratum, non novit *Hanſizius Tomo II. Germaniæ Sacræ in Hiſtoria Archiepp. Salisburgenſium*, qui in vita *Conradi Archiepiſc. Salisburg. No. LXXI.* recitat anno 1140. Adelrammum de Waldeke ἄπαιδα improlem adjeciſſe animum ad Cœnobium Canonicorum Regularium in loco Feuſtrice, quam Chartam refert *Puſchius pag.* 139. *Diplomatariæ Sacræ Styriæ Parte prima*, & adiiſſe propterea Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, qui etiam *decimas* quasdam eidem fundationi addidit, & translationem Canoniæ ex Feuſtria in Seccowe anno 1142. ſed *Synodi* anno 1146. celebratæ *in Hall* non meminit.

Meminit tamen eo anno ab Conrado Archiepiſc. de Parochia Præpoſituram Hallæ conſtitutam fuiſſe, & Eccleſiam in die B. Martini conſecratam, & donationem decimarum factam eidem Eccleſiæ. *Pag.* 243. *Germaniæ ſacræ Tom. II. Nec Metzgeri nec Hundius hujus Synodi meminere.*

SYNODUS COLONIENSIS
DIOECESANA
SUB ARNOLDO I. ARCHI-EPISC. COLONIENSI.
Anno Chriſti MCXLVI. Eugenii III. Papæ II. Conradi III. Regis IX.
CONTRA HÆRETICOS.

NUper apud nos *juxta Coloniam* quidam hæretici detecti ſunt, quorum quidam cum ſatisfactione redierunt ad Eccleſiam. Duo ex eis, ſcilicet, qui dicebatur Epiſcopus eorum cum ſocio ſuo, nobis reſtiterunt in CONVENTU Clericorum & Laicorum, præſente ipſo Domino Archi-Epiſcopo, cum magnis viris nobilibus, hæreſin ſuam defendentes ex verbis Chriſti & Apoſtoli. Sed cum vidiſſent ſe non poſſe procedere, petierunt, ut eis ſtatueretur dies, in quo adducerent de ſuis viros fidei ſuæ peritos: promittentes, ſe velle Eccleſiæ ſociari, ſi Magiſtros ſuos viderent in reſponſione deficere; alioquin ſe velle potius mori, quam ab hac ſententia deflecti. Quo audito, cum per triduum eſſent admoniti, & reſpicere noluiſſent; rapti ſunt a populis nimio zelo permotis, Nobis tamen *in Concilio ſedentibus*, invitis, & in ignem poſiti atque cremati, &, quod magis mirabile eſt, ipſi tormentum ignis non ſolum cum patientia, ſed & cum lætitia introierunt, & ſuſtinuerunt.

Hæc eſt Hæreſis illorum,
conſtans XI. Articulis.

I. Dicunt apud ſe tantum Eccleſiam, eo quod ipſi ſoli veſtigiis Chriſti inhæreant, & Apoſtolicæ vitæ veri ſectatores permaneant, ea, quæ mundi ſunt, non quærentes, non domum, nec agros, nec aliquid peculium poſſidentes. Sicut Chriſtus non poſſedit, nec diſcipulis ſuis poſſidenda conceſſit. Vos autem (*dicunt Nobis*) domum domui & agrum agro copulatis, & quæ mundi ſunt hujus, quæritis:

II. Ita etiam, ut qui in vobis perfectiſſimi habentur, ſicut Monachi vel regulares Canonici, quamvis hæc non ut propria, ſed poſſident ut communia; poſſident tamen hæc omnia, & *de ſe dicunt*: Nos pauperes Chriſti inſtabiles de civi-

civitate in civitatem fugientes, ſicut oves in medio luporum, cum Apoſtolis & Martyribus perſecutionem patimur; cum tamen ſanctam & arctiſſimam vitam ducamus in jejuniis & abſtinentiis, in orationibus & laboribus die ac nocte perſiſtentes, & tantum neceſſaria ex eis vitæ quærentes. Nos hos ſuſtinemus, quia de mundo non ſumus; Vos autem mundi amatores cum mundo pacem habetis, quia de mundo eſtis. Pſeudo-Apoſtoli adulterantes verbum Chriſti, quæ ſua ſunt, quæſiverunt, vos & Patres veſtros exorbitare fecerunt. Nos & Patres noſtri generati *Apoſtoli* in gratia Chriſti permanſimus, & (*in*) finem ſæculi permanebimus. Ad diſtinguendos Nos & Vos Chriſtus dixit: *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Fructus noſtri ſunt veſtigia Chriſti.

IV. In cibis ſuis vetant omne genus lactis, & quod inde conficitur, & quidquid ex coitu procreatur. Hoc de converſatione ſua nobis opponunt.

V. In Sacramentis ſuis velo ſe tegunt: tamen nobis aperte confeſſi ſunt, quod in menſa ſua quotidie, cum manducant, ad formam Chriſti & Apoſtolorum, cibum ſuum & potum in corpus Chriſti & ſanguinem per Dominicam orationem conſecrant, ut inde ſe, membra & corpus Chriſti nutriant. Nos vero dicunt in Sacramentis non tenere veritatem, ſed quandam umbram & hominum traditionem.

VI. Confeſſi ſunt etiam manifeſte ſe præter aquam, in igne & ſpiritu baptizare, & baptizatos eſſe, adducentes illud teſtimonium Joannis Baptiſtæ baptizantis in aqua, & dicentis de Chriſto: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.* Et in alio loco: *Ego baptizo in aqua: Major autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis*, quaſi alio baptiſmo præter aquam vos baptizaturus.

VII. Et talem baptismum *per impoſitionem manuum* debere fieri, conati ſunt oſtendere teſtimonio Lucæ, qui in Actibus Apoſtolorum deſcribens baptiſmum Pauli, quem ab Anania ſuſcepit ad præceptum Pauli, nullam mentionem fecit de aqua, ſed tantum de manus impoſitione. Et quidquid invenitur tam in actibus Apoſtolorum, quam in Epiſtolis Pauli de manus impoſitione, ad hunc baptismum volunt pertinere.

VIII. Et quemlibet (ſicut inter eos baptizatum dicunt) *electum* habere poteſtatem alios, qui digni fuerint, baptizandi, &

IX. In menſa ſua corpus Chriſti & ſanguinem conſecrandi. Prius enim per manus impoſitionem de numero eorum, quos *auditores* vocant, recipiunt eum inter *credentes*, & ſic licebit eum intereſſe orationibus eorum, uſque dum ſatis probatum eum faciant *electum*.

X. XI. De baptiſmo noſtro non curant: Nuptias damnant: ſed cauſam ab eis inveſtigare non potui, vel quia eam fateri non audebant, vel quia eam ignorabant.

Hactenus Everwinus Præpoſitus Cœnobii Steinfeldenſis in Archi-Diœceſi Colonienſi, qui obiit 1160.

Editus a Mabillonio in veteribus Analectis pag. 473.

Hinc intelliguntur duo ſermones S. Bernardi 65. *&* 66. *ſuper Cantica ſcripti de eisdem hæreticis & earum hæreſum confutatorii ad eundem Everwinum.*

REX antiqua Corbejenſium & Herivordenſium Cœnobiorum Privilegia inſtaurat, ſpeciatim definit Manſionaticum viſitanti Epiſcopo, jam ſtatutum in Concilio Moguntino anni 852. (a)

ANNO CHRISTI MCXLVII. EUGENII III. PAPÆ III. CONRADI III. REGIS X.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Conradus Divina favente Clementia Romanorum Rex II. Ad Regiæ dignitatis munificentiam pertinet, bene de republica merentibus virtutum præmia tribuere, ut & ipſi pro ſuæ fidei conſtantia

(*a*) Vide Tomi II. pag. 167.

ſtantia laboris ſui emolumenta percipiant, & ceteri ad exequenda Imperii munia bonæ ſpei pleni & alacres fiant. Quocirca noverit omnium fidelium noſtrorum tam futurorum, quam præſentis ætatis induſtria, quod noſter fidelis & cariſſimus Monaſterii, quod nova Corbeja dicitur, venerabilis Abbas *Wiboldus* noſtram clementiam adiit, petens, ut privilegia Corbejenſis Eccleſiæ, cui nunc idem venerabilis Abbas præeſſe cognoſcitur, innovare & confirmare dignaremur. Cujus religioſæ petitioni, ob inſignem ipſius circa nos & Regnum nobis a Deo conceſſum fidem, pietatis aurem inclinantes, per præſentis paginæ ſeriem ſub Regiæ Majeſtatis tuitionem ipſum locum, novam videlicet Corbejam, cum omnibus ſibi tam intus, quam foris pertinentibus aſſumimus, eumque perpetua libertate donantes, noſtra & omnium Principum auctoritate, lege in perpetuum manſura firmamus, ne præfatum Monaſterium, nova Corbeja, in poteſtatem vel ditionem, ſive ſubjectionem alicujus perſonæ ſeu Eccleſiaſticæ ſeu ſæcularis dignitatis per aliquam donationem ſeu commutationem cedat. Sed ſemper ſub ordinatione & defenſione Regum vel Imperatorum conſiſtat, & libertate, quam hactenus obtinuit, in perpetuum potiatur. Et quoniam ab Imperatore Luthewico duo Monaſteria conſtructa ſunt, & a noſtris prædeceſſoribus honore & diviciis aucta, unum videlicet Monachorum, quod nova Corbeja dicitur, ad normam ſcilicet veteris Corbejæ, *Herevordenſe* vero Sanctimonialium ad ſimilitudinem Sueſſionis Monaſterii, decretumque eſt ab eis, ut Corbejenſis Abbas, quicunque pro tempore fuerit, procurationem agat Herivordienſis Eccleſiæ, ita videlicet, ut juxta conſuetudinem, qua ancillarum Dei congregationi (*b*) procurari ſolent, Præpoſiti ex ordine Eccleſiaſtico tam in diſciplina, quam in cunctis negociis, quæ famulæ Chriſti pro ſexu, & profeſſione ſua exequi non poſſent, ipſarum Proviſor & patronus exiſteret. Nos quoque Prædeceſſorum noſtrorum veſtigia ſequentes confirmamus, & decreto in æternum manſuro ſtatuimus, ut omnes, per ſucceſſionem Corbejenſis Cœnobii Abbates præſcripta procuratione & patrocinio, abſque ullius contradictione utantur, & ſervata dignitate Abbatiſſæ, in quibus opportunum fuerit, Herevordenſi congregationi aſſiſtant. Confirmamus etiam quæ prædeceſſor noſter Imperator *Luthewicus* (*c*) ſupradictis Monaſteriis pro eleemoſina generis ſui tradidit, cellam videlicet, quæ vocatur Meppia, cum decimis & poſſeſſionibus undique ad eam pertinentibus. Et Eccleſiam Eresburg, circumque per duas Saxonicas raſtas ad novam Corbejam: ad Herevordenſe vero Monaſterium in Epiſcopatu Oſnebrugenſi Eccleſiam Buinidi cum ſubjectis ſibi Eccleſiis, in Parochia Mimiernevordenſi (*d*) Eccleſiam Reni cum his, quæ ad eam pertinent Eccleſiis, ita ſane, ut decimarum aliorumque redituum proventus omnes præfatis cederent Monaſteriis, & ab ipſis viciſſim procurarentur ſubjectæ plebes in baptiſmate, in Euchariſtia, in ſepulturis, in confeſſione peccatorum audienda, & Presbyteri, qui principales Eccleſias tenerent, Archi-Presbyterorum officio fungerentur, ad agenda omnia, quæ ſolent fieri ab Archi-Presbyteris Epiſcoporum, & cum Epiſcopi circationes ſuas ibi agere deberent, ad eorum *manſionatica* daretur, ut capitularibus anteceſſorum noſtrorum præſcriptum habetur, videlicet quantum ſatis ſit eis dare, & Epiſcopi non plus quærant, nec cum pluribus in ſumma debiti Epiſcoporum ſervitii plus exigeretur, quam opus ſit, ſtatuerunt prædictarum Eccleſiarum Epiſcopi cum *conſenſu Synodali* coram anteceſſore noſtro *Ottone Imperatore*, ab Archi-Epiſcopo Rabano (*e*) cæteriſque cum eo in Synodo agentibus, ut dentur ad ſingulas Eccleſias Porci IV. valentes ſinguli denarios XII. aut arietes VIII. tantundem valentes, procelli IV. aucæ IV. pullæ VIII. Sitiæ XX. de medone, de mellita cerviſa XX. de non mellita LX. panes CXX. de avena modios manipuli DC. eſſetque in poteſtate Epiſcoporum, utrum hæc per ſingulas Eccleſias ad unum Manſionaticum, an ad duo vellent habere. Statuimus etiam atque concedimus juxta decreta prædeceſſorum noſtrorum liberam utrique loco poteſtatem eligendæ de propria congregatione in regimen ſui per futura ſemper tempora congruæ perſonæ. Et

(*b*) *forte* congregationes. [*c*] Anno 882. (*d*) *nunc* Monaſterienſi. (*e*) Anno 852.

Et ut nullus Judex publicus licentiam in homines ad præfatum Monasterium pertinentes ullam judiciariam habeat exercere potestatem, sed omnis eorum res coram Advocato ipsorum diffiniatur. Et ut justitiam, quæ appellatur Burchban, nemo sibi usurpare in eodem loco præsumat, nisi cui potestas ab ejusdem Cœnobii Abbate concessa fuerit. Et ut liberi homines licentiam habeant prædia sua eidem Monasterio conferre, nec quivis Judex, aut Regia potestas solitum debitum, aut publicum vectigal ab eis deinceps extorqueat, sed se ipsos in proprietatem ipsius Ecclesiæ ad jus ministerialium tradere liceat, & de infimo ordine, videlicet de litis aut de censuariis facere ministeriales Abbas potestatem habeat.

Signum Domni CUNRADI Romanorum Regis II.

Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archi-Cancellarii recognovi: Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVII. Indict. X. regnante Cunrado Romanorum Rege II. anno vero Regni ejus X. datum apud Franckenevorde feliciter Amen.

Schatenus in Annal. Paderborn. primus protulit ad h. a.

SYNODUS HALBERSTADENSIS
Anno Christi MCXLVII. Eugenii III. Papæ III. Conradi III. Regis X.

SUMMA. Tidrici de Quernvordt, Abbatiæ Ludesburg, postea cella Beatæ Mariæ dictæ, Fundatoris confirmatio.

IN Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Rodolfus Divina favente clementia Halberstadensis Ecclesiæ Episcopus. Officii nostri est, injuncta nobis a Deo pastorali cura necessitatibus Ecclesiarum, quibus Divina ordinante clementia quanquam indigni, præsidemus, debita sollicitudine subvenire & justa fidelium vota paterna benignitate promovere. Igitur ex antiquioribus præsens exordium trahentes & pristinis præsentia continuantes notum esse volumus, tam futuri quam præsentis ævi fidelibus, qualiter nobilis quidam *Tidricus de Quernvorde* oriundus jam dudum ante tempora nostra, pro salute animæ suæ & parentum seu & cæterorum carorum suorum quædam prædia, quæ inferius subscripta sunt, de propriis allodiis suis assentientibus & faventibus suis hæredibus servitio Dei devoto deputans, juxta consilium venerabilis Episcopi *Reinhardi* prædecessoris nostri cæterorumque religiosorum virorum in honore Dei & Sanctæ Mariæ sanctique Brunonis Episcopi & Martyris Abbatiam quandam secundum regulam Beati Benedicti in Ludesburg fundare proposuit, & huic pio operi quoadusque vixit, studiose insudans & Dominum *Fridericum* nepotem suum in habitu Monachico post arma deposita religiose viventem fidelem cooperatorem habens firmo pacto instituit, ut advocatiam in eadem Ecclesia sicut ipse tenuit, ita & hæredes sui post se in perpetuum hæreditario jure possiderent. Cumque idem *Tidericus* voto suo minus efficaciter completo Divina urgente vocatione emigrasset, & quædam nobilis matrona nomine *Machtildis* hæreditario jure succedens his ceptis nondum consummatis viam universæ carnis ingressa filium suum *Godeschalcum* hæredem reliquisset, insignis Comes Magdeburgensis civitatis Burchardus de præfati Tiderici stirpe in Querenforde natalitia nobiliter trahens, zelo pietatis æstuans, octo talentis beneficii sui de Magdeburg & XIII. mansis de propria hæreditate sua præfato Godescalco assignatis, Advocatiam in præmemorata Ecclesia sibi suisque hæredibus post se sempiterno jure comparavit, salubri usus industria, ut videlicet antiqua prædicti Friderici vota cum suis votis Deo commodius persolveret, & ad ordinandum Divi-

Divinum servitium liberius operam daret. Salutari igitur desiderio idem Comes salubriter flagrans, & commoditati pauperum Christi imposterum sollerter consulere volens, pro eo quod situs loci in *Ludesburc* fratribus minus erat opportunus, eandem cellam in locum utiliorem uberiorem & commodiorem, quem modo *cellam Beatæ Mariæ* nuncupamus, juxta nostrum & nostræ Ecclesiæ consilium, assensum, & voluntatem prænominati Domini Frederici, nec non & Domini Godescalci prioris advocati utiliter transposuit, & de stipendiis capellæ suæ in Querenvorde quædam prædia, & talenta probate monete singulis annis persolventia in sustentationem fratrum ibidem Deo famulantiam nichilominus nostro & plurimorum Catholicorum virorum consilio in perpetuum deputans nostræ auctoritatis ministerio & præsentis privilegii scripto ea communiri & corroborari postulavit. Nos itaque pium affectum ejus pio affectu complentes, auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nec non beati Petri Apostolorum Principis, ejusque successoris Domini Papæ Eugenii & nostra, hoc piæ devotionis institutum communimus, & confirmamus, &, ne quis in hoc Monasticæ professionis regulam in sempiternum mansuram aliquo modo disturbet, sub anathemate interdicimus. Hanc autem Ecclesiam *salva nostræ sedis reverentia* liberam omnino pronunciamus, & in eligendo Abbate juxta religiosorum virorum consilium, assensu & consilio advocati, liberam esse fratribus electionem decernimus, Abbati vero ejusdem Ecclesiæ injungimus obedientiæ suæ curam in spiritualibus sollerti vigilantia gerere, ex remorâ non negligere, nec quicquam de possessionibus Ecclesiæ, præter ea, quæ modo inbeneficiata sunt, præsumat inbeneficiare, sed &, si quid a beneficiali jure in libertatem cesserit, in usus Ecclesiæ satagat congregare. Et hoc sane sciendum, quia juxta deliberationem & voluntatem præmemorati Comitis Burchardi & cæterorum prudentum virorum indissolubili lege sancitum est, ut quicunque hæredum suorum hanc hæreditatem, quæ est in Quernvorde, legitime possederit, etiam Advocatiam præfatæ Ecclesiæ sine ejus contradictione possideat. Ut ergo hæc omnia posteris innotescant, & apud omnes successores nostros rata & immutabilia persistant, præsentis paginæ scripto ea futuris mandare, & sigilli nostri impressione sub vinculo anathematis confirmare curavimus. Hujus rei testes sunt: Wicmannus Præpositus Majoris Ecclesiæ, Erpo Decanus, Conradus Camerarius & Præpositus, Ulricus Præpositus, aliique confratres ejusdem Ecclesiæ, Sigebodo Abbas Isenburgensis, Eggebertus Abbas Huisenburgensis, Burchardus Abbas Wimodeburgensis, Sifridus Præpositus Hamereslevensis, Enerwinus Præpositus in Hademersleve, Erveboldus Præpositus in Stuterlingenburc, Henricus Præpositus in Trubeca, Godescalcus Præpositus in Caldenbrune, Reynhardus Præpositus de Sancto Johanne, Eremfridus Pater in Gerbestede, Amalricus Pater in Walbeca, Palatinus Comes Fridericus, Comes Bernhardus, Lodewicus de Wippra, Ludolfus de Waltingeroth, & Ludolfus filius ejus, Poppo de Blancenborch, Esico de Seburc, Godescalcus de Colosowa, Gunselinus & Degenhardus de Heinenburch, aliique quam plures. Et ego Alardus notarius recognovi. Acta sunt hæc & ad plenum confirmata *in plena Synodo nostra in cena Domini in Halberstad.* Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVII. Indictione IX. V. Kal. Aprilis. Hæc sunt prædia, quæ ex oblatione Domini Tidrici huic Ecclesiæ collata sunt: In Storcawice IV. mansi solventes duo talenta. In Uphusen & in Lubice mansus & dimidius, XII. solidos solventes. In Gerendorp IV. mansi singuli solventes XII. solidos, & præterea tres mansi solventes XVIII. solidos, in Ztreuchandorp IV. mansi singuli solventes XII. solidos, in Bernestede XVIII. mansi, singuli solventes duodecim solidos. In Gortice XVI. mansi, singuli solventes XII. solidos, in Hanacle VI. mansi, singuli solventes XII. solidos, in Ludesleve tres mansi & dimidius, quorum singuli solvunt XII. solidos, in Lisclagesdorp I. mansus XII. solidos solvens, in Corenvorde I. mansus qui solvit XII. solidos, in Asleve III. mansi, quorum singuli XII. solidos solvunt. In Slavis duas sylvas, in Sandeberch & in alio Sandeberch II. sylvas, in Ludesburch unam sylvam, in Barca unam sylvam. Juxta Schirholt unam

unam ſylvam, in Accantis unam ſylvam. Adhæc quod quosdam de ſuis miniſterialibus cum omni beneficio, quod poſſederunt, Dominus Tidricus eidem Eccleſiæ contulit, quos & nunc miniſterialium jure beneficia ſua quiete poſſidere ſtatuimus, injungentes eis, ut debitum honorem, & debitam reverentiam Domino ſuo Abbati & Eccleſiæ exhibeant. Hæc ſunt nomina miniſterialium: Lupoldus & filius ejus Sifridus IV. manſos habent, Borchardus unum manſum, Reinerus dimidium manſum habet, & ſylvam & pratum. Hæc autem ſunt prædia, quæ Comes Burchardus noſtro conſilio & aſſenſu de capella ſua huic Eccleſiæ transtulit, in Gortice II. manſi ſolventes XXIV. ſolidos. In Barneſtede IV. manſi ſolventes ſinguli XII. ſolidos. Reliqua vero idem Comes in uſus ſuos recipiens pro eiſdem bonis utiliora fratribus recompenſavit, in Eilwardesdorp XII. manſos, quorum ſinguli ſolvunt VI. ſolidos Molendinum quoque, quod ſolvit unum talentum. In Strobeca III. manſos & dimidium ſolventes XXXV. ſolidos & pro ſolido aream: & horum omnium ſumma eſt XLVI. talenta & quinque ſolidi, præter beneficia miniſterialium, quæ Abbati autem hujus Eccleſiæ ſuper Eccleſia, quæ eſt in Ludesburch, committimus, de Divino officio ibi celebrando non negligenter curam agat. Ad cujus ſollicitudinem hoc ſpectare debere ſtatuimus: pro fratre Ludero Burchardus Comes bona VI. ſolidos ſingulis annis perſolventia eidem Eccleſiæ contulit. *Data in Quernvorde XV. Kal. Julii.* Eadem die primus Abbas ejusdem novæ cellæ Burchardus a multis religioſis viris in præſentia Domini Epiſcopi Rudolfi venerabiliter inſtitutus eſt, aſſenſu & conſilio & petitione advocati Comitis Burchardi. Quid autem juris in bonis Eccleſiæ advocatus habere debeat, præſenti ſcripto commendare dignum duximus, ne vel advocato, quod ſui juris eſt, poſtmodum ſubtrahatur, nec quicquam præter ſtatutum ab hominibus extorqueatur. De ſingulis manſis duo maldra frumenti & unum anſerem advocatus ſingulis annis recipiat, hac conditione, ut legitimis placitis ſuis homines ſub obſervatione quadam, vulgo dicta *vara*, aſtare & reſpondere non cogat. Ab hoc autem ſtatuto omnes manſi, quos fratres in Dominicalibus ſuis in Elwersdorp, & in Ludesleve excolunt & bona miniſterialium, excipiuntur. In majoribus vero exceſſibus homines deprehenſi ſub obſervatione reſpondeant. Ex omnibus, quæ placitando acquiruntur, duæ partes Abbati, tria vero cedant advocato.

Ludewig in reliquiis MS. Tom. I. pag. 1.
Leuckfeld in Antiquitatibus nummariis Halberſtadenſibus pag. 146.

CONCILIUM TREVERENSE

Anno Chriſti MCXLVIII. Eugenii III. Papæ IV. Conradi III. Regis XI.

SUMMA.

§. 1. *Adventus Eugenii Papæ Treverim. Dedicatio Eccleſiæ S. Eucharii nunc S. Matthiæ. Enumeratio Cardinalium, Comitum Papæ.*

§. 2. *Archi-Epiſcopi Moguntini & S. Bernardi relatio de vita, & ſcriptis S. Hildegardis.*

§. 3. *Virdunenſis Epiſcopus mittitur a Papa & Concilio ad Hildegardim viſitandam. Ejus relatio. Decretum Synodi.*

§. 4. *Literæ Papæ ad Hildegardim.*

§. 5. *Literæ Henrici filii Conradi ad Papam concilio redditu. Reſolutio Papæ ad 3. poſtulata Henrici VI.*

§. 7. *Depoſitio Corbejenſis Henrici Abbatis confirmatur, uti & inſtitutio Wibaldi corbejæ & Stabuleti Abbatis.*

§. 8.

§. 8. *De Fuldensis Abbatis depositione incerta relatio Synodus.*

ANno Dominicæ Incarnationis Millesimo, centesimo, quadragesimo octavo, Dominica, qua cantatur: (*a*) *Ad te levavi*, Dominus Papa (*b*) Treverim venit, sicut invitatus a Domino Alberone Archi-Episcopo fuerat, & sabbatho ante prædictam Dominicam in Ecclesia Sancti Eucharii honorifice hospitatus est. In ipsa autem Dominicâ cum maxima veneratione a Clero & populo cum (*c*) inconsuetæ processionis vel ornatu, (*d*) vel armatu, atque recordabili solemnitate in templum est introductus, conducentibûs eum a dextris Domino Alberone, a sinistris vero Arnoldo Coloniensi Archi-Episcopo, præcedentibus vero multis Episcopis Germaniæ, (*e*) Belgiæ, Franciæ, Angliæ, Burgundiæ, Lombardiæ, Tusciæ, & ex omni natione, quæ sub cœlo est. Sed nec Cardinales enumerare pigeat, qui cum Domino Papa Eugenio Treverim venerunt. (*f*) Episcopi Cardinales: Albericus Hostiensis, (*g*) Henricus Tusculanus. Humbertus Presbyter de titulo Sanctorum Joannis & Pauli, Guido de Summa Presbyter (*h*) de titulo Sanctorum Laurentii & Damiani, Gisibertus Presbyter de titulo Sancti Marci, Hugo Presbyter de titulo S. Laurentii de Lucina, Julius Presbyter de titulo Sancti Marcelli, Guido Presbyter de titulo Sanctæ Potentianæ, Odo Benecase, Heribertus Presbyter de titulo Sanctæ Anastasiæ, Guido Diaconus & Cancellarius de titulo Sanctorum Cosmæ & Damiani, Octavianus Diaconus de titulo Sancti Nicolai in carcere, Guido Pisanus, Guido Cremensis, Gregorius de titulo Sancti Angeli, Joannes de titulo Sanctæ Mariæ novæ, Jacinthus de titulo Sanctæ Mariæ in Cosmedi, Otto de titulo S. Gregorii (*i*) ad aureum velum.

Ipsis diebus Dominus Apostolicus Eugenius petente Venerando Abbate (*k*) Bertulfum consecravit Ecclesiam Sancti Eucharii, Sanctique Johannis Evangelistæ. Huic autem (*l*) conservationi interfuerunt Albero Archi-Episcopus Treverensis, Heinricus Archi-Episcopus Eboracensis. (*m*) Episcopi isti: Albericus Hostiensis, Heinricus Tusculanus, Hartwicus Gebenensis, Nemedeus (*n*) Lositanus. Cardinales, quos supradiximus, Abbatesque & Principes, quam plures hujus terræ, sed & populus infinitus: atque cum ingenti gaudio non solum urbis, sed ut ita dicam, totius Provinciæ hæc dedicatio peracta est. Deinde post duas hebdomadas consecravit Ecclesiam Sancti Paulini Dominus Apostolicus, secundo Kalendas Februarii. (*o*)

Gesta Archi-Episcoporum Treverensium Golscheri apud Eckhart, Tom. I. Corporis Script. German. pag. 2201.

Illmus Honthemius, Parte posteriori, Prodromi Historiæ Trevericæ, eadem gesta recudit Cap. 86. *diversam quodammodo habet ab Eckharti editione lectionem.*

Leibnitius & Calmet eadem gesta recuderunt, demum & D'acherii.

Honthemii editio in his differt:

EPiscopi Cardinales: Albericus Ostiensis, Himarus Tusculanus; Presbyteri: Guido Summanus, Haribertus S. Anastasiæ Magister, Guido Deus vir valde literatus, Legum & Juris peritus. Julius S. Marcelli, Hugo Novariensis, Magister Hubaldus, Giselbertus S. Marci, Joannes Papiro. Ex Diaconis autem vir nobilis genere Octavianus, & moribus nobilior, honestate & liberalitate notandus, specialis amator Teuthonicorum. Guido Cremensis, vir alti sanguinis,

(*a*) Primâ Dominicâ Adventûs.
(*b*) Eugenius III. Papa sedit ab 1145. 25. Februar. ad 1153. 8. Julii.
(*c*) insultæ. *Honthemii.* (*d*) vel armata. *abest ab Honth.* (*e*) item *Honth.*
(*f*) Viri enim fuere vultu, habitu, gestu, scientia, moribus honorabiles, & pro sua magna honestate immortali recordatione digni. Hæc autem eorum sunt nomina, quæ melius in libro vitæ scripta sint. *Honth.*
(*g*) Himarus. *Honth.* (*h*) omittit Honth. usque *Heribertus* Haribertus.
(*i*) *lege* Georgii. (*k*) *corrige* Bertulfo. (*l*) *lege* consecrationi.
(*m*) Henricus, Archiepisc. Moguntinus, Postulator inquisitionis in S. Hildegardis vitam & scripta omissus, nescio quo fato. (*n*) Amedeus Lausanensis.
(*o*) Balduinus, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, S. Paulini cryptam & S. Mari Præsulis aram eodem die consecravit. *Martene & Durand.*

nis, valdeque curialis & honeſtus, dulcique eloquio. Odo bonæ caſæ manſuetiſſimus homo, ex Romanis ortus, Nobilibus omnibus amabilis & pius. Joannes quoque S. Mariæ novæ, vir dulciſſimæ affabilitatis, ſanctimonia morumque decoratione exornatus. Gregorius quoque S. Angeli, vir ingenii vivacis, promtus & expeditus ad omnia, quæ honeſtati & Eccleſiæ Dei utilitati conveniunt. Quid dicam de Jacintho, qui omnem Jacinthum ſplendore ſuæ virtutis vincebat, qui eloquii ſui dulcedine omnes in amorem ſui trahebat, quem audire atque videre honeſtatem diſcere erat. Sed nec Guidonem tacebo Piſanum, virum prudentiſſimum & breviloquio notabilem. His omnibus Archi-Epiſcopus per duodecim hebdomadas continue largitus eſt neceſſaria in tanta abundantia, quod ipſi quoque fatebantur, copiam pleno cornu veniſſe ad ipſos.

Hæc Baldricus Golſcheri Continuator, & Biographus Alberonis Archi-Epiſc. Treverici, qui huic Concilio præſens ſcripſit.

§. II. EUGENIUS autem Papa, convocatis Epiſcopis, Abbatibus, & Clericis multis ex tota Germania, & parte Galliæ, Synodum celebravit, & multa conſtituit ad Eccleſiæ DEI honorem ſimul & utilitatem . . . . . In memorato Concilio Treveris celebrato, 1. miracula, 2. viſiones & 3. ſcripta, quæ Omnipotens Deus per famulam *HILDEGARDEM* operabatur apud Bingios, ad aures ſummi Pontificis Eugenii plurimorum narratione pervenerunt.

§. III. Quibus auditis Pontifex volens rem novam & arduam inveſtigare diligentius, miſit ad virginem Chriſti *Adelbertum* (*ſeu potius Alberonem*) Virdunenſem Epiſcopum cum quibuſdam aliis viris doctis, & Deum timentibus, dans eis in commiſſis, quatenus dictorum omnium inquirerent veritatem. Qui cum perveniſſent ad famulam Dei, & ea, quæ a ſummo Pontifice habeant in commiſſis, cum reverentia exequerentur, non ſolum revelationum ſeriem & famam, ſed modum quoque & cauſas ab ea diligentiſſime inquirebant. Quibus illa ſimpliciter reſpondebat ad omnia, & quid circa eam operata fuiſſet divinitas, cum ſumma humilitate aperuit. Informatione ſufficienti accepta, nuncii Apoſtolici, *libris viſionum* virginis, illa petente, ſecum aſſumptis ad Papam Trevirim redierunt: & quod omnia invenerint vera, quæ dicebantur de famula Chriſti, & ſolida, renuntiarunt. Deinde (*l*) volumina, quæ illa divinitus illuminata ſcripſerat, una cum Epiſtola, quam dederat, Eugenio Papæ cum reverentia tradiderunt.

Pontifex ſcripta virginis coram multis fecit publice recitari, & per ſe lectoris quandoque functus officio, partem non modicam legens recitavit. Omnes, qui audiebant verbum lectionis, in admirationem ducti, Omnipotentis miſericordiam, qui talia operabatur in fragili ſexu, collaudabant. Aderat his D. Abbas Bernardus, aderat & Ludovicus Abbas S. Matthiæ Trevirenſis, amicus S. Virginis, quibus mediantibus omnium dubitationum nebulæ a cogitationibus auditorum pellebantur. Omnibus ergo rogantibus, qui aderant, ſimul & hortantibus Romanorum Pontificem, ne Lucernam tam inſignem, divinaque illuſtratione ſuccenſam pravorum hominum machinatione pateretur extingui, libenter conſenſit, & litteras virgini Hildegardi tenoris ſequentis transmiſit.

Litteras Eugenii ex Collectione Tom. XXIII. Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunenſis pag. 537. *huc transfero.*

§. IV. Eugenius, ſervus ſervorum Dei, dilectæ in Domino filiæ Hildegardi Præpoſitæ in monte Beati Roberti, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Miramur, o Filia! & ſupra id, quod credi poteſt, miramur, quia Deus jam noſtris temporibus nova miracula oſtendit, cum te ſpiritu ſuo ita perfudit, quod diceris multa ſecreta videre, intelligere & proferre. Hoc a veridicis perſonis ita eſſe percepimus, qui ſe fatentur te, & vidiſſe, & audiſſe. Sed quid nos ad hæc

(*l*) Hyperbole aliqua ineſt narrationi huic. Nondum enim volumina multa, ſed primam duntaxat partem *ex tribus Libris* a ſe conſcriptis Hildegardis anno 1148. miſit. Reliqua poſt eum annum fuiſſe ſcripta, oſtendunt *Hagiographi Antwerpienſes Loco indicato.*

hæc dicere valemus, qui clavem ſcientiæ habentes, ita quod claudere & aperire poſſimus, & hoc prudenter facere per ſtultitiam negligimus? Congratulamur igitur gratiæ Dei, congratulamur & dilectioni tuæ, hoc admonentes, ut ſcias, quod *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Gratiam autem hanc, quæ in te eſt, conſerva & cuſtodi, ita ut ea, quæ in ſpiritu proferenda ſenſeris, prudenter proferas, quatenus illud audias: *Aperi os tuum, & adimplebo illud.* Quod autem inſinuaſti nobis, de loco illo, (*m*) quem in ſpiritu tibi prævidiſti, hoc permiſſione & benedictione noſtra, & Epiſcopi Tui fiat, ita, quod ibi regulariter cum ſororibus tuis vivas ſecundum Regulam S. Benedicti ſub clauſura ejusdem loci.

Tomo V. Septembris Acta Sanctorum ad diem 17. menſis.

(*m*) Anno 1147. habitationem in monte S. Roberti prope Bingam oppidum cœptam eſſe, & jam anno 1148. montem inhabitatum fuiſſe ab S. Hildegarda, concludunt *Hagiographi Antverpienſes Tomo V. Septemb. pag.* 635.

Probatio Scriptorum S. Hildegardæ in Concilio Treverenſi, hæc eſt judice Joanne Stiltingio Hagiographo Antverpienſi ad diem 17. Septembris:

Judicavit Eugenius Papa cum Patribus Concilii Treverenſis, Sanctam Hildegardem non ex illuſione Dœmonis, non ex cerebri phantasmatis, ut calumniabantur aliqui, ſed ex Divinis revelationibus haurire, quæ ſcribebat: ideoque permiſit Sanctæ, ut ſcribere prudenter pergeret viſiones ſuas. Sollicite tamen monet, ut in humilitate ſe conſervet.

Idem monitum S. Bernardi Clarævallenſis Abbatis in Concilio Treverico præſentis inter cenſores.

Cæterum præter hoc Concilium Treverenſe, ejusdemque ſeverum examen Libri à S. Hildegarda ſcripti, alia graviſſima teſtimonia extant, quibus oſtenditur, Divinas fuiſſe viſiones, & a Spiritu Sancto dictata ſcripta; non vero cerebri muliebris inanes nocturnas illuſiones, ut *calumniatur Oudinus in Commentario de Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Nam primo S. Bernardus Sanctiſſimus juxta, ac doctiſſimus Pater, Eugenius III. Anaſtaſius IV. & Adrianus IV. Summi Pontifices, Imperatores Conradus & Fridericus, plurimorum Germaniæ & Galliæ Epiſcopatuum, & Eccleſiarum Prælati Principes, eandem Sanctimoniam & afflatum Divinum in operibus Hildegardis mirati ſunt. Obiit Sancta anno 1179. ætatis 82. in monte S. Ruperti prope Bingen, ſepulta in Eccleſia a ſe conſtructa.

ULTERIORA ACTA SYNODI TREVERICÆ.

§. V. Decrevit Eugenius, Sanctimoniales Horreenſes, antiquiſſimi in urbe Treverenſi Monaſterii, à Sancta Irmina ante mille annos fundati recludendas eſſe: cujus decreti mentionem facit Adrianus IV. Papa in ſuis ad eas Moniales Literis:

Dilectæ in Domino Filiæ. Veſtris precibus annuentes ſtatuimus, & præſentis ſcripti decreto ſancimus; ut nulla perſona magna vel parva, ſæcularis & Eccleſiaſtica vobis inhibeat; ne ſub eadem D. Benedicti regula Domino ſerviatis, ſub qua tempore Prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ Papæ Eugenii ex ipſius præcepto, tanquam recluſæ, promiſiſtis Domino deſervire.

§. VI. Recitatæ ſunt in eadem Synodo literæ Henrici junioris, Regis Romanorum, quibus tria a Pontifice poſtulat. 1*mo*. Ut Henricum Venerabilem Moguntinenſem Archi-Epiſcopum, nec non Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Abbates, &c. de Regno Patris ſui ad eum tranſeuntes clementi bonitate ſuſcipiat. 2*do*. Ut Duciſſam Poloniæ, amitam ſuam, ab excommunicationis, quam in ipſam promulgaverat, vinculo ſolvat. 3*tio*. Ut Wibaldum Corbejenſem Abbatem in omni neceſſitate ſua clementer protegat, & præcipue in duabus Abbatis obtinendis: videlicet Kaminata & Wisbeke: quæ, quia fere collapſæ erant tam in religione, quam in poſſeſſionibus, manſuetiſſimus Pater noſter Conradus eas Corbejenſi Monaſterio, & præfato Abbati jure proprio contulit, quatenus per ejus induſtriam Divinus ibidem ordo reformetur, & poſſeſſionibus recollectis, quæ diſperſæ ſunt, atque conſervatis, loca penitus, ut cœperunt, non deſtruantur. Eugenius cauſam Judithæ Caminatenſis Abbatiſſæ depoſitæ, & cauſam Duciſſæ Poloniæ, ad futurum Concilium Remenſe remiſit.

§. VII. Depoſitionis ſententiam, in Henricum Corbejenſem latam, confirmavit Eugenius: & Monachos Corbejenſes hortatus eſt; ut tanquam boni & humiles filii, diligerent & honorarent *Wibaldum*, atque ut Paſtori ſuo condignam reverentiam & obedientiam impendentes, ad recuperandas & retinendas poſſeſſiones & bona Corbejenſis Eccleſiæ viriliter aſſiſterent.

§. VIII. Congregatio Fuldenſis, ob turbas, ſub Ruggero Abbate motas a Monachis aliquot expulſis, querelam detulit ad Concilium Treverenſe, in quo Abbatem depoſitum dicit Browerus, & ex eo Pagius ad hunc annum. (*n*)

(*n*) *Mabillon. in Annalibus Benedictinis Tomo VI. pag.* 432. oſtendit utrumque errare in nomine, cum Henricum Fuldenſem depoſitum dicunt in hoc Concilio: qui judice *Schannato Tomo III. Hiſtoriæ Fuldenſis* anno 1048. nonis Novembris Henricum electum reluctantem narrat, & ne unum verbum de ejus depoſitione in Archivio Fuldenſi invenit. Mirum ut ſit, unde Browerus id hauſerit. Conjicit igitur Mabillon vel de Ruggero, vel de Alolpho Abbatibus querimoniam Treveros delatam fuiſſe, nam Spiram delatam ad Comitia anno proximo 1150. non diffitetur Schannatus, & Henrico ſponte vel coacte abdicanti a Concilio Spirenſi Imperatore præſente Marquardum Monachum in monte S. Michaelis Bambergæ propoſitum, & electum fuiſſe Abbatem XXXVIII. Fuldenſem.

§. 5. 6. 7. 8. *debemus Mabillonio in Annalibus Benedictinis Tomo VI. pag.* 632.

SYNODUS DIOECESANA SPIRENSIS

A GUNTHERO (*a*) SPIRENSI EPISCOPO CELEBRATA,

In qua Limburgenſi Cœnobio Neoburgenſis Præpoſitura confertur, eidemque perpetuum annectitur.

ANNO CHRISTI MCXLIX. EUGENII III. PAPÆ V. CONRADI III. REG. XII.

IN Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Noverint omnes Chriſti Fideles, qualiter ego *Guntherus*, Divina favente clementia, ſanctæ Spirenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, tactus dolore intrinſecus, vehementer indolui ſuper deſtructione & deſolatione Niumburgenſis Præpoſituræ: ea videlicet rationis exiſtente cauſa, quod diſtractis Eccleſiæ poſſeſſionibus, nullum Dei ſervitium inibi per multa tempora celebratum ſit, neque aliqua reverentia Deo, & ſanctis ejus debita, exhibita ſit. Quamobrem, habito Concilio totius Cleri ac populi memoratæ civitatis, advocatis etiam Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, nobilibus, atque miniſterialibus, eorum conſilio & adhortatu commonitus, Lindburgenſis Monaſterii Patronis, videlicet: Sanctæ Mariæ, Matri Domini, & beato Joanni Evang. Sanctæque Luciæ, cum reliquis Sanctis, ibidem dedicatione confœderatis, prætitulatam Præpoſituram cum omnibus appenditiis ſuis, Epiſcopali autoritate in perpetuum contradidi, eo videlicet rationis tenore: ut nullus ſucceſſorum meorum Præſul, aliquam ſpecialem poteſtatem ſuper eandem Præpoſituram deinceps habeat, ſed Lindpurgenſis Abbas jam ſæpe nominatam Præpoſituram abſque omni contradictione libere & abſolute in perpetuum poſſideat, atque ſervitium Dei cum fratribus ſuis in Eccleſia præſignata, ut decet, ordinate diſponat.

Hujus rei Teſtes ſunt iſti Clerici.

Zeizolf, Præpoſitus de Domo.
Ditmarus, Decanus.
Hartwigus, Camerarius.
Winemarus, Magiſter ſcholarum
Eggebardus, Abbas de Sunnesheim.
Heinricus, Abbas de Ottenheim.
Beringerus, Abbas de S. Lamberto.
Adelbertus Præpoſitus de Herde, &c.

Hæc

(*a*) Guntherus, Comes de Lyningen, ſucceſſor Sigefridi cognati ſui, omnium votis electus 1142, præfuit magna cum laude.

Hæc traditio facta est in sancta *Spirensi Ecclesia*, in præsentia totius *Synodalis Conventus*, Anno Dom. Incar. MCXLVIIII. Indict. XII. sub *Eugenio* Papa, *Kunrado* Rege, *Rubberto* Abbate existente, & designatam Præposituram ab Episcopali manu suscipiente.

Ex Archivo Monasterii Limburgensis, quod est apud Administrationem Heidelbergæ.

SYNODUS DIŒCESANA HILDESHEIMENSIS

A BERNHARDO (a) EPISCOPO HILDESHEIMENSI CELEBRATA,

In qua recensio Bonorum ad Lamspringensem Ecclesiam spectantium instituitur, eorumque possessio eidem adversus raptores asseritur.

ANNO CHRISTI MCXLIX. EUGENII III. PAPÆ V. CONRADI III. REGIS XII.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Bernhardus*, Dei gratia, *Hildesheimensis* Ecclesiæ Episcopus.

Quia multis injuriis claustra Deo famulantium sæpe gravantur, & agros Ecclesiarum, aut alios redditus, quos amici Dei pro salute animarum suarum illis contulerunt, injusti homines quæsitis occasionibus sæpe conantur auferre; Idcirco venerabilis frater noster *Harduardus*, in Ecclesia Sancti Adriani *Lamespringe* Præpositus, sicut bonus Paterfamilias, pro sua congregatione sollicitus, munimina & defensiones, quas Episcopi solent & possunt contra tales injurias Ecclesiis conferre, devote & diligenter a nobis requisivit.

Nos itaque illius petitionem, quæ justa fuit & provida, benivole exaudientes, prædictæ Ecclesiæ in cunctis redditibus suis, quos hactenus legitime possedit in villis, in campis, in pratis in sylvis, in molendinis, in aquarum decursibus, & in omnibus aliis, quæcumque & ubicumque fuerint, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & beati Petri Apostoli, firmam pacem in præsenti, & in futuro constituimus, ita ut prorsus nemo in suis possessionibus aliqua injuria ipsam inquietare præsumat. Possedit autem hactenus legitime, & jure proprietatis prædicta Ecclesia in ipso territorio Lammespringe mansos XV. cum cæteris attinentiis. In Liermunde X. & IX. Brunenshusen VII. Elbereshusen V. Hildolveshusen IV. Redingelhusen VII. Eckehardeshusen v. Inelesheim IV. Ledenem x. Hadageshusen II. Evenhusen x. Gothlerode VII. Holthusen VI. Siligem I. Pithele I. Quicbornen IV. Gistorp II. Magedefelde III. Herbergen VII. Stidigem III. Brunesrode VI. Edemesheim I. Item in Thuringia, in Elverichesrode, & Elvede v. Possidet insuper prædicta Ecclesia juxta Netham fluvium molendinum I. in Liermonde II. Diseldisheim I. Cedenem I. Et hæc nomina villarum, quarum decimas nostri prædecessores prædictæ contulerunt Ecclesiæ, ut perhennem consolationem matris haberet filia: Lamespringe, Liermunde, Holthusen, Vualdersheim, Getherode, Cedenem, Evenhusen, Northilleth, Bruneshusen, Moleshusen, Pithete, Eilberneshusen, Redingeshusen, Eckehardeshusen, & Bantherem. Præterea possidet singulariter partim sylvæ, quæ Hevere vocatur, sub certis terminis usque Ischirenwellen & Marwech; Item, Reddingelhusen partem sylvæ, quæ appellatur Sundere; item Suvidereshusen sylvam qualis jam dicta est. In Leina locum piscationis, qui dicitur Wer. Quod autem omnia, quæ hic enarrata sunt, prædicta Ecclesia legitime possederit, illi sciunt, & noverunt, & testificari possunt, in quorum villis, aut vicinia, sita sunt.

Super

(a) Bernhardus Episcopus XX. Hildesiensis, suæ Ecclesiæ, & aliis multis per Diœcesin sparsis Ecclesiis liberaliter benefacit, & Ecclesiæ suæ jura strenue defendit. Obiit 1153. Ordinationis anno XXIII. sepultus in Ecclesia S. Godehardi a se extructa. *Chronicon Hildesheimense Leibnitii Tom. I. Script. Brunswic.*

Super omnes ergo prædictas possessiones prædictæ Ecclesiæ, autoritate Domini nostri Jesu Christi, & beati Petri Apostoli, firmam pacem in præsenti, & futuro constituimus: atque ut rata & integra omni ævo permaneat, virtute banni Episcopalis, quem Deus nobis concessit, & testimonio scripti & sigilli nostri diligenter eam firmamus, & corroboramus. Ita ut omnis, qui aliqua injuria vel aream, vel agrum, vel aliquid ex eis usurpaverit, ab omni communione Sanctæ Ecclesiæ sequestratus cum diabolo damnetur, nisi resipiscat.

Data, & recitata est hæc pagina in Monasterio S. Mariæ Hildesheimens. coram Ecclesia, in *Synodo generali.* Anno Dom. Incarn. MCXLIX. Indict. XIII. VI. Idus Octobris.

Testes hi sunt:
Reinoldus Majoris Ecclesiæ Præpositus.
Hermannus Decanus.
Burchardus Præpositus in Monte.
Bruno Presbyter Cellerarius.
Bertholdus Scholasticus.
Laici: *Berigerus*, & *Fridericus*, Comites.
Lieudolphus Advocatus.
Cono de *Hotten.*
Rothericus de *Eggesun.*
Arnoldus de *Barun.*
Volmar de *Hamelen.*
Volmarus de *Wackenstide.*
Hertwicus de *Asle*, & alii quamplures.

Ex Archæo Lambspringensi Schannatus b. mem. descripsit.

Narratio historica restauratorum aliquot Episcopatuum in Septemtrione.

ANNO CHRISTI MCXLIX. EUGENII III. PAPÆ V. CONRADI III. REGIS XII.

Curam restaurandi Episcopatus Septentrionales ab LXXXIII. annis vacantes, sibi hoc anno sumpsit Hartwicus Bremensis Archi-Episcopus, qui Alberoni defuncto anno MCXLVIII. jam plena potestate successerat, vir claritudine generis, & fervore proferendæ Christianæ Religionis, auctoritateque apud Principes eminens. Tres per Sclaviam Episcopatus *Aldenburgensem*, seu *Lubecensem*, *Mecleburgensem*, qui haud multo post *Suerinensis* fuit, ac deinde *Raceburgensem* restituit. Aldenburgensi *Vicelinum* Episcopum imposuit, virum, qui per XXX. annos in Holsatia & Wagria Sclavorum ex Apostolico munere versatus, id laboris constantia, fructuque Evangelii ante omnes promeruerat. Mecklenburgensi sedi præstitutus Suchardus, quem *Helmoldus* Emmerhardum, *Crantzius* Everhardum vocat: utrumque simul Episcopum consecrari jussit: missique sunt per hæc pacis tempora, *uti Helmoldus scribit*, in terram egestatis & famis, ubi sedes erat satanæ, & habitatio omnis immundi spiritus. Quemadmodum deinde *Vicelinus* Lubecæ, aliisque suæ Diœcesis locis templa, altaria & cœtus Christianorum restituerit ex Episcopi munere, quantoque fructu Regiones docendo, & barbaros ad fidem adducendo peragrarit; quibuscum ærumnis & periculis illi luctandum fuerit, multis *Helmoldus* & Scriptores Septentrionalium rerum exponunt.

Schatenus in Annal. Paderborn. ad h. ann.
Ex anonymi Historia Archiepisc. Bremens. à Lindenbrochio edita.
Ex Helmold Chronico Lib. I. C. 69.
Ex Alberto Stadensi.
Ex Crantzio Lib. V. Metropolis Cap. 24. 25. 26. 27.

SYNO-

1150. S. Henricus Finlandiæ Episcopus, cujus magnam partem Christo lucratus fuerat, grassatione impiorum necatus, Martyrii coronam accepit. *Joannes Olaus de rebus Gothicis Lib. XIX. Cap.* 3.

SYNODUS HALBERSTADENSIS IN GATERSLEVE,

SUB ODALRICO EPISCOPO,

ANNO CHRISTI MCL. EUGENII III. PAPÆ VI. CONRADI III. REGIS XIII.

Confirmante donationem Decimæ in Eringeroth, factam à Præposito S. Joannis Abbatiæ S. Michaelis, erga cambium duorum mansorum in Thietforde.

IN Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Ego Odalricus licet indignus Halberstad. Episcopus. Quoniam diabolicæ suggestiones & hominum impiorum iniquæ machinationes filios Dei perturbare & inquietare non cessant; convenit nostræ sollicitudini, pauperum Christi, prout scimus & intelligimus, curam gerere, & eorum paci & quieti non tantum in præsenti, sed & inposterum omni diligentia providere. Notum itaque sit omnibus Halberstadensis Ecclesiæ Filiis præsentibus, & futuris, qualiter ex petitione dilecti fratris nostri Fritthеrici Sancti Joannis in civitate Præpositi, nec non fratrum suorum, decimam quandam in villa, quæ dicitur Evingeroth, *juxta lapidem S. Michaëlis sitam*, quam fratres S. Johannis ex longa institutione in distributione præbendarum suarum habuerunt, Abbati S. Michaëlis, suisque fratribus, commoditati illorum intendentes, annuentibus fratribus in perpetuum concessimus. Ipse vero Abbas cum suis fratribus consentiente *Abbatissa Quidelinburgense*, suoque Advocato *Friderico Comite Palatino*, de prædio sui Monasterii duos mansos in minori Thietforde, Ecclesiæ S. Johannis pro eadem decima demisit. Hæc autem inconvulsa ut permaneant, præsenti scripto signantes, auctoritate nostra roboramus, & Episcopali anathemate firmamus. *Data Gathersleve* XVII. Kal. Julii. *in plena Synodo*. Anno Dominic. Incarnationis MCL. Indict. XIII. ordinationis autem meæ (*a*) anno primo, & hi designati testes de domo S. Stephani. Erpo Decanus, Conradus Camerarius, Henricus Presbyter, Fridericus Custos, Gero Diaconus, Egbertus Abbas Hajusburgensis. Burchardus Abbas Wimidoburgensis. Everwinus Pater Monasterii Hathemerslevensis. Erneboldus Pater Monasterii Sthuterlingeburgensis. Godescalcus Præpositus Caldenburgensis, Wernerus Advocatus, & alii quam plures.

Leuckfeld antiquitates Meichelsteinenses pag. 90.

Kettnerus in antiquitatibus Quedlinburgensibus pag. 177.

(*a*) Lentzen *in Diplomatica Historia Halberstad.* hanc epocham veram habet, & forte sub finem 1149. ordinatum fuisse censet.

SYNODUS SALISBURGENSIS,

SYNODUS RATISBONENSIS, SYNODUS BABENBERGENSIS.

ANNO CHRISTI MCL. EUGENII III. PAPÆ VI. CONRADI III. REGIS XIII.

Actum de Octavis B. M. V. & Doctrina Gerhohi Reicherspergensis, de gloria hominis in Deum assumpti, & in Deum nati.

ANNO MCL. Synodus quinque Episcoporum sub Eberhardo Archi-Episcopo apud Saltzburch habetur: *ait Chronographus Salisburgensis.* Quid ibi tracta-

tractatum sit, non constat. Sed alia Synodus eodem anno coacta *Ratisbonæ*; de qua *Joannes Craftus in Chronico ad hunc annum:* Beatus Eberhardus, sanctæ Saltzburgensis Ecclesiæ Archi Episcopus, in Synodo, quam Ratisbonæ *suffraganeis suis assidentibus* habuit, octavas Matris Mariæ beatæ instituit.

Eximiam ejus venerationem, qua Divam Virginem prosequebatur, adnotavit auctor vitæ Cap. IV. *Hujus*, inquit, *rei tot testes, quot decuriones Antistitis sunt. Omni petenti tribuere solebat, quod S. Mariæ nomine petitum fuisset. Ita ille*, qui & narrat visionem cujusdam de Cœnobio Juvavensi, quam post obitum *Eberhardi* vidit. Conspicatus est Virginem Deiparam, quæ velut puerum in gremio quendam charis amplexibus tenebat. De quo, quum Monachus hæsitaret, audivit eam ita loquentem: *Hic est filius meus Eberhardus, qui nihil mihi unquam negavit.*

Anno MCLI. Eberhardus fuit *Babenbergæ*, ubi Gerhoho Præposito Reicherspergensi dedit privilegium de rivo Senfftinbach per terram Ecclesiæ suæ ducendo. *Dat. VIII. Kalend. Octobris.* Duæ videntur causæ Eberhardum veniendi Babenbergam impulisse: prima dissidium inter monachos Biburgenses, & eorum Abbatem Conradum, quo in negotio diu, multumque Archi-Episcopus cum Episcopo Babenbergensi, sed frustra laboravit. Altera causa fuit doctrina Gerhohi *de gloria hominis in Deum assumpti & in Deum nati*; in qua diversos, & graves contradictores, atque impugnatores per omnem vitam suam a juventute habuit, *ut scribit Autor Chronici Reichersp. in vita Gerhohi.* Ea res in quæstionem Babenbergæ vocata, de quo Gerhohus *in lib. de Gloria & honore filii hominis*, quem *EBERHARDO* inscripsit, *cap. XV. ita memorat :*" Æmuli mei " hoc diffamarunt, quod ego in con- " flictu Babenbergensi omnino defecerim, " quod falsum esse tu nosti, qui eidem " conflictui præsens adfuisti, quique, " ut offendicula quædam, exemplo beati " Augustini retractarem, post confli- " ctum illum rogasti, consulendo potius, " quam præcipiendo; idipsum quoque " consulente Domino Babenbergensi " aliisque. *Et infra*: Contentus, *inquit*, " ero judicio tuo, venerande Pater Eber- " harde, Juvaviensis Ecclesiæ Archipræ- " sul; cui, si quid rationabiliter displi- " cuerit in *hoc ipso tractatu meo*, paratus " ero, juvante gratia Dei emendare in " melius; quomodo & in cœteris opus- " culis meis, quæ tibi displicere cogno- " vero.

Contendebat Gerhohus hominem Deum, adorandum summæ venerationis adoratione, unà cum sua & in sua Divinitate; quâ homo ille non inter omnia, sed *super omnia* prædicatur ab Apostolo *Deus benedictus in sæcula.* Ita ipse in opusculo modo dicto *Cap. XII.* quæ sententia visa quibusdam accedere ad hæresim Eutichetis, duas in Christo naturas in unam confundentis. Inde pulsatus quæstionibus, appetitusque libellis a *FOLMARO* Præposito Trieffensteinii (seu *Petræ stillantis in Diœcesi Wirtzeburgensi*) homine pestifero (qui præsentiam Corporis Christi in Eucharistia negabat) ausus etiam mendacia sua & blasphemias contra Gerhohum effusas, ad Episcopum Pataviensem & Salisburgensem transmittere; ab utroque tamen contemptus, & ad nihilum deductus, *ut ibidem refertur.* Contra hujus Folmari errores *Apologeticum* scripsit Decanus Reicherspergensis, cujus Præfatio habetur *Tom. XXV. pag.* 312. *Bibliothecæ Patrum.*

Hansitz. Tomo II. Germaniæ sacræ in Historia Archiepisc. Salisburgensium.

SYNODUS METENSIS

ANNO CHRISTI MCLI. EUGENII III. PAPÆ VII. CONRADI III. REGIS XIV.

Stephanus, Dei gratia, Metensis Episcopus, Theoderico Hasteriensi Abbati salutem & benedictionem. Citat ad Synodum Metensem ob querelam dilapidati Monasterii.

HAsteriensis Cœnobii quidam fratrum se nobis præsentârunt, & quod eorum Ecclesia multis modis per vos minoratur, & bona ipsius per negligentiam

tiam vestram contra licitum distrahuntur, multum conquesti sunt. Quoniam igitur illius Ecclesiæ providentia ad nostrum spectat honorem, & illius defensio nobis specialius incumbit, vobis præcipiendo mandamus, quatenus *in proxima Metensi Synodo*, quæ *sequenti septimana post Missam omnium Sanctorum* celebratur, vos cum ipsis Monachis ante præsentiam nostram omni remotâ occasione veniatis, quatenus audita utriusque partis calumniâ, & defensione, utrimque servatâ æquitate inter vos nostra judicet discretio. Præcipimus insuper, quod inter eundum & redeundum Monachis conquerentibus necessaria stipendia ministrare non recuset vestra provisio.

Epistola CCLXXIV. Stephani Episcopi Metensis, Citatoria Theodorici Abbatis ad Synodum Metensem.

Martene Vet. Scriptor. & Monument. Collectio. Tomo XXII. pag. 453.

SYNODUS LEODIENSIS
OBLATA ANNO MCLI.

Conradus Rex petit ab Eugenio III. Papa, ut Herimanni Trajectensis Episcopi Electionem confirmet, & Comitem de Ara ab excommunicatione absolvat, paratum ad sistendum se Synodo, & purgandam calumniam sibi impactam, canonico judicio.

Dilectissimo Patri suo Eugenio, S. Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, CONRADUS Dei gratia R. Rex & semper Augustus, filialem per omnia dilectionem, & debitam in Domino reverentiam.

Vacante Trajectensi episcopatu post discessum piæ memoriæ *Heriberti* episcopi, misimus ad eamdem Ecclesiam legatos nostros cum mandatis, motus temerarios, qui in rebus hujusmodi suboriri solent, & direptiones rerum Ecclesiasticarum fieri, auctoritate nostra prohibentes. Mandavimus etiam ejusdem urbis Clero honoratis & populo, ut depositis partium studiis se se electioni futuræ in spiritu concordiæ & humilitatis præpararent, nec tale aliquid animositate certandi committerent, in quo libertas (a) electionis Canonicæ jus libertatis amittere convincerentur. Verum ipsi libertatem pietatis a Patribus indultam in velamen justitiæ assumentes, dissensionibus & ambitione rem totam perturbare ceperunt, & longo tempore tantum potestatis tam in spiritualibus, quam in sæcularibus rebus magnitudinem absque Rectore fluctuare permiserunt. Cæterum ad animum rediens majoris Ecclesiæ Præpositus, & ejusdem Ecclesiæ Decanus cum reliquo Clero & universis nobilibus, unanimi consensu in Dominum *Herimannum* Ecclesiæ S. Gereonis in Colonia Præpositum, virum scilicet integræ vitæ & probati testimonii convenerunt. Sed quidam ministeriales ejusdem Ecclesiæ tumultu facto, armisq; illatis coegerunt quosdam de eodem Clero denominare, & quodammodo eligere *Fridericum Præpositum S. Georgii in Colonia*, hominem videlicet infra ætatem & ordines: cujus ignorantia fautores ipsius ad subversionem Ecclesiæ abuterentur. Nos itaque de tantæ Ecclesiæ ruina compassione clementi dolentes, iterato misimus eis cum præceptis regalibus legatos, imperantes eis, quatenus omni occasione postposita mediante quadragesima, quæ transacta est, nostro se se conspectui præsentarent, accepturi ex Regio more contentionum finem, & urbis suæ Dominum, qui melioribus suffragiis juvaretur. Venit itaque præfatus Hermannus ad præsentiam nostram ut cum suis electoribus; sed illi, qui juvenem elegerant, juveniliter agentes, neque venerunt, neque canonicam excusationem, seu legitimam transmiserunt, nisi quod prædicti Friderici Præpositi, Comes videlicet A. absque attestatione Cleri & populi, & certis per Epistolas mandatis venit, & negotium differri postulavit. Verum nos adhibito *Episcoporum & Principum, & virorum prudentium ac religiosorum consilio*, consideravimus electores prædicti Hermanni Præpositi sanioris esse consilii de persona, a canonicis institutionibus non discrepante, quibus ex magno fervore assentiebant

(a) *vel* redundat, *vel* lege libertatem electionis canonicæ *seu* jus libertatis.

tiebant omnes nobiles ac præpotentes ejusdem terræ, qui Trajectensem Ecclesiam & in pace legibus honestant, & in bello armis defensant. Itaque quia in nostra præsentia nulla contradictio juxta juris ordinem huic electioni opponeretur, cum omnis Ecclesia in nostram præsentiam esset vocata, judicatum est *ab Episcopis & Principibus*, nullam nos debere moram probabilibus desideriis inserere, sed personam absque vi & ulla mala machinatione electam, & in sacris ordinibus ætate congrua inventam provehere. Deinde Celsitudinem Sacerdotii vestri, quam verâ in Domino charitate amplectimur, attente monendo rogamus, ut opus a nobis laudabiliter inchoatum benedictione sacræ manus vestræ perficere & confirmare non abnuatis, & labentis Ecclesiæ Trajectensis ruinam celeri benedictione fulciatis. Rogamus præterea Sanctitatem vestram pro nostro consanguineo Comite *de Ara*, quem quidam Clericus, nomine Jonathas, per surreptionem a vobis excommunicari fecit, quatenus eum a Leodiensi Episcopo absolvi faciatis, eo scilicet rationis moderamine, ut postquam fuerit absolutus, *Synodaliter* vocetur, & causa, quæ super quasdam Ecclesias inter eos agitur, *Canonico Judicio* decidatur.

Martene Scriptorum veterum Tom.XXII. pag. 483.

Eugenii Papæ Declaratoria ad Archi-Episcopos & Episcopos Germaniæ, quod Guicmannus a Cicensi Ecclesia ad Magdeburgensem Imperiali Friderici I. auctoritate nulliter translatus sit; præterito electo ab Ecclesia Magdeburgensi Gerardo. Eadem est Responsoria ad delationem Episcoporum Germaniæ.

EUGENIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS FRATRIBUS EBERARDO SALTZBURGENSI, ARTUVICO BREMENSI, ET HILLINO TREVIRENSI ARCHI-EPISCOPIS; EBERARDO BABENBERGENSI, HERMANNO CONSTANTIENSI, HENRICO RATISBONENSI, OTTONI FRISINGENSI, CONRADO PATAVIENSI, DANIELI PRAGENSI, ANSELMO [a] HAMELBURGENSI, ET BURCHARDO EICHSTADENSI EPISCOPIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Litteras, quas pro causa Magdeburgensis Ecclesiæ vestra nobis prudentia, delegavit, debita benignitate suscepimus. In lectione autem & cognitione earum stupore nimio, & admiratione repleti sumus, eo quod longe aliud in eis, quam vobis ex officio Pontificatus immineat, perspeximus contineri. Cum enim in Ecclesiæ vertice sitis ex Divina providentia constituti, ut de medio ejus, quæ fuerint nociva, propellere, quæ utilia, debeatis attento studio conservare: in causa ista sicut ex suggestione litterarum vestrarum innotuit, non quod expediat Ecclesiæ Dei, quod *sacrorum canonum sanctioni* concordet, quod exinde cœlesti arbitrio approbetur; sed quod terrenis Principibus placeat, attendistis, & qui eorum animis a minus recta deflectere debuistis intentione, atque ubi esset via Domini, demonstrare: non persuasistis, quod rectum est, nec stetistis murus pro domo Israël: quinimo ipsis (ut ait (b) Propheta) parietem ædificantibus, vos (quod sine grandi admiratione vix dicimus) *Linivistis illum luto absque palea.* Non ita sentiebat Princeps Apostolorum, qui ex fidei suæ confessione, ut totius Ecclesiæ fundamentum esse accepit; sed cominantibus sæculi filiis, & Apostolis, si prædicarent in nomine Jesu, mortis exterminium intentantibus, confisus de Domini virtute respondit: *Oportet* (c) *obedire magis Deo quam hominibus.* Vos autem, ne a terrenis videamini Principibus dissentire, illi causæ favorem vestrum impendistis, cui & Ecclesiasticæ auctoritas constitutionis, & supernæ voluntatis examen pro certo creditur obviare.

Cum

(a) *credo* Havelburgensi. (b) Ezech. XIII. [c] Act. V.

Cum enim *translationes Episcoporum sine manifestæ utilitatis & necessitatis judicio Divinæ legis oraculum non permittat*, cum etiam multo amplior, quam in aliis electionibus, Cleri & populi eas debeat prævenire concordia : in facienda translatione de venerabili fratre nostro *Guicmanno Cicensi* Episcopo nihil horum est, sed solus favor Principis exspectatur, & non inspectâ necessitate illius Ecclesiæ, nec consideratâ utilitate personæ, Clero nolente, immo (ut dicitur) ex parte maxima reclamante, in Magdeburgensi eum diciris Ecclesia supplantandum. Super quo tanto amplius admiramur, quanto persona illa, cujus gravitatis sit ac scientiæ, ab anteactis agnovimus, ac proinde, quantum Ecclesiæ illi sit utilis, non penitus ignoramus. Quoniam igitur, quicunque temporalis auræ flatibus agitentur, nos in illius petræ soliditate fundati, quæ in fundamento meruit Ecclesiæ collocari : sicut non debemus, ita nec volumus omni vento circumferri doctrinæ, aut a sacrorum Canonum rectitudine impulsu aliquo deviare : per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus causæ isti favorem ulterius non præstetis, & apud charissimum filium nostrum *Fridericum*, quem Deus hoc tempore pro servanda libertate Ecclesiæ in eminentiam Regni evexit, efficere vestris exhortationibus studeatis; ut & ipse a sua super hoc intentione desistat, & contra Deum, contra sacros Canones, contra Regiæ dignitatis officium, eidem causæ favorem suum ulterius non impendat, sed Ecclesiæ Magdeburgensi, sicut & aliis Ecclesiis Regni a Deo sibi commissi, liberam facultatem, quem voluerint secundum Deum eligendi, relinquat, & electionem ipsam postmodum favore suo (sicut decet Majestatem Regiam) prosequatur. Nos enim, si quod de supradicto fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati ejus, nec postulationi vestræ duceremus aliquatenus obviandum. Contra Deum autem & sacrorum Canonum Sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum. Datum Signiæ: decimo sexto Kalendas Septembris.

OTTO Frisingensis Lib. I. C. VIII. qui Fundamentum Friderici Regis hoc refert: tradit enim Curia, & ab Ecclesia eo tempore, quo sub Henrico quinto de investitura Episcoporum decisa fuit inter Regnum & Sacerdotium controversia, sibi concessum autumat, quod obeuntibus Episcopis, si forte in eligendo partes fiant, Principis arbitrii esse, Episcopum, quem voluerit, ex Primatum suorum consilio ponere, nec electum aliquem ante consecrandum, quam ab ipsius manu regalia per sceptrum suscipiat. *Baronius ad h. a. in Annal. Eccles. N. VIII.*
Martene Collect. amplissima Parte II. pag. 551.
Hardouin. Tomo VI. Concil. Parte II. pag. 1245.
Leuckfeld in antiquitat. nummariis Halberstadii pag. 75.

Extat alia Epistola Eugenii III. ad Capitulum Magdeburgense, in qua queritur, electum Præpositum suæ Ecclesiæ a septem Canonicis fuisse, sed Cicensem Cæsaris imperio in- & obtrusum fuisse Ecclesiæ Magdeburgensi.
Apud Martene & Durand. Tom. II. Collect. ampl. pag. 550.

Tertia Epistola Eugenii III. ad Hamburgensem Archi-Episcopum, qui electo faverat, refertur a *Staphorst. Hamburg. Ecclesiasticæ Historiæ Parte I. pag.* 536.

Eugenio mortuo succedit Anastasius IV. qui Legatum ad Cæsarem misit, Gebhardum; sed is a Friderico non videtur admissus. Dein Imperator Wigmannum a se nominatum Romam ire jubet. Ab Anastasii successore Hadriano IV. demum Pallium impetravit anno 1154. quo actualis Archi-Episc. Diploma dat Monasterio Paulini cellæ de Teloneo Salisb. in Hallis, anno primo Ordinationis suæ.
Ludewig reliquiæ MS. Tom. II. pag. 191.

SYNODUS COLONIENSIS
ANNO CHRISTI MCLII. EUGENII III. PAPÆ VIII. FRIDERICI I. REGIS I.

SUMMA. Arnoldus Archi-Episcopus Coloniensis compatitur Wicbaldo Corbejensi Abbati, quod ob iter ad Synodum Coloniensem anni 1152. *invasionem iniquorum passus sit.*

WIBALDO, DILECTO FRATRI SUO VENERABILI SANCTÆ CORBEJENSIS ECCLESIÆ ABBATI, ARNOLDUS DEI GRATIA, SI QUID EST, COLONIENSIUM HUMILIS MINISTER, SALUTEM CUM INTIMA DILECTIONE ET OBSEQUIUM.

ETſi familiaritatis noſtræ bene inchoatæ bene deinceps conſervatæ ſeries verbis exprimi non poſſit, paucis tamen de ipſa loqui, & ejus recordatione frui adeo ſuave eſt, ut ſenſu quidem intelligi poſſit, ſed in ſermone experimentum non habeat. Cum igitur omnibus adverſitatibus veſtris ex debito compatiar, maxime tamen & juſtius doleo id, quod cum *ad Synodum noſtram veneratis*, invaſionem iniquorum paſſus eſtis. Quidquid igitur ſuper his honori veſtro convenire videbitur, libenter perſequar, quouſque ſatisfactio condigna afferatur. Nunc autem, ne ſtatus noſter vos lateat, ſciatis, quod in obſidione caſtri Seyne poſiti ſimus, exitum rei adhuc ignorantes, & mentem Domini Trevirenſis quaſi in pendulo reputantes. Multa tamen tam timenda quam ſperanda auribus noſtris allabuntur, *ſed charitas foras mittit timorem*, *ſpes autem non confundit*. Noſcat Deus, qui ſcrutator omnium eſt quod non pro privato odio, ſed pro juſtitia & curæ paſtoralis debito violatores pacis proſequar. Neceſſe eſt enim, ut quia terra diu commota & conturbata eſt, ſanentur ejus contritiones. Nunc autem, quia omnes inimici pacis inimici mihi facti ſunt, obſecro orationes ab Eccleſia veſtra pro peccatis meis fieri, ut ſine quo nihil validum eſt, ejus adjutorio poſſimus ſubſiſtere. . . . Valete. Siquid aliud nobis occurrerit, vos non latebit.

Inter Wichaldi Abbatis Epiſtolas Num. CCCLXI.
Apud Martene Scriptor. Veter. & Monumentor. Collect. Tom.XXII.pag. 532.

Conſtantiæ Concordatum mutuum inter *EUGENIUM III. Papam, & FRIDERICUM I. Regem* *in Conſtantienſi Concilio.*

VENERABILI IN CHRISTO PATRI EUGENIO, DEI GRATIA, APOSTOLICÆ SEDIS PONTIFICI, FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR AUGUSTUS, FILIALEM DILECTIONEM, ET DEBITAM IN CHRISTO REVERENTIAM.

REgiæ Majeſtatis dignitas poſtulat, ut quæ ad pacis & concordiæ bonum ſpectare noſcuntur, attenta ſollicitudine (*a*) ſtabiliantur. Hujus itaque rationis proſpectu, concordiam inferius annotatam, quæ inter nos, & vos, Deo auctore, ſtatuta eſt, ſicut ab utraque parte ſtabilita eſt & ordinata, ne aliquid arbitrio noſtro immutaſſe videamur, per eadem verba præſentis ſcripti præcepimus (*b*) annotari.

In nomine Domini, Amen. Hæc eſt Concordiæ forma & Conventionis inter Dominum Papam *Eugenium*, & Dominum *Fridericum*, Romanorum Imperatorem, conſtituta, mediantibus: *Gregorio* S. Mariæ (*c*) in Trans Tyberim, *Ubaldo* S. Praxedis, *Bernardo* S. Clementis, *Octaviano* S. Cæciliæ, *Rollando* S. Marci, *Gregorio* S. Angeli, *Guidone* S. Mariæ in Porticu, Cardinalibus: & *Brunone* (*d*) Abbate de Claravalle, ex parte Domini Papæ.

Variantes Baronii ab Codice Vaticano, Schannato viſo.

(*a*) Stabilire, ut inter Sacerdotium & Regnum indiſſolubili charitate bonum ipſum perpetuo perſeveret, diligenti ſtudio & exacta diligentia laborare.

(*b*) præcipimus.

(*c*) *in*, abeſt a Baroniano exemplari.

(*d*) *Bernardo* pro *Brunone*, corrigit in margine Baronius. Male correctum vult Pagi, ſed pro *Claravalle*, legendum *Caravallenſi*: nempe Caravallis Abbatia eſt prope Mediolanum, cujus Abbas erat Bruno.

Papæ. *Anſelmo* vero (*) Havelbergenſi, *Herimanno* (*e*) Conſtantienſi Epiſcopis, *Olderico* de (*f*) *Lenzeburc*, *Guidone* Guerra, & *Guidone* (*g*) Blandratenſi, Comitibus: ex parte Domini Regis. Dominus ſiquidem Rex unum de majoribus Miniſterialibus Regni faciet in animam (*h*) Regis jurare, & ipſe propria manu, data fide, in manu Legati Domini Papæ promiſit, quod ipſe (*i*) Treugam, nec pacem faciet cum Romanis, nec cum *Rogerio* (*k*) Siciliæ, ſine libero conſenſu & voluntate Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ Eugenii, vel Succeſſorum ſuorum, qui tenorem ſupraſcriptæ concordiæ cum eodem Rege Friderico tenere voluerint: & pro viribus laborabit Romanos ſubjugare Domino Papæ, & Romanæ Eccleſiæ, ſicut melius unquam fuerunt a centum retro annis. Honorem Papatûs, & Regalia B. Petri, ſicut devotus & ſpecialis Advocatus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ contra omnes homines, pro poſſe ſuo defendet: & conſervabit, quæ (*l*) nunc habet; quæ vero nunc non habet, recuperari (*m*) pro poſſe (*n*) curabit, & recuperata defendet. Græcorum quoque Regi nullam terram ex iſta parte maris concedet, quod ſi forte ille invaſerit, pro viribus Regni, quanto citius poterit, ipſum ejicere curabit. Hæc omnia faciet ſine fraude, & malo ingenio.

Dominus vero Papa, Apoſtolicæ auctoritatis verbo, una cum prædictis Cardinalibus, in præſentia præſcriptorum Cardinalium (*o*) Domini Regis, promiſit & (*p*) obſervabit, quod eum, ſicut cariſſimum B. Petri Filium, honorabit, & venientem pro (*q*) coronationis ſuæ plenitudine, ſine difficultate & contradictione, quantum in eo eſt, Imperatorem coronabit, & ad (*r*) manutenendum, atque augendum, ac dilatandum honorem Imperii, pro debito officii ſui, juvabit, & quicumque juſtitiam & honorem [*s*] Regis conculcare aut ſubvertere, auſu temerario, præſumpſerit, Dominus Papa a Regiæ dignitatis dilectione præmonitus, eos ad ſatisfactionem canonice commonebit; quod ſi Regi, ad Apoſtolicam commonitionem, [*t*] honori Regio juſtitiam tribuere contempſerint, excommunicationis ſententia innodentur. Regi etiam Græcorum, ex iſta parte maris, terram non concedet; quod ſi ille invadere præſumpſerit, Dominus Papa viribus B. Petri eum ejicere curabit.

Hæc omnia, ex utraque parte, ſine fraude & malo ingenio ſervabuntur, niſi forte libero & communi conſenſu utriusque immutentur. Teſtes autem ſunt, quorum nomina (*u*) inferius recitantur:

Arnoldus, Colonienſis Archi-Epiſcopus.
Hermannus, Conſtantienſis Epiſc.
Anſelmus (*x*) Havelbergenſis Epiſc.
Arditio, Cumanus Epiſc.
- - - N. Curienſis Epiſc.
Ubaldus, (*y*) Stabulenſis Abbas.
Albertus, Colonienſis Decanus.
Magiſter *Henricus*, Notarius.
Godefridus Viterbienſis, Capellan. Regis.

Ex Laicis. (z)

Welpho Dux.
Marchio *Hermannus* de *Baden*.
Comes *Ulricus* de (*a*) *Lenzburch*.
Comes *Wernerus* de *Lenzburch*.
Anſelmus, Camerarius & Miniſterialis (*b*) Regni.

Signum Dom. FRIDERICI Rom. Imperatoris invictiſſimi.

Ego *Arnoldus*, Cancellarius recognovi.

Dat. *Conſtantiæ*, X. Kalend. Aprilis. Indict. XV. Anno Dom. Incarn. MCLII. Regnante Domino *Friderico* Rom. [*c*] glorioſo (*d*) Domino noſtro, Regni ejus I.

Ex codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ deſcripſit Schannatus bon. m.

Baronius habet ad annum 1152. *cujus variantes ab Vaticano adſcripſimus.*

Martene Script. veterum Tomo XXII. pag. 557. *eandem formulam deſcripſit.*

(*) *Hamelburgenſi*, corrigit in margine Baronius & Pagi, perperam uterque. *Havelbergenſis* recte ſcriptum. (*e*) *Hermanno.*
(*f*) *Zembruch*: in margine corrigit Baronius *Inſpruck*: melior videtur Lectio Vaticana, quæ ubique legit *Lenzenburch.* (*g*) *Baldratenſi*, Baronius.
(*h*) *in anima.* (*i*) *nec* recte addit Baronius. (*k*) *Rege* addit Baron.
(*l*) *quæ nunc habet*, omiſſa. (*m*) *recuperare* (*n*) *juvabit* pro *curabit.*
(*o*) *Legatorum*, non *Cardinalium.* (*p*) *obſervavit* (*q*) *coronæ*
(*r*) *manutenendum* (*s*) *Regni* (*t*) *de jure & honore Regni juſtitiam*
(*u*) *ſubſcripta videntur.* (*x*) iterum corrigit male in marg. *Hamburgenſis.*
(*y*) *Wibaldus*, melius legit Baron. [*z*] *quorum Vulpho Dux.* (*a*) *Luzenburch*
(*b*) *Regis.* (*c*) *Rege* (*d*) *Domino noſtro*, omiſſa.

Gregorius Cardinalis post mortem Papæ revocatus, convocat quosdam Episcopos ad WORMATIÆ Synodum, optatque frui præsentia Wibaldi coram Imperatore.

GREGORIUS, DEI GRATIA, S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS, ET LEGATUS, REVERENDO FRATRI WIBALDO, SUO UNANIMI AMICO, CORBEJENSI ABBATI SALUTEM.

LIcet fama mortis Domini Papæ nos turbaverit, tamen audita perfona fubftituti Domini Vicarii nos gaudio gavifi fumus, fcientes, illum antiquum Magiftrum Ecclefiam, & nos tanquam fe ipfum diligere, modis omnibus honorare. Verum, quia ab amicis noftris inftanter revocamur in fefto Michaëlis, *Bremenfem, Hildenesheimenfem, Mindenfem, Wormatiæ vocavimus*, quædem illis præcipere volentes. Unde ad Dominum Regem iterum vos libenter præfertem vellemus habere, ut quæ cum eo agere debemus, & in licentia fufcipienda tua nobis affifteret prudentia, & probitas nos Domino Regi commendaret.

Epiftola CCCXCI. Gregorii Legati Pontificii, Citatoria ad Conventum Wormatienfem cum aliis Epifcopis Germaniæ.

Apud Martene Tomo XXII. pag. 562.

Epiftola Bernardi & Gregorii Cardinalium ad Wibaldum Abbatem. Invitatoria ad colloquium Herbipolenfe.

BERNARDUS PRESBYTER ET GREGORIUS DIACONUS, DEI GRATIA, S. R. ECCLESIÆ CARDINALES ET LEGATI, DILECTO FRATRI WIBALDO CORBEJENSI ABBATI SALUTEM.

SIcut per alia fraternitati tuæ fcripta nos mififfe meminimus, ita denuo præfenti fcripto mandamus; quatenus proxima *quarta feria Herbipolim ad nos venias*, ubi eodem termino *cum Rege* fumus habituri colloquium. Quia vero Stabulenfem Ecclefiam vera in Domino charitate diligimus, & ad ejus utilitatem libenter intendimus, nihilominus tibi mandamus, ut ita ad nos paratus accedas, quod poft colloquium noftrum honefte ire ad eamdem Ecclefiam valeas.

Martene Scriptor. veter. Tom. XXII. pag. 562. *inter Wibaldinas CCCXCII.*

CONCILIUM WORMATIENSE

Anno Chrifti MCLIII. Eugenii III. Papæ IX. Friderici I. Regis II.

SUMMA. Primo in eo deponitur Henricus Archi-Epifc. Moguntinus, illique fubftituitur Arnoldus de Seleshoven. 2. *Henricus Mindenfis,* 3. *Burchardus Eyftadienfis Epifcopus deponuntur.*

I. REx Fridericus in proximo Pafchate Bambergæ Coronam geftans, duos Cardinales videlicet Bernardum Presbyterum, & Gregorium Diaconum, ad depofitionem quorundam Epifcoporum ab Apoftolica fede deftinatos, fecum

cum habuit : proximam deinde Pentecoſten *Wormatiæ* ferians, Heinricum Moguntinæ Sedis Archi-Epiſcopum, virum pro diſtractione Eccleſiæ frequenter correptum, nec correctum per eoſdem Cardinales depoſuit, ac Arnoldum Cancellarium ſuum per quorundam ex Clero & populo, qui illuc venerant, electionem ei ſubrogavit.

Ex Chron. Mogunt. Anonymi. Otto Friſingenſis.
Chronica S. Pantaleonis apud Eckhart. Chronographus Saxo.

Accuſatur apud Papam *Henricus*, quod ſonnolentus & inutilis eſſet, quod vir venerabilis cognoſcens, venerabiles nuncios pro ſua excuſatione ad ſummum Pontificem decrevit protinus deſtinare. Miſit ergo omnium ſuorum ſecretorum cognitorem, *Arnoldum* Clericum, quem ipſe paulo ante ad Præpoſituram majorem evexerat, tanquam eum, qui non poſſet immemor eſſe beneficii tam recenter obtenti. Erat autem Arnoldus miri ingenii & facundiæ, atque congeſtor infinitæ pecuniæ. Is itaque veniens ad Curiam Romanam, Pontificatumque ambiens Moguntinenſem, primum ſibi Cardinales pecuniâ favorabiles acquiſivit, deinde duos ſpecialiter pecunia corrumpens, qualiter de ſua propria promotione ageret, & poſtmodum conſummaret, cum illis familiariter pertractabat. Tandem ab illis inſtructus, deque ſua perſona certificatus, cœpit in ſuum Dominum accuſationis jacula dirigere, quem venerat excuſare. Breviter, tantum in ſua proceſſit audacia & effecit, ut duos legatos deſtinari peteret, hujus rei cognitores & judices, obtinuitque eoſdem ipſos a circumvento, & fraudis ignaro Pontifice, quos corruperat. Veniunt ergo legati Wormatiam. Henricus Archi-Epiſcopus citatus comparet. Nihil prætendere poterat pro ſe, quod admitterent legati judices. Igitur Henricum, laudabilem virum, ab Epiſcopatu amovent, Arnoldum ſubſtituunt. Dicebatur autem, quod Fridericus Imperator huic negotio aſſenſum præbuerit, ſed occultum. Venerabilis vir Heinricus tam manifeſta perverſitate turbatus, ipſos perverſos judices alloquitur in hunc modum : " Si ad ſedem " Apoſtolicam appellarem contra ve" ſtrum iniquum proceſſum, Papa for" ſan ipſe nihil amplius attentaret, & " nihil mihi accreſceret, niſi labor cor" poris, amiſſio rerum, afflictio Spiritus, " & eviſceratio mentis, & evacuatio " gratiæ ; appello ergo ad Dominum Je" ſum Chriſtum, tanquam ad judicem ju" ſtiſſimum, vos ad ejus tribunal citan" do. Ibi vobis coram ſummo judice me " reſponſurum promitto. Non enim ju" ſte, nec ſecundum Deum, ſed merce" de corporis, ſicut placuit, judicaſtis. At illi citationem factam quaſi ludibrium excipientes, cum tu præceſſeris, *inquiunt*, nos ſequemur.

Henricus ex Præpoſito majoris Eccleſiæ Moguntinæ Archi-Epiſcopus fuerat conſtitutus anno MCXLII. & a Rege in Franckenfurt inveſtituram accepit, præſentibus Cardinalibus Gregorio & Diewino, & per hunc Eugenius anno MCXLV. eidem Pallium miſit : S. Hildegardi, & S. Bernardo Clarevallenſi notus & laudatus : nihilominus a Canonicis, quos reprehenderat, falſis apud Pontificem criminationibus denigratus, a Legatis, pecuniâ corruptis, anno MCLIII. depoſitus fuit.

Hæc ex Dodechino Serarius pag. 815. 816. *primæ editionis.*

II. Item Henricus (*b*) Mindenſis Epiſcopus, dum propter Clericum quendam, qui in civitate a ſuis, ipſo, ut dicebatur, conſentiente, cæcatus fuerat, expurgare ſe non poſſet, multis exinde preſſus adverſitatibus, Epiſcopatum ſuum coram præfatis Cardinalibus renuntiavit, cui ſucceſſit Warnerus ejuſdem Mindenſis Eccleſiæ major Præpoſitus.

[*b*] Henricus hoc nomine Mindenſis Epiſcopus ex alieno Monaſterio ob prudentiam & devotionem poſtulatus Abbas, dein omnium votis Epiſcopus Mindenſis electus fuit. Sub eo duo Monaſteria condita fuere in hac Diœceſi, alterum Schinnæ trans Viſurgim, alterum Luccæ ad Leynam. Fratribus ſuæ Eccleſiæ contulit curiam amplam in Gehlenbecke: demum vocatus a Legatis Apoſtolicis Eugenii III. Gregorio & Bernardo ideo fuit, quod Clericum quendam oculis privari paſſus fuerat. Et cum factum nec negare, nec excuſare poſſet, ſponte ſe abdicavit Diœceſi, reverſuſque ad ſuum Monaſterium Burſfeldenſe eſt, ubi in pace obdormivit anno MCLIII. in craſtino B. Potentianæ Vir-

ginis poſtquam Eccleſiæ Mindenſi XII. annis cum laude præfuiſſet.

Ita Chronicon Mindenſe Buſonis Walenſtedii, editum a Franc. Paullini in Syntagmate.

Henricus Mindenſis Epiſcopus, dum propter Clericum quendam, qui in civitate a ſuis ipſo conſentiente (*ut dicebatur*) excæcatus fuerat, coram præfatis Cardinalibus Epiſcopatum renuntiavit, cui ſucceſſit Wernerus ejusdem Eccleſiæ major Præpoſitus.

Fellerus in trimeſtri Monumentorum ineditorum ex chronico veteri Colon. MS.

III. Forte in eadem Synodo Moguntina Burchardus Eyſtadienſis depoſitus fuit: quem *Bucelinus* tetro colore depingit, quod monachos ex Heydenheim exturbaverit.

IV. Bernhardum Hildenesheimen- Epiſcopatu abſolutum fuiſſe, & mortuum, ſucceſſore Brunone, *ſcribit Chronographus Saxo.*

Chronographus Saxo refert has depoſitiones Henrici Moguntini, & Henrici Mindenſis ad MCLV. & Concilium Wormatiæ habitum.

Otto Friſingenſis ad MCLII. uti & Chronicon Anonymum Moguntinum MS. ad Wormatienſem Conventum refert.

De Wormatienſis Concilii exitu hæc notanda:

REm refero, fratres, omnibus illius Sæculi notiſſimam. Mors venerabilis Henrici multis innotuit. Pervenit etiam ad aures illorum Cardinalium, qui ab Epiſcopatu eum amoventes, ſe promiſerant ſecuturos: & ludentes ad alterutrum, dixerunt: *Ecce præceſſit, ſuo tempore nos ſequemur.* Et ecce tranſit breve tempus, & ambo una die moriuntur. Nam unus ſedens in ſede naturæ, ut purgaret ventrem, omnia inteſtina ſua in cloacam ejecit: & animam miſerabiliter exhalavit. Alius manuum ſuarum digitos articulatim admordens, & de ore expuens, deformatis manibus, quaſi ſeipſum devorans expiravit. O Deus ultionum Domine! Deus ultionum Dominus, hoc eſt, juſtum exercens judicium. Et in his omnibus non eſt averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta. Audita ſunt hæc in terra noſtra & fama celebri divulgata, nec a quoquam aliud dicebatur, quam benedictus Dominus, qui Venerabilis Henrici juſte injuriam vindicavit.

Conradus in Chronico Moguntino relatus a Baronio. Sed Baronius confictam hanc ultionem opinatur, & argumenta quædam profert de longiore vita horum Legatorum Pontificiorum poſt 1153.

Epiſtola S. Bernardi Claræuallenſis Abbatis Apologetica pro Henrico Archiepiſcopo Moguntino.

DOminis & Patribus Reverendis, Apoſtolicæ ſedis Legatis, puer Sanctitatis eorum, Bernardus, Claravallis vocatus Abbas, per omnia Deo placere, & gratos fructuoſæ ſuæ legationis manipulos reportare.

Etſi corpore remoti, ſed affectu & bona voluntate vobis appropiavimus: optantes & orantes dirigi actus, & ſtudia veſtra ad omne, quod decet & expedit. Inde eſt quod audientes miſerandum illum Archi-Epiſcopum Moguntinenſem vocatum ad veſtram præſentiam, ibique reſponſurum adverſariis ſuis; auſi ſumus veſtram pro eo interpellare bonitatem. In hoc enim credimus honorificari miniſterium veſtrum, ſi quatenus ſalva juſtitia licet, parieti inclinato, & maceriæ depulſæ humeros veſtræ auctoritatis ſupponitis, nec calamum quaſſatum conteri, nec linum fumigans (quod in vobis eſt) extingui permittitis. Sentiat obſecramus, ſibi profuiſſe & precem noſtram & ſuam ſimplicitatem, ob quam fertur a falſis fratribus circumventus potius, quam inventus in aliquo dignus depoſitionis.

Inter Epiſtolas S. Bernardi No CCCII. Editionis Merlohorſtii pag. 124.

Serarius & Chronicographi Moguntini nihil niſi laude dignum de hoc Henrico I. ſcripto reliquerunt: Ejusdem ſupplantator, & Legatorum corruptor, & ſucceſſor Arnoldus, quam horribili mortis genere peremtus fuerit anno 1160. narrant *Dodechinus, Bruſchius, & ex iis Serarius Lib. V. pag.* 820. *rerum Moguntiacarum.*

Attexo

Attexo alteram Apologiam Henrici Mindensis Episcopi, ab iisdem Legatis depositi in Conventu Wormatiensi, scriptam a Wibaldo Abbate Stabulensi, & Corbejensi, viro sui Sæculi clarissimo:

Wibaldi Abbatis ad Arnoldum Archi-Episcopum Apologetica pro Henrico I. Episc. Mindensi, Coloniæ perperam accusato & Wormatiæ deposito. Congratulatur ei de victoria, interceditque apud eum pro Episcopo Mindensi.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI SUO ET DOMINO ARNOLDO S. COLONIENSIS ECCLESIÆ VENERABILI EPISCOPO, FRATER WIBALDUS, DEI GRATIA, ID QUOD EST IN ECCLESIA CATHOLICA, EXIGUAS ORATIONES ET DEVOTUM SERVITIUM.

LÆtati sumus in his, quæ dicta sunt nobis, & in domum Dni lætantes & gratias agentes ivimus, pro eo quod gloriosum de tyrannis & latronibus triumphum reportastis: qui ubique locorum ita peccatis facientibus nunc excreverunt; ut nulla Ecclesia, nullus omnino locorum, sacer aut laicus, ab illorum possit infestatione defendi. Quam quidem victoriam vestræ beatitudini Divina potentia in multos annos concedat. Vestræ autem Celsitudini notum esse volumus, quod in transacto *proxime beati Jacobi Apostoli festo Mindam rogatu Episcopi & petitione Cleri descenderamus*, ad compacandas & componendas dissensiones quasdam, quibus Episcopi & Cleri fuerat perturbata concordia. Et hæ quidem causæ non erant criminales, aut peremptoriæ, sed potius *de fundis* videlicet *de Molendinis*, de *paludibus*, de *compascuis*, de *hæreditatibus* & patrimoniis, pro quibus adversum se litigabant villici Episcopi, & villici Canonicorum, & quidam Clerici contra quosdam laicos. Erat hæc commotio paulo inflatior adversus Episcopum, pro eo, quod *in Concilio Coloniensi* (a) *accusationem cum gravi repulsa sustinuerat*, nullo tamen, quantum perscrutari potuimus, in tantum progrediente, ut illius excitati verbo & accusationi, vel etiam *querelæ Walderi ullo* patrocinii, vel testimonii modo vellet assistere. Siquidem *in eadem solemnitatis celebratione* prædictus Episcopus publice in pulpito Ecclesiæ denuntiavit excommunicatos esse, & anathematis sententiam protulit in eos, qui Clericum excaverant, & operam consilii vel auxilii in hoc maleficio adhibuerant. Omnibus itaque ex Divino beneficio in concordiam revocatis, tentavimus etiam *Waldero illi* pertinaciam suam in Episcopi vexatione dissuadere, sed & ipse multis audientibus asseruit, quod fide data esset a vobis prohibitus, ne pacem cum ipso reformaret. Quod nos, qui nobilitatem vestram, & mentis excellentiam jam dudum novimus, nequaquam credere potuimus, *ut suffraganeo vestro*, qui Metropoli devotus semper militavit, & personam vestram præ omnibus dilexit, & honoravit, hanc velletis inferre contumeliam, ut causam ipsius, quam ex Judicio terminare propter importunam accusatorum insolentiam non potuistis, per concordiam finiri non pateremini. Novit enim eruditio vestra, quorum consilio, quave disciplina iidem adversarii Episcopi Judicium vestrum, quod suffraganeorum & Ecclesiæ vestræ testimonio & assensu erat subnixum, recusare præsumserunt, quo ordine *quibusve induciis datis appellaverunt*, sicut ex transcriptis eorum libellis considerare poterit vestra discretio, retentis apud nos eorum exemplaribus. Et licet, ut prædictum est, plane sciamus, animi vestri magnitudinem in tam viles & abjectas meditationes nequaquam decidere potuisse, ut cum jam dicto *Waldero* tam enormes conditiones inire deberetis; pro familiari tamen & intima dilectione, qua sanctitatem vestram longo jam tempore diligimus, admonere coronam vestram non dubitamus, *apud Dominum Mindensem, & Ecclesiam ipsius* ab hac suspicione gloriam vestram liberare non dedignemini. Auxit enim metum Episcopo literarum vestrarum, *quæ Domino Papæ scriptæ sunt*, *inspecta series*, quæ pro ipsius Innocentia nihil agere videntur, quas a vobis scriptas, sive perlectas omnino negavimus, ob hoc scilicet, quod intelligentia vestra bene notavit, hoc esse inferioris Judicis *officium*, ut cum ab

(a) Hujus Coloniensis Concilii acta, imo annus & dies desiderantur.

ab ipso ad superiorem fuerit appellatum, ita studeat actionis ordinem enarrare, ut æquitate servata neutri parti videatur favorem inclinasse. Quod in literis istis nequaquam factum esse cognoscetis. *Ego Walderus Dei gratia, Diaconus, & sanctæ Mindensis Ecclesiæ qualiscunque Canonicus, Papam appello, ipsius tutelæ me, & mea committens, ad quem te Henricum Mindensem Episcopum invito, pro violenta subreptione Decaniæ meæ, & pro aliis, quæ habeo contra te, responsurum nonis Septemb. Ego Vortlevius Subdiaconus appello te H. Mindensem Episcopum, ad præsentiam Domini Papæ de sacrilegio, eo quod tuo consilio & jussu exoculatus sim & plagatus. Diem statuo Kal. Octob.* Hujusmodi appellationes, imo vero confusiones, effractis foribus Episcopi, non absque sanguinis effusione in pavimento sunt projectæ, & sicut Episcopo non præsentatæ, ita, nec ab ipso visæ, quas quidem nos a manu Decani Ecclesiæ B. Martini in Minda eadem die suscepimus.

Inter Wibaldi Epistolas CCCLXV.

Apud Martene Scriptor. veter. & Monument. Tom. XXII. pag. 532.

SYNODUS CONSTANTIENSIS

ANNO CHRISTI MCLIII. EUGENII III. PAPÆ IX.
FRIDERICI I. REG. II.

SUMMA. *Divortium Friderici I. & Adelheidis.*

FRidericus Imperator reliquit uxorem suam Adelheidam, Filiam Marchionis de Vochburg, ob consanguinitatem. (*a*) Anno 1153. apud urbem Constantiam (*b*) hoc divortium factum fuisse coram Legatis Sedis Apostolicæ, scribit Otto Frising. (*c*) judicio & consilio Archi-Episcoporum & Episcoporum. (*d*)

Adelheide relictâ nuptias appetiit Principis Mariæ, Filiæ Isaaci Imperatoris Constantinopolitani: in quem finem Anselmus Havelbergensis Episcopus, & Alexander de Apulia, ab Imperatore Constantinopolim Legati fuêre, ubi occasionem habuit Germanus Episcopus eruditissimi Colloquii polemici cum Episcopis Orientalibus instituendi de discordia doctrinæ inter Orientales & Occidentales Episcopos: quod *in Spicilegio Dacherii* impressum est. Hoc tamen matrimonium ad effectum deductum non fuit.

Anno MCLVI. Beatricem, filiam Rainaldi Burgundiæ Comitis, in thalamum Regium accivit post Pentecosten. (*e*)

(*a*) Otto Frisingensis Episcopus, & Gunterius Ligurinus. (*b*) Dodechinus.
[*c*] & Albertus Stadensis apud *Schilterum.*
(*d*) *ait* Albericus Monachus trium Fontium.
[*e*] Unde in populo Dei scandalum gravissimum sequitur & variæ locutiones. Epiphonema est *Trithemii in Chronico Hirsaugiensi ad a.* 1156.

SYNODUS AUGUSTANA

ANNO CHRISTI MCLIV.

SUMMA. *Lis orta inter Ecclesiam Aichensem, & Abbatissam cœnobii de Kuebach, a Chonrado Episcopo Augustano in Synodo solemni decreto componitur.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Anno MCLIV. Incarnationis Domini, Indict. III. XV. Kal. Octob. Regnante Friderico Rege Glorioso. Ego *Conradus*, Augustensis Ecclesiæ Episcopus licet indignus *in generali Capitulo cum choro majoris Ecclesiæ, ac sex venerabilibus Abbatibus, ac undecim Regularibus Præpositis, ac innumera multitudine Clericorum* justitiæ devotæ (*a*) faventibus; Cum Dominus Abbas S. Udalrici *Heleto*, & Palatini Comitis in hoc negotio missi Vicarii, contestata lite, per patronos causarum pro Ecclesia *Aichina* adversus Dominan Abbatissam de Chuebach *Adelhaidin*, cœperunt litigare, volentes prædictam Ecclesiam, quasi matricis

(*a*) *forte* devotè.

cis Ecclesiæ Aichan filiam comprobare : . . . Cœterum Domina Abbatissa Ecclesiæ prædictæ libertatem ac matrem per se justitiæ firmitate & veritatis tenore credibili testimonio comprobavit ; quorum testium nomina hæc sunt *Minhart* , *Otto*, *Dietmar*, *Conrad*, *Udalrich*, hi erant Presbyteri; *Merbotho* laicus : ea propter recognita justitia S. Magni Ecclesiæ prædictæ libertatem confirmamus ; & quicumque ausu temerario *Capituli nostri* decretum irritare voluerit, æternæ damnationis reum, excommunicationis perpetuæ vinculis eum innodamus. Signum propria manu nostra subscribimus.

Hundius in Metropoli de Cœnobio Sanctimonialium in Kuebach.

SYNODUS HALBERSTADENSIS,

ANNO CHRISTI MCLIV. ANASTASII IV. PAPÆ I.
FRIDERICI I. REG. III.

Memorata, in subjecta Epistola de loco Hanstede, ab Ecclesia Goslariensi possessa, ex Synodi Halberstadensis judicio.

ANASTASIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI ULRICO EPISCOPO, ET DILECTIS FILIIS CANONICIS HALBERSTADENSIS ECCLESIÆ, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

QUæ Canonico Judicio alicui Ecclesiæ est adjudicata possessio , & debet sine aliqua contradictione relinqui. Pervenit quidem ad nos , quod Ecclesia Goslariensis in loco , qui Hanstede vocatur , possessionem quandam *in Synodo Halberstadensi* ei adjudicatam obtinuit , quæ longo tempore violenter fuerit spoliata. Quia igitur injustum est, ut prædicta Ecclesia super hoc de cœtero infestetur , per præsentia vobis scripta mandamus , quanquam si aliqui injustitiæ forsitan amatores, jam dictam Ecclesiam pro eadem possessione inquietare decreverint , vos ab ipsorum infestatione memoratam Ecclesiam pro debito vestri officii defendatis , & faciatis ipsam possessionem pacifice possidere. Data Romæ apud S. Petrum XVIII. Kal. Julii.

(L.S.)

Refert hanc Epistolam Leuckfeld in Antiquitatibus Pœldensis Monasterii , in appendice IV. num. IX.

Anastasius IV. successit Eugenio III. anno 1153. VII. Idus Julii, obiit 1154. IV. Nonas Decembris.

Turegium, Helvetiæ urbs, & Germania ab Arnaldi Brixiensis erroribus per S. Bernardum & Hadrianum IV. Papam liberata.

CIRCA ANNUM CHRISTI MCLV. HADRIANI IV. PAPÆ II.
FRIDERICI I. REG. IV. IMP. I.

ARnaldus, Brixiæ in Italia natus, ab Episcopo suo ob turbas, Romæ, & in aliis Italiæ locis excitatas , accusatur apud Concilium Lateranense, II. Generale in Occidente , celebratum anno MCXXXIX. cui silentium imponendum Innocentius II. P.R. decernit.

Accusatur denuo apud Papam de schismate inter Populum & Clerum suscitatæ, ob quam causam Brixia expulsus fuit & compulsus ad juramentum, non revertendi in patriam , nisi Apostolicæ Sedis permissu.

In Franciam fugiens, ex eadem exturbatus fuit tum ob suos errores, tum quod Abaelardi sui magistri jam damnatos errores defenderet pertinaciter. Ex Italia & Francia proscriptus , in Germaniam

niam divertit, ad urbem Turegium (Zurich) ubi Doctoris titulum ſibi arrogavit, & pernicioſa ſua principia diſſeminavit.

S. Bernardus in vicina Burgundia Claræuallenſis Abbas accepta famâ, ad Epiſcopum Conſtantienſis urbis, in cujus Diœceſi Turegium erat, ſcripſit Epiſtolam, CXCV. inter editas a *Merlo Horſtio*, monitoriam, ut oves a lupo protegeret. Anno MCXLIII. ſimilis argumenti Epiſtolam dedit ad Guidonem, qui eum ſerpentem in ſua familia ignarus mali alebat.

Anno MCXLIII. comperta Innocentii II. morte, & forte animadverſis Literis S. Bernardi, Turegio Romam clam rediit, & graviorem ſeditionem excitavit. Nil enim populo gratius auditu, quam in Clericorum opes, quas injuria poſſideri, & teneri, Arnaldus dogmatizabat, involare; cujus ſpecimen dedit, dum Cardinalem Gerardum in publico Romæ aggreſſus eſt, & vulnere ſauciavit.

Hadrianus IV. facto intellecto interdixit & proſcripſit Arnaldum, ſed fruſtra. Imperator Fridericus eodem nuntio perculſus, hominem in Tuſciæ finibus errantem in vincula conjici juſſit, ſuoque examini ſiſti, uti tumultus popularis autorem.

Hadrianus Papa hoc comperto duos Cardinales Gerardum & Gregorium ad Imperatorem ablegavit, & hominem toties ab Eccleſia damnatum, ſibi extradi petiit: Imperator miſſis apparitoribus cepit unum de Vice-Comitibus, unde Arnaldus Cardinalibus extraditur.

Præfectus urbis Romanæ captum & convictum variorum ſcelerum in Deum, Eccleſiam, & Rempublicam, laqueo addixit: ſtrangulati cadaver rogo publico crematur, & cineres Tiberi injiciuntur, ne ſtolido popello idoli ſui venerandi occaſio relinquatur.

Hæc Gretſerus Tomo VI. operum novæ editionis pag. 603.

Ex coævis Scriptoribus Othone Friſingenſi, Gunthero Ligurino, S. Bernardo, Epiſtolis Pontificiis, & Canonibus Concilii Lateranenſis: quos & Illmus Baronius ſecutus eſt.

Errores Arnaldi hos Otho Friſingenſis Epiſc. recenſet Lib. II. de geſtis Friderici. C. 20.

Arnaldus è ſtudio in Galliis ſub Abaelardo, in Italiam revertens, religioſum habitum, quo amplius decipere poſſet, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, Clericorum ac Epiſcoporum derogator, Monachorum perſecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim, nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes, aliqua ratione poſſe ſalvari. Cunctaque hæc Principis eſſe, ab ejusque beneficentia in uſum tantum laicorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento Altaris, Baptiſmo parvulorum, non ſane dicitur ſenſiſſe.

Pagius in Critica Baronii ad 1139. *N. IX.* cenſet, Arnaldum de Brixia in Concilio Lateranenſis Canone XXIII. damnatum fuiſſe: ſed in eo nomen Arnaldi non legitur, nec de ejus præcipuo errore mentio fit. Damnatum tamen in eo Concilio hunc errorem, nec Canoniſtæ, nec Hiſtorici dubitant.

Epiſtola Alexandri III. Papæ electi, Narratoria de violenta irruptione in Papalem Thronum Octaviani Anti-Papæ, ab Alexandro III. cum ſuis fautoribus excommunicati, VITANDI DENUNTIATORIA.

ALEXANDER III. EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI EBERHARDO, ARCHI-EPISCOPO SALTZBURGENSI, ET DILECTIS FILIIS ECCLESIÆ . . . ET UNIVERSO CLERO . . . SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

ÆTerna & incommutabilis providentia Creatoris Sanctam & Immaculatam Eccleſiam ſuam a ſuæ fundationis exordio, ea ratione & ordine voluit gubernari, ut unus ei Paſtor & inſtitutor exiſteret, cui univerſarum Eccleſia-

clesiarum Prælati absque repugnantia subjacerent, & ab eo nullatenus diffiderent. Qui vero Apostolis suis, pro eorum fidei firmitate, promisit, dicens: *Ego vobiscum* (a) *sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; ille procul dubio Ecclesiam suam, cujus Apostoli ipsi magisterium assumpserunt, sua promissione fraudari nullo modo patietur: sed eam in suo statu & ordine, licet ad instar naviculæ Petri aliquando fluctuare videatur, perpetuo faciet permanere. Unde &, quamvis hoc tempore tres falsi fratres (*b*) qui a nobis exierunt, sed de nobis non fuerunt, transfigurantes se in angelos lucis, cum sint ipsi satanæ, inconsutilem Christi tunicam, scindere & laniare laborant, Christus enim auctor & caput Ecclesiæ, eam velut unicam sponsam suam, provida gubernatione tuetur, & navem egregii piscatoris, licet quassatam a fluctibus, non permittit naufragium sustinere.

Porro, cum antecessor noster bonæ memoriæ, Adrianus IV. Papa, Kalendis Septemb. dum essemus *Anagniæ*, debitum naturæ solvisset, & e terris ad Cœlum, ab imis migrasset ad superna; eo Romam adducto, & II. Non. Septemb. in Ecclesia Beati Petri, præsentibus fere omnibus fratribus, satis honorifice, sicut mos est, intumulato, cœperunt fratres, & nos cum eis, secundum Ecclesiæ consuetudinem, de substituendo Pontifice studiosius cogitare, & tribus inter se diebus de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram insufficientem huic oneri, & tantæ dignitatis fastigio minime congruentem, omnes fratres quotquot fuerunt, tribus tantum exceptis, Octaviano scilicet, & Ivone de Sancto Martino & Guidone Cremensi (Deo teste, quod non mendacium fingimus, sed sicut est, meram loquimur veritatem) concorditer atque unanimiter convenerunt, & nos, assentiente Clero, & populo in Romanum Pontificem elegerunt, duo vero, Ivo scilicet, & Guido, quos prænotavimus, tertium, scilicet Octavianum nominantes, ad ejus electionem pertinaciter intendebant, unde & ipse Octavianus in tantam audaciam, vesaniamque prorupit; quod mantum, quo nos reluctantes & renitentes, quia nostram insufficientiam videbamus, Odo, prior Diaconorum, juxta morem Ecclesiæ induerat, tanquam arreptitius, collo nostro propriis manibus violenter excussit, & secum inter tumultuosos fremitus asportavit. Cæterum, cum quidam ex senatoribus tantum facinus inspexissent, ex eis unus, Divino Spiritu incensus, mantum ipsum de manibus eripuit sævientis: ipse vero ad quendam Capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat & paratus, illico flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans & innuens, ut mantum, quem secum portaverat, festinanter afferret: quo itaq; sine mora delato, abstracto pileo & capite inclinato, cunctis fratribus aut loco, aut voluntate remotis, mantum per manus ejusdem Capellani, & ejusdem Clerici sui ambitiosus recepit, & ipse, quia non erat alius, in hoc opere Capellano & Clerico extitit coadjutor. Verum, ex Divino Judicio credimus contigisse, quod ea pars manti, quæ tegere anteriora debuerat, multis videntibus & ridentibus, posteriora tegebat: & cum ipse idem hoc studiosius emendare voluisset, quia caputium manti, extra se raptus invenire non poterat, collo fimbrias circumduxit, ut saltem mantus ipse quomodolibet appositus ei videretur. Sicque factum est, ut sicut cœcæ mentis erat & obliquæ intentionis, ita ex transverso, & obliquo mantum fuerit, in testimonium suæ damnationis, indutus. Quo facto, portæ Ecclesiæ, quæ firmatæ fuerant, reserantur, & armatorum cunei, quos, sicut ex re apparuit, pecuniæ largitione conduxerat, evaginatis gladiis cum immenso strepitu concurrerunt, & pestis illa mortifera, quia Cardinales & Episcopos non habebat, armatorum caterva militum vallabatur. Fratres vero facinus tam immensum, & a sæculis inauditum, exinsperato videntes, & formidantes, ne a conductitiis militibus trucidaren-

(*a*) Matthæi XXVIII.
(*b*) Octavianus Anti-Papa dictus Victor IV. a factione Petri Leonis Anti-Papæ defuncti Cardinalium electus: Joannes de S. Martino, Guido Cremensis.

darentur, ſeſe in munitiones Eccleſiæ nobiſcum pariter receperunt, ibique IX. diebus continuis, ne exinde libere exiremus, fecit nos, quorundam ſenatorum aſſenſu, quos pecunia oblata corruperat, diu noctuque armata manu cum omni diligentia cuſtodiri. Sane, omni populo inceſſanter acclamante, & in ſenatores, pro tanta impietate, multa immanitate fremente, de cuſtodia ſumus illius munitionis erepti: ſed in arctiori loco trans Tyberim nos iidem ſenatores, recepta inde pecunia, poſuere, cumque ibidem moram ferme per triduum feciſſemus; univerſo populo tantam proditionem atque malitiam nullatenus ſuſtinente, ſenatores cum nobilibus & populo venientes, nos, & fratres noſtros per urbem magnifice & honorifice, immenſis laudibus & præconiis, campanis etiam ubique in tranſitu noſtro pulſis, conduxerunt: & ſic tandem a violentia erepti, noſtræ redditi libertati, *ſequenti die Dominico* venerabilibus fratribus G. Sabinienſi; Hub. Hoſtienſi; S. Portuenſi; Gualt. Albanenſi; J. Signienſi; & B. Terracinenſi, Epiſcopis, Cardinalibus quoque, Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scrinariis, Primicerio, & ſcola Cantorum, nobilibus etiam, & quadam parte de populo urbis, apud *Nimpham*, non longe ab Urbe, ſimul congregatis, munus conſecationis accepimus, &, ſicut in Romana Eccleſia conſuetudinis eſt, ibidem Pontificali Regno magnifice ſumus coronati. Cæterum prædictus *Octavianus*, cum pro conſecratione ſua, dum & in Urbe eſſet, & poſtquam latenter urbem exivit, multos Epiſcopos convocaſſet, nullum prorſus, præter unum Feretinum, habere potuit pro ſua temeritate & veſania confirmanda. Quoſdam tamen Epiſcopos Imperialibus minis, quoſdam violentia laicali, quosdam vero pecuniis & blanditiis, allicere voluit: ſed nihil, Domino impediente, profecit. Verum Guido, & Ivo, cæcitatis tenebris obvoluti, a ſua damnabili præſumptione non reſipiſcunt: ſed eundem Octavianum, quem ſibi in ſtatuam erexerunt, obſtinata perfidia venerantur, & eum, relicta unitate Eccleſiæ, præſumunt uſque adhuc, tanquam Idolum, adorare; ipſe autem Antichriſti tempora præfigurans, uſque adeo erectus eſt ſupra ſe, ut & in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.

Sane nos infirmitatem noſtram, & virtutum indigentias cognoſcentes, noſtrum jactamus in Domino cogitatum, ſperantes, & de Chriſti miſericordia confidentes, quod Eccleſiam ſuam ſanctam, pro qua ipſe idem in carne mortalitatis noſtræ apparuit, ut eam ſibi non habentem rugam, neque maculam exhiberet, optata faciet tranquillitate lætari. Nunc igitur, quia nos de meritorum qualitate diffidimus, ac de honeſtate & religione *veſtra* plenam fiduciam obtinemus, veſtris, ac univerſalis Eccleſiæ, precibus infirmitatem noſtram petimus adjuvari, caritatem veſtram per Apoſtolica ſcripta rogantes, & admonentes intentius, ut, ſicut Viri Catholici, vos pro domo Dei muros inexpugnabiles opponatis, & in devotione matris noſtræ Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ immobiliter perſiſtentes, ab ejus unitate nullatenus recedatis. Quod ſi prædictus vir iniquitatis, ad partes veſtras aliqua damnationis ſuæ ſcripta transmiſerit, ea, ſicut reſpuenda ſunt, reſpuatis, & tanquam vana & ſacrilega contemnere ſtudeatis. Noverit inſuper diſcretio veſtra, quod nos ſupradictum Octavianum apoſtatam & ſchismaticum, in octavo die a conſecratione noſtra, (hunc enim ei terminum reſipiſcendi & ad unitatem matris Eccleſiæ redeundi, præfiximus) tanquam inobedientem & contumacem, & illos, qui ei manus præſumpſerint, non dico conſecrationis, ſed execrationis, imponere, de communi Fratrum noſtrorum, & Epiſcoporum, & Cardinalium voluntate & conſilio, accenſis candelis, & cœtu Clericorum in Eccleſia congregato, vinculo *anathematis*, & excommunicationis aſtrinximus, & eos cum ſuo authore diabolo condemnavimus: duos vero jam dictos fautores ejus, videlicet: Ivonem de Sto Martino, & Guidonem Cremenſem, & Ferentinum Epiſcopum, qui ei præſumunt pertinaciter adhærere, aliosque complices, & principales coadjutores ejus, & omnes, qui ſcienter eis communicaverint, eidem excommunicationi & condemnationi decrevimus ſubjacere.

Ex veteri codice MS. Vaticano N. 6024.
deſcripſit Cl. Schannatus b. mem.
Baronius Tomo XII.

Epi-

Epiſtola Cardinalium XIV. qui Alexandrum III. elegerunt, ad Fridericum Romanorum Imperatorem, *extat apud Radevicum Lib. IV. Cap. LVII.*

Epiſtola Cardinalium, qui Octavianum ſeu Victorem Anti-Papam elegerunt, ad omnes Patriarchas & Prælatos. *Extat apud Radevicum Lib. IV. Cap. LVI.*

Epiſtola Alexandri Papæ, Venerabili fratro Gerardo EPISCOPO, & dilectis filiis Canonicis Bononienſis Eccleſiæ, & Legis Doctoribus, cæteriſque Magiſtris Bononiæ commorantibus, Nuntiatoria de ſua electione, & de Octaviani obtruſi Anti-Papæ violenta ambitione. *Radevicus Lib. IV. Cap. LV.*

FRidericus Imperator, audiens utrumque electum, in Epiſcopatus ordine conſecratum, alterum ab altero excommunicationis ſententia damnatum, ſine judicio Eccleſiæ controverſiam terminari non poſſe judicavit.

Auctoritatem autem congregandi Concilii exemplo antiquorum Imperatorum, verbi cauſa Juſtiniani, Theodoſii, Caroli, SIBI congruere putans, litiſque deciſionem legitimam eſſe non poſſe, niſi partibus hinc inde congregatis conſiderans, ad citationem amborum Alexandri III. & Victoris IV. venerabiles Viros & prudentes, Danielem Pragenſem, & Hermannum Ferdenſem EPISCOPOS dirigit cum literis.

Epiſtola Imperatoris ad Rolandum Cancellarium & cæteros Cardinales de ſchismate hoc, *Radevicus Lib. IV. Cap. LIX.*

Friderici EPISTOLA ad Epiſcopos Transmontanos.

Fridericus - - - Hermanno Brixinenſi EPISCOPO. *Radevicus Lib. IV. Cap. LX. toto.*

Papiæ indixit Conventum, ſeu generalem Curiam in octava Epiphania anno 1160. Invitavit primo omnes Imperii ſui, & aliorum Regnorum, Angliæ, Franciæ, Ungariæ, Daciæ Archiepiſc. Epiſcop. Abbates.

Concilium apud Papiam deſcribit *Radevicus Lib. IV. Cap. LXVIII.*

Sententiam Concilii Papienſis pro Victore. *Cap. LXIX.*

Epiſtola Canonicorum S. Petri ad Concilium pro electo Victore. *Cap. LXX.*

Actio Concilii Papienſis verbis ſimplicibus. *Cap. LXXI.*

Fridericus Imperator ratificat electionem Victoris. *Cap. LXXII.*

Epiſtola ENCYCLICA Imperatoris de electione ratificata. *Cap. LXXIII.*

Epiſtola Concilii. *Cap. LXXIV.*

Hæc acta fuere ab Imperatore extra Germaniam, ſed non extra Imperium.

Fridericus Imperator monet Eberhardum Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, ut inter duos Romæ electos, Alexandrum III., & Victorem IV. neutri aſſentiatur ante conſenſum Epiſcoporum Germaniæ, Franciæ, Angliæ, Burgundiæ: ad quos Cæſar Legatos miſerat de hoc negotio.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR, ET SEMPER AUGUSTUS, DILECTO ET FIDELI SUO, EBERHARDO VENERABILI SALTZBURGENSI ARCHI-EPISCOPO GRATIAM SUAM ET OMNE BONUM.

INtimamus dilectionis tuæ auribus, quod nuntium tuum ideo tam diu detinuimus, ut aliqua nova de negotiis noſtris, quæ per legatos noſtros Romæ tractabantur, per apices noſtros tuæ charitati panderemus. Cum autem eſſemus in eorum quotidiana expectatione, & interim nuntii Papæ cum ipſis de verbo pacis & concordiæ agerent, Divina providentia, quæ in ſui diſpoſitione nunquam fallitur, ipſum Papam (*a*) in nocte beati Egidii de medio tranſtulit; de cujus obitu litteras accepimus. Et vero ſubſtituenda neceſſario eſſet talis perſona,

(*a*) Adrianus Papa Kal. Septembris 1159. obit, qui inſcio & invito Cæſare pacem cum Wilhelmo Siciliæ Rege fecerat.
VII. Septembris eligitur Rolandus Cancellarius Romanæ Eccleſiæ ſub nomine Alexandri III. duo Cardinales cum EPISCOPO Tuſculano ſeceſſione facta, elegerunt Octavianum, dictum Victorem IV. uterque electus inconſulto Cæſare.

na, quæ ad univerſorum ſalutem fidelium, Eccleſiarum Dei ſtatum in unionem pacis reformaret, & ipſum Imperium ac fideles Imperii honeſtius tractaret. Pro electione Pontificis facienda jam in Romana Eccleſia *Partes eſſe* audivimus, & plurimum inde dolemus. Inde eſt, quod pro hujus rei novitate tibi nuntianda, nuntium tuum dilectioni tuæ remittimus, fidelitatis tuæ ſinceritatem commonentes intime, hortantes, & quam maxime rogantes, ut ſi forte pro aliquo Romanæ Sedis Electo aſſenſus diſcretionis tuæ requiſitus fuerit, non ſtatim quaſi præcipitata ratione, vel nobis inconſultis favorem tuum adhibeas; ſed ne Imperium noſtris temporibus in ſe ipſum diviſum deſoletur, ad unitatem nobiſcum ſtudeas operam dare. Idem quoque tuis Suffraganeis & Coepiſcopis nunciandum attentius rogamus.

Præterea dilectionem tuam volumus non latere, quod juxta petitionem Regis Francorum, venerabilem legatum noſtrum, Papienſem Epiſcopum, prudentem, atque diſcretum, magnæque ſanctitatis virum, a curia noſtra transmiſimus, qui duo tanti nominis Regna Anglorum videlicet, ac Francorum, ipſosque Reges ad firmam pacem & ſtabilem amicitiam vice noſtra commoneat, auctoritate reformet, & ſupra firmiſſimum dilectionis & amicitiæ noſtræ fundamentum cum omni plenitudine & integritate ſtabiliat. Noveris etiam, quia hæc tria Regna in tantam noſtræ voluntatis & dilectionis unitatem inclinata firmabuntur; quia ex quo primum ſtabilita fuerunt, nunquam in tam concordi pace ligata manſerunt.

De cætero noſter prædictus legatus hoc verbum electionis de Romano Pontifice in cordibus eorum ita firmabit, ut ipſi una nobiſcum unum inde velint, ſapiantq; , nec in aliquam perſonam favorem ſuum tam ſubito ponant, niſi quam noſtrum trium unicus laudaverit aſſenſus. De his autem omnibus in Alemanniam, Burgundiam & Aquitaniam apices noſtros direximus, univerſitatem fidelium hoc ſcire volentes, quoniam ad Kathedram tanti regiminis, aliam perſonam nullatenus recipere intendimus, niſi quam ad honorem Imperii, quietem & unitatem Eccleſiæ, unanimi & concordi aſſenſu fideles elegerint. Poſt reditum vero legatorum noſtrorum quæcunque de negotiis Imperii & Eccleſiæ nobis attulerint, per majores nuntios noſtros fidelitati tuæ inſinuabimus, & ex conſilio diſcretionis tuæ univerſa tractabimus. Data in obſidione Cremæ XVI. Kal. Octobris.

Eodem tempore Eberhardus Babenbergenſis, qui apud Cæſarem erat, epiſtolam ad Juvavenſem, veterem amicum exaravit.

REVERENDISSIMO PATRI ET DOMINO EBERHARDO, S. SALTZBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI EPISCOPO, EBERHARDUS BAMBERGENSIS GRATIA DEI, SI QUID EST, EX TOTO CORDIS AFFECTU CUM ORATIONE SERVITIUM DEVOTISSIMUM.

Litteris veſtris, Reverendiſſime Pater & Domine, utinam tam veritatis quam charitatis judicio! magnificaſtis me ſuper me: ſed imperfectum meum viderunt oculi Domini, cui licet indignus audeo dicere: *O Domine, quia ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ.* Totum autem & eſſe & poſſe meum, vobis eſt, & erit, annuente Domino, quoad vixero, in ſervitium; ac de bono eſſe & ſtatu veſtro, tanquam de meo congaudeo. Nuntius veſter aliquamdiu detentus in expectatione Nuntiorum Domini, & Imperatoris, ut de pace & concordia Regni & Sacerdotii gaudium vobis annuntiaret, nunc oportet, ut referat, non qualia vellemus nos, ſed qualia vult Deus, videlicet de obitu Domini Papæ Adriani, qui anginæ dolore defeciſſe dicitur. Deinde proh dolor! de ſciſſura & diſſenſione Romanæ Eccleſiæ. Cancellario enim & aliis quibusdam Cardinalibus, Domino Bernhardo Portuenſi Epiſcopo adhærentibus, quem ipſe Dominus Papa in noviſſimis ſuis ſibi ſubrogaſſe & deſignaſſe fertur ex nomine: Tuſculanus Epiſcopus cum aliis novem (*b*) Cardinalibus valentioribus, Dominum Octavianum elegit in Apoſtolicum. Cives Romani alii in partes diviſi, alii adhuc ſunt penduli.

Lis

Lis tamen in urbe eſt, contentio & ſanguinis effuſio. A quibuſdam familiaribus Domini & Imperatoris adnuntiatum eſt, quod ab his, qui ſenatores dicuntur, Domino Papæ ſepultura non conceditur, quoaduſque Cardinales in Urbe conveniant, & exequiis rite celabratis, in electione ordine Canonico procedant. Veſtra nunc intereſt, ut nos & alii Principes populorum, congregati cum Domino Abraham, idipſum ſentiatis, DEO ante omnia, deinde Cæſari debitum deferentes honorem.

Hanſiz. Tomo II. Germaniæ ſacræ p.257. in Hiſtoria Archiepiſc. Salisburgenſ.

(*b*) Errat Babenbergenſis, qui in aula Principis tum verſabatur, nec Romanis turbis interfuerat. Non enim a novem Cardinalibus electus fuerat Octavianus, cum omnes, exceptis tribus, Alexandrum III. elegerint, ut conſtat *ex Radevico Lib. II. Cap. LI.* tum ex ipſa relatione Alexandri III, demum ex aliis coævis Scriptoribus. *Nota Hanſizii.*

SYNODUS MOGUNTINA

TURBATA MCLIX.

Anno Chriſti MCLIX. Alexandri III. Papæ I. Friderici I. Regis VIII. Imp. V.

POſtquam hujus infidelitatis profanus & nefandus rumor totam terram aſperſerat, in ſuperbiæ ſuæ perniciem ipſis exſtantibus Synodales dies adventabant. Dominus itaque Epiſcopus pro officii ſui debito ad celebrandam Synodum ſe accingens, contra eorum impetum perfidiæ in multo militum robore, eis invitis, civitatem ingreſſus, noluit abſque Judicio vendicare in ipſos, ſed ut pius & clemens, ad ſatisfactionem, cum eos repente poſſet delere, iterum iterumque invitans, *Synodum inſtantem* celeberrimo proſequebatur officio; ſed ipſi filii diaboli obſtinationem ſectantes, contra obſervabant opportunitatem, ut aſſultum in Synodo facerent, & Epiſcopum cum ſuis ex improviſo occuparent: ſed ubi fraus eorum impietati ſuæ effectivum proceſſum miniſtrare nequibat, ut interim majores ſibi paſſim vires accerſerent, rogabant ea, quæ pacis erant, offerebantque ſatisfactionem, ut ſententiam Synodalem & excommunicationem tali tergiverſatione evadere poſſent, interrogabat enim Dominus Metropolitanus Synodalem ſententiam, quid ſuper his definiendum foret? quia & contra eum & conjurationem feciſſent, & inſultum, molirentur cædem & perniciem totius Eccleſiæ & conturbationem, & præſentiam ſuam juxta canonicam conſuetudinem exhibere Synodo contempſiſſent? Quod cum in procinctu ſententia eſſet, differebatur in craſtinum, agentibus internuntiis, qui compoſitionem facere nitebantur. In craſtino vero ad tertiam uſque diei, nuntiis hinc inde crebreſcentibus, pacem tandem per ſatisfactionem devoventes, *publico congreſſu aulam Epiſcopalem & omne Concilium parabant invadere*, & ſtragem in Epiſcopum, ſuosque perficere: duxeruntque aciem ſuam tribus ordinibus, ut per medium civitatis dextra, ſiniſtraque congrederentur per turmas ſuas, cum gladiis & fuſtibus, contis, fundis, ſubibus omnique militia hominis, quos ruralis gleba tetris arcubus, fulgineaque cuſpide, obſcuro, fatiſcenteque clipeo, fulvis, aridiſque vexillis, quos cerdonaria, lictoria, marcellaria, clibanaria extrema præſtarat civitatis conditio. His igitur falangis, talibusque caſtris filii Megoti inſtructi, cum ſuis militibus contra Epiſcopum properabant, milites vero Epiſcopi ex adverſo feſtinantes (habebat enim ſexcentos milites optime loricatos, & omnes in armis fortiſſimos, abſque alia admirabili multitudine) in eos tranſire affectabant, & repentino in ipſos irruere interitu, & uno impetu eos trucidare; ſed Dominus Epiſcopus parcere multitudini volens, pauliſper in unum eos faciebat ſubſiſtere, & fuerunt, qui utrumque factum pacandum ſuſciperent, & ad hoc compoſitionis calculum, quod in-

fra XV. dies aut secundum gratiam, vel justitiam Domino Episcopo satisfacere deberent, erant enim majores & honestissimi viri terræ, quibus satis credendum fuerat.

Ex vita MS. Arnoldi Archi-Episcopi, quæ exstat in Codice MS. Bibliothecæ Collegii Moguntini Societ. JESU, descripsit Schannat. b. m.

Dodechinus ad annum MCLIX.

Adversarii Episcopi Moguntinensis *post festum S. Remigii* Synodum armata manu, ut eum exturbarent, ingressi, sed Comitibus cum suis, ad arma alacriter convolantibus, turpiter redire sunt coacti. Qua de re post festum *omnium Sanctorum* Episcopus Longobardiam petiit, super hoc Imperatori queremoniam facere: sed & adversarii ejus eundem haud segnes subsequuntur.

Anno MCLX. Imperator Episcopum Arnoldum audiit, tum etiam ex Clero Abbates quosdam & populum accusatores. Vindicta de Moguntinis acerrima decreta & sumpta fuit ANNO MCLXI. a Friderico I.

Serarius rerum Moguntiacarum Lib. V. pag. 820.

CONCILIABULUM PAPIENSE, VEL CURIA.

A. C. MCLX. Nonis Februarii. Alexandri III. Papæ I. Friderici Regis IX. Imp. VI.

SUMMA. Convocati a Rege Germaniæ, Angliæ, Franciæ, Italiæ Episcopi.

Accepto nuntio duorum electorum Alexandri tertii (a) *& Victoris quarti, misit duos e Regno suo nuntios ad Regem utrumque, nempe DANIELEM PRAGENSEM ET HERMANNUM VERDENSEM Episcopos, denuntians suarum virium non esse, hanc litem dirimere, Episcoporum judicio ad id opus esse, quibus in octavam Epiphaniæ Papiæ indixit Concilium.*

Alexander recusat hoc judicium: Victor venturum se promittit.

Imperator Fridericus Papiam venit cum Episcopis & Principibus, qui congregati erant; & in Nonis Februarii Curiæ & Colloquiis initium habetur, & per sex dies in hoc demorantur. Fuitque dissensio aliqua inter ipsos, quibusdam hunc, quibusdam illum Papam confirmare volentibus. Tertia itaque Idus Februarii, quia nec Alexander venerat, nec Legati ejus, nec aliquis pro parte ejus firmiter stabat, Imperator omnes Episcopos convocans, in hunc eos consensum deduxit, ut omnes VICTOREM Papam susciperent; & statim sequenti die II. Kal. Februarii (*lege II. Idus Februarii, ut ex contextu*) ab ipso Imperatore & Episcopis suscipitur, & inthronizatur in Monasterio S. Syri, Imperatore frænum equi, & stivam sellæ illius tenente, & eum de equo suscipiente; & ad altare una cum Patriarcha Aquilegiensi Piligrimo eum deducente.

Radevicus Lib. II. cap. 70.

Chronicon Reicherspergæ, dein Baronius & Pagi.

De Episcopis Germaniæ hæc adnotarunt *Schatenus*, *Crantzius*, *Hansizius*, aliique Catholici: Aquilegiensis Patriarcha Peregrinus, Eberhardus Babenbergensis, Pataviensis, Harthvicus Ratisbonensis, ita votum suum in hoc Conciliabulo temperârunt,

(*a*) Alexander antea dictus Rolandus, Cancellarius S. R. E. fuit electus a quinque Cardinalibus Episcopis, a XV. Cardinalibus Presbyteris vel Diaconis.

Octavianus a duobus electus fuit, & Alexandro electo mantum violentâ manu eripuit.

rârunt, ut rem integram impoſterum cenſuræ Catholicæ Eccleſiæ reſervatam vellent, nec ulterius Victorem IV. agnoſcerent, quam ſalva veritate relationis, factæ ad Conventum Papienſem.

Hartmannus Brixinenſis Epiſcopus, ſuum Metropolitanum Eberhardum, in civitate Vicentia gravi morbo correptum, & ideo Salisburgum redire compulſum, imitatus a Conventu Papienſi abfuit, uti & Albertus Friſingenſis.

Treverenſis Archi-Epiſcopus morbo itidem impeditus, Papiam non venit: Bernardus Epiſcopus Paderbornenſis nunquam Italiam intravit cum Rege, & ſenio confectus hoc anno MCLX. XVII. Kal. Auguſti obdormiit in Domino. Solus Hermannus Verdenſis ex Saxoniæ Epiſcopis interfuit, *ait Schatenus.*

Numerus Epiſcoporum a *Radevico & Urſpergenſi* amplior refertur, uti & a *Rege FRIDERICO* in ſuis Epiſtolis. Sed nonniſi paucos interfuiſſe veroſimilius eſt; & Archi-Epiſcopos Moguntinum, Rainoldum Colonienſem, Magdeburgenſem, Bremenſem, non tam *cum*, quam *pro* ſuis Suffraganeis acceptaſſe Victorem.

Helmoldus, horum temporum Scriptor, narrat, totum Orientem, Eccleſias Hieroſolymitanam, & Antiochenam, Franciæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Daniæ, & omnium Regnorum ubique terrarum Epiſcopos, Alexandro III. adhæſiſſe: totumque Ciſtercienſem ordinem cum ſuis Abbatibus, amplius ſeptingentis Imperatori reſtitiſſe, quos ille edicto propoſito ejecit, profugientes in Gallias.

Italiæ Prælati nulla ratione adigi poterant, ut Victori Anti-Papæ adhærerent. Hinc multi ſedibus ſuis expulſi exulabant. *Crantzius Lib. VI. Cap. XVIII.*

Errat Gobelinus, *Papienſe Conciliabulum referens ad* 1161.

CONVENTUS, SEU SYNODUS DIŒCESANA CREMISMUNSTERÆ,

A CONRADO EPISCOPO PASSAVIENSI HABITA,

ANNO CHRISTI MCLX. ALEXANDRI III. PAPÆ I. FRIDERICI I. REG. IX. IMP. VI.

Irimbertus S. Blaſii Admuntenſis cœnobii, Ord. S. Benedicti Monachus, ob præclaras & eximias animi dotes, & vitæ ſanctimoniam, poſtulatus eſt uno eodemque tempore in Abbatem, hinc a Conrado, Paſſavienſi Epiſcopo, pro Cremismunſterienſibus, inde ab Eberhardo Bambergenſium Epiſcopo pro S. Michaëlis civitatis ſuæ cœnobio; cui tandem conceſſus eſt, eo quod Cremismunſterienſes non ſatis in propoſito conſtantes videbantur. Unde & cauſa Synodi, ut ex ſequenti Epiſtola:

CONRADUS, DEI GRATIA, PATAVIENSIS EPISCOPUS, GERARDO VENERABILI ABBATI ADMUNTENSIUM SALUTEM, ET FRATERNÆ DILECTIONIS PLENITUDINEM.

SCire diſcretionem tuam congruum ducimus, quod III. Kalend. Junii ſuper controverſia, quæ diu agitata eſt, inter nos & fratres Cremesmunſteræ de electo eorum Irmberto, *Prælatos Eccleſiæ noſtræ in eundem locum convocavimus.* Ad hoc cauſa deducta eſt, quod de cætero nullam vocem habet, quæ admittenda ſit, contradicendi: quia appellatio, quam ad Dominum Papam fecerunt, omnino fruſtrata eſt, & nullum ſcriptum nobis reportaverunt. Inde eſt, quod ſummo opere vos rogamus, ut proxima quarta feria *poſt habitum Conventum Prælatorum noſtrorum,* nobis omni occaſione remota occurratis, & electum illum in locum, ad quem Deus illum vocavit, ubi & adventum veſtrum præſtolamur, vobiscum adducatis.

Hanſiz. Tomo I. Germaniæ ſacræ p. 318.

Alias Literas ejusdem argumenti ſcripſit Conradus ad eundem Abbatem, ſed irrito conatu: *Hanſiz eas refert Loc. cit.*

SYNODUS FRISACI IN CARINTHIA,

SUB EBERHARDO SALISBURGENSI ARCHI-EPISC.

Anno Chriſti MCLX. Alexandri III. Papæ II. Friderici I. Regis IX. Imp. VI.

ACTIO 1. Confirmatio & definitio Decimarum inter duas Parochias. 2. Approbatio doctrinæ Gerhobi de gloria Filii Dei.

PRincipio Septembris in oppido Friſaci Capitulum, ſeu Synodum habuit Eberhardus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis cum Romano Gurcenſi Epiſcopo, Hugone Præpoſito majoris Eccleſiæ, Godefrido Abbate Admontenſi, Romano Gurcenſi Præpoſito, Hecilone Abbate Oſciacenſi, Pilgrimo Abbate S. Pauli, Wernhero Præpoſito Seccovienſi; Chunone Præpoſito Subonenſi, Magiſtro Adelberto de Hoven, Hademaro Archi-Presbytero, Friſacenſi Plebano, Engelramo de S. Maria, Archi-Diacono Zolienſi, Otakero Archi-Presbytero de Viſcah.

ACTIO I. Inde movit ad caſtrum Epiſcopi Gurcenſis Strasburg, ubi pro termino decimarum Reicherſpergenſium in novalibus ſilvæ Putinenſis conſtituit fluvium Pincah. Datum in caſtro Strasburg, VIII. Idus Septembris.

EBERHARDUS, DEI GRATIA, JUVAVENSIS ARCHI-EPISC.

PRædeceſſorum ſtatuta juſta & rationabilia ſucceſſores debent inviolabiliter cuſtodire, maxime vero, ſi conducunt ad augmentum religionis & ſuſtentamentum Deo ſervientium. Ea propter nos conſiderata beatæ memoriæ Prædeceſſoris noſtri, *Chuonradi* Archi-Epiſcopi largitione, in decimis duarum Parrochiarum *Putinenſis* & *Bambergenſis*, atque novalium vicinorum, partim cultorum, partim excolendorum in uſum cœnobii *Richerspergenſis*, conceſſionem ipſius ratam habemus, & in perpetuum ratam volumus, & decernimus habendam. Quia in ejuſdem prædeceſſoris noſtri privilegio termini Auſtrales hujus donationis ambiguo nomine montis Harthberg ſunt præfixi: & exinde fuit occaſio contentionis inter collectores decimarum, nobis & prædicto cœnobio pertinentium; certiorem præfigimus terminum, videlicet fluvium, qui dicitur Pincah, uſque ad cujus ripam, novalia in ſylva Putinenſi ad præſens culta, & inpoſterum colenda, excepta canonica portione Plebanorum in decimis fructuum terræ, atque animalium, proveniunt in uſus fratrum, regulariter converſantium in præfato cœnobio. Quæcumque autem ſæcularis aut ſpiritualis perſona, quod a beatæ memoriæ prædicto anteceſſore noſtro pie ordinatum, & a nobis nihilominus pie ad cultum pietatis roboratum eſt, aliquo modo in irritum duxerit, atque in hoc præfatum cœnobium temere perturbaverit, & ſecundo ac tertio commonita non reſipuerit, iram Dei ſentiat in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvetur per veram pœnitentiam, ſine qua, ſi moritur, in ultimo examine reddet rationem coram ſummo judice. De ſalubri ſane diſpoſitione noſtra præſens pagina conſcripta, & ſigillo noſtro impreſſa. Data eſt in caſtro Strasburg, Indict. IX. VIII. Id. Septemb. Hujus rei teſtes & collaudatores hi ſunt, quorum nomina ſubnotavimus.

Romanus Gurcenſis Epiſcopus.
Hugo Præpoſitus maj. Eccleſiæ.
Godefridus Abbas Admontenſis.
Romanus Gurcenſis Præpoſitus.
Hecil Abbas Oſciacenſis.
Pilgrimus Abbas S. Pauli.
Wernherus Præpoſitus Seccovienſis.
Chuno Præpoſitus Subonenſis.
Magiſter Adalbertus de Hoven.
Hademar Archi-Presdyter, Friſacenſis Plebanus.
Engelrammus de S. Maria, Archi-Diaconus Zol.
Otaker Archi-Presbyter de Viſcah.

Et

Et Capitulum Frisaci habitum, cujus in audientia causa hæc fuit proposita, quo & annuente, per consilium rationabiliter acta est, prædicti cœnobii Præposito Gerhoho eligente potius consilium, quam judicium.

Chronicon Reicherspergense ad annum 1161.

ACTIO II.

IN eo Capitulo agitata fuit quæstio de *gloria & honore Filii hominis.* Quidam prudens apud semetipsum & in oculis suis magnus in Capitulo Frisaci habito protulit maledicta in eos, quia a fide sua, quam ibidem recitaverat, dissentirent. Alius quoque eidem consona loquens, magis scholastice, quam Ecclesiastice peroravit. Quibus pro tempore satis responsum est a duobus fratribus nostris, qui illic aderant.

Nam quod JESUM CHRISTUM professus est ex duabus naturis, & in duabus naturis existentem, Deo Patri æqualem, secundum Divinitatem, & minorem Patre secundum humanitatem, potest approbari, utpote sane dictum, & Catholicæ Fidei consonum. Sed quod homini assumpto negat Omnipotentiam, & cætera Divinitatis dona potiora [in quibus Deo Patri suo factus æqualis jam sedet & quiescit, conregnat in dextera ipsius Dei Patris] omnino consonat Pauli Samosateni & Nestorii, simulque Photini hæresibus in Ephesino Concilio damnatis.

Hæc Gerhohus in Libro de gloria & honore Filii hominis.

Hansitz Tom. II. Germaniæ sacræ p. 263. *in Historia Archiepisc. Salisburgens.*

Anno 1131. Gerhohum Reicherspergensem in Bajoaria Præpositum, scripsisse opusculum contra discipulos Petri Abajolardi, refert *Mabillon. Tomo VI. Annalium Benedictinorum Lib. LXXV. No. CXLVIII. pag.* 209.

CONVENTUS ERPHORDIENSIS ET FRANCOFORDIENSIS

ANNO CHRISTI MCLXI. ALEXANDRI III. PAPÆ III. FRIDERICI I. REGIS I. IMP. VII.

1. *Decernitur expeditio Imperatoris contra Mediolanum adjuvanda.*
2. *Excommunicantur Moguntini, parricidæ sui Archiepiscopi.*

ARnoldus Archi-Episcopus bellum in Moguntinos movens, cum in monte specioso exercitum præstolaretur, a Moguntinis in Monasterio S. Jacobi subito circumdatus, a plebe furente, Monasterio concremato, occisus est anno MCLX. in Nativitate S. Joannis Baptistæ.

Postea Episcopi & Principes super Regni negotiis conventum Erphordiæ celebrant, Trevirensis Archi-Episcopus, & Reinoldus Coloniensis electus, Withmannus Magdeburgensis Archi-Episcopus: Gerhardus Babenbergensis Episcopus, Merseburgensis, Citicensis, Misnensis Episcopi: Heinricus Dux Saxonum, Fridericus Dux Suevorum, Ludovicus provinciæ Comes, Conradus Palatinus Comes, Adalbertus Comes, Otho Marchio, aliique plures: ubi expeditionem in auxilium Imperatoris contra Mediolanenses conjuraverunt. Hic etiam Moguntinenses immanis (*a*) facinoris rei, super interfectione Episcopi sui, extinctione luminum execrantur, & communione privantur. Qui tam gravem sui casus damnationem parvi pendentes *Rudolphum*, Bertoldi Ducis Germanum, sibi præsulem elegerunt.

Quos contra Conradus Palatinus, ac Ludovicus Lantgravius apud Francfort *Suffraganeorum Episcoporum*, ac Trevirensis legati Apostolici præsentia, imo legatione freti, *Christianum* Mersburgensem Præpositum, paucis arbitris, Episcopum constituerunt; (*b*) hinc partim seditio exoritur &c.

In additionibus ad Lambertum Schaffnaburgensem a Monacho Erphordiensi.

(*a*) Vindicavit hanc mortem etiam Fridericus I. Imp. Anno MCLXIII.
(*b*) Schisma inter electos Ecclesiæ Moguntinæ.

CONCILIUM MAGDEBURGENSE

SUB WICMANNO, ABBATIBUS, ET CLERO.

Anno Chrifti MCLXII. Alexandri III. Papæ IV. Friderici I. Regis XI.

Confirmantur ex confilio Fratrum & pleno capitulo donata cœnobio Nienburgenfi, & commutationes cum Ecclefia Magdeburgenfi ac cœnobio Nienburgenfi.

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS.

WIGMANNUS, DEI GRATIA, MAGDEBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS.

QUoniam ex debito noftri officii pro informando Chriftianæ Religionis cultu, in quibus nondum eft locus nobis, omnimodis conftat enitendum, ità nihilominus pro jam fundato, ne deficiat, fed in augmentum bonæ Spei proficiat, follicite eft providendum.

Ea propter pie petitioni *Venerandi Arnoldi, Nienburgenfis Monafterii Abbatis* acquiefcentes, *ex confilio fratrum noftrorum* cæterorumque fidelium, omnem decimam *de Burchwardio, quod vocatur Stene fecus Mildam fluvium*, remotis *antiquorum fclavorum Colonis*, quæ Deo propitio nunc & in futurum juftis modis acquiri potuerit, *de fupra fcripto Burchwardio cum omnibus attinentiis fuis, & IV. villis Mufice, Chozice, Slorobe* nominatis, *Nienburgenfi Cœnobio*, in ufum Abbatis, fratrumque ejus, Chrifto, ipfiusque beate Genitrici famulantium, nunc & omnibus in futurum temporibus poffidenda legitima traditione donamus. Ea tamen interpofita conditione, ne quando cedat in beneficium alicui perfonæ. Ipfe autem venerabilis Abbas in mutua viciffitudine pro prædicta decima, *duos fui Monafterii manfos in Villa Balberge* dicta, item *dimidium in Villa Biere* vocata, cum omnibus utilitatibus fuis in perpetuam poffeffionem Magdeburgenfi Ecclefiæ, *confentiente* A. Marchione, *Advocato Nienburg. Ecclefiæ* in ufum Præpofiti ac fratrum, pro jam dicta decima, affentiente univerfo capitulo, prædicte Ecclefie noftre contradidit. Unde ut omnis nunc & impofterum error dematur, & hæc firma & illibata permaneant, figilli noftri impreffione, *ac terribilis banni interminatione*, Spiritus Sanctique auctoritate, & noftra, ac Magdeburgenfis Ecclefiæ, roboramus & confirmamus, præfentis fcripti pagina communimus. Si quæ ergo Ecclefiaftica, fæcularisve perfona, hæc ulterius violare præfumpferit, nifi digne correxerit, perpetuæ Excommunicationi fubjaceat. At vero pia & jufta eidem Ecclefiæ confervantibus fit pax Domini noftri Jefu Chrifti, & vitam obtineant æternam.

Hujus rei teftes funt.

Wigmannus Archi-Epifcopus, Arnoldus Nienburgenfis Abbas, Otto Præpofitus, Sifridus Decanus, Widoldus præpofitus, Henricus Præpofitus, Lokkerus Vice-Dominus, Adelogus, Walterus, Fridericus, Conftantinus, Guntherus, Godefridus, Otto, Herbrandus, Locherus, Godefridus.... Adelbertus Marchio, Burchardus Præfectus, Badericus, Otto de Brothiz, Volrad de Honthorp, & Otto filius ejus, Otto de Magdeburg, Otto de Mochile, Thiedericus de Hachen, Thiedericus de Dronthorp, Henricus, Struz, Heinricus, Alexanden, Hartwig, Macharius, Lomar.

Acta funt hæc Anno Incarnat. Dom. MCLXII. Ind. X. Fritherico Imperatore Augufto, anno Regni ejus X. Pontificavero Domini Wigmanni nono. VI. idus Augufti in Waledele & Magdeburg coram omni Capitulo.

In Beckmanni Hiftoria Anhaltina.

CURIA

CURIA BISANTINA

Anno Christi MCLXII. Alexandri III. Papæ IV. Friderici I. Imp. VIII.

§. 1. *Victoris Anti-Papæ acceptatio in Papiensi Conciliabulo facta, Laude pompeia repetita, tertio nunc Laonæ repetitur.*
2. *Regis Daniæ Waldemari adventus.*
3. *Hartwici Bremensis Archiepisc. querela.*
4. *Regum absentium enumeratio.*

GEnerali Synodo indicta in municipio, quod Leona dicitur, super fluvium Saonam in Episcopatu Bisuntino, Imperator cum Papa Victore, multisq; Archi-Episcopis, Episcopis, Abbatibusque, affuit in die decollationis S. Joannis Baptistæ.

Godefridus Pantaleonita editus a Frebero. Cranzius in Metropoli L. VI cap. XLVI.

Octavianus (Victor IV. Antipapa) vocato Concilio (Leonæ) quam justis suffragiis in adipiscendo Sacerdotio usus fuerit; loquacius, quam verius astruere conabatur: Rolandum vero (Alexandrum III.) honorem, quem oblatum repudiasset, vetitum ocupasse; seque causam suam generali Pontificum cognitioni inspiciendam præbente, illum impietatis conscientia, Canonicæ discretionis Judicium formidare.

Præterea ad Conciliandos sibi Pontificum animos, eorum dignitatem benignis decretorum sanctionibus adornavit, haud prius Romanam ad sedem provocandum constituens, quam si lis ipsorum pronunciatione finiri non posset. Finiente eo, Cæsar Provinciarum Reges hujus controversiæ finiendæ gratia à se ad colloquium invitatos dicebat, eorum sententiæ repugnare nefas ducturo. Quos ideo non adesse, quod in Romani Imperatoris injuriam Romæ Pontificem creare cupiant, alienæ civitatis jus suis suffragiis administrare conantes

Post hæc Reginoldus, Coloniæ Urbis Antistes, religionis causam dicere adorsus, quanto injuriæ pondere Romani Imperatoris æquitatem Provincialium Regum temeritas attentaret (*Reges Francorum & Anglorum indigitat*) argumentando demonstrare pergebat. Nam si controversiam in eorum civitatibus de Pontificatu ortam Cæsar suis suffragiis finire vellet, haud dubium id gravium injuriarum loco ducerent, cum ipsi simile in urbe Roma perpetrare conentur?

Quam assertionem tam valido rationis præsidio subnixam putavit, ut nunc latialiter, nunc Gallice, Germaniceq; fando ternis actionem vocibus iteraret:

Sed quantum hac oratione gentis suæ favorem illexit, tantum nostræ (Italicæ) suffragia deturbavit.

Assensis itaque Pontificibus, cum Octavianus, qui sibi falsum Victoris nomen inscripserat, accensis luminibus adversum Alexandrum ejusque suffragatores solemni execratione usurus videretur: Waldemarus ipse Rex Daniæ, hortante Absalone Roschildensi Episcopo, ne sacrilego facinori interesset, Concione excessit, adversæque partis justitiam æmulatus, præsentis Curiæ errorem, quàm absentis rectitudinem postponere præoptavit.

Cujus egressum secutus Absalon, cum ab Octaviano supersedere rogaretur, ab ejus vestigiis se, cujus comitandi gratia advenerat, nullo jure prohiberi perdocuit; eoque responso execrabili Pontificum collegio liberatus, ne schismatis errore laberetur, effecit.

Hactenus acta Vaticana Alexandri III. ab Illustrissimo Baronio descripta ad annum MCLXII. N. XIX. Cætera hujus Curiæ Bisuntinæ acta describo ex Anonymo historiographo Bremensi edito a Lindenburgio 1595.

I. ANNO Domini MCLXII. Imperator tam Rolandum, quam Octavianum vocat ad Judicium, curiam indicens Bisunziæ.

II. Venit Imperator, venit Rex Daniæ Waldemarus, S. Canuti Daniæ Regis, & Martyris filius, destructor idolatriæ inter Rugianos & populos vicinos, in cujus Comitatu Dux Darius erat, quem ipse postea submersit, quia regnum affectavit. Ibi Waldemarus duo Regna Daniæ & Sueviæ ab Imperatore suscepit, & homo ejus factus est.

III. Venit Hartwicus Bremensis Archi-Episcopus, conquerens ibidem, quod tria Regna Daciæ, Sueviæ, Norwegiæ de sua Sede abstraxerint violenter, cum jure deberent suam Synodum observare. Deinde vocatis Episcopis, Aldenburgense, Evermodo Racisburgense, Bernone Magnopolitano locutus eis, ut ab ipso reciperent suas dignitates: & fecerunt.

IV. Exspectabantur Reges Hispaniæ, Angliæ, Galliæ, (a) Bisunzii; solus Rex Galliæ Ludovicus venit nocte, quia eum venturum Henricus Comes Campaniæ juraverat: & manibus in flumine lotis statim (b) discessit.

Albertus Stadensis in Chronico.

(a) *Addit Helmoldus:* Per Nuntios Friderici invitatos fuisse Regem Bohemiæ, Regem Hungariæ, ut venirent cum omnibus Archi-Episcopis & Episcopis ad Laonam in Burgundionum terra, juxta fluvium Ararim. *Chronici Slavorum Lib. I. Cap.* 91.

(b) Misit equidem Fridericus Imperator, paulo post adveniens ad locum Curiæ, honoratissimas personas, accersituras Regem Francorum: sed noluit Rex redire ad locum.

Sequitur Epistola Invitatoria & Encyclica Friderici: Ima ad Archi-Episcopum, IIda Ejusdem ad Ducem Lotharingiæ. III. Rainaldi Coloniens. Archiepisc. Excusatoria ad Regem Francorum.

Epistola nuntiatoria Concilii Bisuntini celebrandi cum Rege Francorum pro Victore Antipapa, & Invitatoria ad omnes Episcopos & Principes.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMAN. IMPERATOR ET SEMPER AUGUSTUS, DILECTO SUO - - - ARCHI-EPISCOPO - - - GRATIAM SUAM ET OMNE BONUM.

INter innumeras & intumescentes tempestatum procellas, quibus jam diu navicula Petri quassata, & inter pressuras diversas, quibus Sancta Dei Ecclesia frequenter afflicta & tribulata est; tandem verus ille mediator Dei & hominum Christus Jesus, qui Ecclesiam suam, velut unicam sponsam, proprio charactere sui pretiosi sanguinis insignivit, & redemit, consolationis gratiam, quam ascendens in Cœlum suis fidelibus repromisit, inquiens: *Non relinquam vos Orphanos*; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi:* evidentibus & manifestis declaravit indiciis. Ipse enim sicut stella matutina, in medio nebulæ oriens solita pietate Ecclesiam suam in tribulatione respexit, & surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.

Pro illa siquidem controversia, quæ inter nos & Regem Francorum, pro schismate Romanæ Ecclesiæ jam diu agitabatur, aspirante Spiritus Sancti gratia, qui facit habitare unanimes in domo Domini, mediantibus hinc inde legatis, tandem, pari voluntate, & unanimi consensu, inter nos convenit: Quod nos videlicet una cum Archi-Episcopis, Episcopis, & Patribus Orthodoxis ac viris religiosis, Baronibus, universis utriusque Regni Principibus IV. Kalend. Septemb. in die videlicet decollationis S. Johannis Baptistæ, super fluium Saonam, in Episcopatu Bisuntino, *Concilium Generale* pariter celebraturi sumus; in quo Rex Francorum, dilectus consanguineus noster, cum universis Archi Episcopis & omnibus Regni sui Principibus, & tota Gallicana Ecclesia, Reverendum Patrem

Patrem noſtrum, Dominum *Papam Victorem*, ſicut per Sacramenta, & firmiſſimas ſecuritates præordinatum eſt, in Apoſtolicum & univerſalem Sanctæ Dei Eccleſiæ Pontificem recipiet, & debitam ei exhibebit reverentiam. Verum quia hoc negotium tam arduum, tamque ſalubre & tam neceſſarium, ubi de reconciliatione Sanctæ Dei Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis, in commune agitur, ſine tuæ diſcretionis, cæterorumque Principum, ac Chriſti fidelium præſentia conſummari non debet, nec poteſt; Exoramus te, & monemus, in ea fide, quam debes Imperio, & Sanctæ Dei Eccleſiæ, & animæ tuæ, quatenus, omni occaſione ſummota, cum ſapientibus & magis idoneis & literatis perſonis Epiſcopus apud Biſuntium IV. die ante prædictum terminum, familiariter, more Curiæ Nobis occurras, ad Concilium nobiſcum proceſſurus. Et quia abundans cautela non nocet, milites tui, quos tecum adduces, armis & clypeis ſint muniti; inſuper temptoria deferas, quia propter Domorum raritatem neceſſaria erunt. Ibi enim per gratiam Dei totum negotium Domini Papæ Victoris ad gloriam Dei, & ad pacem & unitatem ſanctæ Eccleſiæ & omnimodum honorem Imperii honeſto ſine terminatur.

Ex Bibliothecæ Vaticanæ Codice MS. Reginæ Sueviæ N. 179. *deſcripſit Schannat b.m.*

Friderici I. Imp. Epiſtola pro Concilio Beſuntino indicto, ubi Victor IV. Antipapa confirmandus eſſet conſentiente Rege Francorum, & Epiſcopis Francis cum Imperio.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR ET SEMPER AUGUSTUS, FIDELI SUO M. DUCI LOTHARINGIÆ, GRATIAM SUAM ET OMNE BONUM.

QUoniam in ſchiſmate, quod eſt in Romana Eccleſia univerſus orbis in ſe ipſum diviſus eſt, & tota Chriſtianitas non modica perturbatione concutitur: Nos tota animi compaſſione Sanctæ Dei Eccleſiæ doloribus condolemus, totius conſilii & auxilii propenſionem, curam, & ſollicitudinem adhibere cupientes; ut totius diſſenſionis diſcrimine ſublato, Eccleſia Dei, ſicut in unitate fidei, ita ſub unius paſtoris regimine in unum ovile congregetur.

Inde eſt, quod ex conſilio Principum cum dilecto conſanguineo noſtro L. Illuſtri Rege Francorum, IV. Kalend. Septemb. in die videlicet decollationis S. Johannis Baptiſtæ ſuper fluvium Saonam, Concilium celebrare ſtatuimus: in quo, aſpirante Spiritu Sancto, qui facit unanimes habitare in Domo Domini, ſperamus, ut Eccleſiaſticæ pacis & unitatis ſtatus reformetur, & Dominus *Papa Victor* Apoſtolicæ Sedis gubernacula debeat obtinere.

Verum, quia hoc negotium tam arduum, tamque ſalubre, & tam neceſſarium, ubi de reconciliatione ſanctæ Eccleſiæ, & ſalute totius Chriſtianitatis in commune agitur, ſine tuæ diſcretionis prudentia conſummari nec debet nec poteſt, exorantes commonemus te in ea fide, quam debes Imperio & ſanctæ Dei Eccleſiæ, & animæ tuæ, quatinus, omni occaſione ſummota apud Biſuntium quarto die ante prædictum terminum, familiariter, more Curæ nobis occurras, ad Concilium nobiſcum proceſſurus.

Rainaldi Archi-Epiſc. Colon. Legati Imperatoris Friderici I., ad Regem Francorum Epiſtola excuſatoria.

PRÆNOBILI DOMINO L., GLORIOSO REGI ROMANORUM, R. DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ELECTUS, ET ITALIÆ ARCHICANCELLARIUS, SALUTEM, ET AFFECTUOSUM CUM SINCERA DILECTIONE OBSEQUIUM.

ACceperamus in mandatis a Domino noſtro invictiſſimo Romanorum Imperatore, ut vobis, & Regi Anglorum communiter & ſimul loquere-mur,

mur, & ſuper negotio Eccleſiæ univerſalis, & pro ſuccurſu periclitantis Eccleſiæ Orientalis. Sed, quoniam peccatis exigentibus, *cum Rege Anglorum*, difficultatem temporum prætendente, tum etiam anguſtia temporis nos arctante, ad vos ad præſens non valemus accedere; obnixe vos rogamus, ne ſiniſtre verbum hoc accipiatis, & nec pro contemptu, nec pro ſuperbia, vel negligentia aliqua, ſed pro mera neceſſitate, hoc tempore a deſiderato diu veſtro colloquio noveritis abſtinere: tantam enim moram penes Regem Anglorum pro negotio eodem fecimus, quod ad præfixum nobis terminum vix ad Dominum meum poterimus pervenire. Sed nec imperatum nobis fuerat, ad vos ſine Rege Anglorum accedere. Proinde, quoniam ad ſervitium veſtrum, quantum ſalva Domini mei, & Imperii Romani fidelitate poterimus, corde, rebus, & corpore parati ſumus, Nobilitatem veſtram inſtanter exoramus, & arctiſſime commonemus, quatinus memor ejus, quæ inter Dominum meum Principem Sereniſſimum, & vos eſt, conſanguinitatis, ipſum, & Imperium Romanum taliter tractare curetis, ne coronam & omnem honorem ei violenter demoliri velle videamini, nominatim *Rolandum hæreticum & ſchiſmaticum*, publicum videlicet hoſtem Imperii Romani, fovendo & manutenendo. Cæterum noveritis, quod Dominus Imperator, peracta imminente ejus Curiâ, ſtatim aut per nos, aut per alios magnos Legatos, vos viſitabit, per quos & de negotiis propriis, & de neceſſitatibus Eccleſiæ Orientalis, altius vobiſcum deliberet & pertractet.

Ex codice MS. Reginæ Sueciæ in Bibliotheca Vaticana No. 179. *deſcripſit Cl. Schannat b. m.*

SYNODUS COLONIENSIS

ANNO CHRISTI MCLXIII. ALEXANDRI III. PAPÆ V. FRIDERICI I. REGIS XIII. IMP. IX.

SUMMA. Sub Rainaldo Archiepiſc. Colonienſ. Cathari hæretici examinati & dijudicati a Clero, qui demum igne cremantur.

ANno Chriſti MCLXIII. Reinoldi Archi-Epiſcopi Colonienſis anno quarto, menſe Auguſto, die IIda, quæ erat feria VI. Cataphrygæ, ſive Cathari, viri ſex, mulieres duæ, cum ſuis hæreſiarchis, Arnoldo, Marſilio, Thioderico, in urbe Colonienſi deprehenſi ſunt, qui *a Clero dijudicati* & anathematizati, a Judicibus, a populo civitatis, cum fidem Catholicam recipere & ſuam profanam ſectam nollent abjicere, in colle, qui Judaicus appellatur, (Judenbüchel) juxta Judæorum ſepulturas igne cremati ſunt, tanta (Diaboli inſtinctu) in ſuo propoſito uſi pertinaciâ, ut quidam ipſorum furentibus flammis ſeipſos injicerent.

Chronica brevis Colon. a Materno ad Henricum II. Virneburgium. Tom. IV. Farrag. Gelenianarum pag. 198.

Adde Cæſarium L. V. miraculorum cap. XIX.

Circa illa tempora, ſub Archi-Epiſcopo Raynaldo Coloniæ plures ſunt hæretici comprehenſi, qui a literatis viris examinati & victi, per Judicium ſæculare damnati ſunt. Data ſententia cum ducendi eſſent ad ignem, unus illorum, Arnoldus nomine, quem cæteri Magiſtrum ſuum fatebantur, ſicut narraverunt, qui interfuerunt, panem & pelvim cum aqua ſibi dari petivit. Quibuſdam volentibus, ut hoc fieret, viri prudentes diſſuaſerunt, dicentes: aliquid hic fieri poſſet opere diabolico, quod infirmis eſſet in ſcandalum, & in ruinam. APPOLLONIUS: (*a*) miror quid de pane & de aqua facere voluerit? CÆSARIUS: (*b*) ſicut conjicio ex verbis cujusdam alterius hæretici, qui ante hoc triennium a Rege Hiſpaniæ comprehenſus eſt, & combuſtus, Sacrilegam ex eis facere volebat communionem, ut ſuis fieret viaticum ad æternam damnationem.

(*a*) (*b*) Perſonæ introductæ a Cæſario ob Dialogum contexendum.

tionem. Nam quidam Abbas Hiſpanus ordinis noſtri (c) per nos [c] tranſiens, qui cum Epiſcopo & Eccleſiarum Prælatis, ejuſdem hæretici errores damnavit, eum dixiſſe referebat, quod quilibet in menſa ſua & de pane ſuo, quo veſceretur, conficere poſſet corpus CHRISTI. Erat autem idem maledictus faber ferrarius. APPOLLONIUS: Quid ergo actum eſt de hæreticis Colonienſibus? CÆSARIUS: ducti ſunt extra civitatem: & juxta cœmiterium Judæorum ſimul in ignem miſſi. Qui cum fortiter arderent, multis videntibus & audientibus, Arnoldus ſemiuſtis diſcipulorum capitibus manum imponens ait: *Conſtantes eſtote in fide veſtra, quia hodie eritis cum Laurentio*; cum tamen nimis diſcordarent à fide Laurentii. Cum eſſet inter eos virgo quædam ſpecioſa, ſed hæretica, & quorundam compaſſione ab igne ſubtracta, promittentium vel, quia eam viro traderent, vel ſi hoc magis placeret, in Monaſterio virginum locarent, cum verbotenus conſenſiſſet, ita extinctis hæreticis, tenentibus ſe dixit: dicite mihi, ubi jacet ſeductor ille? cumque ei demonſtraſſent Magiſtrum Arnoldum, ex manibus illorum elapſa, facie veſte tecta, ſuper extincti corpus ruit, & cum illo in infernum perpetuo arſura deſcendit.

Hactenus Cæſarius ſuppar Scriptor.

(c) Ciſtercienſis (c) Monaſterium Heiſterbacenſe, octavo ſupra Bonnam milliario ſitum.

SYNODUS TREVERENSIS

Anno Chriſti MCLXIII. Alexandri III. Papæ IV. Friderici I. Imp. IX.

Hillinus Archi-Epiſcopus decidit controverſiam de Decimis Parochiæ de Elenze, inter Monaſterium Steinfeldenſe & Eccleſiam S. Caſtoris, Cardonæ.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO HILLINUS, DEI GRATIA, TREVERORUM HUMILIS MINISTER, ET SERVUS.

QUoniam multa eorum, quæ juſte & rationabiliter ſunt diffinita, plerumque in litem & diſceptationem aliqua occaſione ſolent revocari, ſtatutum eſt Divinarum & humanarum auctoritate Legum, ſcripti teſtimonio tali, ſi ortum fuerit, obviare periculo; qualiter ergo controverſia, quæ inter Eccleſiam S. Potentini Steinfeldenſis, & Eccleſiam S. Caſtoris Cardonenſis, verſabatur de decimis & decimatione vinearum, in Parochia de Elenze ſitarum, ſit terminata, & in concordiam revocata, præſentis cedulæ continet pagina.

Habet Eccleſia Steinfeldenſis in ſupradicta Parochia, cujus decimatio ad Cardonenſem pertinet Eccleſiam, vineas a Comite Sybodone ſibi collatas, in ſeptem colonûm beneficia diſtributas, de quibus vineis agricolæ tantum de ſua portione decimas dare ſolebant, Fratres vero de ſua parte dare negabant: cumque ob hanc cauſam ſæpius in querimoniam eſſent deducti a Domino Folmaro, in Eccleſia Trevirenſi Archi-Diacono, & Præpoſito in Cardono, in præſentia venientes has prætendebant occaſiones: primo quidem, quod eorum pars ex libertate poſſeſſionis a decima vacaret, aſſerebant; Secundo vero dicebant, quod cum ob eandem cauſam aliquando in præſentia Adelheri Trevirenſis Archi-Epiſcopi forent vocati, conſilio ejus, pro ſopienda deinceps de hac re acrimonia, vineam quandam Eccleſiæ de Elenze ex allodio prædicti Sybodonis dederunt, & per eam ſuam partem penitus a decima liberaverunt; cujus rei veritas cum diligenti ſtudio a præfato Præpoſito, videlicet Folmaro, & a Rudengero, jam nominatæ Eccleſiæ Paſtore, ab omnibus antiquioribus Parochianis eſſet inquiſita, & ſicut Fratres aſſerebant, inventa, prius inſtitutum de novo eſt confirmatum, vide-

videlicet, ut vinea, quæ pro confirmatione pacis inter utramque Ecclesiam, & decisione hujus controversiæ in perpetuum supradictæ Ecclesiæ tradita fuerat, ab ea perpetuo jure possideatur: Fratres vero Steinfeldenses de supradictis vineis decimam de sua parte non solvant: si vero præter has aliquas vineas ibidem habent, ex his ex integro decima dabitur. Ut igitur hæc futuris temporibus firma & inconvulsa permaneant, placuit ea corroborari non tantum scripto, sed & sigilli nostri impressione, & Episcopalis banni auctoritate.

Testes, qui interfuerunt, fecimus annotari, quorum Nomina hæc sunt:

Richardus, Virdunensis Electus.
Joannes, Trevirensis Ecclesiæ Archi-Diaconus.
Henricus, Cantor.
Baldericus, Magister Scholarum.
Sigerus, Abbas S. Maximini.
Godefridus, Abbas S. Martini.
Siffridus, Præpositus S. Castoris in Confluentia.
Henricus, Comes de Arlo, & filius ejus Henricus.
Fridericus, Comes de Salmena.
Theodoricus de Bruche.
Albero de Kerpene, & alii plures.

Acta sunt hæc Treviris *in plena Synodo*, Anno Domin. Incarnat. MCLXIII. Indict. X. Anno Episcopatus nostri XI.

CURIA WIRTZEBURGENSIS,

SUB PENTECOSTEN, X. KAL. JULII.
ANNO CHRISTI MCLXV. ALEXANDRI III. PAPÆ VII.
FRIDERICI I. REG. XV. IMP. XI.

SUMMA. Friderici I. & XL. Archi-Episcoporum, & variorum Principum juramentum pro Paschali III. Antipapa, electo manutenendo.

ANno MCLXV. X. Kal. Julii Imperator Curiam celebrat in civitate Wurtzeburgensi, quæ etiam Herbipolis dicitur: ubi Episcopi & Electi fere numero XL. de Regno Teutonico juraverunt obedientiam Paschali *Antipapæ*, & ejus Successoribus: Ipso Imperatore *primum* & ante omnes jurante id ipsum super Evangelia & Reliquias; postea Episcopis, & inde omnibus Regni Principibus, qui præsentes aderant. Postea autem multi Episcopi & Principes, qui ibi non aderant, idem juraverunt. Tenor autem juramenti hic erat: "Ut videlicet " decedente PASCHALI nullum Papam " reciperent, nisi demum de ipsius fau- " toribus aliquem. Et ut obeunte Im- " peratore, nullus in Regem, aut Impe- " ratorem levaretur, nisi, qui illam par- " tem defenderet, & manuteneret con- " tra Romanam Ecclesiam. Et ut Epi- " scopi, qui jurarent, idem juramentum " ab omnibus suis Prælatis & subditis ex- " igerent. Et quicunque non juraret, " omni Ecclesiastico honore & beneficio, " postremo & omnibus bonis & posses- " sionibus privaretur. Ibi etiam præcipiente Imperatore quidam electi sub hoc juramento consecrati sunt in Episcopos, & alii in Presbyteros, & ad alios ordines ordinati ab his, qui etiam juraverant.

Electus Mogontiensis Dominus Chuonradus, qui ante obedientiam fecerat per se Alexandro III. dum iret ad Limina S. Jacobi, solus fere de nocte de Curia fugiens propter juramentum, venit in Franciam ad Alexandrum III, & ibi exulabat.

FRIDE-

Anno 1164. Victore Pseudo-Papa defuncto, & Lucæ sepulto, Guido Cremensis ex voto Imperatoris & Principum illi adhærentium eligitur Anti-Papa, & ab Episcopo Leodiensi sine ullo Cardinali Episcopo, aut legitimo Ordinatore, consecratus, dicitur Paschalis. Leodii Episcopus ipso anno moritur Dei judicio, ait *Chronographus Reicherspergensis: male a Baronio ad 1166. relata hæc Curia, judice Pagio.*

FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR, ET SEMPER AUGUSTUS. DILECTO, FIDELI ET CONSANGUINEO SUO HENRICO, COMITI TRECARUM, (a) GRATIAM SUAM ET OMNE BONUM.

Cunctis populis, quos clementiæ nostræ regit Imperium, jam dudum innotuisse credimus, qualiter exorta quondam inter Ecclesiæ Romanæ Cardinales de Apostolatu discordia, in Reges & Regna impetu pestifero est diffusa, pro qua, ad optabile pacis bonum revocanda, quantos post beatæ memoriæ Papæ Victoris (c) electionem & confirmationem Catholicam, *Papiæ*, *Laudæ*, *Mediolani*, *Laonæ*, atque in diversis Imperii finibus in corpore nostro labores tam nos, quam invicti Principes nostri, pertulimus, quantas rerum copias zelo justitiæ impendimus, in extremis quoque mundi partibus jam auditum non dubitamus. Denique Beatissimo Papa Victore ad Paradisi gaudia assumpto, & in ejus locum ab Episcopis, Cardinalibus, almæ Sedi Apostolicæ Domino Paschali (d) viro Christianissimo, in præsentia Episcoporum & Religiosorum Lombardiæ & Tusciæ, Illustris quoque Præfecti urbis Romæ, ac multorum nobilium Romanorum Catholice substituto, ipsum Dominum *Paschalem*, ex Ecclesiæ & Principum Imperii judicio atque consilio, in Papam & Patrem Catholicum sollemniter recepimus, debitoque honore venerari semper intendimus. Proinde obstinata schismaticorum perfidia, mortem viri justi suis successibus aptam (e) fore asscribens, sirenæis suis blanditiis fidelium quorundam nostrorum animos adeo molita est de novo immutare, ut nisi morbis novis nova maturius remedia objicerentur, pars nostrorum non modica videretur, ex fiducia nostræ lenitatis, seducenda.

II. Igitur zelo reformandi decoris domus Dei (f) accensi postquam Regem Francorum (qui nulla nostra culpa præeunte, una cum Rollando, Imperii nostri hoste publico, ejusque sequacibus, Imperialem nostrum honorem manifeste molitur auferre) post multos nostros ammonitus irrevocabilem persensissemus; universis Imperii nostri Principibus in sacra Pentecoste curiam generalem Wirtzheburc indiximus, quorum cœtui celeberrimo sollemniter præsidentes (g) Ecclesiæ Dei statum, ac Domini Paschalis Papæ negotium, serio ac magnifice duximus roborandum. Invocata igitur devotissime Spiritus Sancti gratia, & universorum, qui aderant, consilio altius communicato, ad removendam pro parte nostra omnem prorsus ambiguitatem, ipsi nos manu propria super Sanctorum reliquias juramentum publice præstitimus, quod Rollandum schismaticum vel ejus successorem, quem pars ejus elegerit in Papam, nunquam recipiemus, nec ad eum recipiendum assensum unquam alicui præbebimus. Nulli etiam fautorum ejus gratiam nostram unquam reddemus, nisi ab errore viæ suæ ad unitatem Ecclesiæ fuerit conversus: unum (h) vero Paschalem Papam manutenebimus semper, atque promovebimus, eique tanquam Patri Catholico & universali Pontifici, obedientiam, honorem, ac venerationem exhibebimus, & ab ipso, ejusque parte, vita comite, nunquam recedemus. Electos quoque, qui sub eo, aut ejus successore, quem pars ipsius elegerit, consecrationem receperint, vel adhuc recipient, honore, aut ordinibus suis (i) privari nunquam permittemus, & hujus Sacramenti absolutionem nunquam requiremus, nec oblatam recipiemus.

III. Præterea noster in Imperio successor, quem Principes universi elegerint, hunc

(a) Legato Regis Francorum ad Fridericum I. Augustum misso. *omittit hoc comma Baron.*
(b) *Hic incipit Baron.*
(c) Victor IV. Antipapa ante Octavianus contra Alexandrum III.
(d) Paschalis III. Antipapa, ante Guido Cremensis.
(e) aperta fronte *Baron.*
(f) ardentius *Baron.*
(g) *rectius quam* præfidente. *Baron.*
(h) Dominum *Baron. loco* unum.
(i) per ejus obedientiam. *Baron.*

hunc honorem Ecclesiæ Dei & Imperii, & hanc partem nostram, sub eodem juramento tuebitur semper atque tenebit. Idem quoque juramentum Archi-Episcopi omnes & Episcopi, atque electi, qui interfuerunt numero XL. super Sancta Dei Evangelia, manu propria, unusquisque sub stola sua, præstiterunt & publice firmaverunt. Nihilominus Principes sæculares universi, Dux videlicet Saxoniæ ac Bavariæ (k) Marchio Albertus senior; Cunradus Palatinus de Rheno, (l) Lodevicus Lantgravius, ac reliqui omnes, super Sanctorum reliquias publice idipsum jurarunt. Repente autem Spiritus Sanctus, mentes omnium adeo fecit unius voluntatis, quod electi omnes, qui præsentes aderant, primo Reinoldus (m) Coloniensis Electus, & Italiæ Archi-Cancellarius, dein cæteri omnes in Sabbato quatuor temporum ad laudem Dei, & honorem Imperii, sacros ordines devotissime susceperint.

IV. Firmiter quoque a nobis & ab universis decretum est: ut quicumque supersunt ordinandi, in primis quatuor temporibus id similiter exequerentur, alioquin dignitatis, ad quam electi sunt, honore, omni remota dilatione priventur.

V. Ad hæc honorabiles Legati, Illustris amici nostri Henrici Anglorum Regis, ad nos ab ipso transmissi, in totius curiæ nostræ præsentia super Sanctorum reliquias ex parte Regis Angliæ, publice nobis juraverunt, quod Rex ipse, cum toto Regno suo, in parte nostra fideliter stabit, dum Papa Paschalis, quem nos tenemus, nobiscum tenebit: de Rollando autem schismatico manutenendo nullatenus de cætero se intromittet. (n) A Schismaticorum itaque communione omnis homo, omnis ordo caveat; favorque illorum, etsi in aliquo modo visus est venialis, inposterum prorsus erit irremissibilis. Ad perfectum vero hujus negotii firmamentum, ex *totius Herbipolensis Concilii* decreto firmissime præcipimus, ut, si quis ad sui mandatum Antistitis, aut præsidis provinciæ, vel Domini sui, Sacramentum supradictum non præstiterit, si Clericus sit aut monachus, Ecclesiastico privetur honore, si laicus, allodia & beneficia, quæcumque possidet, nostra auctoritate, a suo judice, vel Domino prorsus ipsi adimantur. Data Vuirtzburg Kalend. Julii.

Numero 179. *ex Codice MS. Reginæ Sueciæ in Vaticano descripsit Schannat.*

(k) Brandenburgensis *Baron.* (l) Chevo *Baron.*
(m) *absunt a Baronio.*
(n) Quia vero justitiæ examen, quam hostes Ecclesiæ Dei & nostri, sive ex superbia, sive ex causa diffidentiæ devitarunt, nos semper hactenus stare parati, nunc tandem ad insolita Sacramenta ex eorum manifesta obstinatione sumus impulsi, a schismaticorum communione. *Hæc Baronius interserit. Hardouin. Tom. VI. CC. Parte II. pag.* 1613. 1614.

Litteræ hæ Encyclicæ Friderici Imperatoris apud Baronium e codice Vaticano, ex quo & Schannatus, sed varie.

Baronius ad annum 1166. hanc Synodum refert, & Hardouinus, secuti auctorem appendicis ad Radevicum: sed uterque Pagius ad 1165. rectius ex Chronographo Reicherspergensi coævo.

Eidem anno 1165. hanc Synodum innectunt Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Sigonius, Godefridus Coloniensis, Auctor Chronici Augustani.

Epistola Friderici I. ad Abbatem Stabulensem Wibaldum Encyclica, qualis ad omnes forte Episcopos & Principes e curia Herbipolensi scripta fuit.

Ipse cum omnibus Ecclesiæ tuæ fidelibus publice jures & observes, & singulis Dominicis diebus & festis in publica missa, sicut edictum est & sancitum a nobis & a Principibus, publicam orationem pro Domino Papa Paschali nominatim & assidue intus & foris præcipias recitari. Edictum quoque & statutum est, ut hæc omnia juramenta intra sex hebdomadas ab omnibus compleantur.

Quod si aliquis Monachorum, Clericorum

ricorum, Laicorum in Imperio nostro huic confirmationi, & edicto nostro, aliquo modo se opponendo contradixerit, certum sit apud te, quod sicut publicus hostis Imperii absque omni spe recuperationis judicatus est, condemnatus & ab omni officio & honore & beneficio destitutus est.

Inter Wibaldinas Epistolas Lib. I. Epist. 71. *Integram Epistolam refert Christianus Lupus Tomo X. Operum pag.* 103.

PSEUDO-SYNODUS PASSAVIENSIS

Executio falsi Juramenti Paschali Antipapæ delati.

IN proximo mense Julio Imperator venit in partes Bavariæ, & Pataviam venit III. Kalend. ejusdem mensis; quando Episcopus ejusdem loci, omnes fere Prælatos ejusdem Episcopatus, propter præsentiam Imperatoris jurare coegit, & deinceps cogere disposuit....

Tunc etiam mortuus est Dominus Ruodbertus Presbyter & Decanus Pataviensis Ecclesiæ in nonis Novembris. Hic post Episcopum Chuonradum electus quidem fuit, senex valde ac plenus dierum, sed in proxima Curia Imperatoris videlicet *Wirceburgensis* simul cum aliis Episcopis juraverat, ubi etiam sine licentia & absque voluntate & consensu Metropolitani sui in Episcopum consecratus erat; ipse etiam suos prælatos modis omnibus jurare coegerat: unde pauci facti sunt dies Episcopatus ejus.

Chronicon Reicherspergense ad ann. 1165. *Editum a Ludewigio Volumine II. Script. Germaniæ pag.* 288. 289.

Epistola Amici ad Alexandrum III. Papam, de Curia Herbipolensi habita:

Alexandro Papæ quidam amicus suus.

IMperator cum Principes suos ad *Curiam*, quam eis in *festo Pentecostes* indixerat, adunasset, & Principes ipsi Sabbato ante festum, atque subsequenti secunda feria, de pace inter vos & eum reformanda tractare cœpissent: Reginaldus dictus Coloniensis Archi-Episcopus advenit, publice asserens, & proponens, quod nihil contra vos ad honorem sui labor & studium Imperatoris proficeret, nisi ejus tunc penitus assentiret consiliis. Dicebat enim, quod potior pars Imperii vobiscum erat, commemorans scilicet Saltzburgensem, Moguntinum, & alios de Alemannia, qui vestræ obtemperant Sanctitati. Verumtamen ad magnificandum seipsum: plures, inquit, quam vos sumus, ad obedientiam Apostolici nostri conquisiti: quos ei Rex Angliæ numero quinquaginta, & plures juxta Domini Imperatoris beneplacitum exhibebit. Cum igitur ei talia promittenti, & ad certitudinem hujus rei duos nuntios prædicti Regis præsentialiter exhibenti, de prosequendo ejus consilio suum Imperator polliceretur assensum: in audientia cunctorum Principum hujusmodi consilium Imperatori formavit.

Quod ipse videlicet Imperator in conspectu totius Curiæ propria manu juraret, quod nullo umquam totius vitæ suo tempore vos, vel aliquem, qui ex parte vestra sit, Pontificem reciperet, sed devotioni Papæ sui Paschalis inconcusse semper, & inseparabiliter adhæreret, si vero mori illi ante contingeret, hoc ipsum juramentum sui successores observarent. Principes vero suos hoc ipsum jurare compelleret, adjecto eorundem Principum juramento.

Quod si prius Imperator obiret, Principes ipsi nullum antea coronarent in Regem, quam is, qui, coronandus esset, & de tenendo, & fovendo eodem schismatico, & ejus successoribus, idem faceret juramentum. Et quod Principes infra sex hebdomadas, postquam de curia ad propria loca rediissent, omnes Abbates, Præpositos, & alios Ecclesiarum Prælatos; milites quoque, & alios omnes, qui in locis eorum aliquos honores obtinerent, hoc jurare compellerent: & eos, qui nollent hoc facere, rebus eorum penitus confiscatis, depositos & honoris sui cingulo spoliatos; vel si privati homines fuerint, in membris propriis crudeliter

deliter mutilatos a toto Imperio compellerent exſulare.

Placuit Imperatori forma conſilii. Sed Archi-Epiſcopo Magdeburgenſi, & aliis qui præſentes erant Epiſcopis, dura viſa eſt admodum & moleſta: ita, quod idem Magdeburgenſis nullum juramentum ſe præſtare velle reſpondit, niſi prius Colonienſis ordines, & conſecrationem reciperet: per quam omnem dubitationem ab ejus & aliorum pectoribus removeret. Unde cum ille id promittere detrectaret, acriter eum aggreſſus eſt Imperator, ſuamque ipſi malignitatem improperans, in eum verba iſta eſt proſecutus: Ecce, inquit, manifeſte apparet, quod ſicut traditor, & deceptor, in periculum meum Papam mihi præfeceris ignoranti: cum etiam ante receptionem litterarum mearum, ne de ſubſtituendi Pontificis electione tractares; tu ſtatim, cum *Te Deum laudamus* & juxta beneplacitum tuum, novum mihi Pontificem elegiſti; plus mihi proditor factus, quam Moguntinus electus, quem reum hujus criminis deferebas. Præſertim cum ille dederit mihi ſalubre conſilium: ut ex quo Deus me a prioris periculo liberavit, nullatenus me obnoxium facerem ſucceſſori. Nunc vero neceſſario te noveris compellendum, ut laqueum, quem paraſti, primus incurras. Et aliis etiam id facere recuſantibus, ſolus habebis ſubire periculum, quod in malitia tua noſcitur ceteris præparatum.

Sic ergo ille vehementer adſtrictus, non potuit evadere, quin cum maximo fletu primus juxta prædictam formam faceret juramentum: & ſuſceptis ordinibus, conſecrationem quoque promitteret recepturum. Exhibuit etiam prædictos nuntios Regis Angliæ, qui in perſona Regis Angliæ publice coram omnibus juraverunt, quod quidquid Imperator ſuper hoc ſe ſervaturum juraverit, ipſe quoque tenebit firmiter & ſervabit. Sic ergo propria manu Imperator ſupradictum præſtitit juramentum, eo tamen ad verbum Archi-Epiſcopi Magdeburgenſis determinato: ut ſi vos & ſchiſmaticum illum eodem tempore obire contigerit: & Cardinales utriusque partis in aliquem unanimiter convenirent; liberum ſibi eſſet eum recipere, ſi tamen (quod quidem Colonienſis fecit apponi) de Imperatoris aſſenſu eadem electio proveniret. Deinde qui præſentes erant Principes, ſicut ſupradictum eſt, ſuum præſtitere ſinguli juramentum. Cum vero ad Epiſcopos ventum eſſet, dicerentque omnes, excepto Verdenſi, velle ſe potius regalibus cedere, quam hujusmodi Sacramenta præſtare: reſponſum eſt eis, *Oportere eos, vellent, nollent, juramentum facere & regalia retinere*, ſicque cum fletu & planctu maximo juravit primus Magdeburgenſis; ſub ea tamen conditione, ſi omnes alii, qui aberant, eſſent juraturi; & quod ſolutus eſſet juramento, quocumque tempore deſineret regalia poſſidere. Bambergenſis vero Epiſcopus poſt multas & varias excuſationes ita ipſi Imperatori juravit, quod, quamdiu voluerit regalia retinere, ſecundum quod ei proprius ſenſus dictaverit, eidem Imperatori ſuper negotio auxilium & conſilium miniſtrabit. Verdenſis, etiam intruſus, Halbeſtadius abſolute, ſicut Colonienſis juraverunt. Virdunenſis, & (c) Friſenſis propter ſuorum Archi-Epiſcoporum abſentiam excuſati, juramentum facere minime ſunt coacti: ſed habita licentia, libere ad propria redierunt, uſque ad feſtum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſibi licentiam impetrantes.

Hi tantummodo Principes juraverunt, Dux Saxonienſis, Marchio Albertus, Comes Palatinus frater Imperatoris, & quidam ſororius Imperatoris. Hi ſunt Archi-Epiſcopi qui juraverunt, Magdeburgenſis, ſub conditione tamen prænominata. Colonienſis autem & duo ſuffraganei ejus abſolute juraverunt. Filius vero Conradi, qui ad curiam cum mille quingentis militibus venit, ut audivit fieri mentionem de juramento, receſſit. Patriarcha Aquilejienſis non affuit, neque aliquis ſuffraganeorum ſuorum. Similiter nec Saltzburgenſis, vel aliquis ſuorum: neque Trevirenſis vel aliquis ſuorum. Et multi de Principibus non affuerunt.

Ex hac narratione clam ſcripta apparet, quam parum ſinceræ ſint illæ Friderici publicæ ad omnes litteræ, auctoritatem Conciliabulo ſuo adjungere ſtudentis. In quibus, quod ait Legatos Regis Anglorum, ſacrilegum illud Conciliabuli jusjurandum, de agnoſçendo Guidone, & abdicando Alexandro, Regis ſui nomine edidiſſe; paulo id accuratius explicandum eſt.

Henri-

[c] *pro:* Friſingenſis.

Henricus, Anglorum Rex, Alexandri Pontificis animum cernens, minus ſibi, quam Thomæ Cantuarienſi faventem; cœpit eſſe Alexandri partibus infenſior. Quod conſtat ex ejus *Litteris ad Reginaldum Colonienſem Archi-Epiſcopum*, *Schismaticorum ſigniferum:* quarum exemplum ex Baronio hic edendum duximus.

Diu deſideravi, juſtam habere occaſionem, recedendi a Papa Alexandro, & a perfidis Cardinalibus ejus, qui proditorem meum *Thomam*, quondam Cantuarienſem Archi-Epiſcopum, contra me manutenere præſumunt. Unde cum conſilio omnium Baronum meorum, & cum conſenſu Cleri, magnos viros de Regno meo, ſcilicet *Eboracenſem Archi-Epiſcopum*, *Londonienſem Epiſcopum*, *Archi-Diaconum Pictavienſem*, *Joannem de Oxeneford*, *Richardum de Luci* Romam miſſurus ſum, qui publice & manifeſte ex parte mea, & totius Regni mei, & omnium aliarum terrarum, quas habeo, proponent & denuntiabunt Papæ Alexandro, & Cardinalibus ſuis, ne ulterius proditorem meum manuteneant; ſed ita liberent me ab eo, ut alium cum conſilio Cleri in Eccleſia Cantuarienſi poſſim inſtituere. Denuntiabunt etiam, quod, quidquid Thomas fecit, in irritum revocent. Hoc etiam poſtulabunt, quod coram eis Papa jurari faciat publice, quod ipſe & ſucceſſores ſui, & mihi, & omnibus ſucceſſoribus meis, Regias conſuetudines Henrici avi mei inconcuſſas & inviolatas, quantum ad ſe, conſervabunt in perpetuum. Quod ſi forte alicui petitionum mearum contradicere voluerint; neque ego, neque Barones mei, neque Clerus meus, aliquam ei ulterius ſervabimus obedientiam, immo manifeſte eum & omnes ſuos impugnabimus. Et quicumque in terra mea inventus fuerit, qui ei poſthæc adhærere voluerit, expelletur.

Ea propter, rogamus vos, ſicut chariſſimum amicum, quatenus fratrem Ernoldum, vel fratrem Radulphum Hoſpitalarium, omni occaſione remota, cito ad me mittatis, qui ex parte Imperatoris & veſtra, prædictis nuntiis meis ducatum præbeat, eundo & redeundo per terram Imperatoris.

Ex Baronio Hardouinus denuo edidit.

Regis Angliæ Nuntios idem nefarium juramentum edidiſſe Herbipoli, demonſtrat Manſi Tom. II. Supplement. pag. 555.

Canonizatio CAROLI MAGNI, facta ab Paſchali Anti-Papa in Nativitate Domini, præſente Curia Friderici I. Imp. Auguſti, Aquisgrani.

ANNO CHRISTI MCLXVI. ALEXANDRI III. PAPÆ VIII. FRIDERICI I. REGIS XV. IMP. XII.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. AMEN.

NOS FRIDERICUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, ROMANORUM IMPERATOR, ET SEMPER AUGUSTUS.

EX quo primitus Divina ordinante Clementia Imperii Romani faſtigia gubernanda ſuſcepimus, voluntatis noſtræ atque propoſiti ſummum deſiderium fuit, ut Divos Reges & Imperatores, qui nos præceſſerunt, præcipue maximum & glorioſum Imperatorem KAROLUM, quaſi formam vivendi atque ſubditos regendi ſequeremur, ſequendo præ oculis ſemper haberemus. Ad cujus imitationem jus Eccleſiarum, ſtatum Reipublicæ incolumem, & legum integritatem per totum noſtrum Imperium ſervaremus. Ipſe enim tota cordis intentione ad æternæ vitæ præmia anhelans, ad dilatandam gloriam Chriſtiani nominis, & cultum Divinæ religionis propagandum, quot Epiſcopatus inſtituerit, quot Abbatias, quot Eccleſias a fundamento erexerit, quantis prædiis ac beneficiis illas ditaverit, quantarum largitate eleemoſynarum non ſolam in Ciſmarinis, ſed & in Transmarinis Partibus reſplenduerit, ipſa ejus opera & geſtorum volumina, quæ plurima ſunt, & maxima fide oculata, plenius declarant. In fide quoque Chriſti dilatanda, & in converſione gentis barbaricæ fortis athleta

leta fuit, & verus Apoſtolus, ſicut Saxonia, & Freſonia, atque Weſtphalia, Hiſpani (*a*) quoque teſtantur & Wandali, quos ad fidem Catholicam verbo convertit & gladio. Et licet ipſius animam gladius non pertranſierit, diverſarum tamen paſſionum tribulatio, & periculoſa certamina, ac voluntas moriendi cotidiana pro convertendis incredulis eum Martyrem fecit. Nunc vero Electum & Sanctiſſimum Confeſſorem eum confitemur & veneramur in terris, quem in ſancta converſatione vixiſſe, ex pura confeſſione, ac vera pœnitentia ad Deum migraſſe, & inter ſanctos Confeſſores ſanctum & verum Confeſſorem credimus coronatum in cœlis. Inde eſt, quod nos glorioſis factis & meritis tam Sanctiſſimi Imperatoris Karoli confidenter animati, & ſedula petitione chariſſimi amici noſtri Henrici (*b*) Illuſtris Regis Angliæ, inducti, aſſenſu & auctoritate Domini Papæ Paſchalis (*c*) & ex conſilio Principum univerſorum, tam ſæcularium, quam Eccleſiaſticorum, pro relatione, exaltatione, atque canonizatione Sanctiſſimi Corporis ejus ſolemnem Curiam in Natale Domini apud Aquisgranum celebravimus, ubi Corpus ejus Sanctiſſimum pro timore hoſtis exteri, vel inimici familiaris caute reconditum, ſed Divina revelatione manifeſtatum, ad laudem & gloriam nominis Chriſti, & ad corroborationem Romani Imperii, & ſalutem dilectæ conſortis noſtræ Beatricis Imperatricis, & filiorum noſtrorum Friderici, & Henrici, cum magna frequentia Principum, & copioſâ multitudine Cleri & populi, in hymnis & canticis ſpiritualibus cum timore & reverentia elevavimus, & exaltavimus quarto Kalendas Januarii. (*d*)

His autem omnibus glorioſe peractis, cum in prædicto loco, cujus ipſe Fundator extiterat, de ipſius loci libertate, inſtitutis legum & pacis, atque juſtitiæ, quibus totum orbem rexerat, diligenter inquiremus. Ecce fratres ejusdem Eccleſiæ Privilegium Sancti KAROLI de fundatione & dedicatione ipſius nobiliſſimæ Eccleſiæ, & de inſtitutionibus Legum humanarum, & civilis juris ejusdem civitatis nobis in medium protulerunt. Quod ne vetuſtas aboleret, vel ne per oblivionem deperiret, noſtra Imperiali auctoritate renovavimus, ejusdem vero privilegii tenor & inſtitutio talis eſt. . . . .

Petri a Beeck Aquisgranum, ex quo acta Ss. Antverpiæ Tom. II. pag. 888.

Caſtellinus in ſuo *Indiculo Sanctorum Canonizatorum* dicit, Carolum Magnum a nonnullis canonizatum, ab aliis tantummodo beatificatum denominari. Conteli: in ſuo Tractatu *de Canonizatione Sanctorum Cap. II. No.* 2. eum aſſerit dici poſſe tantum beatificatum, & hæc quidem ſententia retinenda videtur. Quidquid enim ſit de conceſſione facta ab illegitimo Pontifice; tot ſubſequentes legitimi Pontifices prædictam conceſſionem ſciverunt, & per tolerantiam admiſerunt. Quibus ſi ſuperaddatur longiſſimi temporis obſervantia, nihil deeſſe videtur ex iis, quæ neceſſaria ſunt pro validitate cultûs quoad Eccleſias particulares, & ſic pro ſufficienti beatificatione: uti bene adnotarunt: Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, Ferrarius in Catalogo Sanctorum, Spondanus ad annum Chriſti 814. Natalis Alexander in Hiſtor. Eccleſiaſt. Sæculi IX. & X. Cap. VII.

Lambertinus, poſt BENEDICTUS XIV. Lib. I. de Servorum Dei Beatificatione Cap. IX. num. 4. *pag.* 46. 47.


(*a*) Carolus Magnus Hiſpanos non convertit ad Catholicam fidem, ſed nonnullas eorum urbes e manibus Saracenorum eripuit. *Bollandus in Commentario prævio ad vitam S. Caroli Magni. Tom. II. Januarii pag.* 888.

(*b*) Henricus II. Angliæ Rex, ſub quo S. Thomas Cantuarienſis Martyr fuit.

[*c*] Paſchalis III. antea Guidonis Cremonenſis, ſecundi Antipapæ, ſuſcitati contra Alexandrum III. indubitatum Pontificem.

(*d*) Ex tunc, nempe poſt Paſchalis III. Canonizationem, auctoritate Metropolitani Colonienſis, Aquisgrani ſolemniter de eodem Cæſare orthodoxo, Miſſa ſicut de Sancto agitur, quæ prius fiebat de fideli defuncto *Gaufredus Prior Voſienſis* apud *Pagi in Breviario Tom. III. pag.* 83.

SYNO-



SYNODUS DIŒCESANA WIRCEBURGENSIS,
AB HEROLDO EPISCOPO CELEBRATA,
Anno Christi MCLXIX. Alexandri III. Papæ XI. Friderici I. Regis XVIII. Imp. XV.

SUMMA. Decimæ in Ratelsdorff, Revit, & Slammersdorff, Cœnobio S. Michaëlis Bambergæ restituuntur.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

HEROLDUS, DEI GRATIA, WIRCEBURGENSIS EPISCOPUS.

Quandoquidem Pater misericordiarum Deus, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus, sed ex multiformi gratia sua, dispensationem thesauri sui, sanctæ scilicet Ecclesiæ curam nos tenere concessit; non indebitum videtur, si salutis nostræ prospectu, talentorum nobis creditorum distributioni sic inserviamus, ut servata discretione, bona Ecclesiæ nostræ disgregata recolligamus, ita, ne aliena per ignorantiam nobis usurpata, his accumulare videamur.

Proinde, universis Ecclesiæ Filiis, præsentibus scilicet, & futuris pateat, qualiter, dum juxta ministerii nostri officium, bona Ecclesiæ, cui præsidemus, dispersa congregare, congregata conservare laboraremus, decimas cujusdam Dominicalis in Ratolversdorf, & alias duarum Villularum, Rute videlicet, & Slagemaresdorf decimas, a *Fratribus* in monte sancti *Michaëlis* in *Babenberg* velut non juste possessas, usibus nostris non inconvenienter, ut putabatur, adjecimus: verum, comprobato, locum beati Michaëlis ex antiquo venerabilem, easdem decimas ante centum ferme annos legitime sibi collatas, libere & quiete possedisse; ne in hoc vel antiquitati privilegiorum derogare, vel alienis rebus nostras (quod abominabile est) videremur cumulare, communi eorundem fratrum petitioni in *Generali Capitulo* nostro annuentes, imo & nostræ saluti prospicientes, decimas illas libere & quiete per multa tempora ab eis possessas, deinceps sine omni contradictione, seu pervasione, possidendas remisimus & restituimus: & ne ab aliquo successorum nostrorum, seu quorumlibet violentorum de cœtero in sæpedictis decimis inquietentur, nostræ auctoritatis beneficio, præsenti videlicet privilegio, cum testium convenienti adstipulatione, addita quoque Banni nostri interminatione, rata imposterum & inconvulsa tenenda, hæc rationabilis nostræ recognitionis facta, *Generalis Capituli nostri* unanimi assensu comprobata, communire decrevimus.

Testes:

Richolfus, Majoris Ecclesiæ Præpositus.
Perseus, Decanus.
Reinhardus, Præpositus Novi-monasterii.
Heinricus, Præpositus in Onoldespach.
Wernherus, Præpositus in monte S. Johannis.
Pertolfus, Præpositus S. Mariæ in Moguntia.
Adelbertus Custos, *Godefridus* Cantor, *Conradus* Cellerarius, *Wezelo* Portenarius, *Sigefrid*, & *Conrat*, Capellani.
Laici: *Marquart* de *Grumpach*, & *Otto* filius suus.
Adelbero de *Tagestetten.*
Burchardus, & frater ejus *Sigefrit*, de *Ankersberg.*
Cunradus de *Bocesberg.*
Bilunc Vice-Dominus.
Heinricus, & *Bilunc*, Sculteti.
Herolt, Camerarius.
Iringus de *Zabelstein.*
Tegeno de *Mirspach*, & alii quam plurimi.

Datum sub testimonio totius *Synodalis Conventûs*, XII. Kalend. Novembris, Feria III. Anno Domin. Incarn. MCLXIX. Indict. II. Regnante Gloriosissimo Rom. Imperatore *Friderico*, anno Imperii ejus XIV. Primo autem Regni filii ejus *Heinrici*. *Poppone* Urbano Comite existente feliciter, Amen.

Ex Codice MS. Monasterii S. Michaëlis Bambergæ descripsit Schannat. b.m.

SYNODUS FRISINGENSIS

ANNO CHRISTI MCLXX. ALEXANDRI III. PAPÆ XII. FRIDERICI I. REG. XIX. IMP. XVI.

SUMMA. Albertus Episc. confirmat Decimas cœnobio Schefteleren.

ALBERTUS, DEI GRATIA, FRISINGENSIS EPISCOPUS.

SAcra loca & venerabiles Perſonas nos convenit honorare, præſertim quorum ſuffragio & precibus juvamur in Cœlis, & devotis obſequiis frequentamur in terris. Ea propter notum eſſe volumus his, qui litteras has inſpexerint, legerint, vel lectas audierint, quod nos venerabili & dilecto Fratri *Hainrico* Præpoſito de *Scheftelaren* Decimationem in curte ſua apud *Cheverloch*, reſignatam nobis a Parochiano *Conrado* de *Brunnen* tam in grano, quam in nutrituris pecorum, conceſſimus, tum quia eandem curtem propriis ſuis ſumptibus excoluit & excolit, tum etiam, quia in propria perſona noſtro ſervitio fideliter inſudavit: Volumus itaque, ut eandem decimationem libere & abſque cujusdam contradictione poſſideat, Fratrum ſuorum, Pauperum Chriſti, ſemper uſibus profuturam. Nec aliquis Sacerdotum, qui poſt Conradum Eccleſiæ vel Parochiæ *Brunnen* præficiendi ſunt, ei de hoc ullam attemptet movere querimoniam, quod noſtra benignitas eidem fruendum conceſſit. Ut autem hoc noſtrum beneficium illi ſtabile maneat, hanc exinde cartam ei conſcribi, ac ſigilli noſtri Impreſſione ſignari fecimus. Teſtibus, qui in *celebri noſtro Capitulo* fuerant ſubternotatis, quorum nomina hæc ſunt:

Engilſenleb, Præpoſitus majoris Eccleſiæ.
Alberon, Præpoſitus S. Caſtuli. (a)
Heinricus, Præpoſitus S. Andreæ.
Rawinus, Præpoſitus S. Viti.
Bertholdus, Præpoſitus S. Zenonis.
Ulricus, Præpoſitus S. Arſacii.
Richart, Præpoſitus de Undieſtorff.
Conrad, Præpoſitus de Sliedorff.
Heinricus quoque de Slierſee Præpoſitus & Archi-Diaconus in illis locis, laudavit & conſenſit.

De Abbatibus iſti:

Robertus Abbas Tegrius.
Robertus Abbas Aprimontis.
Rapotho Abbas S. Stephani.
Lotharius Abbas Roten.
Eberhardus Abbas de Sekin.
Hainricus Abbas de Atile, & plures alii.

Actum *Friſingæ* Anno Dominicæ Incarn. MCLXX. Anno Domini Alberti Friſingenſis Eccleſiæ Venerabilis Epiſcopi XII. feliciter Amen, Amen.

Gewoldus in additionibus ad Hundii Metropolim, in Fundatione Cœnobii Schefteleren Ord. Præmonſtrat.

(a) in *Mosburg*.

CURIA IN NORIMBERCH

ANNO CHRISTI MCLXX. ALEXANDRI III. PAPÆ XII. FRIDERICI I. REG. XIX. IMP. XVI.

SUMMA. Friderici I. varia vexatio Præſulum, ſchiſmati contrariorum.

ANno MCLXX. Imperator Natale Domini in Alſatia egit circa Purificationem S. Mariæ, Norimberch Curiam celebrat, ubi Regem Bohemiæ, qui offenderat, de facili in gratiam recepit, Albanum Patavienſem electum a ſuis ab Epiſcopatu perturbatum, ſpe tantum in Epiſcopatum reſtituit, effectu minime: nam offenſus erat ei propterea, quod a Chriſtiano (Moguntino Archi-Epiſcopo) conſecrari abnuit. Ob hanc etiam cauſam Chunonem Ratisponenſis electum, graviter ibidem tractavit, & Curiam ei de hoc verbo uſque in proximam Pentecoſten præſignavit; quatenus aut ordines a Chriſtiano reciperet, aut Epiſcopatum dimitteret.

Intrante Quadrageſima Ciſtercienſis & Clarevallenſis Abbates Imperatorem conveniunt ſuper ſchismate, eique ſuggerunt,

gerunt, ut Babenbergensem Episcopum cum eis Romam destinet, quod & factum est. Sed propter Longobardorum insolentiam negotium ipsum tunc provectu caruit. Nam Episcopus ipse ab eis repulsus, ad propria redire coactus est.

In appendice ad Radevicum apud Urstisium Tomo I.

Christianus, vivo adhuc Conrado antecessore anno 1164. ab Friderico Imp. suffectus, vel intrusus, Cancellarius ejusdem & miles egregius, Legatus, & Orator facundus.

Crantzius eum, ut Romanæ Ecclesiæ, imo *Alexandri III.* hostem, *Paschalis Anti-Papæ* Cancellarium & Legatum, ab ipso Paschali nuncupatum, describit *Saxoniæ Lib. VI. Cap.* 34.

SYNODUS MOGUNTINA

INDICATA, IN SUBJECTA CHARTA

CIRCA ANNUM CHRISTI MCLXXI. ALEXANDRI III. PAPÆ XIII. FRIDERICI I. REGIS XX. IMP. XVIII.

Transactio inter Abbatem de Otterburc & Abbatem de Enckenbach, de hæreditate ARNOLDI, *utriusque Cœnobii Monachi, qui in solemni Synodo Moguntina excommunicatus fuit.*

STEPHANUS, DEI GRATIA, ABBAS IN OTTERBURC PRIMUS.

QUia ad nostrum spectat officium utilitati Ecclesiæ nostræ providere; notum esse cupimus quibuslibet fidelibus; qualiter Dominus *Degenhardus*, ministerialis Imperatoris, amitæ meæ filius, prædium suum, sibi a Parentibus suis jure hæreditario derelictum in Erlebach, Ecclesiæ nostræ donavit; hic itaque Monachus apud nos factus, semetipsum, atque idem prædium sanctæ Mariæ, & nobis donavit legitima traditione, & in eadem voluntate & opere, mansit annis V. Postea vero instabilitatem animi sui secutus, & regularis disciplinæ rigogorem abhorrens, a nobis discessit & ad Monasterium Enckenbach se contulit, prædiumque, jam non suum, sed nostrum illi loco tradidit; habebat autem quendam fratrem *Arnoldum* nomine, qui seductus a *Brunichone*, avunculo suo, præfatum prædium cambivit, suumque prædium, quod Assenzenbrunnen habuit, pro isto tradidit, cumque tali occasione prædium nostrum sibi niteretur vindicare, coacti sumus justitiam de eo interpellare, & tam ipse, quam Dominus Brunicho, *Moguntiæ*, in solemni *Synodo*, anathemate eliminati sunt ab Ecclesiastica communione; qui *Arnoldus*, cum tantisper maneret in sua obstinatione, tandem in se reus, acceptis duobus talentis, prædium nobis restituit; alterum quoque prædium, quod suum erat, & pro isto concambio dederat, acceptis VIII. talentis argenti nobis pacifice resignavit. Ut autem omnis occasio querelæ de medio tolleretur; dedimus etiam *Cunoni* de *Gunthaim*, genero supradicti Arnoldi, XV. solidos, & *Ecberto* de *Lutre*, itidem genero suo, totidem; *Johanni*, filio ipsius, X. solidos, *Wernhero*, alteri Filio, caballum unum.

Acta sunt hæc anno Dom. Incarnationis. . . . .

Ex Archivio Monasterii Otterburgensis, Ordinis Cistercienfis, in Diœcesi Moguntina consecrato anno 1145. *descripsit Schannatus b. m.*

Bucelinus Germaniæ sacræ Parte II.

Abbas de Enckenbach non est notus *Bucelino.*

SYNODUS TRAJECTENSIS

ANNO CHRISTI MCLXXIII. ALEXANDRI III. PAPÆ XV. FRIDERICI I. REG. XXII. IMP. XIX.

CUm ob aquarum ingens diluvium (*a*) & subsecutum mox grave incendium in civitate Trajectensi majora mala, & plagas altiores populus metueret a Cœlo: Episcopus Godefridus (*b*) *in Synodo generali* jejunium generale toti civitati & omnibus parochiis suæ civitatis indixit, ut omnes humili satisfactione cum Clericis Laici, senes cum junioribus Divinam placarent indignationem: ipse etiam Episcopus feria IV. post Pentecosten nudis incedens pedibus, cum omni populo a templo Beati Martini usque ad Ecclesiam Beati Jacobi processit, & Sanctorum diversa loca, Clericis Litanias, Laicis laudes Divinas, elata voce cum gemitu succinentibus, visitavit.

Wilhelmus Monachus Egmund. in Chron. ex edit. Anton Matthæi Analect. vet. Tom. IV. pag. 43.

(*a*) Hæc inundatio vel ex Oceano, vel Rheno suis limitibus egresso, circa 1170. evenit ex Heda & Buchelio: cui malo averruncando, Hildebrando, Abbate S. Pauli Trajectensis, Pœnitentiam suadente, Episcopus Synodum indixit & supplicationes. Obiit liberalis in Ecclesiam suam Princeps anno 1177. 27. Maji. *Heusden in Batavia sacra pag.* 149.

(*b*) Godefridus, Dominus Castri Rhenensis, Præpositus Major inopinato adventu Friderici I. Imperatoris discordiam Electorum sopientis eligitur Episcopus XXVIII. Ultrajectinus.

SYNODUS COLONIENSIS

ANNO CHRISTI MCLXXIII. ALEXANDRI III. PAPÆ XV. FRIDERICI I. REGIS XXII. IMP. XIX.

Philippus, Archi-Episcopus Coloniensis, confirmat Fundationem Monialium Præmonstratensium in Lanckwaden, & varia circa eas ordinat.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO PHILIPPUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, OMNIBUS FIDELIBUS IN PERPETUUM.

OFficii nostri ratione commonemur, ea, quæ a prudentibus viris ordinata sunt, rata habere, & ne inposterum mutari valeant, auctoritate nostra confirmare. Notum sit igitur omnibus fidelibus tam præsentibus, quam futuris, quod temporibus (*a*) Domini Arnoldi Prioris Venerabilis Coloniensis Archi-Episcopi, quidam nobilis Christianus nomine, & duo filii ejus Christianus & Albero in fundo suo Cœnobium quoddam construxerunt, in loco, qui dicitur Lanckwaden, & prædio suo circiter tres mansos eidem Cœnobio contulerunt, habentes propositum illic conventum sororum inibi Deo famulantium sic initiare: procedente vero tempore majoribus auxiliis eundem locum sublevare, & ut prædictus Archi-Episcopus majori clementia locum amplecteretur, ipsum cum omni prædio Deo & Beato Petro obtulerunt. Quo facto sorores quasdam de Claustro quod dicitur: (*b*) Hillezim, assumptas, & Priorem, qui eis præesset, ab eodem claustro vocatum, illic posuerunt. Accidit autem temporibus nostris, ut Patroni ejusdem (*c*) Cœnobii Christianus & Albero Abbatem de Helenzim *in Synodo* coram nobis in causam ducerent, eo quod ad prædictum locum sæpius veniendo, &, ut

(*a*) *omisit Stivagiensis.*

(*b*) Heillesheim *Stivag.*

[*c*] Monasterii *Stivag.*

ut fama ferebat, asportando, si qua illic a fidelibus oblata reperisset, novellum locum nimium gravaret, & crescere non sineret. Huic causæ prudentes viri se interponentes consilio rem terminaverunt, statuentes, quod nullus sit in Cœnobio illo Prior, nisi quem Archi-Episcopus pariter & Abbas illic statuerint, statutus autem removeri non debet nisi per Archi-Episcopum pariter & Abbatem, cognita causâ & evidenti culpa. Abbas etiam nec veniendo nec diripiendo aliquid locum gravabit, nisi forte hospitii percipiat commodum, si forte ad dandum consilium advocatus fuerit. Inter heredes ille Patronatum super locum obtineat, qui etiam super (*d*) Wevellichoven Dominium obtinuerit. Hac compositione prædicti Patroni illius loci lætificati, & aliam curtim suam in Yffe sitam, continentem terræ circiter duos mansos eidem cœnobio contradiderunt. Hanc ergo (*e*) prudentium virorum determinationem nos auctoritate nostra confirmamus, & ne a quoquam permutari valeat, sigilli nostri impressione communimus. Præcipientes, ut nullus hominum contra hanc paginam præsumat venire. Si quis vero attentaverit, nisi resipiscat, omnipotentis indignationem se noverit incursurum. Acta sunt Dominicæ Incarnationis MCLXXIII. (*f*) Indictione VI. regnante Friderico Glorioso (*g*) Romanorum Imperatore anno Regni ejus XXII. Imperii vero XX. Anno Pontificatus nostri (*h*) VI. Ego *Bruno* majoris Ecclesiæ Præpositus, cognovi & subscripsi, ego (*i*) *Hugo* Decanus, cognovi & subscripsi. Ego *Sifridus* Sanctensis Præpositus, cognovi & subscripsi. Ego *Lotharius* Bonnensis Præpositus, cognovi & subscripsi, ego *Symon* S. Gereonis Præpositus, cognovi & subscripsi, (*k*) ego *Conradus* S. Severini Præpositus cognovi & subscripsi, ego *Rodulfus* S. Cuniberti Præpositus, cognovi & subscripsi, ego *Wezelinus* S. Andreæ Præpositus, cognovi & subscripsi, ego *Theodoricus* S. Apostolorum Præpositus, cognovi & subscripsi, ego *Hugo* S. Gereonis Decanus, cognovi & & subscripsi, ego *Walterus* S. Severini Decanus, cognovi & subscripsi, ego *Sifridus* S. Kuniberti Decanus, cognovi & subscripsi, ego *Engelbertus* S. Andreæ Decanus, cognovi & subscripsi, ego *Theodoricus* Ss. Apostolorum Decanus cognovi & subscripsi, ego *Gerhardus* S. Mariæ Decanus cognovi & subscripsi, ego (*l*) *Priamus* Magister S. Gereonis cognovi & subscripsi, ego *Arnoldus* Magister S. Severini cognovi & subscripsi, Præsentes aderant Abbates & Clerus, Nobiles & beneficiati.

Ex Archivio Monasterii Præmonstratensium Canonissarum in Lanckwaden Archi-Diœces. Colon.

Florentius de Wevelinchoven, Canonicus Coloniensis, qui vixit 1297., habuit fratrem nobilem virum Tilmannum de Wevelinghoven Militem. Fratris hujus filius itidem vocatus est Florentius.

Florentius Canonicus mortuus est 14. Kalend. Martii in festo Ss. Marii & Marthæ.

Idem Florentius Canonicus habuit sororem Beatricem, Abbatissam S. Cæciliæ Colon. & sororem Irmgardim, Canonicam Ss. Virginum in Colonia. Item fratrem Theodoricum Militem, cujus conjunx fuit Helewigis.

Henricus, filius Domini in Ghemen, habuit Annam von Wevelkoven conjugem anno 1442. & per hanc Annam Dominium de Wevelkoven venit ad illos de Ghemen.

Ex Volumine IV. Farraginum Gelenii pag. 35.

Illmus Stivagiensis Tomo II. Probationum Monasteriologiæ Præmonstratensis p. 7.

(*d*) Wevelinghoven *Stivag.*
[*e*] præcedentium *Stivag.*
(*f*) MCLXXII. Indict. V. *Stivag.*
(*g*) gloriosæ memoriæ *Stivag.*
(*h*) V. *Stivag.*
(*i*) Bruno *Stivag.*
(*k*) S. Severini nec Præpositum nec Decanum habet. *Stivag.*
(*l*) Peramus *Stivag.*

CONVENTUS RATISBONENSIS

Anno Chriſti MCLXXIV. Alexandri III. Papæ XVI. Friderici I. Regis XXIII. Imp. XX.

SUMMA. Ab Imperatore Friderico I. ſchiſmatico indictus, ubi exauctorato Adalberto Saltzburgenſi Archiepiſc. illi injuſte ſubſtituitur Heinricus Præpoſitus Perthersgadenſis.

ANNO MCLXXIV. Imperator celebravit *Curiam* in civitate Ratispona VII. Kal. Junii tam celeberrimam, quod nulla memoria eſt, unquam talem habitam in partibus Bavariæ. Omnes enim fere Principes ex Regno Teutonico ibi aderant cum magna ambitione, omnes quoque ſuffraganei Epiſcopi ex Epiſcopatu Salzburgenſi, uno Friſingenſi excepto & omnes pene ejusdem Salzburgenſis Eccleſiæ Prælati, ſimul cum miniſterialibus præcipuis, juſſu Imperatorio convocati, illuc convenerant tractaturi de ordinatione Archi-Epiſcopatus Salzburgenſis, ac diffinitionem accepturi ex Judicio Curiæ; & hæc erat tertia Curia pro hac cauſa determinanda in partibus Bavariæ ab Imperatore indicta, & ſolemniter habita, Archi-Epiſcopus etiam Salzburgenſis cum avunculo ſuo, Duce Auſtriæ, Henrico veniens, conſtanter affuit. . . .

Imperator collecta Curia, ut ex toto & manifeſte Schismaticos faceret illos, qui jam ex multo tempore, contra Archi-Epiſcopum nitebantur, omnes ſuffraganeos ejusdem Archi-Epiſcopi, qui aderant, ad hoc deduxit, ut in ſententiam Brixinenſis electi Magiſtri *Richeri* conſentirent; qui electus ad interrogationem Imperatoris, præſente Curia ſententiam depoſitionis in Archi-Epiſcopum nimis proterve dederat; ipſe enim electus contra Archi-Epiſcopum inflammatus erat, propter hoc, quod Archi-Epiſcopus ſuffraganeos ſuos, ab ejus ordinatione retrahere nitebatur. Quia, ſine ejus licentia & ſine permiſſione ejus, utpote Metropolitani, attentata, in eadem curia peracta eſt: ſed utrum Canonice & Catholice, ipſi viderint! Præfatæ igitur ſententiæ electi, quia & Principes Regni pro gratia Imperatoris conſentire cogebantur, excepto uno Principe Duce Auſtriæ Heinrico, ſtatim omnis illa congregatio Salzburgenſis, quæ aderat, ſimul cum miniſterialibus, omnes, quendam *Henricum Præpoſitum* tunc Perthesgadinenſem, cum favore Principum & & Imperatoris, electum collaudant, conclamant, & inthronizant, nihil reluctante illo. Imperator etiam ſine mora Juſtitiam ſuam ei recognovit, & Eccleſiæ Salzburgenſis toto Epiſcopatu, cum omnibus regalibus, per ſceptrum ei conceſſis, valde ſolenniter coram omni illa curia & Principibus qui & omnes a primo Duce Bavariæ & Saxoniæ incipientes, beneficia ſua ab eo cum multa reverentia & honore requirentes & hominia facientes coram Imperatore acceperunt . . . .

His ita peractis & Curia finita Imperator in expeditione cum multo exercitu, verſus Longobardiam profectus eſt, Eccleſiæ Salzburgenſi parum honoris & conſolationis, præter hanc dualitatem, & hoc genus ſcandali & ſciſſionis relinquens.

Ex Chronico Reicherſpergenſi ad hunc ann. edito Tomo II. Ludewigii.

Adalbertus, Uladiſlai Bohemiæ Regis Filius, dictus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, anno 1168. in die feſtivitatis Omnium Sanctorum in Cathedrali Eccleſia cum gaudio omnium inthronizatus eſt, teſte *Chronographo Reicherſpergenſi*, 1169. Idibus Martii conſecratur Archi-Epiſcopus: verum, quia idem legitimo Pontifici Alexandro III. adhærebat, coactus fuit eodem anno Archi-Epiſcopatum reſignare.

Imo Fridericus I. in Curia Ratisponæ celebrata exeunte Majo Adelbertum depoſuit, & Henricum Præpoſitum Berchtesgadenſem in ejus locum ſubſtitui fecit. Archi-Epiſcopus cum Prælatis ſuis Pontificem appellat, miſſo Erchenpoldo Capellano ſuo. Pon-

Pontifex miſſis Literis ad Conradum Archiepiſc. Moguntinum Legatione Apoſtolica per Bavariam fungentem, & ad Capitulum Saltzburgenſe acta Ratisponenſis Curiæ caſſat. Literæ datæ VI. Idus Septembr. Anagniæ.

§. 2. *Alexander III. Adalberto Archiepiſc. ſignificat caſſata omnia contra ipſum attentata.*

ALEXANDER, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTO FILIO ADELBERTO SALTZBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

AUdito & intellecto illo enormi facto, quod eſt adverſum te, non ſine offenſa Dei, & derogatione noſtra nequiter attentatum, mirati ſumus admodum & commoti, utpote, qui perſonam tuam, pro fœnore devotionis tuæ ſyncera in Domino Charitate diligimus, & pacem & quietem tuam deſideramus, ſicut noſtram ſpecialem & propriam turbationem, quæ tibi & Eccleſiæ tuæ imminet, non reputamus aliquatenus alienam. Inde itaque fuit, quod nos factum ipſum, utpote Divinæ & humanæ legi contrarium, Apoſtolica auctoritate caſſantes, viris illis, qui tantæ præſumptionis fuerunt auctores, ſcripta noſtra direximus, eosque a tam iniquo propoſito paſtorali ſollicitudine revocantes, ſuper hoc venerabili fratri noſtro Chunrado Moguntino Archi-Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato, ſcripſimus, ſicut ex reſcriptis litterarum noſtrarum tibi plenius innoteſcet. Tu itaque in Domino conforteris & viriliter agas, in eo pones ſpem, qui te poterit a preſſuris & anguſtiis liberare, & poſt tantam turbationem pacem tibi dabit per ſuam gratiam & quietem. Ut autem omnipotentem Dominum magis propicium habere valeas & placatum, ei tota devotione ſtudeas ſubeſſe, & his ferventer intendere, quæ (*a*) tibi placita ſunt & accepta, & ad recuperandum patrimonium Eccleſiæ, & ad conſervandam Eccleſiam ipſam in fide & unitate Catholica, ut vir prudens, providus, & diſcretus, toto ſtudio attendas. Nos igitur firmum propoſitum & promptam tibi gerimus voluntatem, perſonam tuam, ſicut chariſſimi fratris abundantiore charitate diligere, & in perſecutionibus & anguſtiis tuis, omne, quod cum Deo poſſumus, conſilium & auxilium exhibere. Data Anagniæ VI. Id. Septemb.

(*a*) *forte* illi.

§. 3. *Alexander III. Conrado Moguntino Archiepiſc. & Legato Apoſtolico, mandat, caſſa & irrita declaranda acta in Curia Ratisponenſi, & attentata ab Epiſcopis Brixinenſi & Gurcenſi circa Henricum intruſum.*

CHONRADO, MOGUNTINO ARCHI-EPISCOPO, ET APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

QUanto fidem & devotionem tuam circa nos & Romanam Eccleſiam eſſe novimus priorem, & prudentiam & ſolicitudinem tuam in omnibus magis experti ſumus, tanto ſecurius tibi committimus exequenda, quæ virum providum & conſtantem requirunt, & cum multa circumſpectione executioni debent mandari; ſane locorum vicinitas, nobilitas & prudentia tua non te ſinunt aliquatenus ignorare factum illud enorme, quod nuper contra venerabilem fratrem noſtrum *Adalbertum Salzburgenſem* Archi-Epiſcopum, non ſine multa cordis amaritudine intelleximus attentatum fuiſſe, a viris illis, de quorum fide non videbamur in aliquo dubitare. Audivimus ſiquidem, quod, cum venerabilis frater noſter Gurcenſis Epiſcopus, Ratisbonæ electo Brixinenſi munus conſecrationis contra interdictum præfati Archi-Epiſcopi, quod ſibi non licuit, impendiſſet, idem *Brixinienſis* cum prædicto *Gurcenſi* contra eundem Archi-Epiſcopum convenire præſumpſit, & proxime poſt conſecrationem ſuam, ſequenti die, in ipſum

ipſum Archi-Epiſcopum depoſitionis ſententiam promulgavit & in Eccleſiam Salzburgenſem, ad electionem, *Berthesgadenſem* præpoſitum, virum utique, qui quondam Religioſus habitus eſt, & Catholicus, auſu temerario intruſit, & clerum ab obedientia, & laicos a fidelitate ipſius Archi-Epiſcopi, abſolvere non dubitavit. Miramur itaque, nec mirari ſufficimus de prædicto Gurcenſi & Brixinenſi, quorum alter, Gurcenſis videlicet, ab initio promotionis ſuæ, & ante ut credimus, ferventem circa nos & Romanam ſcriptis & nuntiis devotionem oſtendit; & de altero ſcilicet Brixinenſi, qui dum ſcholaſticis diſciplinis, præcipua quadam familiaritate nobis tenebatur adſtrictus, & multæ Religionis & honeſtatis eſſe probatur, & ſe Catholicum profitetur, quomodo in tam novum enorme & inauditum facinus proruperunt? cum non potuerunt nec dubitaverunt in quemlibet Epiſcopum, nedum in præfatum Archi-Epiſcopum, cui debent obedientiam & reverentiam, ſine mandato Romani Pontificis ſententiam promulgare: maxime, quia idem Archi-Epiſcopus, ſicut noſti, utpote canonice electus, a nobis confirmatus eſt, & de manu tua pallium, in plenitudinem officii Pontificalis, accepit: licet autem prædicti Gurcenſis & Brixinenſis aſſerant, præfatum Præpoſitum, ſub obedientia & devotione noſtra in præſcripta Eccleſia poſitum eſſe, non videmus tamen nec videri poteſt ab aliquo, quomodo poſſit, vel debeat eſſe, ut, qui de mandato & auctoritate noſtra, in ipſa Eccleſia Archi-Epiſcopus fuerit inſtitutus, nobis ignorantibus amoveatur ab eadem Eccleſia, & alius favore terreni Principis ſibi ſuper ponatur. Quomodo igitur, cum eadem Eccleſia nullo unquam tempore, labe fuerit ſchiſmaticæ pravitatis infecta, providendum nobis eſt, & omnibus eandem Eccleſiam diligentibus, ne de nova alicujus ſpurcitia contagionis reſpergatur, prudentiam tuam, de qua, omnimodam ſpem & fiduciam gerimus, ad ejus enormitatis correctionem ſolicitandam duximus, & propenſius commonendam. Inde eſt, quod tam enorme facinus caſſantes fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus & præcipimus, quod factum ipſum publice denunties irritum & inane, & omni gratia & favore humano poſtpoſito memoratum Gurcenſem, & Brixinenſem, & (*b*) Præpoſitum Salzburgenſem qui hoc attentaverunt, a tam ſtulto præpoſito, ſatagas quantocyus revocare, indicto eis termino, nec nimis longo, nec nimis arcto, intra quod tempus idem intruſus, ad Eccleſiam ſuam, Deo militaturus de cetero redeat, & ad obedientiam & devotionem memorati Archiepiſcopi revertatur, & eidem intruſo inter cætera proponas, ne ambitionem dignitatis & honoris Religioni & honeſtati velit præferre, ſed in ſimplicitate cordis ſui, Deo famuletur, & tam Clero, quam populo ad ſuam Eccleſiam pertinenti, noſtra auctoritate præcipias, ut præfato Archi-Epiſcopo ſicut Magiſtro & Prælato, omnimodam exhibeant obedientiam & honorem. Qualiter autem in facto profeceris, per tuas nobis literas plene ſtudeas intimare. Datum Anagniæ VI. Id. Septemb.

Chronicon Reicherſpergenſe.

(*b*) Siboto.

§. 4. *Alexander III. ſcribit Capitulo Saltzburgenſi, reprehendens & jubens, ut ad obedientiam Adalberti redeant.*

SIBOTONI, PRÆPOSITO ET CHORO SALTZBURGENSIS ECCLESIÆ, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Audivimus non ſine multo cordis dolore & amaritudine, quomodo a te, Præpoſite, enorme factum in Venerabilem fratrem noſtrum Archi-Epiſcopum veſtrum fuerit attentatum, cui ſicut Magiſtro, & Prælato veſtro tenemini obedientiam & reverentiam exhibere; illa ſiquidem præclara fama laudis & nominis, quam eadem Eccleſia de conſervatione Catholicæ unitatis ubique ſibi ad Deum & homines comparavit, vos a tam inhoneſto propoſito debuit potiſſimum revocare: ſane decuit vos ſolicite ac diligenter attendere, & meditatione ſedula cogitare, in quo ſtatu vir ſanctæ recordationis *Eberhardus*, quondam Archi-

Archi-Episcopus vester, & bonæ memoriæ *Chuonradus* successor ejus, nec non prædecessores eorum, eandem rexerunt Ecclesiam, ut ab eorum via non possetis quomodolibet declinare, sed ipsorum vestigiis studeretis omnimodis inhærere. Non videmus utique, nec potest videri ab aliquo, quod electio, confirmatio, vel palliatio prædicti Archi-Episcopi, præsertim sine auctoritate Romani Pontificis, cassari debuerit, & alius superponi, cum idem Archi-Episcopus, sicut nostis, a nobis fuerit confirmatus, & Pallium, id est, plenitudinem officii Pontificalis, receperit, & de exhibenda sibi obedientia, ad vos, & ad alios suæ jurisdictionis, nostrum emanaverit sæpe mandatum. Super quo siquidem tanto miramur amplius & movemur, quanto nos Ecclesiam vestram, pro fœnore devotionis vestræ, ampliori caritate diligimus: & majori mæstitia afficimur, & dolore, si quid fiat aliquando, quod ad diminutionem vestræ laudis & nominis, vel ad derogationem honestatis videatur quomodolibet redundare. Licet autem in facto ipso devotionem nostram, sicut audivimus, & obedientiam prætendatis; non videmus tamen, nec videri potest ab aliquo, quomodo salva obedientia nostra & honestate hoc potuerit fieri. Quoniam igitur factum ipsum, cum omnino sit Divinæ & humanæ legi contrarium, non debemus nec possumus sustinere; nos id, sicut cassandum est, & ipso jure cassatum, *Apostolica auctoritate cassantes*, universitati vestræ mandamus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus ad vos ipsos quantocyus redeuntes, quid famæ vestræ expediat, & saluti, sollicite cogitetis, & ab hujusmodi inhonesto proposito, sine dilatione qualibet redeuntes, ad obedientiam & devotionem, memorati Archi-Episcopi revertamini, eique sicut Magistro & Prælato vestro, devoti sitis atque subjecti, & tales in hoc, & in aliis vos exhibere curetis, quod opera vestra aliis præbeant exempla virtutum. Si vero secus, quod non arbitramur, feceritis, quanto ferventius vos & Ecclesiam vestram diligimus, tanto acrius a tam illicito facto curabimus, auctore Domino, revocare: quia non videremur vos sincere diligere, si famæ & honestati vestræ paterno non consuleremus affectu. Data Anagniæ VI. Id. Septembr.

Chronicon Reicherspergense.

SYNODUS HALLENSIS
PROVINCIALIS
SUB WICHMANNO, ARCHI-EPISCOPO MAGDEBURGENSI,
Anno Christi MCLXXV. Alexandri III. Papæ XVII. Friderici I. Regis XXIV. Imp. XXI.

SUMMA. 1. *Torneamentorum interdictum,*
2. *Et iis usorum pœna, excommunicatio, & sepulturæ Ecclesiasticæ denegatio.*
3. *Principes Saxones jurant, se nullibi hunc lusum permissuros.*

PEstifer Ludus Torneamentorum in partibus Saxoniæ ita inoleverat Sæculo XII., ut infra unum annum XVI. in eo referantur milites periisse, pro qua re *Wichmannus* Archi-Episcopus omnes (*a*) eos frequentatores excommunicationis vinculo innodavit. Comperta autem præfati Comitis (*b*) morte tunc in *Austriæ* partibus (*c*) constitutus, missis nuntiis, eum a sepultura præcepit Ecclesiastica

(*a*) *pro* frequentatores. *Chron. Cellense pag.* 111. *non bene habet* receptatores.
[*b*] Conradi Comitis, Filii Tiderici Marchionis in Torneamentis occisi XV. Kal. Decembris 1175.
(*c*) constitutus] *lege cum Chron. Cell.* constituti.

ſiaſtica ſeparari. Tempore vero procedente, cum Archi-Epiſcopus idem convocatis *Suffraganeis ſuis*, cum magna Cleri frequentia *Conventum in Eccleſia Hallenſi* haberet, Pater occiſi Comitis, & fratres ejus, *Otto* videlicet, Misnenſis Marchio, *Dedo* Comes de (*d*) Groitz, *Henricus* Comes de Witin, & *Fridericus* Comes de Brene, cum multis nobilibus viris & miniſterialibus advenientes, pedibus Archi-Epiſcopi, ac totius Cleri, cum magno ejulatu ac [*e*] fletibus provolvuntur, poſtulantes, ut occiſo communionem concederent fidelium ſepulturæ, aſſerentes conſtanter, eum ante finem ſuum pœnitentem, & abſolutum, communionem Dominici Corporis meruiſſe. Cum enim idem Comes vulnere debilitatus jaceret, contigit Sacerdotem quendam religioſum tranſire, qui petentibus amicis ejus ad vulneratum accedens, magna ab ipſo inſtantia rogatus eſt, ut pœnitentiam & confeſſionem ejus admitteret, & a vinculo eum excommunicationis abſolveret, fideliter promittens, ſi Divina miſericordia ei vitæ ſpatium largiretur, nunquam ſe de cætero tali cauſa excommunicationis ſententiam meriturum, quin potius & de hoc, & de aliis ſuis peccatis, Deum ſibi modis omnibus placaturum. Super hoc autem ad militandum Deo, cruce ſignari devote petiit, ut ejus contritio manifeſtius appareret. Sacerdos vero ille cordis in eo contriti ſigna percipiens, confeſſione ejus audita, pœnitentia injuncta, ab excommunicationis nodo eum abſolvit, ſicque reconciliatum Dominici Corporis participem faciens, ſicut petierat, cruce ſignavit. Quibus peractis poſt modicum defunctus eſt. Cum itaque hoc Principes prædicti coram Archi-Epiſcopo & Clero aſſererent, Sacerdos horum omnium executor (*f*) cum prius eſſet juramento obligatus, hæc confirmare, ut nulla remaneret dubietas, rogabatur. Quod ille alacriter implevit. Ipſi prætérea Principes, exigente hoc ab eis Archi-Epiſcopo, *in Reliquiis juraverunt, a torneamento in perpetuum abſtinere*, nec uſquam in omni ditione ſua hujusmodi exercitium permittere, hominesque ſuos & miniſteriales ab eo modis omnibus coercere. Sicque demum Archi-Epiſcopus mortuo ſepulturam conceſſit, ſalva tamen Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Unde factum eſt, ut tamdiu ſepultura careret, donec unus militum, familiaris ejus, *Wernherus* nomine, conſenſum de hoc ſummi Pontificis reportaret. Qui etiam transmarinam peregrinationem pro ipſo poſtmodum peragens, fidelem ſe ei manifeſtis indiciis, declaravit. Sepultus eſt autem in Sereno Monte XV. Kalend. Februar. ante introitum Eccleſiæ majoris occidentalem, juxta quem *Wernherus* idem poſtmodum tumulatus eſt. Obtulit autem *Fridericus* Marchio pro anima filii ſui B. Petro X. manſos in villa, quæ Marcgrevendorp dicitur.

Chronicon Montis Sereni, editum a Menckenio Tomo II. rerum Germanicar.
Chronicon Misnenſe, editum a Schannato Tomo II. Vindemiæ Literariæ.

(*d*) Dedo Comes de Groitz) *Chron. Cell.* Rochlitz.
(*e*) ejulatu ac fletibus) *codex*: ejulatu ac lacrumis.
[*f*] *Chron. Cellenſe pag.* 112. *meliori ſenſu ita habet:* cum præſens eſſet, juramento hoc confirmare, ut nulla remaneret dubietas, rogabatur.

CONVENTUS NORIMBERGENSIS

ANNO CHRISTI MCLXVI. ALEXANDRI III. PAPÆ VIII. FRIDERICI I. REGIS XV. IMP. XII.

Conſtantia admiranda Archi-Epiſcopi Salisburgenſis.

ANno MCLXVI. Imperator celebravit *Curiam* in Nurenberch, XVI. Kal. Martii, illucque venit Archi-Epiſcopus *Cuonradus* poſt tertiam vocationem, & tertiam Curiam, ad quas vocaverat eum Imperator, VI. ſeptimanis unicuique vocationi deputatis, a feſto S. Michaelis. Ibi ergo cum conſtanter *reſpondiſſet* coram Principibus ad omnia, quæ Imperator ei objiciebat, ſcilicet: *quod per rapinam teneret Epiſcopatum Saltzburgenſem, cum nec ab eo unquam Regalia ejusdem Epiſcopatus, nec a Papa ſuo PASCHALI ſpiritualia ſuſcepiſſet, ipſeque per prælocutorem ſuum,*

ſuum, Ducem Bavariæ & Saxoniæ, illi ſufficienter reſpondiſſet: Se non per rapinam, ſed per legitimam & canonicam electionem Cleri & Miniſterialium, & totius plebis, eundem Epiſcopatum ſuſcepiſſe, ſeque juſtitiam ſuam, id eſt, Regalia tribus vicibus ab eo requiſiſſe eodem anno, hocque teſtibus probare voluiſſet, hancque ſibi negatam fuiſſe tribus vicibus pro eo ſolum, quod nollet, cum nec deberet, recipere PASCHALEM, qui non eſſet legitimus Eccleſiæ Paſtor:.. tandem poſt multa hinc inde dicta, tunc primum ſine gratia Imperatoris a Curia receſſit.

Chronicon Reicherſpergenſe apud Ludewig.

CONVENTUS APUD LAUFFEN

ANNO CHRISTI MCLXVI. ALEXANDRI III. PAPÆ VIII. FRIDERICI I. REG. XV. IMP. XII.

A Friderico decreta horrenda vaſtatio Eccleſiarum Bavariæ, & effectui data ob denegatam Paſchalis Antipapæ acceptationem.

NOn multo poſt ipſo anno Imperator rurſus celebravit Curiam in partibus Bavariæ apud Loufen IV. Kal. Aprilis, in tertia hebdomada Quadrageſimæ. Cumque iterum (*a*) Archi-Epiſcopus, qui in vicino erat, nullo modo poſſet inclinari, ad partem & voluntatem Imperatoris, per fratrem ſuum Ducem Auſtriæ Heinricum, & alios Principes, qui internuncii erant, Imperator ſtatim, quaſi ex juſta ſententia & judicio Principum,

I. *Inbeneficiavit Laicis omnes poſſeſſiones ejuſdem Epiſcopatus, ſimul cum decimis, quæ ad jus pertinebant Archi-Epiſcopi, omnibus quotquot parati erant ad accipiendum.*

II. Proſcripſit, & etiam perſecutioni expoſuit omnia cœnobia, quæ erant in eodem Epiſcopatu, vel quæ jure fundi eo pertinebant;

III. Simul cum Prælatis & omnibus poſſeſſionibus ſuis, tanquam qui ſui eſſent proſcripti, & *excommunicati Paſchalis.* Et initium malorum ſequentium hæc.

IV. Exin toto illo anno incendiis ac rapinis, alternisque obſidionibus, quaſi ex præcepto, aut pro voluntate Imperatoris idem Epiſcopatus ex magna parte vaſtatus eſt, militibus tamen Archi-Epiſcopi ſe contra violentias iniquorum hominum fortiter & viriliter opponentibus.

Chronicon Reicherſpergenſe ad A. C. 1166.

(*a*) Conradus, Saltzburgenſis Archi-Epiſcopus.

Pax & Reconciliatio inter Alexandrum III. Papam, & Fridericum I. Imperatorem Anagniæ tractata, atque præliminariter conventa.

Anno Chriſti MCLXXVI. Alexandri III. Papæ XVIII. Friderici I. Regis XXV. Imp. XXII.

FRIDERICUS Imperator ALEXANDRUM Pontificem in Catholicum & Univerſalem Pontificem recipiet, ac debitam ei reverentiam adhibebit, perinde ac Catholici ipſius Anteceſſores Catholicis ejus anteceſſoribus præſtiterunt, eademque ſucceſſoribus ejus Catholice ineuntibus exhibebit.

II. Reddet veram Pacem Alexandro & omnibus ſucceſſoribus ejus, & univerſæ Romanæ Eccleſiæ.

III. Quæcumque poſſidet, aut tenet, ſive præfecturam, ſive rem aliam, quam Romana Eccleſia habuit, & ipſe vel per ſe, vel alios abſtulit, bona Fide reſtituet, ſalvo omni jure Romanæ Eccleſiæ. Quaſque poſſeſſiones reſtituet, ad eas etiam retinendas auxilio erit.

IV. Imperator & Pontifex ad honorem & jura Ecclesiæ atque Imperii conservanda se invicem adjuvabunt. Pontifex, ut benignus Pater devotum & cariſſimum filium, & Imperatorem Chriſtianiſſimum: Imperator, ut devotus filius & Chriſtianiſſimus Imperator dilectum Reverendum Patrem & Beati Petri Vicarium.

V. Quæ a tempore ſchiſmatis, vel occaſione ipſius, aut ſine ordine judiciario Eccleſiaſticis ab Imperatore vel ſuis erepta ſunt, eis reſtituentur.

VI. Beatrix Imperatrix recipiet Alexandrum Pontificem in Catholicum & venerabilem Pontificem. HENRICUS Rex, filius eorum, ſimiliter recipiet eum, atque ei & Catholicis ſucceſſoribus ejus debitam reverentiam adhibebit, & Sacramento eodem ſe obſtringet, quo ſe Imperator obſtrinxerit.

VII. FRIDERICUS Imperator, & HENRICUS Rex, filius ejus, pacem veram reddent Gulielmo regi Siciliæ ad annos quindecim, ſicut per ſequeſtres pacis eſt conſtitutum.

VIII. Imperatori Conſtantinopolitano, & adjutoribus Eccleſiæ Romanæ pacem reddent, nec mali quicquam referent per ſe, vel per ſuos, pro opera Eccleſiæ Romanæ impenſa.

IX. De controverſiis, quæ ante tempora Hadriani Pontificis inter Eccleſiam & Imperium verſabantur, ſequeſtres ex parte Pontificis & Imperatoris conſtituent, quibus mandabitur, ut eas pro arbitrio tranſigant. Quod ſi illi non conſenſerint, judicio ſtabitur Pontificis & Imperatoris, vel eorum, quos ipſi delegaverint.

X. Chriſtiano Cancellario Moguntinus Archi-Epiſcopatus, Philippo Colonienſis concedetur, & pleniſſimo jure firmabitur.

XI. Primus Archi-Epiſcopatus, qui in Teutonico Regno vacaverit, Conrado, auctoritate Pontificis & auxilio Imperatoris, deferetur, qui idoneus videatur.

XII. Ei, qui ſe Caliſtum appellat, Abbatia tribuatur. Illi, qui dicuntur ejus Cardinales, loca retineant, quæ primum habuerunt, niſi ea ſponte & judicio dimiſerant, & in ordinibus, quos ante ſchiſma habuerant, relinquentur.

XIII. Gero, nunc dictus Alberſtatenſis, deponetur, & Ulricus reſtituetur.

XIV. Alienationes a Gerone factæ & beneficia data ſimiliter, & ab omnibus intruſis, auctoritate Pontificis & Imperatoris delebuntur, & ſuis Eccleſiis reſtituentur.

XV. De electione Brandeburgenſis Epiſcopi, qui in Bremenſem Archi-Epiſcopatum lectus fuerat, cognoſcetur: & ſi rite factum fuerit, ad eam Eccleſiam traducetur. Et quæcumque ab Aldevino, qui nunc præeſt Bremenſi Eccleſiæ, alienata ſunt, prout rite factum viſum fuerit, eidem Eccleſiæ reſtituentur.

XVI. Quæ Salisburgenſi Eccleſiæ tempore ſchiſmatis ademta ſunt, ei plene reddentur.

XVII. Omnes Clerici ex Italia, aut aliis Regionibus, quæ ſunt extra Teutonicum Regnum, diſpoſitioni & judicio Alexandri Pontificis & ſucceſſorum ejus, relinquentur. Si vero Imperator rogarit pro ordinibus aliquorum, uſque ad decem vel duodecim, exaudietur.

XVIII. Garſidonius Mantuanus Epiſcopatui quondam ſuo reſtituetur, ita ut ille, qui nunc eſt Epiſcopus Mantuanus, ad Epiſcopatum Tridentinum traducatur: niſi forte inter Pontificem & Imperatorem convenerit, ut alius ei Epiſcopatus indulgeatur.

XIX. Archi-Epiſcopus de Savo in Archi-Presbyteratum quondam ſuum, & alia beneficia, quæ ante ſchiſma habuit, reſtituetur.

XX. Omnes ordinati a quondam Catholicis in Teutonico Regno, reſtituentur ordinibus ſuis ita perceptis.

XXI. De Argentinenſi, & Baſilienſi dictis Epiſcopis, qui ordinati fuerunt a Vidone Cremenſi in eodem Regno, prædicti ſequeſtres rem committent decem vel octo hominibus, quos ipſi elegerint, qui jurejurando affirmabunt, ſe illud conſilium Pontifici atque Imperatori daturos, quod ſe juſte dare poſſe ſine animæ ſuæ atque ipſorum detrimento ſtatuerint, & Pontifex atque Imperator eorum conſilio obtemperabit.

XXII.

XXII. Pontifex & omnes Cardinales recipient Beatricem uxorem Friderici Imperatoris in Catholicam & Romanam Imperatricem, eamque aut Alexander Pontifex, aut legatus ejus coronabit: & Henricum filium eorum in Catholicum & Romanum Regem.

XXIII. Pontifex & omnes Cardinales pacem reddent Friderico Imperatori & Beatrici Imperatrici, & Henrico Regi filio eorum & omnibus adjutoribus eorum. Pontifex & omnes Cardinales promittent, se observaturos hanc pacem in verbo veritatis, & privilegium condent subscriptione omnium Cardinalium, & Cardinales scriptum prædictæ confirmationis condent, sigillis suis appositis.

XXIV. Pontifex, subito advocato Concilio, prout subito advocari potuerit, cum Cardinalibus, Episcopis & aliis religiosis hominibus, qui interfuerint, excommunicationem statuet in omnes, qui hanc pacem violare voluerint, deinde in generali Concilio

XXV. Plerique nobilium Romanorum, & capitaneorum Campaniæ hanc pacem firmabunt.

XXVI. Imperator pacem cum Ecclesia & pacem cum Rege Siciliæ ad quindecim annos, & inducias cum Lombardis a proximis Kalendis Augusti usque ad sex annos firmabit jurejurando suo, Principumque suorum, mandabitque Lombardos, qui in parte sua sunt, prout in tabulis induciarum communibus est descriptum, eas inducias confirmare. Si quis vero ex parte Imperatoris has inducias jurare noluerit, Imperator præcipiet omnibus, qui in parte sua sunt, pro officio fidelitatis & gratiæ suæ, ut nullum præstent auxilium & volentibus offendere, ne impedimento sint. Si quis offenderit, culpa vacuus sit. Nec mandatum hoc revocabit Imperator, donec induciæ stabunt.

XXVII. Henricus Rex filius ejus, pacem cum Ecclesia & cum Rege Siciliæ ad quindecim annos & inducias cum Lombardis ad sexennium scripto confirmabit, ac sui Principumque suorum subscriptione.

XXVIII. Si vero, quod absit, Pontifex præmoriatur, Fridericus Imperator, & Henricus filius ejus hanc formam pacis & compositionis firmiter observabunt successoribus ejus, & universis Cardinalibus, & toti Romanæ Ecclesiæ, & Regi Siciliæ & Lombardis, & cæteris, qui secum sentiunt. Et si, quod absit, Imperator præmoriatur, Pontifex, Cardinales & Ecclesia Romana prædictam pacem firmiter observabunt successori ejus, & Beatrici uxori, & Henrico filio ejus, & omnibus ex Teutonico Regno, & cæteris adjutoribus eorum & successores Pontificis similiter observabunt.

Goldasti Constitutiones Imperiales Tomo III. p. 360. *ex Archiv. Anagnienſibus. Dumont, Corps Diplomatique Tom. I. N. CLXV.*

CONGRESSUS VENETIIS
PAPÆ ET IMPERATORIS,
Anno Christi MCLXXVII. Alexandri III. Papæ XIX. Friderici I. Reg. XXVI. Imp. XXIII.

Sacramentum de Pace inter PAPAM *&* IMPERATOREM *per sequentes Principes Imperii factum Kalendis Augusti MCLXXVII. Venetiis, in Rivo alto.*

Ego Christianus Moguntinus Archi-Episcopus.
Ego Philippus Coloniensis Archi-Episc.
Ego W. Magdeburgensis Archi Episc.
Ego B. Trevirensis Archi-Episcopus.
Ego P. Pataviensis Archi-Episc.
Ego G. Electus Wormatiensis.
Ego R. Imperiali auctoritate Proto-Notarius.
Ego C. Mantuanus Episcopus.
Ego G. Cancellarius.
Ego D. Comes.

JUramus in manibus vestris super hæc Sancta Dei Evangelia, quod pacem Ecclesiæ & Imperii, & pacem Regis Siciliæ usque ad quindecim annos, & Treguam Longobardorum, usque (a) ad sex annos, sicut statutum est, & scriptum per mediatores utriusque partis, bona fide servabimus, & absque fraude. Sic Deus nos adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Ex parte vero Siciliæ Regis, eodem modo juravit Romualdus Salernitanus Archi-Episcopus, & Rogierus Comes Andriensis.

Ex parte vero Lombardorum jurarunt, qui præsentes erant, scilicet de Mediolano Gerardus Piscis, Rogerius & Marcellinus Consules.

De Placentia Willelmus Letatorius.
De Brixia, Albertus de Gambara.
De Bergamo, Alberatus.
De Verona, Cæcius Consul.
De Parma, Vetulus.
De Regio, Antemanus.
De Bononia, Picamontes Potestas eorum.
De Novaria, Willelmus Gueliri.
De Alexandria, Hubertus de Foro.
De Padua, Tessulanus Potestas.
De Venetia, Gozelinus.

Collectio Regia Concil. Tom. XXVII. p. 423.
Philip. Labbej Collect. Concilior. Tomo X. column. 1490.
Baronii Annales Ecclesiast. Tomo XII. sub annum 1177.
Goldasti Constitutiones Imperiales Tomo III. pag. 356.
Dumont Corps Diplomatique Tom. I. No. CLXXV.

Alexandri III. Papæ Epistola ad Richardum Cantuariensem Archi-Episcopum, & ad Suffraganeos ejus, de Pace inter SE & FRIDERICUM Imperatorem inita. Venetiæ in Rivo alto, octavo Idus Augusti 1177.

ALEXANDER EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS FRATRIBUS RICHARDO, CANTUARIENSI EPISCOPO, ET SUFFRAGANEIS SUIS, ET DILECTIS FILIIS ABBATIBUS, SPECIALITER AD ROMANAM ECCLESIAM PERTINENTIBUS IN ARCHI-EPISCOPATU CANTUARIENSI CONSTITUTIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

IMmensas laudes & gratias agimus Omnipotenti Deo, qui licet navem Petri diu permisisset procellosa maris tempestate quassari; nunc tandem imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna, ita ut pacatis maris sævientis fluctibus, prædicta navis ad portum quietis reducta sit & salutis. Sane carissimus in Christo filius noster, Fridericus, Illustris Romanorum Imperator, proximo præterito die, Dominica ante festum beati Jacobi cum Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus Teutonici Regni, cum multa devotione venit Venetiam ad præsentiam nostram, & ibi coram innumera multitudine virorum ac mulierum, altis vocibus resonantium laudes Altissimo, nobis sicut summo Pontifici, omnem reverentiam & honorem exhibuit, & in festo Beati Jacobi, nobis, ad preces ejus, Beati Marci Ecclesiam adeuntibus, pro celebrandis Missarum solemniis, obviam venit: & finita Missa, quam a nobis licet indignis reverenter audivit, nobis omnem honorem exhibuit, quem prædecessores ejus nostris consueverunt antecessoribus exhibere. In Kalendis vero instantis mensis Augusti præfatus Imperator, ubi erat numerosa hominum multitudo, in anima sua jurare fecit. Et Principes sui, quos præsentes habebat, tam Ecclesiastici, quam sæculares, præstito juramento firmaverunt, quod pacem Ecclesiæ perpetuo, & pacem carissimi filii nostri Wilhelmi Illustris Siciliæ Regis usque ad quindecim annos, & treguam Longobardorum a prædictis Kalendis usque ad sex (b) annos, sicut pax & tregua ipsa disposita est & tractata, & in scriptis redacta, illæsam debeat & illibatam servare; sicut autem Imperator nos

[a] septem. (b) septem.

in Catholicum Papam, & Spiritualem Patrem recepit; ita nos eum in Catholicum Imperatorem, & uxorem ejus in Catholicam Imperatricem, & filium ipſorum in Catholicum Regem recepimus. Agite itaque gratias Creatori noſtro, qui Sponſam ſuam, ſacroſanctam Eccleſiam, ſua miſeratione reſpexit, & ei poſt multas perſecutiones, quibus graviter preſſa eſt, & attrita; per ſuam gratiam plenam pacem reddidit & quietem. Data Venetiæ in Rivo alto, octavo Idus Auguſti.

Labbej Conciliorum Collectio Tomo X. pag. 1244 & 1487.

Collectio Regia Concilior. Tomo XXVII. pag. 420.

Baronii Annales Eccleſiaſtici Tomo XII. ſub annum MCLXXVII.

Confirmatio Pacis per Fridericum Imperatorem. Dat. apud Venetias XV. Kalend. Octobris, Indict. X.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, DOMINO PAPÆ ALEXANDRO, SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ SUMMO ET UNIVERSALI PONTIFICI, FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR, SEMPER AUGUSTUS, DEBITAM OBEDIENTIAM ET FILIALIS DEVOTIONIS AFFECTUM.

CUm Imperatoria ac Regia Majeſtas ad hoc in terris ordinata ſit, ut per ejus operam totus orbis pacis gaudeat incremento: Nos, quos Deus in ſolio Imperii Romani conſtituit, eam diligenter amplecti & ferventius conſervare debemus ac volumus. Inde eſt, quod pacem Eccleſiæ & Imperii, ſecundum quod a Principibus noſtris, & Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ diſpoſita eſt & ordinata, & in ſcripto Principum noſtrorum ſigillis ſignata continetur, ſicut per interpoſitam perſonam jurare fecimus, ſic præſenti ſcripto nos obſervare promittimus, & confirmamus, & ratam in poſterum permanere volumus, & ſic deinceps firmiter obſervabimus, & faciemus, quatenus in nobis fuerit, Deo propitio, obſervari. Datum apud Venetias in palatio Ducis, decimo quinto Kalendas Octobris, indictione X.

Goldaſti Conſtitutiones Imperiales Tomo III. pag. 357. *ad ann. MCLXXVII.*

Collectio Regia Concilior. Tom. XXVII. pag. 425.

Philip. Labbej Collect. Concilior. Tom. X. pag. 1491.

Dumont, Corps Diplomatique Tomo I. No. CLXXVI.

SYNODUS DIOECESANA HILDESHEIMENSIS

AB ADELOGO, EPISCOPO HILDESHEIMENSI, CELEBRATA, Anno Chriſti MCLXXVIII. Alexandri III. Papæ XX. Friderici I. Reg. XXVII. Imp. XXIV.

SUMMA. Lamſpringenſis Eccleſiæ origo, ac progreſſus fuſe in memoriam revocantur, ejusque poſſeſſiones univerſæ eidem de novo confirmantur.

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS.

ADELOGUS, DEI GRATIA, HILDESHEIMENSIS EPISCOPUS.

PAſtoralis cura ſollicitudinis id a nobis exigere videtur, quatenus Eccleſiarum Dei, & fidelium, noſtræ diſpenſationi commiſſorum paci ac quieti dili-

diligentius attendamus, & ut præsenti ac futuro tempore Divinæ servitutis officiis pro debito jugiter insistere valeant, propulsa improborum importunitate, quantum in nobis est, cauta ac salubri provisione satagere studeamus; inde est, quod pia commonitione dilecti fratris nostri *Gerardi Lamspringensis* Præpositi, gratanter inducti, ipsam Lamspringensem Ecclesiam, quam Divinæ gratiæ largitate, totius Ecclesiasticæ Religionis disciplina eleganter instructam atque ordinatam invenimus, auctoritatis nostræ privilegio tam in Spiritualis observatione disciplinæ, quam in temporalium rerum extrinseca conservatione omnimodis communire, dignum ducimus.

Eadem nempe Ecclesia, ut ex scriptorum antiqua traditione accepimus, sub *Altfrido* venerabili quarto Ecclesiæ præside, a *Ricdago*, quondam Illustri Comite, atque laudabili ejus conjuge *Embilda*, ad Divinæ servitutis executionem sub ancillarum Dei sexu fundata est, & tam a sanctæ recordationis Episcopo, quam a prætaxato Comite, per *Richburgam* filiam ejus, primam ipsius loci Abbatissam, in ipso Dei opere feliciter promota; postmodum, cum procedente tempore, primitivæ Religionis fervor intepuisset, & disciplinæ claustralis observantia dilapsa jaceret, a Reverendissimo viro *Bertholdo*, Ecclesiæ nostræ XIX. Episcopo, ad honestam Religiosæ conversationis normam, atque ad laudabilem Divinæ servitutis redintegrationem commode atque utiliter reformata est, & usque ad nostri temporis ætatem, Domino operante, conservata. Quapropter & nos sanctæ ipsius Religionis observationem a prædecessoribus nostris institutam, atque usque in præsentem diem ad nos inviolabiliter deductam, auctoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostræ humilitatis officio, statuimus, amodo perpetuis sæculis perhenniter observari, & a nullo mortalium aliquo temeritatis ausu deinceps immutari.

Porro, possessiones Ecclesiæ, quas vel ante nos habuit, aut nostri Pontificatus tempore, Domino opitulante, adepta est, idoneum judicamus in hac pagina denotare, ac, pro officii nostri debito, nihilominus confirmare. Possedit autem hactenus prædicta Ecclesia legitime, & jure proprietatis, in ipso Territorio Lamspringe mansos XV. &c. *vide supra, in Synodo anni* 1149. *p.*363. *b. Tomi.*

Contulerunt etiam eidem Ecclesiæ Illustrissimi Principes, *Heinricus* Dux Bavariæ & Saxoniæ, & *Adalbertus* Marchio; cum filio suo *Theodorico* Comite, medietatem bonorum in Appeldern, in Episcopatu Mindensi, quibus Cappellani eorum inbeneficiari solebant, cum omni utilitate & jure, quo ea possederant. Præterea, tempore Bernonis, piæ recordationis Præpositi, de collatis Eleemosynis fideles ipsius Ecclesiæ compararunt prædium CL. Marcis a *Theodorico* Comite de *Haldesleve*, in villa Bunninge XV. videlicet mansos, & molendinum unum, & Ecclesiam ibidem cum bonis ad eam attinentibus, ab antecessoribus cognationis ejus ex propria hæreditate liberrime constructam, cujus ordinatio ad solum pertinet Præpositum, ut Domini Priores eam ante possederant. Quam scilicet venditionem seu donationem, idem Theodoricus Comes de consensu & collaudatione legitimæ hæredis, matris videlicet suæ, Dominæ *Cunigundis*, & uxoris suæ, *Berthæ* voluntate, in *publica Synodo* Hildenesheim perfecit & confirmavit, nosque ibidem Episcopali banno stabilivimus.

Prædecessorum quoque nostrorum vestigia imitantes, & ab eis instituta servantes, qui Lamspringensem Ecclesiam inter matrices Ecclesias esse decreverunt, statuimus & decrevimus: ut qui Præpositus ibidem fuerit, bannum super eandem Parochiam, & super Capellas Grasthurst, & Jutthe, sicut & ante nos observatum est, habeat, & eandem curam cum Præpositura ab Episcopo, unanimi congregationis assensu, libere, secundum prædecessorum nostrorum instituta, electus.

Sanctorum etiam Canonum sancita observare volentes, omnimodis prohibemus: ne vel Advocatus, vel aliqua laicalis persona, intra septa claustralia atque officinas, seu curiam totam, quæ immunitati deputata est, aut capellas Ecclesiæ attinentes, seu areas ipsarum dotales, alicujus jurisdictionis exercendæ, aut sæcularium hominum in ipsis placita collocandi, potestatem habeat: ne personæ, Divinæ servituti specialiter obnoxiæ, eorum tumultibus indebite fatigentur.

Super

Super omnes ergo prænotatæ Ecclesiæ possessiones, quas hactenus legitime obtinuit, aut in futurum justis modis rationabiliter acquirere poterit in villis, campis, pratis, sylvis &c. atque aliis rebus omnibus mobilibus, seu immobilibus, quæcumque sint, & ubicumque fuerint, auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, in virtute Spiritus Sancti, ac Banni Episcopalis, quem nobis Deus contulit, firmam pacem in præsenti ac futuro tempore constituimus, atque ut Deo ibidem famulantium usui salva & integra omni ævo permaneant, præsentis scripti testimonio, & sigilli nostri impressione diligentissime firmamus & corroboramus, statuentes: ut omnis, qui ex his, quæ superius annotata sunt, aliquid ab Ecclesia alienare præsumpserit, a Sanctæ Ecclesiæ communione sequestratus, cum diabolo & angelis ejus, nisi resipiscat, æterna ultione condemnatus puniatur; conservantes autem, intervenientibus B. MARIÆ Dei Genitricis, & gloriosissimorum Martyrum Christi, Adriani & Dionysii meritis, æternæ vitæ præmia consequantur, AMEN.

Actum *Hildenesheim* anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVIII. Indict. XII. III. Kalend. Decembris *in Synodo*, vigilia S. Andreæ, cujus actionis testes specialiter hi sunt:

Bertoldus, Presbyter, Præpositus maj. Ecclesiæ.
Conradus, Decanus & Presbyter.
Burchardus, Præpositus.
Beringerus, Præpositus de sancta Cruce.
Berchtoldus, Decanus.
Radmannus, Abbas de S. Michaële.
Lampertus, Præpositus de Riechenberg.
Henricus, Præpositus de Henigge.
Joannes, Præpositus de Beciggerode.
Gerhardus, Præpositus de Lamspringe.
Gerhardus, Præpositus de Stederburg.

De Baronibus:

Burchardus Comes de *Woldenberg.*
Fridericus Comes.
Beringerus Comes, & Filius ejus.
Bernhardus Comes.
Diethericus Comes de *Insula.*
Conradus de *Poppenburg.*

De Ministerialibus:

Liupoldus, de Hildeshim Advocatus.
Henricus Frater ejus.
Eckbertus de *Tossim*, Camerarius.
Haimo de *Wincenburg.*
Waltherus de *Fretthen.*
Conradus de *Holthusen.*
Ernestus de *Ochtersim*, & alii plures.

Ex Archæo Lambspringensi descripsit Cl. Schannat. b. m.

SYNODUS HALBERSTADENSIS IN OSHERSLEVE,

SUB ODALRICO, HALBERSTADENSI EPISCOPO,

Anno Christi MCLXXVIII. Alexandri III. Papæ XX. Friderici I. Reg. XXVII. Imp. XXIV.

Confirmatoria Bonorum Canoniæ Hamersleve.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO ODALRICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ HALBERSTADENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS,

CONtra futura pericula fraudis, sive violentiæ consulere, & providere volens, Hamerslovensi Monasterio, ad notitiam post futuræ ætatis transmittere curavi, quod Thietburgit, nobilis matrona, cum ipsius filia, piæ memoriæ Machtilda, prædia, quæ ex patrimonio juste possedit, hæredum suorum collaudatione, ad instituendum communis vitæ ordinem Deo, & Beato Pancratio, in Hamersleve libere obtulit, & nihilominus cum eis Reinhardus, Venerabilis Episcopus, de suis reditibus ad sustentationem fidelium superaddendo Canonicorum regularium in prænominata villa Ecclesiam, a seculari potestate emancipatam,

patam, devota mente in honorem Dei, & beati Pancratii liberrime dotando construxit. Fidelium igitur Christi imitando vestigia, quæcunque bona prænominata Ecclesia legitime possidet, vel in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, vel aliis justis modis, adjuvante Deo, adipisci poterit, auctoritate Dei omnipotentis, & nostra, in perpetuum ei confirmamus, statuentes, ut Ordo Canonicus, qui illuc noscitur institutus, a fratribus ibidem congregatis inviolabiliter conservetur. Pietatis etiam propositum firmum esse desiderantes, eundem locum liberum esse decernimus, tanquam de Præposituris in Halberstadensi nullus, præter Præpositum, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, exerceat Dominium, ad Episcopum autem referat, quod modum vel vires excedit. Nullatenus etiam permittimus Præpositi potestati eleemosynas fidelium, quæ ad stipendium pauperum collatæ sunt, alicui personæ jure beneficiario exhibere; obeunte vero Præposito, in alterius electionem, qui idoneus ad id officium videatur, liberam illic manentes habeant potestatem. Statuimus itaque, ne a futuris quibuslibet personis, vel viris secularibus, aliqua præjudicia, sive gravamina, seu exactiones quandoque perferant, nisi hostilitatis gratia exigente, quantum ipsi spontaneo obsequio offerant. Quieti etiam fidelium prospicere volentes, omnibus modis prohibemus; ne aliquis Laicorum Advocatiam super bona & mancipia illius Ecclesiæ unquam in beneficium accipiat, vel aliquid jurisdictionis, seu placita locandi infra officinas claustro adjacentes, sive in locis, qui immunitati deputati sunt, quicquam potestatis exercere, præsumat; ne personæ, Divinis obsequiis obnoxiæ, eorum tumultibus indebite fatigentur. Præterea concedimus, si Præpositus loci ipsius Advocatum habere cupiat, ut sibi eum prudenter eligendo statuat, quem causa animæ suæ in necessitatibus suis, & indesinenter adesse confidat. Advocatus vero, non invocatione Præpositi, ad placitandum veniens, quicquid ei compositum fuerit, duas partes Præposito, & sibi unam, sine contradictione recognoscat. Quod si Advocatus aliter, quam decet, agens, loco incommodus extiterit, permittimus industriæ Præpositi; ut si per se non potest, Episcopi & amicorum Dei auxilio, illo remoto, alium idoneum sibi & Ecclesiæ provideat: qui subrogatus nullum ab Episcopo servitutis debitum pro Advocatia rependere cogatur, sed uterque pro defensione loci æternam remunerationem & speret, & consequatur. Considerata etiam tenuitate stipendii illic Deo servientium, eundem locum oculo misericordiæ respeximus, & pro remedio animæ nostræ, prædecessorumque nostrorum, decimam dedimus novalium præsentium & futurorum in omnibus locis, in quibus habent decimas. Præterea decimas super propria eorum novalia, ubicunque in nostro Episcopio, vel necessaria sint, vel postmodum fuerint: nominatim decimam novalium in sylva Beckendorp & Baddenleve, prædictæ Ecclesiæ beati Pancratii contradimus, sperantes, quod sicut socii cupimus esse laboris, sic erimus & consolationis. Hæc omnia denominata, & bannum Episcopalem ejusdem Ecclesiæ, Ecclesiam in Wagersleve, Ecclesiam in Gunnesleve, & bannum super eas, & bannum in Wackersleve, in Ottenleve XXX. quinque mansos & dimidium, cum mancipiis utriusque sexus, ad eosdem mansos pertinentibus, & duo prata cum tota decima ejusdem villæ: & in Bikendorp vineam unam cum dimidio manso, & silvam unam eidem villæ adjacentem, cum duobus jugeribus eodem jure, quo Reinhardus Episcopus prædictæ Ecclesiæ pro remedio animæ suæ contulit, & prædia, quæ supra memoratæ matronæ obtulerant, XXX. mansos in Hammersleve, in Wagerleve XXX. mansos, in Wirdesleve X. & novem mansos, in Lütkenhamersleve VII., in Gunnesleve I. in Helinge Ecclesiam, in Stapelinge & Hallinge XXX. & octo, in Hursinge XIV. & Ecclesiam, in Bertensleve duo, in Wichendorp duo, in Arresleve XX. & unum cum Ecclesia, in Baddersleve VIII. mansos & dimidium, in Tadisdorp IX., in Gripendorp I. & XI. jugera, in Rotammersleve unum, in Werninge unum, in Bonestorp duo, in Ballestorp I., in Dudenthorp I., in Comitatu Heinrici Marchionis in Stenberc unum mansum, & tria jugera, in Glusinge I., in Hildesleve I., in Comitatu Gertrudis Comitissæ in Adenen XI. mansos,

ſos, & duos cum Eccleſia, in Wedrem duo, in Athleveſen IV. & octo jugera, in Aſenroth IX., in Dalhejm unam manſionem & quinque jugera, in unum Panſtal, in quo cogitur ſal. In Hummenvelde X. & octo manſos cum Eccleſia, in Williniſtide X., in Uberſe VII., in Tilſele VII. Riſtide V. Lungebike I. Budenſide duos, Diſtorp VII. Bercmere octo, Wadencote V. Ammenſtorp: ſumma manſorum eſt in Mirica LXXX. manſi. In Warmeſtorp quatuor manſos, in Eilesleve III., in Ekenſtide I. cum decima novem manſorum, quam Rudolfus Epiſcopus præfatæ Eccleſiæ contulit. In Ekkenbardenleve unum manſum, in Abenrothe XII. cum decima novali, quam idem Epiſcopus Rudolphus ſimiliter contulit, in Sceninge unum, & unum Panſtal, in Brandesleve I. & dimidium, in Sehuſen duo, Dreinleve dimidium, in Welle dimidium, in Wiſterſtide duo, in Hodale unum, in Hoyem unum, in Gatersleve dimidium, in Oſterwick fundum unum & ſylvulam, in Rothamersleve manſum unum & dimidium. Salinam unam in Stasforde, cum omnibus bonis attinentibus, videlicet agris cultis & incultis, ſylvis, pratis, paſcuis, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, cum omni utilitate inde proveniente, in perpetuum eidem Eccleſiæ clavibus cæli, banni noſtri auctoritate, & ſigilli noſtri impreſſione confirmamus, & in virtute Spiritus Sancti, in quo per Chriſtum eſt omnis ligandi atque ſolvendi poteſtas, corroboramus, ut qui irritum duxerit, ſit Anathema, Marethana, & deleatur nomen ejus de libro vitæ. Amen.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVIII. Indict. XII. V. Kalend. Junii, *in publica Synodo Osbersleve.* Præſidente Catholicæ Eccleſiæ Alexandro Pontifice: tempore Friderici glorioſi Imperatoris. Hujus rei teſtes ſunt: Romarus Major Præpoſitus, Conradus Decanus Major, Conradus Camerarius, Theodoricus Præpoſitus Sanctæ Mariæ, Wernerus Præpoſitus de Boſſenleve, Anſelmus S. Cyriaci. *Majores Canonici*: Heinricus Franco: Frichericus de Hertbine, Rudolphus de Hackenſtide, Gardolphus Subdiaconus, Gevehardus & Albertus Presbyteri, Magiſter Ludolphus de Magdeburg. Reinboldus Abbas Huiſeburg, Conradus Bergenſis Abbas, Gevehardus de Hiltesleve, Bertoldus Abbas, Sifridus Abbas de Ballenſtide, Hermannus Præpoſitus S. Johannis, Hermannus Præpoſitus in Scheninge, ipſius loci Præpoſitus Henricus de Stöterlingeburg, Burchardus Præpoſitus S. Wiperti, Everhardus Abbas de lapide S. Michaëlis. *Nobiles Laici*: Luidolphus majoris Domus Advocatus, Frichericus de Hakeburne, Odelricus de Witin, Burchgravius & frater ejus Engelolphus, Otto de Hertbike, Odelricus de Hertbike, Chriſtianus de Amvorde, Thiedericus de Hyersleve, Eggelbertus de Meintrop. *Miniſteriales Eccleſiæ*: Theodericus de Hackenſtide, Hugoldus de Quenſtide, Henricus de Eilenſtide, Heinricus & Ericus de Bikendorp, & alii quam plures viri honeſti tam de Clero, quam de populo.

Leuckfeld Antiquitates Michaelſteinenſes pag. 35.

SYNODUS SALISBURGENSIS
IN LOCO HOCHENAWE.
ANNO CHRISTI MCLXXVIII. ALEXANDRI III. PAPÆ XX. FRIDERICI I. REGIS XXVII. IMP. XXIV.

ANNO MCLXXVIII. Synodus valde celebris habita eſt in Kalendis Februarii a Domno Chunrado Saltzburgenſi Archi-Epiſcopo & Apoſtolicæ Sedis Legato, & ab omnibus Suffraganeis ejus Epiſcopis, multisque Principibus, de rebus Eccleſiaſticis. Habita eſt autem in Epiſcopatu Saltzburgenſi, in loco, qui Hochenawe dicitur. *Ita Chronicon Reicherſpergenſe, in quo nulla fit mentio rerum, de quibus in ea Synodo tractatum fuerit. Sed Adelzreiterus de eadem Synodo ſcribit ſequentia:*

Cal. Februarii Hogenaugiæ Synodum habuit (Conradus) Epiſcoporum ad Provinciam ſpectantium, cui ſimul voluit

voluit equestris ordinis Primores interesse. In ea Callistus ejuratus, Alexander vero orbis Christiani parens est agnitus: explosum schisma, odia posita, sublatæ factiones, templis honor, aris sacra restituta, pax & alta quies universæ Bojoariæ. *Adelzreit. P. I. L. XXII. ad annum* 1178.

Ibi fortassis Richero Brixinensi propter piaculum proditi nuper Alberti (*a*) Archi-Episcopi, persuasum, ut de sede, quam ingratiis ejus adierat, deliberaret abire, quod paulo post fecit: extremumque tempus in Hospitali ab se constructo in Insula S. Crucis exegit, ubi vitam clausit eodem anno, die S. Erasmi.

Hansiz. German. Sacræ T. II. ad h. a.

(*a*) Albertus [*al.* Adalbertus] filius Regis Bohemiæ Wladislai, sedit annis octo [in Cathedra Saltzburgensi] contra omnes insultus Imperatoris. Anno nono facta pace inter Imperatorem & Papam depositus est, & ei substitutus Chunradus Moguntinus Archi-Episcopus, cui [nempe Chunrado] in propria Ecclesia superpositus fuerat Christianus Archi-Cancellarius. Chunradus iste sex annis in Ecclesia Saltzburgensi sedit, & mortuo Christiano revocatus est ad suam (Moguntinam) Ecclesiam, & Dominus Albertus ad suam, (nempe Saltzburgensem.) *Ita veteris Scripturæ fragmentum de Archi-Episcopis Saltzburg. apud Hansitz.*

Juramentum dictum à Philippo Archiepisc. Coloniensi, quando in Concilio Lateranensi III. Pallium de novo accepit ab Alexandro III. Papa, per manus Hyacinthi Cardinalis: & Pallium a Paschali Antipapa acceptum abjecit.

ANNO CHRISTI MCLXXIX. ALEXANDRI III. PAPÆ XXI.
FRIDERICI I. REG. XXVIII. IMP. XXV.

EGo *Philippus* anatematizo, & recuso omnem hæresim, extollentem se adversus sanctam Romanam Ecclesiam Catholicam, præcipue vero schisma Octaviani, Guidonis & Joannis, & ordinationes eorum irritas judico, & eis contradico: & modo & in antea me obediturum juro, & promitto fidelitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino meo *Alexandro*, & successoribus ejus, juste intrantibus; ipsique inserviam absque omni malo ingenio, contra omnem hominem, secundum ordinem meum. Consilia ejus, quæ mihi scripto certo mandaverit, vel ipse commiserit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis aut membrorum. Legatum Ecclesiæ Romanæ honorabo & ducam & reducam, & juvabo expensis. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia.

His verbis dabantur Pallia: In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & in honore Dei Genitricis, & in honore Apostolorum Petri & Pauli, & Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, & Domini Alexandri Papæ, tradimus tibi pallium, sumptum de Beatissimo corpore Petri Apostoli, ut eo utaris in confectione Sacramentorum & corporis & sanguinis Domini, & in consecratione Ecclesiarum, & Chrismatis, & ordinatione Clericorum, & *in celebratione Synodorum*, secundum Ecclesiæ tuæ consuetudinem amen.

Crantzius in Metropoli Lib. VII. C. III.
Binius Tom. III. Concil. Part. II. p. 564.
Baronius ad h. a. N. VI. ex actis Vaticanis & Helmoldo.

Anno Domini 1179, ita *Matthæus Paris*, *Rogerius de Houeden*, & *Guilhelmus Tyrius*, qui huic Synodo interfuit. Qui locis supra recensitis aperte scribunt, hanc Synodum anno Domini 1179. celebratam fuisse.

Episto

Epiſtola Epiſcoporum & Principum Germaniæ ad Alexandrum III. Confirmatoria pacis & treugæ inter Papam & Regem Siciliæ.

DOMINO SUO AC PATRI VENERANDO ALEXANDRO, DEI GRATIA, S. ROMANÆ SEDIS ET CATHOLICÆ ECCLESIÆ SUMMO PONTIFICI ATQUE UNIVERSALI PAPÆ, CHRISTIANUS MOGUNTINUS ARCHI-EPISCOPUS, PHILIPPUS COLONIENSIS ARCHI-EPISCOPUS, WEREMUNDUS MAGDEBURGENSIS ARCHI-EPISCOPUS, ARNOLDUS TREVIRENSIS ARCHI-EPISCOPUS, CONRADUS WORMATIENSIS EPISCOPUS, GAUFREDUS CANCELLARIUS, WERMUNDUS PROTO-NOTARIUS, F. COMES HOLLANDIÆ, F. MARCHIO DE LUCIS, ET FRATER EJUS DIEDO COMES DE DURSIA, ET R. COMES DE DIUNA, FILIALIS DEVOTIONIS OBSEQUIUM CUM DEBITA OBEDIENTIA ET DEVOTIONE.

QUot commoda, quæ ex confirmata pace Eccleſiæ & Imperii, utilia toti mundo provenerint; ipſa innumerabilia mala, quæ exinde acciderunt, manifeſte oſtendunt. Sicut enim ab utriuſque concordia Provinciæ orbis terrarum ad ſalutem & tranquillitatem reguntur; ita ſub eorum diviſione a propria ſtatus rectitudine diſtrahebantur. Gaudeat itaque tellus tam deſiderabilis roris viſitatione reſperſa, tam gratioſæ pluviæ inundatione fœcunda, per quam fideles populi ariditatis ſitim depellant, & omnia jurgiorum ſcandala, & ſcandalorum incendia ſuffocentur. Nos ergo, Pater *Sanctiſſime*, de tanto concordiæ fructu lætantes, ipſam Sacratiſſimæ Eccleſiæ & Imperii pacem, ſicut ab utriuſque partis mediatoribus eſt diſpoſita, & in commune ſcriptum redacta, & *Illuſtris Regis Siciliæ* uſque ad quindecim annos, & treugam Lombardorum a proxime præteritis Kalendis Auguſti uſque ad ſex annos, ſicut a mediatoribus eſt ordinata, & noſtris juramentis firmata, & in ſcriptum commune redacta, noſtri conſenſus ſtudio & vigore confirmamus, & ratam atque inconcuſſam tenemus, & ut ſic obſervetur, operam dabimus. Et ut hæc noſtræ confirmationis pagina ſubſecuturis temporibus firma atque illibata permaneat; eam propriis ſubſcriptioninibus communiri, & ſigillorum noſtrorum fecimus appenſione inſigniri.

(L.S.)

Ego Chriſtianus Archiep. Moguntinus.
Ego Philippus Colonienſis Archiep. & Italiæ Archi-Cancellarius.

Binius Concil. Tom. III. Part. II. p. 550.
Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis ad A.C. 1177. *N. XXXI. Tom. XII.*

SYNODUS DIOECESANA TREVERENSIS

ANNO CHRISTI MCLXXIX. ALEXANDRI III. PAPÆ XXI. FRIDERICI I. REG. XXVIII. IMP. XXV.

SUMMA. Decimas donatas clauſtro Himmerodenſi a quodam Parocho multis licet contradicentibus confirmat Arnoldus Archiepiſc. Treverenſis.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO ARNOLDUS, TREVERORUM ARCHI-EPISCOPUS, IN PERPETUUM.

NOſcant omnes Chriſti fideles, ad quorum manus litteræ iſtæ pervenerint, quod ſicut ex ſcripturis prædeceſſoris noſtri, bonæ memoriæ, *Hillini*, Treverorum Archi-Epiſcopi didicimus: *Gilbertus*, quondam Paſtor *de Altreja*, *Ranulfo Abbati*, & *Fratribus de Clauſtro*, per manum Arnulfi, tunc temporis Archi-Diaconi, & memorati prædeceſſoris noſtri Hillini, omnem decimationem

Agriculturæ eorum in termino memoratæ Ecclesiæ de Altreja, quæ sui juris erat, in proprium libere concessit . . . quod scriptis suis tam memoratus *Hillinus*, quam summus Pontifex *Eugenius* confirmare curaverunt. Verum, defuncto prætaxato *Gilberto*, successor ejus *Godefridus*, Abbatem, & fratres de Claustro bona sua injuste auferendo, super prædicta decima inquietavit, & de eis in conspectu nostro querimoniam deposuit. Tandem vero inspectis fratrum instrumentis & prolatis Apostolicæ Sedis privilegiis, coram judicibus veritas emicuit. . *Godefrido* autem de hoc modo sublato, *Everbardus* de Numagia, ei in cura pastorali succedens, quæstionem jam diu sopitam in fratres de Claustro suscitavit, qui dum hujus rei veritatem, ratione & privilegiis munitam, diligenti inquisitione, cognovisset, factum prædecessorum suorum legitimis instrumentis inviolabiliter roboratum, ratum habuit, & hoc *coram universa Synodo Treveris celebrata*, Domino *Johanne*, majore Decano pronuntiante, recognovit.

Nos igitur, summorum Pontificum beatæ Memoriæ *Eugenii*, & *Alexandri*, etiam & prædecessoris nostri Domini *Hillini* vestigiis inhærentes, præfatas decimarum pactiones, ut ratæ in perpetuum, & inconvulsæ permaneant, fratribus sæpedicti Monasterii confirmamus, & banni nostri vinculo communimus, ut si quis contra hanc confirmationem nostram venire temptaverit, anathema sit.

Testes: Rodulfus, majoris Ecclesiæ Præpositus; Johannes, major Decanus; Ludovicus, Abbas Sancti Eucharii; Gerardus, Palatioli, Wezelo Cantor; Magister Everbo &c.

Acta sunt hæc anno Incarn. Dominicæ MCLXXIX.

Ex archæo Hemmenrodensi descripsit Cl. Schannatus b. mem.

RADULFI, Episcopi Leodiensis, Decreta adversus incendiarios & rerum Ecclesiasticarum deprædatores.

RADULFUS, DEI GRATIA, LEODIENSIS EPISCOPUS, OMNIBUS PRÆLATIS ET SUBDITIS IN LEODIENSI EPISCOPATU CONSTITUTIS, SALUTEM ET PATERNAM DILECTIONEM IN DOMINO.

CUm mundus ipse in maligno sit positus, & ubique terrarum sufficiat diei malitia sua, nos tamen, in quos fines Marchiæ Imperialis devenerunt, præ cæteris ampliora & graviora sustinemus. Confluentibus præteritorum & præsentium ex impunitate, sicut nobis videtur, causis, nulli ordini, nulli religioni, nulli honestati, nulli inopiæ, nulli ætati in aliquo defertur; bona Ecclesiarum in præda omnibus sunt, eo majori audacia, quo majori licentia. Villas & septa earum violenti irrumpunt, & his præda vel incendio consumtis, ad atrium migrant, & timore Dei, & reverentia legum longe a se posita munitates atrii frangunt, & insuper domiciliis ob refugium in atrio constitutis, igne injecto, quem sciunt de proximis ad sacras ædes migraturum, quando vident flammas ignis parietes Ecclesiarum lambere, in fraudem juris tunc demum incipiunt conclamare: *succurrite; succurrite;* quasi nolint Ecclesias Dei ob sacras munitates ardere: quarum ipsi vicinis domibus flammas de facili ad proxima quaque volatiles libenter injecere. Et quod deterius est: quando de his omnibus enormitatibus, ternis vel quaternis citationibus, ad satisfactionem vocantur, diductis attinentiis fatigationis, & expensis, quæ publicæ cognitioni subjacent, ipsi impudenter negant; & quod impie gesserunt, perjurio expiare contendunt: aut si de facto fatentur, aliqua honestatis specie redditionem ablatorum, precibus vel interventu amicorum suorum, vel nobilium civitatis suæ, promissa remissione conantur subripere. Horum omnium intuitu, constituimus, ut de omnibus quocunque modo

Rudolfus, frater Bertoldi Turingiæ Ducis, XXXIII. Episcopus Leodiensis, sedit ab anno 1167. ad annum 1191. quo reversus e Jerosolymæa, cruce signatorum expeditione obiit 5. Augusti.

modo violenter ablatis, de C. Solidis non plus quam 11. remitti possint, quod tamen non nisi bonæ dispensationis providentia est fiendum; ablata enim restituenda sunt in quadruplum.

I. Qui prædam vel incendium fecerit, de principalis auctor, secundum decretum, a Papa Eugenio de incendiis promulgatam, ipso suo facto, cum tota terra sua statim interdicto subjacebit.

II. Si Ecclesiam in fundo, vel de feodo suo habuerit, in ea Missas celebrare nulli licebit. Omne solatium Christiani cultus in ea cessabit, absque baptismate parvulorum, & visitatione infirmorum, si tamen rei objecti criminis non fuerint.

III. Omnes enim, qui in perpetratione incendii, vel prædæ, auxilium ei præstiterint, vel in Comitatu ejus vexillum, vel ducatum scienter secuti fuerint, nisi infra legitimas citationes satisfecerint, rei erunt, de quorumcunque crimine accusati fuerint. Et si lectum ægritudinis decubaverint, viatico carebunt, nisi vere pœnituerint, & ablata proportione sua reddiderint, & de cetero nullatenus se venturos in damnum Ecclesiæ jurejurando firmaverint, & de bannis Episcopo, vel Archi-Diacono satisfecerint.

IV. Qui autem aliqua circumventione ignorantiæ seducti fuerint, post primam cognitionem rei gerendæ, si in consilio impiorum non abierint, & in via peccatorum non steterint; sed se statim a detestatione sacrilegii averterint, & secum, quos possunt, a via iniquitatis converterint, & hoc septima manu bonorum virorum, qui cum iniquis illis coinquinati non sunt, jurisjurandi religione probaverint; illi procul dubio, sicut nec culpa tenentur, ita pœna incendiariis debita non involventur.

V. Si autem aliqua manus violentia, vel temeraria irruptio atrio excommunicatum aliquem sepelierit, usque ad ejectionem cadaveris eruti, Ecclesia illius atrii silebit.

VI. Si autem aliquis laicus aliquem absque Sacerdote in atrio sepelierit, ipse statim ex præsumptione Sacerdotalis officii sub interdicto erit. Abundantiori autem pœna ejus arbitrio Episcopi subjacebit; nisi enim in ea præsumptione gravior lapsus esset, horrendo hiatu præsumtores hujusmodi terra non absorbuisset.

VII. Præda vero cujuscunque prædonis ad quamcunque villam, vel oppidum, vel civitatem minata fuerit, nisi districtus villæ post auditum clamorem, banno suo usque ad jurisdictionem eam tenuerit; ipsa villa, vel oppidum, vel civitas sub interdicto usque ad dignam satisfactionem jacebit; emtor vero, vel venditor, usque ad redditionem ablatorum maledictionis banno subjacebit.

VIII. Incendiarii autem, quamvis interdicto subjiciendi sint, non tamen statim anathemate feriendi, sed tribus citationibus juxta morem, ad satisfactionem vocandi. Si ergo venerint, & damnum illatum bona fide restituerint, reconciliari Ecclesiæ merebuntur. Quod si ad excusandas excusationes in peccatis, quod in manifesto est, negare tentaverint, in hoc casu neganti factum probatio incumbere debebit.

IX. Sub interdicti autem, vel anathematis sententia jacentes, principaliter auctores incendii, vel prædæ, quamdiu satisfacere contemnunt, ad quemcunque locum venerint, nullius chrismatis solatio participabunt; nec receptione, nec foro digni erunt; ipsisque in villa, vel in oppido, vel in civitate existentibus, nulli Missas celebrare licebit. Solemnitas Divini cultus clausis Ecclesiis omnino cessabit. Pulsabulum quoque campanarum intermittendum erit; ut saltem hoc sequestrationis rubore corrigantur, aut a bonis Christianis, quorum damno intraverunt, exire compellantur.

X. Hoc quoque addendum existimavimus, ut de bonis Ecclesiasticis nullus eis salvamentum dare præsumat: tolerabilius judicantes nos damna sine lucro eorum suscipere, quam illos detrimentis nostris incrementum quæstus accipere.

XI. Igitur ab omni Clero severissimæ tenendæ sunt interdictionis & excommunicationis sententiæ.

XII. Quod si aliquis meticulosus, vel prece, vel favore aliquo inclinatus solverit: convictus de illicito pravorum consensu, sive Plebanus, sive Decanus, ab omni Clero & beneficio Ecclesiæ tamquam purgamentum projiciendus erit: si vero

vero ob firmam custodiam mandatorum de bonis suis ejectus fuerit; huic Ecclesia, pro qua persecutionem patitur, necessaria providebit: si vero propter justitiam, quæ facta est alicui pauperum, periculum incurrerit; huic Episcopus solatium refutationis debebit.

XIII. Si autem aliquis pseudo Sacerdos in locum vi ejectorum subintraverit, is publice excommunicandus erit, & tamquam contagium ab omnibus vitandus, & a toto Episcopatu, absque spe reconciliationis, projiciendus.

XIV. Et quamvis sacrilegos malefactores Ecclesiastica censura feriendos denuntiemus; omni tamen potestate a Deo nobis concessa & credita nobis sollicitudine, suo loco, & tempore utendum esse cognoscimus.

Martene Anecdotorum Tom. I. pag. 492. Ex quo Mansi Tom. II. Supplementi pag. 559.

SYNODUS SALISBURGENSIS

CIRCA ANNUM CHRISTI MCLXXX. ALEXANDRI III. PAPÆ XXII. FRIDERICI I. REG. XXIX. IMP. XXVI.

SUMMA. Diuturna lis inter Salisburgensem Archi-Episcopum & Gurcenses, de electione Episcopi, per denominatos a Papa Commissarios decisa.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Nos Albertus Frisingensis Episcopus, & Henricus Abbas Sanctæ Crucis, delegati judices, a Domino Papa Alexandro III. super causa, quæ vertebatur inter Dominum Chunradum III. Salzburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopum, Apostolicæ Sedis Legatum, & Canonicos & Ministeriales Gurcensis Ecclesiæ, videlicet de Electione Episcopi, quam sibi ipsi Gurcenses liberam vindicabant tam de jure communi, quam Privilegii Lucii Papæ, quod se habere profitebantur, tum etiam longa consuetudine. Verum quia nec longam consuetudinem probare potuerunt, nec privilegium, quod se habere profitebantur, exhibuerunt: cum, etiamsi exhibuissent, Archi-Episcopus allegabat, per subreptionem impetratum fuisse, cum in eo mentio non fieret Privilegii II. Alexandri, nec Privilegii Henrici Regis, quibus munita erat Saltzburgensis Ecclesia super Electione, institutione, consecratione Gurcensis Episcopi. Afferebat etiam Archi-Episcopus, quia eo nunquam fuissent usi. Illis non inficiantibus, introducebat & Archi-Episcopus Privilegia Alexandri Papæ III., & Friderici Imperatoris, quibus confirmabantur prædicta Privilegia: produxit quoque testes omni exceptione majores, Sibotonem Saltzburgensis Ecclesiæ Præpositum majorem, Fridericum ejusdem Ecclesiæ Decanum, Rubertum de Grebric, Rubertum de Halle, Ottonem de Gloese, Meingozum de Engilhamingen, Marcuvardum Dapiferum seniorem, Rudulfum de Werven: quorum plures viderunt Archi-Episcopum Saltzb. Episcopos elegisse, investisse, consecrasse.

His itaque omnibus moti, præsertim, quia pars adversa omnia . . . . . testificata, & cum nil pro ea faceret, volens omnino cesserit, confitens etiam, se peccasse, quia Salzburgensem Ecclesiam litibus & sumptibus gravaverat, auctoritate Dei, & Apostolorum Petri & Pauli sententiando pronuntiamus coram Nuntiis Cardinalium, Apostolicæ Sedis Legatorum, Centhio Romanæ Ecclesiæ Subdiacono, & Magistro Hugone Januensi Diacono, Egilolfo quoque Imperialis Aulæ Capellano, quorum consilio usi fuimus, Gurcenses Canonicos, sive Ministeriales, Electionem Gurcensis injuste sibi vindicare, & ad Archi-Episcopum Saltzburgensem omnino pertinere.

Hæc

(a) Conradus, Moguntinensis Archi-Episcopus constituitur anno 1164. Sed quia Antipapam Octavianum nolebat agnoscere; ab Imp. deturbatur. Fugit Romam ad Alexandrum III. a quo fit Cardinalis & Episcopus Sabinensis, anno 1177. Archi-Episcopus Salisburgensis.

Hæc sunt nomina Testium.

Dropoldus Pataviensis Episcopus.
Siboto Salisburgensis Præpositus.
Henricus Abbas Sancti Petri.
Isenricus Abbas de Admonte.
Fridericus Præpositus Berchtesgaden.
Meingoz de Buomburg.
Rudolfus Præpositus de Chiemse.
Siboto Abbas de Serven.
Rudolfus Decanus de Frisinga.
Chunradus Præpositus Sancti Andreæ.
Bertoldus Præpositus de Isana.
Magister Hartmundus Frisingensis Canonicus.
Magist. Ortuwinus Frising. Canonic.
Magist. Olricus Frising. Canonic.
Otto Præpositus Pataviensis,
Henricus Præpositus de Ahusen.
Albertus Præpositus de Matse.
Alhardus Præpositus de Randshoven.
Babo Præpositus de Suben.
Henricus Abbas de Mense. (*a*)
Hermannus Ratisbonensis Decanus.
Egilolfus Imperatoris Capellanus.
Alhardus Præpositus de Halle.
Olschalcus Augustensis Præpositus.

Vice-Dominus Aquilejensis, Otto Palatii Major, & frater ejus Fridericus, Rudolphus de Phuld . . . . . . Comes Dietricus, Comes de Wazerburc, Chunradus Comes de Mitterfel, Comes Ekkebertus de Teckendorff, Berchtoldus Marchio de Andechs.

Meichelbeck Historiæ Frisingensis Tomo I. Parte I. pag. 374.

(*a*) Mansee.

CURIA MOGUNTINA

EODEM ANNO.

Henrici Legati Apostolici invitatio ad Curiam Moguntinam.

KARISSIMIS IN CHRISTO FRATRIBUS ET AMICIS, VENERABILIBUS DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS ET PRÆPOSITIS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS ET DILECTIS IN DOMINO NOBILIBUS VIRIS, DUCIBUS, COMITIBUS, MARCHIONIBUS, ET ALIIS PRINCIPIBUS UNIVERSIS, PER REGNUM THEUTONICUM CONSTITUTIS, AD QUOS LITTERÆ ISTÆ PERVENERINT. HEINRICUS, EADEM GRATIA ALBANUS EPISCOPUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, SALUTEM IN DOMINO.

EX quo vox illa turturis, vox gemitus, vox doloris fines nostros lamentabilis nuper novitate rumoris aspersit; quis ad tantam stragem non ingemiscat populi Christiani? Quis terram illam sanctam, quam redemptioni nostræ ipsi dedicaverunt pedes Domini, spurcitiis paganorum exponi non doleat? Quis crucem salvificam captam non deploret, & conculcatam ab ethnicis, & sanctuarium Domini prophanatum? Heu, heu ad auditum quendam similem, cum fixuras clavorum crux ipsa susciperet, terra tremuit, sol expavit, petræ scissæ sunt, & aperta credimus monumenta. Cujus ergo vel saxeum pectus auditus iste non emolliat, cum sputis afficitur, configitur, habetur contumeliis crux admirabilis, nostrorum curatio vulnerum, restitutio sanitatum, lignum dulce, signum vitæ, vexillum militiæ Christianæ? Fateamur necesse est, quamvis quidem minora patiamur, sed majora, quam potuerimus vel timere. Verumtamen, quia universæ viæ Dei misericordia & veritas, eatenus nos dejicere non debemus; quin sperandum nobis sit, quod qui, peccatis exigentibus, populum Christianum, qui jam post concupiscentias suas oculos suos statuerat declinare in terram, de judicio flagellavit, redemptionem nobis de misericordia sua reservavit. Quomodo namque asportari permitteret lignum crucis ab ethnicis, nisi iterum crucifigendus ab eis? Ecce videmus iteratum redemptionis nostræ mysterium, dum pro nobis suo nunc nomini non pepercit vel cruci, qui quondam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim abbreviata est manus Domini, nec brachium Domini infirmatum est, ut salvare non possit: sed operatur misericordiam suam inscrutabilis altitudo Dei, ut torpentem mundi devotionem sic excitet, atque per obsequium vestrum & aliorum, quos ad hoc eli-

eligere dignatus fuerit, nobis ſalubriter & ſibi glorioſe de barbaræ nationis hoſtilitate triumphet. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, in quibus utinam milites Chriſti abjiciant opera tenebrarum, & ad vindicandam injuriam crucis indui non differant arma lucis, loricam fidei & ſalutis galeam aſſumentes. Malitia fuit non militia, quod hactenus Chriſtianorum cædibus & rapinis, & execrabilibus torneamentis intenti, ignem inextinguibilem & immortalium cruciatus vermium meruerunt. Felix eis abeſt militia, in qua & vincere gloria, ſed magis mori lucrum. Ad hanc invitat vos hodie, qui amat animas, nec propriæ pepercit injuriæ, ut neceſſitatem fidelibus ſuis imponeret ad hanc militiam compellentem. Adeſt, qui ſignaculum vitæ gementibus ſuper tantis malis ad evaſionem intolerabilis percuſſionis imponat: & quamvis multiplicia vaſa interius exigentibus peccatis jam egreſſi teneantur percuſſiones, ſolos nocebunt eos, qui divinitus oblatum ſibi vitæ ſignaculum recuſabunt. Inde eſt, quod a *Sereniſſimo Domino F. Romanorum Imperatore & ſemper Auguſto*, & nobis pariter, qui de mandato Sedis Apoſtolicæ pro eodem negotio, quantum Domino cooperante facultas ſuppetit, laboramus, ſolempnis *eſt Curia apud Magunciam*, ad quam Dominicâ, quâ cantatur *Lætare Jheruſalem*, diem feſtum agant, & Conventum faciant omnes, qui diligunt eam. Quoniam igitur eadem *Curia* ſingulariter eſt Salvatori Domino deputata, *ſicut Imperialis Majeſtas ſua poteſtate nos convocat, nosque ex parte Dei, & ea, qua fungimur, Legationis auctoritate*, univerſitatem veſtram ad *eandem Curiam* convocamus, &, ne quis veſtrûm (*) legitima & certa neceſſitate præſentiam ſuam prædicto Concilio Chriſtianitatis exhibere diſſimulet, injungimus firmiter & mandamus. Vos autem *Venerabiles Epiſcopos* in convocandis Abbatibus & aliis Prælatis, qui ſub vobis ſunt, una cum præſentium portitore, qui forte omnes adire non poterit, fore præcipimus ſtudioſos. Illud etiam univerſitati veſtræ duximus nominandum, ut ad *Curiam* Jeſu Chriſti in ea gravitate & modeſtia, quâ convenit, neceſſitate evectionum, & omni curioſitate & gloria temporali poſtpoſita, ſtudeatis accedere, igne tamen karitatis & obedientiæ ad exaltationem Chriſtiani nominis unanimiter inflammati, ut fidem, quam lingua noſtra loquitur, habitus, familia & converſatio fateatur.

Ex reliquiis MSS. Ludewigii Tom. II. pag. 449.

(*) *forte* ſine.

SYNODUS COLONIENSIS

ANNO CHRISTI MCLXXXII. LUCII III. PAPÆ II.
FRIDERICI I. REG. XXXI. IMP. XXVIII.

SUMMA. Monaſterii Eiffliæ Eccleſiæ confirmat Philippus, Archi-Epiſc. Colonienſis, allodium in Schevene, donatum ab Hermanno & Agnatis ejus.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO PHILIPPUS, DEI GRATIA, COLONIENSIUM HUMILIS (a) *INSTITUTOR. . .*

NOtum facimus, quod Herimannus in majori Eccleſia Canonicus & Cellerarius, & frater ſuus Arnoldus, in Monaſterio, quod eſt in Eifflia, Canonicus, fraterque eorum Rodulphus, in nominata villa Advocatus, ejuſque uxor Flandria, allodium ſuum in Schevene cum omni integritate, Eccleſiæ, quæ eſt in Monaſterio in Eifflia, legitime contulerunt. Præterea, quidquid juris in Eccleſia de Schevene habuerunt, ſcilicet inveſtituræ medietatem liberam, & tres octavas partes, Heriberto in pheodum collatas datis annumerabant. Super hôc etiam Eccleſiæ prædictæ impoſterum fideliter conſulentes, noſtræ auctoritatis firmamentum, totiusque Synodi noſtræ teſtimonium poſtulabant.

(a) *forte* inſtructor.

Nos

Nos igitur factum eorum auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beati Petri & Pauli, ac nostra corroboravimus; ut si quis allodium prænominatum ab Ecclesia prædicta alienare temptaverit, anathematis vinculo innodatus pronuntietur & habeatur.

Facta sunt hæc *in Synodo nostra Coloniensi*, anno Dominicæ Incarn. MCLXXXII. Sept. Non. Indict. Anno XV. sub Lucio Papa. Regnante Friderico Roman. Imperatore.

Cl. Schannat. descripsit, non coronato fonte, quem bibit.

ATREBATI CONVENTUS

ANNO CHRISTI MCLXXXIII. LUCII III. PAPÆ III. FRIDERICI I. REG. XXXII. IMP. XXIX.

Transactis diebus Nativitatis Dominicæ Wilhelmus Remensis Archi-Episcopus, & Comes Flandriæ Philippus, in civitate *Atrebatensi* de secretis suis locuturi conveniunt. Ibi multarum hæresum fraudes per quandam mulierem in terra Comitis sunt detectæ. Isti hæretici nullius hæresiarchæ muniuntur præsidio: quidam dicunt illos Manichæos, alii Cataphrygas, nonnulli vero Arianos. Alexander autem Papa vocat eos *Patervios*, (*a*) sed quidquid sint, oris proprii confessione convicti sunt hæretici immundissimi. Multi sunt in præsentia Archi-Episcopi & Comitis accusati, nobiles, ignobiles, Clerici, milites, rustici, virgines, viduæ, uxoratæ. *Tunc decretalis sententia ab Archiepiscopo*, & (*b*) Comiti præfixa est, ut deprehensi incendio traderentur, substantiæ vero eorum, Sacerdoti & Principi resignarentur.

Chronographus Aquicinctinus, ex quo Pagius ad h. a. apud Miræum.

Combusti sunt multi hæretici in Flandria a Wilhelmo Reverendo Remensium Archi-Episcopo, titulo S. Sabinæ Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, & a Philippo, illustri Comite Flandrensium. *Rigordus de gestis Philippi Augusti.*

(*a*) *corrige*: Paterinos. (*b*) Comite.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

ANNO CHRISTI MCLXXXIII. LUCII III. PAPÆ III. FRIDERICI I. REGIS XXXII. IMP. XXIX.

Approbatur petitum cambium montis erga duos mansos in villa Ergerstede.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. AMEN.

EGO THEODORICUS, DEI GRATIA, HALBERSTADENSIS ECCLESIÆ ELECTUS EPISCOPUS, OMNISQUE CONVENTUS MAJORIS ECCLESIÆ BEATI STEPHANI, TAM PRÆSENTIBUS, QUAM FUTURIS CHRISTI FIDELIBUS SALUTEM IN IPSO.

Cum cuncta Ecclesiarum tam prospera, quam adversa in manifestis conventibus & *Synodis* terminentur, & quæque nociva auctoritate & ratione recidantur; nonnunquam tamen succedentibus plurimis plurimæ controversiæ solent exurgere. Ea propter malignari volentibus occasionem aufferre volentes, quæ nostro assensu facta sunt, firmare decrevimus. Notum igitur facimus omnibus Ecclesiæ nostræ filiis, quod Everhard, *Abbas lapidis S. Michaëlis*, in præsentia totius Conventus *in Synodo Halberstadensi XIII. Kal. Jun.* unanimi consensu fratrum obtinuit, ut montem, qui attiguus est loco, in quo prædicti fratres degunt, per concambium, cum suis fratribus legitime possiderent. Siquidem mons, de quo agitur

agitur, ad communes usus fratrum, ad balneum scilicet attinebat: qui, quum jam dudum, populo devastante, nobis inutilis fuit, pro duobus mansis, qui in contiguo villæ, quæ dicitur *Ergersteде* siti sunt, talentum solventes, prædictis fratribus tradidimus, eo protestante ac juramenta firmante, qui nemus ipsum in officio habebat, nos juste facere, & utilione (*) nobis nos possidere. Quia igitur, quod factum est, ratum esse volumus, præsentem paginam sigilli nostri & Ecclesiæ, impressione signamus: Auctoritate nostra, & nostrorum fratrum roborantes, ne quis audeat infringere, quod omnes nos constat sine reclamatione fecisse, XIII. Kal. Junii *in Synodo* actum est Dominicæ Incarnationis Anno MCLXXXIII. Indict. I. & hi testes de domo S. Stephani, Conradus Decanus. Geero, Anselmus Vice-Dominus. Wernerus Præpositus S. Bonifacii, Fridericus, Rodulfus, & cæteri Canonici. Ludolfus summus Advocatus, Albero de Disenrothe, & alii quam plures.

Leuckfeld Antiquitates Michaelsteinenses pag. 95.

(*) *fors:* utiliora.

SYNODUS COLONIENSIS

Anno Christi MCLXXXVI. Urbani III. Papæ II. Friderici I. Reg. XXXV. Imp. XXXII.

Canonizatio S. Annonis Sigebergæ facta anno MCLXXXIII. publicata in Synodo Coloniensi.

PHilippus Archi-Episcopus Synodo Coloniæ præsedit, ad quam consulto plures tam ex Episcopis, quam ex Abbatibus, & de Clero citati occurrerunt, eo quod

I. Jus Legationis per omnem Provinciam Coloniensem, & per totam terram Suffraganeorum Episcoporum, eidem Præsuli, ob notam probitatem ipsius & fidelitatem erga Romanam Ecclesiam a sede Apostolica tunc accesserat, sicut ex Literis & concessione Papæ Urbani III. (*a*) præsenti Synodo significatur.

II. Igitur in tam frequenti & claro Conventu forte ad hoc potissimum cœlitus proviso, in facie totius Ecclesiæ Coloniensis prædictus Antistes ANNONEM iterato canonizans, hunc in Catalogo Sanctorum recipi, & ut Confessorem Sanctissimum, celebrem esse mandavit, & quod Legati Lucii III. Joannes Anagninus, Presbyter Cardinalis tituli S. Marci, & Petrus Lunensis Episcopus, de eo anno 1183. ordinaverant, ratum & inconvulsum servari auctoritate Apostolica constituit. Ii autem Corpus S. ANNONIS de tumba decenter elevatum, supra Altare Sigebergensis Ecclesiæ in voce exultationis, & laudis, gloriose collocaverant, & solemnizante Clero & populo, Missarum solemnia rite, ut de uno CONFESSORE, peregerant. Ipso Cardinali Missam celebrante, & Episcopo Petro inter Cantores Chorum Sigebergensis ecclesiæ regente.

Postea, ut ad faciendum plebi verbum ventum fuit, ex auctoritate Domini Papæ & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli mandaverant, diem hunc Translationis, seu Canonizationis ANNONIS feriatum haberi ab omni opere servili, & honoris Sancto condigni ANNONEM de cætero titulis celebrari, in quam formam toti Archi-Episcopatui scripserant.

Cujus facti, vel decreti auctoritas, cum in auribus Ecclesiæ Coloniensis insonuisset, sicut in ejusmodi fieri assolet, quidam Officio Divinæ laudis, prout decuit, ANNONEM Sanctum honorandum

(*a*) Urbanus III. sedit Romæ ab 1185. 25. Novembris ad 20. Octobris 1187. intra quod tempus Synodus hæc Coloniæ celebrata fuit.

dum decreverunt; Alii, ſicut pro fideli defuncto, pſallere, ut pridem, contenti erant. Et ſchiſma erat in eis in tantum, ut major Eccleſia in Colonia & Eccleſia Sanctæ Mariæ ad Gradus, cum ſint contectales, a ſe diſcrepando ab uniſono quodammodo recedere viderentur.

Huic ſchiſmati tollendo, non longo poſt temporis interjectu, Domnus Philippus hanc Synodum Coloniæ celebravit, & ab Legatis Sigebergæ geſta omnibus publicari, & ab omnibus ſervari mandavit.

Ex actis MSS. Translationis S. Annonis, in Sigebergenſi Abbatia aſſervatis, & a coævo ſcriptis.

De S. Annone Colonienſi Archi-Epiſcopo habes, quod poſt mortem multi ei detraxerint, dicentes, eum Eccleſiarum ſuarum fuiſſe dismembratorem, & civium ſuorum excæcatorem. Dominus autem Deus in translatione illius 1183, quantæ Sanctitatis eſſet, ſignis plurimis oſtendit. *Cæſarius illuſtrium miraculorum Lib. VIII. Cap. LXIX.* qui *initio Sæculi proximi*, 1200. *ſcribebat, cum recens eſſet facti & miraculornm memoria*, uti & Synodi hujus.

Epiſtola LII. Alexandri III. ad Philippum Colonienſem Archi-Epiſcopum, qua Colonienſis Eccleſiæ Jura ac Privilegia confirmantur.

ALEXANDER EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI PHILIPPO COLONIENSI ARCHI-EPISCOPO, EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PP. M.

ETſi teneamur omnibus Fratribus Coepiſcopis noſtris ex adminiſtratione ſuſcepti Regiminis, Apoſtolicum patrocinium exhibere; his tamen ſpecialiter adeſſe compellimur, qui ſicut dignitate, ita præeminent & virtute: cum noſtræ ſollicitudinis debeat & circumſpectionis exiſtere, ut univerſos juxta qualitates perſonarum & merita reſpicere videamur. Ea propter, Venerabilis in Chriſto Frater Archi-Epiſcope, prudentiam & devotionem tuam diligentius attendentes, & tuis petitionibus noſtrum facile præbentes aſſenſum, Colonienſem Eccleſiam, cui Deo autore præeſſe dignoſceris, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quacunque bona eadem Eccleſia impræſentiarum juſte, & Canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi, tuisque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Præterea tua, frater Archi-Epiſcope, prudentia & devotione penſata, confirmamus tibi ea, quæ in privilegiis Patrum & Prædeceſſorum noſtrorum habentur; videlicet crucem & pallium ſuo tempore, ſuoque loco ferendum, inſigne quoque feſtivi equi, quod a quibuſdam vulgo Nackum vocatur. Concedimus etiam, & Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut majus Altare Eccleſiæ tuæ uni, & vero Deo, in memoriam B. Mariæ Virginis, & alterum in memoriam B. Petri Apoſtolorum Principis dedicatum, reverenter miniſtrando procurent ſeptem Canonici Cardinales Presbyteri, induti Dalmaticis & mitris ornati: quibus etiam, cum totidem Diaconibus & Subdiaconibus, ad hoc miniſterium prudenter electis, ut utantur ſandalibus, indulgemus, ſicut a Patribus & Prædeceſſoribus noſtris id prædictæ Eccleſiæ conceſſum eſt per authentica privilegia, & hactenus obſervatum. Inſuper etiam authoritatem & honorem, quem Eccleſia tua hactenus habuiſſe dignoſcitur, Apoſtolici favoris patrocinio confirmamus, videlicet, ut, ſi quando *Synodus infra tua Diœceſim* a Romano Pontifice, aut a legato ab ejus latere deſtinato, fuerit congregata, *priorem locum poſt ipſum Colonienſis Archi-Epiſcopus in Synodo* teneat, & in proferenda ſacrornm Canonum auctoritate prior exiſtat; ita tamen, ut ſicut eſt prior in hac pro-

Alexander III. ſedit ab 1159. ad 1181. 27. Auguſti, non obſtantibus tribus Antipapis.

probabili dignitate, ita etiam prior polleat honeſtate vitæ, & gratia meritorum, & cujus annuntiaverit verba, imitetur exempla. Conſecrationem quoque Regum infra limites tuæ Diœceſis fiendam, præſentis ſcripti auctoritate cenſemus: & ut electio Archi-Epiſcopi ſecundum ſtatuta canonum, a filiis præſcriptæ Eccleſiæ celebretur, per hujus ſcripti paginam duximus ſtatuendum. Adhæc Monaſteria, Eccleſias, Coloniæ poſitas, & omnia ſacra loca, infra & circa urbem Coloniæ, ad jurisdictionem Colonienſis Eccleſiæ pertinentia: Monetam prædictæ civitatis, Telonium, forum, & omne jus civile ſub poteſtate tua & ſucceſſorum tuorum: Abbatias per diverſa loca, villas, vicos, & caſtella, cum omnibus eorum pertinentiis, ſervis videlicet, ancillis, terris cultis & incultis, aquis, campis, ſylvis, foreſtis: nec non etiam Comitia in Weſtphalia, qua vulgariter Gograrhophe dicuntur, & allodia, Dulberg, Hachen, Marchan, Waſſenberg, ſicut hæc omnia rationabiliter poſſides, tibi, tuisque ſucceſſoribus auctoritate Apoſtolica confirmamus. Illud quoque ſtatuimus, ut, ſicut nullus Coarchi-Epiſcopornm tuorum eſt tibi ſubjectus, ita etiam tu ſub nullo primate debeas eſſe: ſalva tamen nobis in te, ſicut in ceteris Archi-Epiſcopis, ſubjectione, quæ Apoſtolicæ auctoritati debetur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, nec ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur Eccleſiaſtica, ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi ſatisfactione congrua id emendaverit; poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a Sacratiſſ. Corpore ac Sanguine Dei ac Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine Divinæ ultioni ſubjaceat: cunctis autem eidem Eccleſiæ juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen.

In Sigillo:

ALEXANDER PAPA III.

Vias tuas Domine demonſtra mihi.

SUBSCRIPTIONES:

Ego Alexander, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Hubaldus, Oſtienſis Epiſcopus.

Ego Joannes, Presbyter Cardinalis Sanctorum Joannis & Pauli, titulo Pammachii.

Ego Boſo, Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, tituli Paſtoris.

Ego Petrus, Presbyter Cardinalis, tituli ſanctæ Suſannæ.

Ego Hyacinthus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego Arditio, Diaconus Cardinalis S. Theodori.

Ego Cynthius, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani.

Ego Hugo, Diaconus Cardinalis S. Angeli.

Datum Laterani, per manum Alberti ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, decimo tertio Kalendas Julii, Indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono. Pontificatûs vero Domini Alexandri Papæ III. anno XIX.

Binius Tom. III. Concil. Part. II. pag.

Hardouinus Concil. Tom. VI. pag. 1418.

*In Apologia Archidiæc. Colonienſ. mutilatum in adjunctis N.*4.

Dominus Papa Urbanus Colonienſi Archi-Epiſcopo Philippo Jus in appellatione, & vicem ſuam tam in Epiſcopatu, quam ſupra omnes Suffraganeos Sedis Colonienſis indulget, & ſcripto confirmat, (jam ab Alexandro III. 1179. conceſſum)
Godefridus Monachus Pantaleon. ſed ad 1187.

Apoſtolicus Urbanus Philippo Legationem Romanæ Eccleſiæ, ſive Primatum de Suffraganeis ſuis dederat, ut quia Imperator Fridericus vias alpium concluſerat, ipſe vice Apoſtolici, ſingulorum cauſas diſcuteret, ne propterea magis ab Eccleſia Dei juſtitia deficeret. *Chronica Slavorum Arnoldi Lubecenſis Lib. III. Cap. XVII.*

Collo-

Colloquium Friderici Imperatoris cum Philippo, Archi-Episcopo Coloniensi, Legato Papæ Urbani III. in loco incerto Germaniæ.

ANNO CHRISTI MCLXXXVI. URBANI III. PAPÆ II. FRIDERICI I. REG. XXXV. IMP. XXXII.

REversus de Longobardia Fridericus Imperator, post colloquium Veronæ cum Urbano III. habitum; considerans obstinatum erga se animum Domini Papæ (*in repetendo patrimonio Mathildis, in prohibendis spoliis Episcoporum defunctorum, in stipendiis Abbatissarum ad Curiæ Fiscum sub vario prætextu ablatis*) clausit omnes vias Alpium, & omnium circumquaque regionum, ut nemo pro quolibet negotio adire posset sedem Apostolicam.

Deinde convocans Philippum Coloniensem, cœpit secum conferre de importunitate Domini Papæ: intelligens etiam, ipsum fungi vice ipsius in causis decidendis, propterea magis ipsius animum explorare cupiebat, vel qualiter de eo sibi sentiendum esset, scire volebat. Apostolicus enim ipsi *Legationem Rom. Ecclesiæ*, sive etiam Primatum de suis suffraganeis dederat; ut, quia Imperator, ut dictum, vias Alpium conclusisset; ipse vice Apostolici singulorum causas discuteret, ne propterea magis ab Ecclesia Dei justitia deficeret. Exponente ergo Imperatore importunitatem Domini Apostolici, & quærente ab Archi-Episcopo, quam fiduciam de ipso esset habiturus, ipse respondit: "Domine, non est necesse, ut aliquid de me dubitationis habeatis: me enim semper pro justitia stare velle sciatis. Sæpius enim probastis cor meum vobiscum: unde etiam vobis constat, semper in me fiducialiter agendum. Veruntamen ut omnium Episcoporum ore loquar, si paulo mitius nobiscum agere velletis, & per libertatem Imperialem levigare onus nobis impositum; tanto devotiores, quanto expeditiores in omnibus, ad omnia vobis essemus. Nunc autem videtur nobis, quod quibusdam pensis, etsi non injuste, indecenter tamen gravati simus. Unde etiam videtur Domino Apostolico, quod justam contra vos causam proponat, quod mortuis Episcopis confiscantur Ecclesiæ, ita ut ablatis omnibus mobilibus & stipendiis præsentis anni, Episcopus subintrans omnia exinanita & evacuata inveniat. Si ergo justitiæ obtentu, & nostri servitii intuitu per Imperialem clementiam super hoc nobis peperceritis, mediatores justitiæ inter vos & Dominum Papam humiliter erimus. Sin autem, a veritatis via recedere nequaquam poterimus." Ad hæc Imperator ita respondit: In veritate compertum habemus, quod prædecessores nostri, antiqui Imperatores, hoc juris habuerunt, ut defunctis Episcopis investituram Pontificalem sine alicujus præjudicio probatis personis liberrime locaverint. Sed quia hoc ipsorum voluntate mutatum invenimus, ratum habemus. Hanc vero minimam scintillam juris nostri, quam invenimus, nequaquam mutari permittimus. Sufficiat vobis justitia vestra, quam invenistis, quod permittitur vobis electio Episcoporum, quam vos canonice fieri dicitis. Sciatis tamen, quia dum pro voluntate Imperatoris ista dispensarentur, plures justi sunt inventi Sacerdotes, quam hoc tempore, dum per electionem inthronizantur. Ipsi enim secundum vitæ meritum Sacerdotes investiebant; nunc autem per electionem non secundum Deum, sed secundum favorem eliguntur. His dictis Imperator animum Archi-Episcopi cum Apostolico sentire intellexit, cui dixit: *Quandoquidem audio, vos mecum non sentire; nolo, ut ad curiam, quæ in Geilenhusen celebranda est, veniatis, ubi Episcoporum erit conventus.* Cui Archi Episcopus respondit: *Fiat juxta placitum vestrum.*

Chronica Slavorum Lib. III. Arnoldi Lubecensis Cap. XVII.

Alias Discordiæ causas inter URBANUM III. & FRIDERICUM I. has habe:

IV. Quod Patriarcha Aquilejensis, & quidam Episcopi interfuerint absque consensu Papæ Coronationi Henrici V, filii Friderici I, die solenni in Italia: quos omnes Papa a Divino suspendit officio.

V. Quod

V. Quod Folmarum, a populo Treverico electum, sabbato sancto Pentecostes in Presbyterum Cardinalem, & crastina die in Archi-episcopum Trevericum contra votum Imperatoris consecraverit, licet promisisset nunquam eum ab se consecrandum. *Hæc Pagi ad annum* 1186. *ex Chronographo Aquicinctino*, *& Joanne de Ceccano in Chronico.*

VI. Quod Papa Cremonenses, quos tanquam bannitos & publicos Imperii hostes decebat Sanctitatem ejus evitare, contra honorem Imperii familiariter collegisset, dehortando civitates universæ Italiæ ab auxilio ferendo & expeditione promovenda. *Pagi loco & anno citato N. V.*

EPISCOPORUM CONVENTUS
GEILENHUSIENSIS
ANNO CHRISTI MCLXXXVI. URBANI III. PAPÆ II. FRIDERICI I. REGIS XXXV. IMP. XXXII.

UBi convenit multitudo Episcoporum & Principum Imperii, & procedens in concionem Imperator sic omnibus locutus est. " Rogamus vos summos Sacerdotes, & Episcopos, & Principes, quorum corda justitia possidet, ut animadvertatis, quæ dico; compertum forte habetis, quantis adversitatibus impetar a Domino Papa; in quo autem gratiam ipsius diminuerim, ignoro. Unum mihi constat, quod nunquam animum ejus exacerbare studui, nec aliquando contra ejus præceptum vel voluntatem aliquid feci, nihil etiam ab ipso contra jus indecenter exegi. In quibus autem ipse me arguere habuit, non irascendo vel contradicendo, sed obediendo, & rationem reddendo, decenter ad omnia respondi. Et quoniam in omnibus his innocentia mea mecum est, iccirco non conturbor: sed si placuerit Domino Papæ me filium habere dilectum & subjectum, ego eum pro honore & reverentia Sanctæ Apostolicæ Sedis Patrem habeo dilectum & reverendum. Si autem ad dejectionem meam, non dico injuste, sed inepte aliqua molitus fuerit; spero, quod Divina favente clementia, vestro etiam similiter adjutus consilio & auxilio intrepidus ei ad omnia respondeam. Hæc pro parte mea dixerim. Pro parte autem vestra, quid sit faciendum, diligenter pensandum est. Dicit enim Dominus Papa, injustum esse, aliquam laicam personam decimas possidere, quas manifeste Dominus his, qui Altari deserviunt, deputaverit. Quod sicut de scripturis habet auctoritatem, ita eadem auctoritate evacuare contendit. Scimus autem decimas & oblationes a Deo Sacerdotibus & Levitis primitus deputatas. Sed cum tempore Christianitatis ab adversariis infestarentur Ecclesiæ, easdem decimas præpotentes & nobiles viri ab Ecclesiis in beneficio stabili acceperunt, ut ipsi defensores Ecclesiarum fierent, quæ per se obtinere non valerent.

Affirmat etiam, injustum esse, quod aliquis in prædiis, seu hominibus Ecclesiarum advocatiam sibi usurpet, aut sicut Ecclesiæ de libera voluntate, seu donatione Imperatorum vel Principum fundatæ sunt, ita res Ecclesiasticæ a Prælatis tantum libere dispensentur.

Et quamvis hæc pro Prælatis esse videantur, non tamen credo, quod ita facile mutari possint, quæ ex longa antiquitate usus in consuetudinem vertit, imo ipsa consuetudo a progenie in progeniem descendens quasi justa traditione roboravit. Hæc de parte vestra dicta sufficiant.

Quæro autem a vobis, Rectores Ecclesiarum, quid inter ista de vobis mihi sciendum sit? Quid timendum? Quidve, vel quantum de vestra fidelitate præsumendum? Sed quia a Domino jubemur reddere, quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari: sic rogo, Domino Papæ in vice Christi debitam persolvatis obedientiam, ut parte altera a Deo constitutam non negligatis justitiam.

Ad

Geilenhusium civitas est imperialis in Wetteravia, Archi-Diœcesis Moguntinæ, credo.

Ad hæc verba ſurgens Dominus Moguntinus Conradus, accepta opportunitate ſic locutus eſt: Domine, rogamus ſerenitatem veſtram, ut paululum verba noſtra attendatis: caſus iſte, in quo laborare videmur, gravis eſt.

Nec noſtrum, inter nos tantas componere lites. Quia (ſicut paulo ſuperius dixiſtis) ex una parte tenemur reddere Deo, quæ Dei ſunt, ex altera parte, quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Domino enim Papæ, ut Patri Spirituali, qui ſupra omnes eſt, juſtum eſt ad omnia promptiſſime obedire.

Vobis autem, quem Deus Principem & Imperatorem Romani orbis exaltavit, cui hominium fecimus, a quo & temporalia poſſidemus, ad aſſequendas omnes juſtitias veſtras jure tenemur aſſiſtere. Nunc ergo ſine præjudicio melioris conſilii, ſi placet, ſcribatur Domino Papæ ex perſona Epiſcoporum, in quibus commoneatur, ut ea, quæ ad pacem ſunt, vobiſcum ſentiat, & juſtitiam vobis in his, quæ juſte ab eo exiguntur, faciat.

Placuit Imperatori & omnibus Epiſcopis, quod dixerat, & ad voluntatem Imperatoris ſcripta eſt *Epiſtola*, ſignata Bullis Epiſcoporum omnium, & perlata ad Dominum Papam. Qui cum legiſſet Epiſtolam, obſtupuit de immutatione Epiſcoporum, quia ipſe cauſam pro eis videbatur ſumſiſſe, ipſi vero de cauſa cecidiſſe. Nec minus tamen in propoſito ſuo perſtitit, & veniens Veronam, Imperatorem legitime citatum pro capitulis ſupra ſcriptis excommunicare decrevit.

Ad quem accedentes Veronenſes dixerunt: Pater, ſervi & amici Domini Imperatoris ſumus: rogamus Sanctitatem veſtram, ut eum in civitate noſtra, nobis præſentibus non excommunicetis: ſed hanc ſententiam reſpectu noſtri ſervitii differatis. Qui faciens juxta petitionem eorum, diſceſſit; & cum in proximo eum excommunicare vellet, morte præventus ſententiam diſtulit, ſicque Imperator maledictionis jaculum evaſit.

Ex Arnoldo Lubecenſi Illmus Baronius ad A. 1186. *a N. VIII.*

Imperator pro pace formanda inter Urbanum Papam & Imperium Legatos Wirziburgenſem Epiſcopum, & Babenbergenſem, & Abbatem Hersveldenſem Veronam miſit, qui bene pro ſperata pace in formam acta legatione Imperatori retulerunt in litteris.

Chronographus Saxo, ſed ad annum 1187.

I. Conradi Moguntini Archi-Epiſcopi
Encyclica ad omnes Epiſcopos Regni
EX CONVENTU GEILENHUSANO.

Venerabilibus fratribus, Dominis Coepiſcopis noſtris ſcribimus id, quod vobis: & petimus, ut ſecundum formam literarum, quas vobis & ipſis, hic facimus exhiberi, ſcribere curetis Domino Papæ Sanctiſſimo Patri noſtro, & Cardinalibus; ut, Dominus ac Redemptor noſter Sacerdotium cum Imperio, quorum diviſio Chriſtianis fidelibus nociva, ſua dignetur clementia ad concordiam revocare. Rogamus itaque Paternitatem veſtram, & hortamur in Domino diligenter, ut & vos ſecundum formam litterarum noſtrarum Domino Papæ & Cardinalibus ſcribatis: fiduciam enim habemus in Domino, & ſpem certam, quod ſi fratrum noſtrorum acceperit Dominus Papa preces, & humilitatem devotionis ipſorum perſpexerit in eiſdem; animus ejus circa Dominum Imperatorem, cui fidelitate tenemur, debeat mitigari.

II. Conradi Moguntini epiſtolæ ad S.R.E. Cardinales ſcribendæ Exemplar. POST CURIAM IN GEILENHUSEN.

VENERABILIBUS SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIBUS, UNIVERSALITER SINGULIS, ET SINGULARITER UNIVERSIS, EX DEI GRATIA N. EPISCOPUS, ORATIONES ET PARATUM CUM OMNI DEVOTIONE SERVITIUM.

Cum inter ſummum Sacerdotium & ſacrum Imperium, ſinceræ caritatis debeat eſſe vinculum; valde dolendum eſt, quod talis caritatis vinculum ſepa-

ſeparatur. Quia igitur diſcordia, quæ inter Dominum venerabilem & Patrem noſtrum Apoſtolicum, & Dominum Imperatorem vertitur, univerſalis Eccleſiæ ſtatus periclitatur; quilibet fidelis ad eam tollendam tanto libentius debet operam dare, quanto majus incrementum Romanæ Eccleſiæ & decus Imperiali celſitudini ex ipſorum concordia poterit provenire. Sed quia nos præ corporis debilitate ad hoc non poſſumus perſonaliter laborare, Sanctitati veſtræ devote, & humiliter ſupplicamus, quatenus ad ſolum Deum & Eccleſiam veſtram, cujus ſollicitudinem geritis, reſpectum habentes, Domino noſtro Apoſtolico ſuggerere dignemini.

III. *Ad Summum Pontificem epiſtola Epiſcoporum Germaniæ.*

EX CONVENTU GEILENHUSANO.

SI Propheta, quæ ad pacem ſunt Jeruſalem, rogari præcepit; ea, quæ ad pacem ſunt univerſalis Eccleſiæ, ſollempniter non quæſierit? Ipſa eſt enim Jeruſalem, pacem videns, Judæa confitens, in qua notus eſt Deus, cujus in pace factus eſt locus ejus. Hinc eſt Pater ſancte, orbis & urbis Dominator & Domine, quod EGO N. ſervus veſter inutilis, & utinam tam obſequioſus, quam affectuoſus, pedibus veſtræ ſanctitatis provolutus, quantum poſſum & audeo, cum omni humilitate & devotione ſuggero & interpello, quod ſervantes unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ædificium ſanctæ Matris Eccleſiæ, robore Sancti Spiritus in pace compactum & ſolidatum, per vitium diſcordiæ, quo nullum magis placet ſathanæ, labefactari, & diſſolvi non ſinatis: ſed potius, ut per virtutem concordiæ, qua nihil magis terret tumultuoſam pravitatem Dœmonum, roboretur & confortetur, omni ſollicitudine & diligentia efficaciter intendatis. Quod ſi latera ejus concutiuntur, & columnæ colliduntur, reſtat, ut corruat, quicquid fuerat ſuper ædificatum. Quod ſi Sacerdotium REGALE, & REGNUM Imperiale columnas dixero, veritati conſentio, & Sanctorum auctoritatibus non contradico: quarum ſi altera corruerit, reliqua importabili depreſſa onere non ſtabit. Gladius enim ſpiritualis & ſecularis ſibi invicem mutuo ſuffragantur: quorum alterum cum Petrus exemit, & Malcho auriculam dextram amputavit, juſſus eſt mittere in vaginam, dicente Domino: *Sinite uſque huc.* Sed quem Petrus pro Chriſto ſauciavit, Chriſtus pro Petro, ut ei exemplum tribueret, mox ſanavit. Pater ſancte! ſcio, quod ſapiens ſicuti paucis innoteſcit, ita & ex paucis multa colligit: attendat ergo prudentis diſcretio, quod quædam particulares Eccleſiæ, a fide & obedientia Romanæ Eccleſiæ jam receſſerunt, quædam plantationes . . . . . . in fide jam nutant, titubant, & vacillant: cui morbo per gratiam Dei poteſtis occurrere, ſi eum Domino Imperatore dignemini concordare, ſicut certiſſime credimus & ſperamus, ad magnum Eccleſiæ commodum militantis & gaudium triumphantis.

Ex Codice MS. Moguntino deſcripſit Cl. Schannat. b. m.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

ANNO CHRISTI MCLXXXVI. URBANI III. PAPÆ II. FRIDERICI I. REG. XXXV. IMP. XXXII.

Theodoricus Epiſcopus confirmat fundationem & dotationem Canoniæ S. Thomæ Præmonſtratenſium, in introitu Halberſtadii ſitæ, cum conſenſu capituli in PLENA SYNODO.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO THEODERICUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, HALBERSTADENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS.

QUoniam dum tempus eſt, operari bonum, Apoſtolo nos exhortante, tenemur, & quæ ſeminaverit homo, hæc eſt metet; tam ſalubri doctrina Apoſtolica,

ſtolica, nec non Divinæ remunerationis amore commoniti, numerum Deo famulantium magno deſiderio augere deſideravimus, ut exinde non ſolum nobis, verum toti etiam Eccleſiæ Halberſtadenſi ſalus & miſericordia augeatur a Domino.

Ea propter Viros ſanctæ converſationis & probatæ Religionis *de Ordine* videlicet *Præmonſtratenſium*, in Eccleſia B. Thomæ Martyris, ad introitum civitatis noſtræ in parte Septentrionali conſtructa, ad ſerviendum inibi DEO, & B. Dei Genitricis MARIÆ, ac Sancto Thomæ Martyri, inſtituere decrevimus. Ad quorum ſuſtentationem, & omnium ibidem Deo famulantium, pro remedio animæ noſtræ, & omnium anteceſſorum noſtrorum, & ſucceſſorum, DEO omnipotenti, & Beatæ MARIÆ perpetuæ Virgini, ac *Sancto Thomæ* Martyri obtulimus Capellam noſtram *in Oſchersleve* ſitam, tam multo tempore deſertam & neglectam, cum omnibus bonis ad eam pertinentibus; ut quod ibi multis diebus ob incuriam neglectum eſt, hic per Dei miſericordiam ſuppleatur, & in melius reformetur. Præterea de bonis, quæ *Robertus, Miniſterialis B. Stephani*, a nobis in beneficio tenuit, duos manſos videlicet *in Oſchersleve* cum decima, & Advocatia, & duas decimas, unam in Emerstibe & alteram in Ovelde nobis reſignata, de ipſius petitione pro ſalute animæ ſuæ, & filii ſui Cunradi, & uxoris ſuæ Ammecke, præfatæ Eccleſiæ videlicet B. MARIÆ Dei Genitricis, & S. THOMÆ Martyris contulimus. Hanc itaque donationem, de conſenſu Fratrum noſtrorum Majoris Eccleſiæ factam & approbatam, ut rata maneat ſemper & inconvulſa, auctoritate Dei Omnipotentis, & B. Petri Principis Apoſtolorum, noſtro quoque banno confirmamus, & chartam hanc inde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione conſignavimus.

Actum eſt anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXVI. Indict. IV. *Ante Cœnam Domini, in plena Synodo* Halberſtad celebrata, in nomine Dei Amen.

Hujus rei teſtes ſunt: Anſelmus Major Præpoſitus, Fridericus Diaconus, Conradus Camerarius, Geroldus Diaconus, Gevehardus Sacerdos, Fridericus Subdiaconus, Burchardus Diaconus, Ludolphus Diaconus, Albertus Magiſter, Conradus Diaconus, Hermannus Præpoſitus S. Joannis in civitate, Hermannus Præpoſitus in Hamersleve, Jordanus Præpoſitus in Scheninge, Theodericus Abbas in Uſeneburg, Reimoldus Abbas in Huisburg, - - - Abbas in Wimedeburg, Hauldus Abbas in Luttere. *Laici nobiles:* Hoyerus de Woltrigerode, Ludolphus Advocatus, & Wernerus frater ejus, & Sifridus Patruus ipſorum, Comes Henricus de Blanckenburg, Fridericus de Regenſtein, Erwinus de Badenleve, Fridericus de Widescorp. *Miniſterialis Cæſarius*, Henricus & Herwicus de Eiſenſtede, Hugoldus Præfectus, Fridericus de Quenſtide, Bertoldus de Horedorf, Alvericus Camerarius &c. &c.

Leuckfeldt in Antiquitatibus nummariis Halberſtadenſibus pag. 94.

URBANI III. hortatoria ad Archi-Epiſcopum Colonienſem, ut Synodo Leodienſi interſit, celebrandæ ab Albanenſi Epiſcopo S. Sedis Legato.

ILla profecto circa Eccleſiæ, ac Imperii Romani negocium vigilamus ſolertia, ut quamquam aliorum emergentium undique, graviterque urgentium, multitudine occupemur; nunquam tamen erga illud tanquam præcordiale nobis, intendere ardenti meditatione ceſſemus.

Attendentes itaque plurimum opportunum, aliquos de latere noſtro ad partes Alamanniæ pro negotio ipſo dirigere, ut eo plus roboris ſuſcipiat & favoris, quo potiorum conſilio & auxilio ſenſerit ſe juvari; prævidimus, de fratrum noſtrorum conſilio, illuc venerabilem fratrem noſtrum Albanenſem Epiſcopum, virum eminentis ſcientiæ, converſatione honeſta, & conſilii maturitate præclarum, magnum ſiquidem & nobile Eccleſiæ membrum, & in ſublimiorum negotiorum executione probatum, propter hoc ſpecialiter deſtinare.

Ideoque diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta diſtincte præcipiendo mandamus : *Quatenus quarta Dominica poſt Feſtum Reſurrectionis Dominicæ* proxime venturum, apud Leodium perſonaliter, vel per ſpeciales & ſolennes nuntios adeſſe, ceſſante qualibet excuſatione, procures, paratus prædictum Epiſcopum, quem illuc commiſſo ſibi plenæ legationis officio, dirigimus, honorifice ac reverenter ibidem recipere, ipſius humiliter audire mandata, & efficaciter adimplere, ſciturus, quod quicquid ordinaverit & ſtatuerit, ratum & firmum habebimus. &c.

Ex codice MS. Vaticano N. 6365.

Urbanus III. Papa electus MCLXXXV. cum Friderico I. committitur, dum hujus filium Henricum VI. coronare renuit.
Gregorius VIII. Papa anno MCLXXXVII. electus, non minus Friderico I. infenſus dicitur.

Bulla cruciata contra Fridericum Imperatorem cum indulgentia ſimili illi, quam terram ſanctam recuperaturi crucis ſignaculum recipientes, lucrantur.

ETſi ad defenſionem Catholicæ Fidei & Eccleſiæ libertatis, omnes, quos Chriſtiana diſcernit religio; tamen Eccleſiaſtici tam religioſi, quam ſæculares, & præſertim Eccleſiarum Prælati, ad id eo amplius ſunt aſtricti, quo ad Dominicæ ſortis participium ſpecialius evocati, gravius Jeſu Chriſti provocari debent injuriis, & contra perſecutores Eccleſiæ ſponſæ ſuæ vehementius commoveri.

Præ cunctis autem Tyrannis Fredericus, quondam Romanorum Imperator contra Deum & prædictam Eccleſiam perſecutionis arma inceſſanter & potenter exercet, qui quanto celſiori dignitate hactenus, ipſa Eccleſia operante, præfulſit, tanto in eam crudeliori animadverſione deſævit; vires potentiæ ſuæ adverſus illam nefanda mentis adverſitate convertens, acuendo in interitum ejus gladium, quem (*) ipſa contra ſuos vibrandum acceperat inimicos.

Ideoque diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus: quatenus univerſos Eccleſiarum Prælatos Alamanniæ, Daciæ, ac Poloniæ, attente moneas, & inducas; ut (conſiderato diligenter, quot tribulationum malleis idem Fredericus non ſolum Eccleſiam, ſed etiam fere totum Chriſtianum populum flagellavit, & quamdiu in viros Eccleſiaſticos virus ſuæ feritatis effuderit, quod ſæviori continuo furiat rabie contra eos: propter quod efficax ſuper iis convenit remedium adhiberi, ad tuendas fidem, & libertates prædictas contra ipſius perfidiam) ferventibus animis exurgentes adverſus eundem Fredericum, omneſque fautores ipſius, crucis ſignaculum de Divino & noſtro auxilio ſperantes, aſſumant, & tam per te, quam Eccleſiarum Prælatos, alioſque religioſos, & ſæculares prædictarum Alamanniæ, Daciæ & Poloniæ, quos ad hoc idoneos eſſe noveris, proponens, juxta datam tibi a Deo prudentiam, per eaſdem Alamanniæ, Daciæ & Poloniæ partes fidelibus verbum crucis, eos quod penſantes attente jam dicti Frederici deteſtandam nequitiam, contra ipſum ſuſcepto hujuſmodi ſignaculo, celeriter & viriliter ſe accingant, ſtudioſis & ſedulis exhortationibus inducere non poſtponas; nos enim, de omnipotentis Dei miſericordia confiſi, ex illa, quam licet nobis indignis, Deus ligandi, atque ſolvendi contulit poteſtatem, omnibus, qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint, ac eis, qui non in propriis laboraverint, ſed in ſuis dumtaxat ſumptibus juxta facultatem & qualitatem ſuam, idoneos deſtinabunt bellatores, illam ſuorum peccatorum, de quibus veraciter corde contriti, & ore confeſſi fuerint, veniam indulgemus, ipſoque illo privilegio, eaque immunitate gaudere volumus, quæ terræ ſanctæ ſuccurrentibus in generali Concilio (*a*) ſunt conceſſa. &c.

Ex codice MS. Vaticano N. 6360. *deſcripſit Cl. Schannat. b. m.*

(*) *fors:* ab ipſa. (*a*) Anno 1095. Claromontano & in Lateranenſi 1122.

Poſt hanc encyclicam Invitatoriam fuere varii Conventus Coloniæ, Moguntiæ, Treveris, Leodii, ab Henrico Albanenſi celebrati pro cruce ſignandis Germanis.
Cæſarius Heiſterbacenſ. Miracul. Lib. IV. Cap. 79.
Fiſen Hiſtoriæ Leodienſis Lib. XI. pag. 412.

SYNO-

SYNODUS TREVIRENSIS MOSOMI

Anno Christi MCLXXXVII. Gregorii VIII. Papæ I. Friderici I. Regis XXXVI. Imp. XXXIII.

IN DIOECESI REMENSI HABITA.

SUMMA. Folmarus Archi-Episcopus Trevirensis, qua Legatus Apostolicus, Synodum in Remensi Provincia celebrat, & subditos suæ Provinciæ, sibi non parentes, excommunicat.

FOlmarus ab incepto non desistens, legationem Apostolicæ Sedis per nuntios impetravit, ut facta sua majorem, auctoritate summi Pontificis sortirentur vigorem. Accepta igitur suæ voluntatis plenitudine, statim Trevirensibus & suffraganeis Ecclesiis Concilium indixit apud Mosomum castrum Archi-Episcopi Remensis, qui eum eo tempore manutenebat, & solatium & per se, & suos, in multis exhibebat.

Universi itaque tam Clerici, quam Prælati suffraganearum Ecclesiarum, & plurimi Pastores Ecclesiarum de Archi-Diaconatu, qui inter Treverim & Jvodium castrum constitutum est, timentes ordini suo, ad Concilium istud, antecedente eos Metensi Episcopo, Dominica, qua cantatur *Invocavit* convenerunt: Petrus vero Tullensis, & Henricus Virdunensis Episcopi, appellatione interposita, non venerunt. Venerunt autem & multi tam Magistri, quam Clerici de Francia: inter quos etiam Episcopi, animantes eum, ut auctoritatis sibi concessæ potestate uteretur, & subditos suos a subjectione resilientes, censura Ecclesiastica coherceret.

Horum ergo suffragiis animatus, I. Prælatorum quosdas, & Clericorum Trevirensium excommunicavit. II. Quosdam ab officio & beneficio suspendit. III. Quosdam vero sine spe veniæ deposuit. IV. Petrum etiam Tullensem Episcopum excommunicavit. V. Henricum Virdunensem ultro se offerentem ab Episcopatu deposuit, & sic in absentes grassatus, non convictos, neque confessos, damnavit. Hæc ergo causa malorum iracundiæ fomitem ministravit, & indignationem Imperatoris contra eum magis ac magis accendit.

Gesta Trevirorum apud Illmum Hontbemium Prodromi Parte posteriore pag. 290.

1181. 25. Maji defuncto Arnoldo, Archi-Episcopo Treverensi, Clerus Trevericus Rudolphum Præpositum, populus vel nobilitas Folmarum Archi-Diaconum eligit.
Fridericus I. Imperator utrumque citat ad suum tribunal, schismatis sopiendi ergo: Rudolphus comparet, & vestitur a Cæsare.
Folmarus a Cæsare Romam appellat, specie declinandi laici judicii.

1185. 25. Novemb. Romam veniens Lucio III. jam mortuo, ab Urbano III. Mediolanensi, qui Friderico infestior erat, excipitur & auditur.
Licet Cardinales differendam causam censerent, metu schismatis, & Cæsaris, qui Rudolphi partes tueri videbatur; Papa nihilominus Folmarum primò Cardinalem dicit, (a) mox Archi-Episcopum consecrat, & Treverim remissum Legatum Sedis Apostolicæ creat per Treverensem & Remensem Provincias.
Hac dignitate fretus intra Diœcesim Remensem Mosomi Concilium indicit, proximâ Quadragesimâ.
Bertramus Metensis illic comparuit cum Prælatis variis: sed nec Petrus Tullensis, nec Henricus Virdunensis comparuerunt.

Magnum Chronicon Belgicum. Arnoldus Lubecensis Lib. III. Chronici Slavorum. Vassenburgius in Gallia Belgica. Chronographus Aquicinctinus. Browerus in Annalibus Treverensibus.

Synodographos hujus Mosomensis Synodi non meminisse, annotat Pagi Critices ad h. ann. N. IV.

(a) Folmarus Cardinalis sub hoc titulo ignotus est in Catalogis Cardinalium.

GREGORIUS VIII. EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI F. TREVERENSI ARCHI-EPISCOPO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

PRopofitum vincit effectus; & fupervenientes caufæ fæpe compellunt mutare, quod firma difpofitum fuerat voluntate. Nec locus ex hoc reprehenfioni relinquitur, cum Salomon dicat: *Omnia tempus habent, & tempus loquendi & tempus tacendi.* Ex hoc fiquidem eft, quod Ecclefia Dei fua interdum variat pro filiorum neceffitate inftituta, & cohibet aut differt fæpe vindictam, quam quieto & pacato tempore ftatuerat exercendam, juxta hoc, quod Salomon dicit: *Sapiens videns malum declinat; ftultus tranfilit confidenter.* Hæc vero cautela, etiamfi alio tempore potuerit intermitti, hoc vero tempore tanto circumfpectius eft tenenda, quanto ex cafu orientalis Ecclefiæ in majore tribulatione videtur Chriftianus populus conftitutus. Nec facile patet ex humana infirmitate fucceffus, nifi ad hoc magnorum Principum corda contigerit ex Sancti Spiritus infpiratione moveri. Ex eo fiquidem eft, & ex aliis multis caufis, quod nos corda fublimium Principum & Ecclefiæ defenforum, Imperatoris fcilicet & filii ejus ad bonum volentes per humilitatem Ecclefiæ provocare, in bona cum ipfis manfuetudine ducimus ambulandum, & non tam contra eos humanum requirendum auxilium, quam Divinum, fi debitam quod non credimus, Ecclefiæ reverentiam decreverint fubtrahendam. Proinde quod tua fraternitas a Domino Urbano prædeceffore noftro recedens, & Provinciæ Trevirenfis fines attingens durius, quam e re vifum fuit, fe cepit in Epifcopos & perfonas alias exercere, & cum in fcandalum multos miferit, paucos ad fe provocavit in gratiam, nos ex confueto Sedis Apoftolicæ moderamine providere volentes, cum afperitate tua multorum a te facias animos alienos, & tandem ipfam etiam cenfuram Ecclefiafticam, fi fervata non fuerit, contemtibilem reddas; literis tibi præfentibus inhibemus, ne ad excommunicationem, vel depofitionem perfonarum Treverenfis Provinciæ fine confcientia & licentia noftra procedas; fed ita in omnibus modeftiam teneas, ut ex animofitate aliqua vel indignatione præterita Ecclefiæ caufam & tuam non facias graviorem. Cum etenim non prorfus ignores, quid nobis fuper negotio tuo vifum fuerit a principio; bene, ficut credimus, tibi profpicies, fi talem te in omnibus exhibere cures, ut finiftram de te habere opinionem minime debeamus. Datum apud Forum novum II. Kal. Decembris. Indict. VI.

Ludewig Reliq. MSS. Tom. II. pag. 428. *hanc Gregorii VIII. Epiftolam fervavit. Ex quo Manfi Tom. II. Supplem. p.* 719.

Clemens III. miffo Legato in Germaniam utrumque Treverenfem, Folmarum a Papa, Rudolfum ab Imperatore hactenus defenfum, Archi-Epifcopatus obtinendi fpe exuit Anno 1189. Folmarus in Angliam profectus, ibidem obiit.

SYNODUS COLONIENSIS

ANNO CHRISTI MCLXXXVII. GREGORII VIII. PAPÆ I. FRIDERICI I. REGIS XXXVI. IMP. XXXIII.

SUMMA. Philippus Archi-Epifcopus Colonienfis in Synodo Provinciali confirmat Domus Steinfeldenfis Canonicorum Præmonftratenfium Bona & Parochias.

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS.

PHILIPPUS, DEI GRATIA, S. COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, ET APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, FIDELIBUS DEI IN PERPETUUM.

DIvina mifericordia, quæ in regendis Ecclefiis curam Paftoralem noftræ impofuit diligentiæ, hæc a nobis exigit, ut Ecclefiæ & Monafteria per nos

nos accipiant juſtam defenſionem, & debitæ confirmationis (a) robur. Ea propter, ne temporis antiquitas eorum deleat memoriam, quæ ſecundum Deum & ob piam cauſam facta inveniuntur; placuit nobis, ut hæc charta conſcriberetur ad munimentum eorum, quæ a pluribus annis, & quiete, religioſa domus Steinfeldenſis poſſidere meruit, & poſſedit. Speramus enim per Dei gratiam, quod ſcripti hujus inſpectio, cum ad poſterorum notitiam veritas fuerit perducta, Eccleſiæ prænominatæ proderit, & eorum, qui præſumunt, quod non debent, cohibebit temeritatem. Notum itaque Dei de fidelibus, quod domus Steinfeldenſis, a multis annis quiete omnimoda (b) hæc bona poſſedit: Baptiſmalem videlicet Eccleſiam in atrio ſuo ſitam, cum omnibus decimis ſuis, & infra terminos ejuſdem Baptiſmalis Eccleſiæ Parochialis cenſum undecim Marcarum, ſingulis annis ſolvendarum. Villam Wehi (c) totam cum Parochia, & omnibus decimis ejus; Ripidorff (d) Parochiam cum omnibus decimis ejus. Villæ Berendorp medietatem cum Parochia & omnibus decimis ejus. Vineas juxta Moſellam in his villis, Crove, Rezre, Edeger, Pulſtirdorp: & in aliis villis Arwibe, Hemmingishoven, Wadenheim, Lantyrhomyltheim, Bacheim, Byrgele, Guntersdorp, Franchene, Waildorp: etiam vineas in villa Friſene, Curiam unam Wilrescheys cenſum triginta duorum ſolidorum, Strithagen, curiam unam Sleytholz. Cenſum ſexdecim ſolidorum Hezſtern ſuos manſos; Reytbach curiam unam; Netterscheim cenſum viginti novem ſolidorum. Marmagen curtem Dominicalem cum XII. manſis. Herle cenſum decem ſolidorum, Walebure Curiam unam, Wahlen quinque manſos, Lutgenrode curiam unam. Igeze cenſum ſexdecim ſolidorum. Gorgindorp cenſum duarum Marcarum, Miſteden ſenſum ſexdecim ſolidorum. In Tulpeto curiam unam, Beſſenich curiam unam, Bulenheim curiam unam cum omnibus earum pertinentiis mobilibus & immobilibus, areis, ædificiis, mancipiis, agris, terris cultis & incultis, ſylvis, vivariis, torrentibus, molendinis, annuiſque reditibus, quæ vel fratres prædictæ domus emerunt, vel fideles pro ſua devotione obtulerunt. Iſta, quæ fideliter ſunt enumerata, religioſa domus ſæpe nominata in ſua poſſeſſione quieta a multis annis habuit. Et ideo authoritate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Petri &, Pauli, & noſtra diſtricte præcipimus, ne aliquis præſumat, hæc uſurpare, vel in læſionem Eccleſiæ ab Eccleſia alienare. Si vero aliquis ſalutis ſuæ immemor, & juſtitiæ inimicus, contra noſtrum præceptum venerit, Eccleſiam ſuam in bonis lædendo, anathematis vinculo ſit ligatus, nec abſolvi mereatur, niſi injuſte ablata, juſte reſtituerit, & ab hujusmodi violenta præſumptione manum cohibuerit, & animum. Hæc charta ad ſubſidium religioſe Deo ſervientium noſtra authoritate eſt conſcripta, & data Coenobio Steinfeldenſi, *in Synodo Colonienſi* in præſentia ipſorum (e) & totius Cleri, Nobilium & Miniſterialium, anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXVII. Epiſcopatus noſtri anno XX. regnante Glorioſiſſimo Romanorum Imperatore Friderico, anno regiminis (f) ejus XXXVI. Teſtes hujus rei ſunt, qui in eadem Synodo fuerunt: Radulfus Epiſcopus Leodienſis, Hermannus Epiſcopus Monaſterienſis, Baldewinus Epiſcopus Trajectenſis, Dytmarus Epiſcopus Myndenſis, Arnoldus Osnabrugenſis (g) Bruno majoris Eccleſiæ in Colonia major Præpoſitus, Adolphus major Decanus, Lotharius Bonnenſis Præpoſitus, Radulfus Magiſter ſcholarium (h) Majoris Eccleſiæ in Colonia. Wilhelmus Comes Juliacenſis, Engelbertus Comes de Berge, Henricus Dux, Theodoricus Comes de Ara.

Illmus Stivagienſis Tomo II. Annal. Præmonſtrat. pag. DXXIII.

§. II.

IN eadem Synodo cum Cleri Primoribus conſultat, quemadmodum irato Friderico I. Imperatore, & in Diœceſin Colonienſem vaſtandam irrupturo, vim vi repellat.

Cauſæ diſcordiæ inter Fridericum I. Im-

(a) defenſionis *alia Lectio.* (b) omnia (c) Were
(d) Ripstorff (e) Priorum, *loco* ipſorum, & *recte.*
(f) Regni ejus (g) Oſſinburgenſis (h) Scholarum

Imperatorem, & Philippum Archi Episcopum Colonienſem, ante ſemper familiariſſimum & fideliſſimum amicum, ex Colloquio utriusque jam ſupra allegato, & ex Scriptoribus coævis hæ erant.

Philippus Archi-Epiſcopus pro libertate Eccleſiarum Germaniæ fortiſſime ſtabat, & obſiſtebat libere Imperatori, ne demortuorum Epiſcoporum bona Fiſco Cæſareo vendicaret. Ob quam cauſam Urbanus III. eundem Legatum Apoſtolicum conſtituit.

Altera cauſa eſt, quod Bertramum Metenſem Epiſcopum, Folmari Treverenſis Archi-Epiſcopi fautorem, & ideo de ſede ſua a Friderico I. pulſum, Coloniæ ſuſcepiſſet exulem, eique vel in Eccleſia S. Gereonis, vel ad Ss. Apoſtolos nutrimenta ſuppeditaſſet.

Godefrid. Monach. Pantaleon.

Gregorius VIII. Henrico, Albanenſi Cardinali, Leg. S. A., ut ad Concilium Leodienſe accedat, & pro libitu Romam redeat.

LIcet de mandato noſtro accedas *Leodium*, celebraturus ibidem Concilium cum Prælatis, & cæteris Magnatibus Alamanniæ, quibus, uti inibi convenirent, per noſtras duximus literas injungendum, tibique plenæ Legationis officium committimus, tuo tamen arbitrio relinquimus, ut eodem celebrato Concilio, ad nos, ſi volueris, & perſonæ tuæ ſaluti expedire cognoveris, libere revertaris, nullis contrariis literis, ſi quæ tibi a Sede Apoſtolica transmittantur, obſtantibus.

Ex codice MS. Vaticanæ Bibliothecæ No. 6365. *deſcribebat Schannat. b. m.*

CONVENTUS LEODIENSIS

ANNO CHRISTI MCLXXXVIII. CLEMENTIS III. PAPÆ I. FRIDERICI I. REG. XXXVII. IMP. XXXIV.

HEnricus Albanenſis Epiſcopus ad Cæſarem in Germaniam miſſus, ex itinere *Leodium* venit, & agnita morum labe, in vitia, ſacrorumque præſertim licitationem tanta vi dicere aggreſſus eſt, ut omnes paſſim beneficia ſua Eccleſiaſtica exuerint, eique commiſerunt diſtribuenda pro libitu. Tantæ ac tam ſeriæ mutationi illacrymans pius miſericorsque Legatus, aliis beneficiis donavit, quotquot ſuis ſe abdicarant: ita maxima uno tempore fuit animorum, Collegiorumque converſio.

In primis Epiſcopus Radulfus ipſe inſigni pœnitentiæ documento ſumpta palam cruce, militiam ſacram profeſſus eſt, abiitque Comes Federico Barbaroſſæ in Aſiam. Radulfo multos Eccleſiaſticorum, nobiliumque Leodienſium ſocios expeditionis fuiſſe, indubitatum eſt, partemque fuiſſe nobilium victoriarum, quas Cæſar de Turcis reportavit.

Foullon. Hiſtoria populi Leodienſis p. 284.
Fiſen Hiſtoriæ Leodienſis Lib. XI. p. 412.
Albericus Monachus trium Font. in Chronico ad h. a.

Archi-Epiſcopus Colonienſis conſtituitur Legatus Sedis Apoſtolicæ in negotio contra Fridericum.

ARCHI-EPISCOPIS ET EPISCOPIS, AC ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS IN THEUTONIÆ REGNO CONSTITUTIS, AD QUOS LITERÆ ISTÆ PERVENERINT, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

NEgotium Dei & Eccleſiæ, quod in Theutoniæ partibus agitur, cupientes ad exitum pervenire felicem, Fratrum noſtrorum conſilio providimus, ut cum Venerabilis Frater noſter *Archi-Epiſcopus Colonienſis*, tanquam vir probatæ devotionis & fidei, ſuper iis, quæ ſpectant ad ipſius honorem Eccleſiæ, ſe olim attentum & vigilem ſtuduerit exhibere, Legationis officium in favorem ipſius negotii committeremus eidem. Quia vero decens & dignum eſſe dignoſcitur, ut ſitis ad hoc ſolliciti, per quod pia intentio ſedis Apoſtolicæ in hac parte, Deo propitio, proſpe-

prospere ac propere valeat adimpleri, universitatem vestram rogandam duximus, & movendam per Apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus eundem Archi-Episcopum, *tanquam Apostolicæ Sedis ejusdem Legatum*, verbis & operibus honorantes, sibi super ipso negotio, sicut efficacius post scriptis pro Divina & nostra reverentia intendatis, ac procurationes debitas liberaliter impendatis eidem &c.

SYNODUS DIOECESANA LIBNIZENSIS,

AB ADALBERTO II, SALZBURGENSI ARCHI-EPISC. CELEBRATA, Anno Christi MCLXXXVII. Gregorii VIII. Papæ I. Friderici I. Reg. XXXVI. Imp. XXIII.

In qua ortum inter Admontenses, & Plebanum de Libniz, dissidium componitur, aliaque in favorem eorundem Admontensium peraguntur.

NOverint universi: quod *Rembertus* Plebanus de Libniz, diutinæ liti, quam adversus Admontense Claustrum super capella Sancti Nykolai Mokirnowe moverat, & per Litteras ad diversos Judices a Sede Apostolica impetratas, frequenter ad judicium provocaverat, tandem viso privilegio sanctæ recordationis *Eberhardi*, Archi-Episcopi, & justitia Monasterii plenarie cognita, in præsentia Domini *Adilberti*, Salzburgensis Archi-Episcopi, & *Prælatorum, ac totius Capituli Libniz in mense Decembrio* celebrati, *Anno Incarnationis Domini MCLXXXVII. Indict. VI.* (*a*) renuntiavit, & eosdem Fratres Admontenses in pace præfatam Ecclesiam spontanea voluntate possidere permisit; in prænotato denique Capitulo, prædictum beati Eberhardi Archi-Episcopi privilegium (*b*) publice in audientia Cleri recitatum, a supradicto Adilberto Archi-Episcopo, consensu Prælatorum, & Cleri, qui aderant, est approbatum & confirmatum.

§. II. *Plebem in Lissenich & in Palta cum jure Plebesanarum Ecclesiarum dat per concambium Admontensibus.*

PRæterea idem Archi-Episcopus Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ, & domum Hospitalem Frisaci, quæ Privilegiis & Traditionibus Antecessorum suorum Admuntensi Cœnobio confirmatæ fuerant, a Domno *Isenrico* Venerabili Abbate, cum assensu totius Congregationis, suscipiens, easdem Canonicis Frisacensibus donavit; Plebem vero in Lissenich, & plebem in Palta, cum omni jure Plebesanarum Ecclesiarum, Fratribus Admuntensibus in concambio tradidit *in Capitulo nostro Libnitz, & denuo anno* 1190. *in Synodo Louffen.*

Testes: *Perchtoldus*, Abbas Ozziacensis.
Ulricus, Abbas Milstatensis.
Wilhelmus, Abbas Runensis.
Gotfridus, Abbas Uttrigensis.
Wernherus, præpositus Sekowiensis.
Pernhardus, præpositus Vozowensis.
Philippus, præpositus Richerspergensis.
Marsilius, præpositus Boumbergensis.
Ekkihardus, præpositus de Solio.
Ortlieb, Archi-Diaconus de Viscah.
Meinhalmus, Archi-Diaconus de Volckimarckt.
Hermannus, Archi-Diaconus de Ortenbach.

Hi

(*a*) *corrige* Indictione V.
(*b*) Statim subjungetur Privilegium Eberhardi Archiepisc. Salisb. de 1160. apud Louffen de eadem donatione.

Hi quoque Plebani:
Odalricus, de Hartpach.
Liutoldus, de Widis.
Chunradus, de S. Floriano.
Hiltibrandus, de Strazkaneh.
Henricus, de Graze.
Henricus, de Merin.
Henricus, de Polan.
Adilbero, de Rutkerspach.
Chalohus, de Cradwin.
Liutoldus, de Murecke.
Ortwinus, de Waltherſtorff.
Eberhardus, do Nuwenkirchen.
Wolfferus, de Flatze.
Hiltipoldus, de Hitpach.
Truoto, de Dechanschirchen.
Geroldus, de Murce.
Joannes, de Wanſtorff.
Pernhardus, de Peltz.
Petrus, de Moſchircken.
Eberhardus, de Piber.
Henricus, de Laznich.
Henricus, de Gruskarn.
Sigwinus, de Capella.
Perchtoldus, de S. Andrea.
Henricus, de Lavent.
Wernhardus, de St. Ruperto, & alii plures.

Ex veteri Chartario Cœnobii Admontenſis deſcripſit Cl. Schannat. b. m.

§. III. In hac Synodo prælectum fuit Privilegium Eberhardi Archiepiſc. Salisburgenſis anno 1160. *datum Admontenſi Monaſterio. Confirmatorium Donationum factarum eidem Monaſterio & Prædeceſſoribus Salisburgenſibus Archiepiſcopis Gebhardo, Tyemone, Cunrado ibidem retractatarum, & regalium Imperii ab eodem cœnobio poſſeſſorum.*

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO EBERHARDUS, DEI GRATIA, SALZPURGENSIS ARCHI-EPISCOPUS.

QUia pro inſtabilitate vitæ humanæ multa ſomno oblivionis ſopiuntur, ideo quæ a nobis juſte & rationabiliter fiunt, ne poſt hac in aliquem dubietatis vel diſceptationis ſcrupulum deducantur, ea litteris mandata, poſteris illæſa transmittere non inutile judicamus. Itaque notum facimus cunctis fidelibus tam futuris quam præſentibus, quod nos aſſenſu & petitione venerabilis fratris noſtri Romani Gurcenſis Epiſcopi & fratrum noſtrorum Salzburgenſis Eccleſiæ Canonicorum, ſed & Miniſterialium noſtrorum S. Rudberti conniventia, quædam beneficia Admontenſi Cœnobio a prædeceſſoribus noſtris B. memoriæ Gebhardo, Tyemone, Chunrado impenſa, præſentis ſcripti pagina confirmamus, nonnulla etiam eorundem conſilio Pontificali auctoritate ſuperaddimus. Primo igitur, quæ ex prædictorum Pontificum ſeu noſtra donatione Monaſterium ipſum in prædiis ſeu decimis in præſentiarum poſſidet, quæ vel in privilegiis ipſorum continentur vel poſt indulta privilegia Cœnobio accreverunt, quæ nihilominus ſubtili retractatione diſcuſſimus, auctoritate Dei Omnipotentis & noſtra ſtabilimus & confirmamus. Inter quæ in valle Admontina Patellas ſalis, quas prædeceſſores noſtri contulerunt, ſed & ubicumque in poſſeſſione Cœnobii, veræ, ſalis ſeu ferri, aut argenti vel cujuslibet metalli, fodinæ reperiri poterunt, quæ de Regalibus Imperii, Salzburgenſis Eccleſia hactenus quiete poſſedit. Sicut ex conceſſione Pontificum præſcriptorum primitus ea fratres Admontenſes poſſederunt, & nos eis ex aſſenſu Domini Imperatoris Friderici Auguſti Sereniſſimi, concedimus & ſtabilimus. In eadem valle præconium totum & omne jus, quod Salzburgenſis Eccleſia primitus ibi habuit, a temporibus Hemmæ Comitiſſæ, quæ vallis ejuſdem maximam partem cum aliis prædiis ad cœnobium ibidem fundandum S. Rudberto temporibus Domini Odaldwini Archiepiſcopi contradidit, & nos Abbati & fratribus potenti manu & plena jurisdictione ſtabilimus, ut nullus advocatorum vel aliorum judicum, quicquam ſibi juris præter voluntatem & petitionem Abbatis & fratrum ibidem vendicet. Ad hæc in oppidis noſtris, ubi forum habemus, ſed & apud *Cluſam* juxta Werwen liberum jam dictis fratribus tranſitum concedimus, & ne in eiſdem locis

locis telonei exactione graventur, indulgemus.

Præterea statuimus, ut secundum tenorem & jus fundationis ejusdem Admontensis Ecclesiæ, & sicut per sententiam Imperatoris curiæ nobis coram positis, adjudicatum est, Advocato Monasterii non liceat de Advocatia bonorum ejusdem Ecclesiæ quemquam inbeneficiare, sed fideles & amicos suos, Divinæ remunerationis intuitu & ipsius dilectionis respectu, tutores ac defensores Monasterii instituat, insuper ut nec ipsi Advocati nec fideles eorum, placita, Bannos, modios vel pecudes a fratribus ipsis vel hominibus eorum exigant, quoniam aliorum beneficiorum utilitatibus a Salzburgensi Ecclesia id eis est recompensatum.

" Sane ex auctoritate creditæ nobis " a Deo dispensationis capellas duas " baptismales in prædiis Monasterii sitas, " scilicet supra *Zozzen* & apud *Mukkernowe* cum omni jure suo, dote videlicet " & clave Ecclesiæ & cum decimis ad " eas pertinentibus, Ecclesiæ *S. Blasii* " perpetuo confirmamus; primam ea- " rum ex mandato nostro a venerabili " fratre nostro Romano Gurcensi Episco- " po dedicatam, jam dicto Cœnobio " cum jure Sacerdotali tradidimus, ut " videlicet homines inter duos rivos " *Cortsiz* & *Zlatowe* consistentes, Bap- " tisma, sepulturam, absolutionem, pœ- " nitentiam, cœteraque Divina a Sa- " cerdote, qui per Abbatem in Eccle- " sia illa fuerit institutus, requirant, " & decimas eidem Ecclesiæ persol- " vant. Nisi forte Abbas cum Plebano " de Gutarche interdum pro tempore " & fratrum suorum quiete, aliter con- " venerit, quod tamen in detrimen- " tum Monasterii non redundet. Alte- " ram Ecclesiam apud *Mukkirnowe* præ- " decessores nostri baptismalem esse in- " stituerunt, quam rursus sub præde- " cessore nostro, Domino *Chunrado*, " *Gotfridus de Wietinge* a jure Parochita- " no exemit, quodam prædio suo Salz- " burgensi Ecclesiæ super hoc contradi- " cto, ut Sacerdotem ibidem, quem " vellet, haberet, cum omnibus atti- " nentiis & utilitatibus Ecclesiæ. Ita- " que Prædecessorum nostrorum pro " jam dicta capella institutum ad Ad- " montensem Ecclesiam cum Prædii " *Mukkirnowe* traditione manu nostra de- " rivatum, & nos dilecto fratri nostro " *Gotfrido* Abbati ejusque fratribus jure " perpetuo confirmamus, ut scilicet " dos ipsius Ecclesiæ & decimæ de Præ- " dio Gotfridi ex toto, decimæ quoque " ad *Chrotse* tam de vineis quam de agris " ad Ecclesiam ipsam persolvantur, nisi " quod Plebano de sancto Floriano qua- " tuor acervi frumenti & quatuor ave- " næ, certa de causa exinde persolven- " tur. Populus etiam, qui est supra " collem & ad *Mukkirnowe* & ad *Chrotse* se- " pulturam & baptisma & omnem justi- " tiam apud Ecclesiam *S. Nicolai* habebit, " excepto dumtaxat placito Christiani- " tatis, & judicio ferri vel aquæ, quæ " ad Plebanum de *Libniz* spectabunt, co- " operante Sacerdote de *Mukkirnowe*.

Ecclesiam præterea S. Mariæ Magdalenæ apud domum Hospitalem Friesach, memorato Cœnobio juxta prædecessoris nostri traditionem confirmamus, ut videlicet infirmi, quos ibi contigerit decedere, de familia quoque ejusdem Ecclesiæ obeuntes, sepulturam inibi accipiant, liceatque Sacerdoti Monacho, fratribus illic consistentibus libere & plenarie Divina celebrare, salva justitia Plebesanæ Ecclesiæ. Similiter Parochiam totam in valle Admontensi a *Chaiserowe* & *Clusa* montis *Ditmartsperg* itemque a *Clusa* juxta Paltum & Anesum usque in rivum proximum vico Rute. Et ab hinc ex utraque parte Anesi usque in flumen *Frodniz* cum omnibus decimis antiquis & novellis, quæ vel Sacerdotis vel Episcopi juris, esse noscuntur & cum Ecclesia sancti *Galli* in silva nova, quam nos dedicavimus, & baptismalem constituimus, atriumq; ejus Poliandrum fecimus, & decimis cunctorum novalium in eadem sylva cultorum & excolendorum dotavimus, omnesque præterea capellas in ipsa Parochia jam ædificatas, vel ædificandas sæpefato Monasterio confirmamus.

" Abbas ergo ejusdem loci electus, " omnia supradicta altaria cum ipsa Ab- " batia de manu Archi-Episcopi acci- " piens, ad arbitrium suum & utilita- " tem libere deinceps eisdem Ecclesiis " Sacerdotes provideat;" Parochiales nihilominus Ecclesias scilicet S. Mariæ Magdalenæ apud *Jaringhen* inferius in prædio Monasterii constructam, S. Georgii

orgii ad *Strazganch*, quam fundator Cœnobii Dominus *Gebebardus* Archi-Epiſcopus cum clave & dote & omni jure, quo ſibi ſerviens erat, eo legitime delegavit, & præſentatione Abbatis, ab Archi-Epiſcopo inſtituantur, cui nimirum de animarum cura, Abbati autem de temporaiibus debeant reſpondere. In Eccleſia quoque S. Martini ad *Strazganch* quod ſui juris erat, idem prædeceſſor noſter Gebebardus Archi-Epiſcopus Coenobio tradidit. Poſtmodum etiam *Guntherus* Marchio moriens, quod eum jure fundatoris attinebat, cum prædio totaliter illo, contulit. Præterea Eccleſiam *S. Albani* juxta *Enum* a prænotato Archi-Epiſcopo cum omni jure plenarie illo traditam, capellas etiam ad *Tiufenbach* & *Wenge* & *Trieben* eidem Cœnobio confirmamus, ita videlicet, ut tam in illis quam in aliis Monaſterii capellis, clavis & atrium fratribus, dos vero cum oblationibus juri cedant Sacerdotis; præter quod dotem Eccleſiæ *Tiufenbach* & Eccleſiam S. Albani cum dote & omni jure cuſtodi Admontenſis Eccleſiæ, ſicut primitus habuit, condonavimus.

Ut ergo hæc Pontificalium donationum memoria cunctis futuris temporibus inconvulſa & illibata permaneat, nos hanc inde cartam conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione muniri juſſimus, adjicientes, ut nullus ſucceſſorum noſtrorum hanc noſtræ auctoritatis paginam infringere; & præfatis fratribus factam donationem auferre, minuere, vel abalienare præſumat. Hujus rei teſtes ſunt Dominus *Romanus* Gurcenſis Epiſcopus, *Hugo* majoris Eccleſiæ Præpoſitus, *Heinricus* P. Abbas de Buren, *Ulricus* Præpoſitus de Kyemſe, *Romanus* Gurcenſis Præpoſitus, *Heinricus* Capellanus noſter de Mosburch, *Poppo* de Nywenchirchen, *Rapoto* Comes de Ortinberch, *Sifridus* Comes de Sibnowe. De Nobilibus: *Cuno* de Megelingen, *Adibrammus* de Chamb, *Purchardus* de Stein. De Miniſterialibus Salzpurgenſis Eccleſiæ: *Siboto* de Surburch, *Fridericus* de Petowe, *Fridericus* de Lonsperch, *Liupoldus* de Walde, *Duringus* de Werven, *Chuno* de Sneitſe & filius ejus *Chuno*, *Marquardus* Dapifer.

Actum apud *Loufe* anno Incarnationis Domini MCLX. Indict. X. Regnante Domino *Friderico* Romanorum Imperatore & ſemper Auguſto anno Regni ejus VIII. Imperii vero VI. noſtri autem Pontificatus anno XIII. feliciter. Amen.

Petzius Theſauri noviſſimi anecdotorum Tom. III. P. III. pag. 705. n. 27.
Hanſiz. Tom. I. Germaniæ ſacræ pag. 260. 261. Summarium hujus Diplomatis Eberhardini profert.

§. IV. *Adalbertus Archiepiſc. Salisburg. confirmat hoc eodem anno in hâc Synodo Jus fundatorum Eccleſiæ S. Walpurgis in Liesnich Admontenſi Monaſterio, item decimas ex omnibus prædiis ſuis collectas tam Epiſcopalibus, quam Parochialibus, donat cum eadem Eccleſiâ S. Walpurgis cum variis Privilegiis, & vetera Privilegia combuſta aut deperdita renovat in eodem Capitulo, id eſt, Synodo.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Sacris prædeceſſorum noſtrorum, ſeu progenitorum veſtigiis inhærentes, quorum devotio ſic divinitatis luce illuſtrata in benefactis perduravit, ut terrenis cœleſtia, tranſitoriis æterna mercarentur.

Ego Sacerdos *Udalricus* S. Martini de Harperch, & *Reinbertus* S. Martini de Libniz Miniſter indignus, fratres Uterini, jus Fundatorum, quod in Eccleſia S. Walpurgis in Liesnich ſita, jure hæreditario & teſtamentario habuimus, *in Admontenſe Monaſterium*, ſecundum tenorem ſubſcriptum, eodem jure perpetuo tradendo tranſtulimus: ne igitur errorem imperitia detegat, aut falſitas veritatem ſubruat, jus præfatæ Eccleſiæ omnibus Chriſtianis duximus ſuccincte revelandum.

Ex Nobili ergo Proſapia ortus Fridizlau cum uxore ſua Zlauva, eandem Eccleſiam in honorem B. Walpurgis in prædio ſuo fundaverunt: quibus ſuccedens Udalricus item nobilis, jure hæreditario ſub privilegii confirmatione tunc præ-

præſentis Archi-Epiſcopi Salzburgenſis, *decimis ex omnibus prædiis ſuis collectis, tam Epiſcopalibus, quam Parrochialibus*, canonico concambio celebrato, ipſam Eccleſiam ditavit, & a ſubjectione matricis Eccleſiæ, *præter jus Conventum convocandi*, exemit, ita ut proprium Sacerdotem, jus baptizandi, ſepeliendi colonos, qui eidem Eccleſiæ ſolverent, decimas in perpetuum obtineat: ſed quia evagante igne, idem privilegium ex parte combuſtum repertum eſt, Dominus *Reinbertus Decanus* & Miniſter S. Martini in Viſcha patruus noſter, ſupradictorum virorum hæres legitimus, ſicut & nos, idem Privilegium cuidam Monachæ de Goſſe, Perhtæ nomine, cui ejuſdem privilegii tenor notiſſimus erat, reparandum tradidit. Succedente vero tempore, mortua domina illa, privilegium quæſitum non eſt inventum, & ſic portionem decimationum ejuſdem Eccleſiæ, per diſſuetudinem ex maxima parte populus retinuit præter convicina prædia, quæ ex antiqua conſuetudine, Coloni ejuſdem Eccleſiæ uſque ad tempus noſtrum perſolverunt: plebani etiam in Lieſnich, ſi quando ipſam Eccleſiam habuerunt ex diſpoſitione & petitione parentum noſtrorum, ſed & noſtra, poſtmodum ipſam poſſederunt.

Hac denique occaſione neceſſitatis, ne quicquam dubietatis in jure ipſius Eccleſiæ poſſit emergere in futurum, providere volentes, a Domino *Alberto* Salzpurgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopo, ſuper eadem Eccleſia in omne jus priſtinum, quantum ex antiquorum Relatione parentum noſtrorum & aliorum tam Clericorum quam Laicorum cognovimus, privilegium impetravimus. Ut igitur omnis ſcrupulus quæſtionis adverſariorum ſopiatur, prænominatus Archi-Epiſcopus, dum utique plenitudine officii Archi-Epiſcopalis & Legatione Sedis Romanæ fungeretur, *in Conventu Capituli ſui* apud LIBNIZ XVIII. *Kalend. Januarii* Anno MCLXXXVII. Indict. V. manifeſtiſſime idem privilegium nobis & præſcriptu Eccleſiæ, ſicut prædictum eſt, ſecundo confirmavit. . . . . . . *& poſt pauca.*

Secundæ igitur Confirmationis Privilegii noſtri ſuper Eccleſia S. Walpurgis *Capitulo Libniz* hi teſtes adfuerunt.

Perhtoldus Abbas Ozziacenſis.
Willialmus Abbas Runenſis.
Bernhardus Præpoſitus Wozowienſis.
Ekkehardus Præpoſitus de Solio.
Ortlieb Archidiaconus de Viſcha.
Hermannus Archi-Diaconus de Ortinberg. (*a*)
Meinhalmus Archi Diaconus de Volchimer (*b*)
Eberhardus de Nuwenkirchen.
Liutoldus de Widis.
Heinricus de Merin.
Chunradus de S. Floriano.
Chadigoldus de Craduvin. (*c*)
Henricus de Graze.
Geroldus de Murce & alii plures.

Petzius Anecdotorum Tom. III. P. III.

Meminit hujus Chartæ ex cod. Diplom. Admontenſi. Hanſiz. Tom. I. German. pag. 305.

(*a*) Orlinburg *Hanſiz.* (*b*) Volchimarcht *Hanſiz.* (*c*) Cadilohus *Hanſiz.*

§. V. *Ejuſdem Archiepiſc. Adalberti donatio duarum Parochiarum eidem Monaſterio Admontenſi facta.*

Dominus item Adilbertus Archi-Epiſcopus, Parochias in Lieſnich & Palta cum omni jure Plebeſanarum Eccleſiarum & cum omnibus ſuis Titularibus Eccleſiis Admontenſi Monaſterio perpetuo poſſidendas, tradendo donavit.

TESTES.

Ekihardus Præpoſitus de Solio.
Meinhalmus Archi-Diaconus de Volchimarcht.
Geroldus Presbyter.
Albo Presbiter.
Gotfridus Diaconus.
Hartfridus Diaconus Notarius.
Henricus de Laznizch.
Henricus de Griven.
Henricus de Lavent.
Vdiscalcus de Luſe, *Capellani.*
Wulfingus de Chapfinberg.
Sibote de Augia.
Willchalm de Lieſnich.
Ortolfus de Liuben.
Wolframus Harpfoltisheim.

Henricus de Motzniz.
Wecilo Marescalcus, Peringerus de Rastat, Swickerus Dorf, Durineh Halle, Wichman Pistor, Reinhalm Otto Sevven, Waltherus Coquus.

Petzius Anecdotorum Tomi III. P. III. pag. 227.

§. *VI. Longa Lis inter Monasterium Admontense, & Ecclesiam Plebesanam Leibnitz, pro Capella S. Nicolai Mukirnowe eidem Monasterio data, & infra terminos Parochiæ Liebnitz constituta, per diversos Judices a Sede Apostolica delegatos agitata, sic ab Eberhardo II. Archiepisc. Salisburgensi per arbitros anno 1215. sopita fuit, ut Abbas & Fratres Admontenses ad IV. marcarum annuam pensionem de prædiis Monasterii conferrent Plebano & Ecclesiæ Liebniz, & hoc pacto jura antiqua obtinerent.*

Petzius Tomo III. Part. III. pag. 740. Thesauri anecdotorum.

Actum de Ecclesia S. Walpurgis, quam hæredes fundatoris Admontensibus tradiderunt: probante & confirmante Archiepiscopo.

ANno MCLXXXVII. Indictione V. XVIII. Kal. Januarii celebravit Adelbertus Archi-Episcopus Capitulum, seu Synodum parvam in Libnitz, præsentibus Ottone Abbati Ozziacensi, Ekkehardo Præposito de Solio, Ortliebo Archi-Diacono de Vischa, Hermanno Archi Diacono de Orlinburg, Meinhelmo Archi-diacono de Volchimarcht, Eberhardo de Navenkirchen, Liutoldo de Widis, Heinrico de Merin, Chunrado de S. Floriano, Ladiloho de Cradwin, Henrico de Graze, Geroldo de Murco, & aliis pluribus. Actum de Ecclesia S. Walpurgis, quam heredes fundatoris Admontensibus tradiderunt, probante & confirmante Archi-Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato. Actum apud Juvavum VII. Idus Junii anno MCLXXXVIII. Indictione VI.

Notitia in Codice Diplomatico Admontensi sub Numero XLII.
Ex qua Hansiz. hanc Decisionem & Synodum anni antecedentis hausit Tomo II. German. sacræ pag. 305. in Historia Archiepisc. Salisburgensium.



SYNODUS PADERBORNENSIS
Anno Christi MCLXXXIX. Clementis III. Papæ II. Friderici I. Regis XXXVIII. Imp. XXXVI.

SUMMA. Widekindus pœnitens de injuriis Ecclesiæ Paderbornensi illatis liberaliter eas compensat: acceptis enim ab Episcopo 300. marcis Advocatiam resignat, & cætera feudalia instar pignoris relinquit, cedens ea Ecclesiæ, si in itinere moreretur.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

NOtum sit universis Fidelibus futuris & præsentibus, quomodo Witikindus de Waldekke anno Dominice Incarnationis MCLXXXIX. Jherosolymam proficiscens, impigneravit Ecclesie Beati Liborii in Patherburne, quidquid habuit in bonis ejusdem Ecclesie & Ecclesie Apostolorum Petri & Andree, & Apostolorum Petri & Pauli cum decima Atlen, & servitiis Advocatie pertinentibus, & cum omnibus emergentibus pro trecentis marcis examinati argenti, ratum habiturus, si tempore absentie sue predia & mancipia in casibus licitis alienarentur. Et juravit *in sacrosanctis Reliquiis Beati Liborii*, quod nunquam de advocatia, & aliis impigneratis ipse vel aliquis suo nomine emolumentum percipiet, quousque ipse reversus, trecentas marcas examinati argenti Ecclesie beati Liborii restitueret. Et quomodo Arnoldus de Hobrahtessen, & uxor ejus, & filii se decimam in Atlen

&

& servitia Advocatie jure feodali possidere dicebant, Deo, & nobis, & Ecclesiæ fideliter promisit, quod ipse, si reverteretur, fratribus omnium defectuum suppleret, quem Ecclesia in servitiis Advocatie sive in decima Atlen per Arnoldum, & uxorem ejus, ae filios, vel propter eos ex aliorum invasione sentiret, ad persolvendum argentum sibi creditum, tempore absentie sue fidelibus suis Ludevico de Waldekke, Conrado Walige de Ense, Henrico Hildensemensi, Alexandro Dapifero, Rothardo Coco assignavit duas decimas, Godeloveſſen, Ymminchusen, & tres curias, Dalpenhusen, Witmare, Meshere, & Pedagium sive Ducatum Paderburne, ut ipsi omnem proventum annuatim in Ecclesia reponerent, quatinus summa pecunie inde collecta sibi revertenti computaretur in sortem. Nolens itaque liberationem hujus pignoris ad fratres suos, seu quemlibet alium transmittere, hoc constituit & ordinavit, quod, si ipse non reverteretur, Advocatia cum decimis & servitiis Domino Episcopo & Ecclesie vacaret, vel Dominus Episcopus de bonis suis eligeret Advocatum, quem vellet; Præpositus & fratres sibi eligerent utilem, cui electo & presentato a Preposito & fratribus Dominus Episcopus Advocatiam commendaret; non in feodum. Preterea cum multa devotione hoc expressit, quod eo non revertente, pecunia de duabus decimis, & tribus curiis, & ducatu collecta, non fratribus, non quibuslibet heredibus restitueretur, non in restitutionem ornatûs Ecclesie impenderetur, sed emeretur inde predium, de quo fratres annuam consolationem percipientes piam & perpetuam sui, & patris sui Volguini, & avi sui Widekindi, in anniversariis depositionum diebus haberent memoriam. Hoc quoque inseruit, quod si comparato predio, unde fratres majoris Ecclesie honestam annuatim haberent refectionem, tantum remaneret vel excresceret, Ecclesie beati Pauli decem marce, Ecclesie beati Andree decem marce darentur. Resignavit etiam Dominus Widekindus curiam suam Dalpenhusen, & servicium Episcopale Herevorde in manu Domini Episcopi, & Dominus Episcopus omnia beneficia Widekindi preter Advocatiam cum suis pertinenciis, & preter Curiam Dalpenhusen, & preter servicium Herevordense concessit fratribus ejus Heremanno & Heinrico ita tamen, quod si Widekindus rediret, ipse bona sua eo jure reciperet, & teneretur, quo ante resignacionem Heremannus & Heinricus receptis beneficiis juraverunt, fidelitatem Domino Episcopo, & præsentibus Prioribus, & fratribus Ecclesie, seu etiam aliis Clericis & inbeneficiatis, & ministerialibus Ecclesie contestati sunt, se in Advocatia nil juris habere, nec unquam habuisse, & datis dextris promiserunt sub juramento publice & vere fidei, & sub pœna amissionis omnium beneficiorum, que receperant. Juraverunt etiam in reliquiis beati Liborii, quod absente Widekindo fratre suo nunquam ipsi vel alius eorum nomine, sive auctoritate in Advocatia Ecclesie pignorata aliquo ingenio quicquam incommodi facerent per violentiam, seu aliquam exaccionem; & quod si Widekindus non reverteretur, nunquam aliquid sibi juris in Advocatia, & in ejus pertinenciis addicerent, & eam nullo jure, nullo unquam ingenio, seu subtilitate repeterent, & in nullo unquam possessionem ejusdem Advocatie vacantis turbarent, & sententiatum a fidelibus Ecclesie. Quodsi Widekindus, Herimannus, & Heinricus factum illud postmodum vellent inficiari, non eorum juramentum admitteretur, sed potius nobis probacio incumberet, & eorum testimonio, sub quorum presentia hec acta sunt, fides haberetur. Et quomodo hec ante Quadragesimam gesta sunt, ne reverentia temporis hanc ordinacionem infirmaret, sententiatum est precedente & antecedente eorum arbitrio & consensu, omnia tamen tam rata habenda, ac si in diebus juridicis essent contracta & consummata. Facta hec sunt anno Domini MCXXXIX. Indict. VII. Non. Aprilis, feria II. post Palmas, Paderborn, in domo Episcopali, presente Clero, presentibus inbeneficiatis & ministerialibus Ecclesie. Nomina inbeneficiatorum, qui interfuerunt, hec sunt: Everhart de Brokhusen, Amelungus Comes, Godeschalc de Patberch, Heinricus Longus de Erclen, Heinricus Spirinc, Suetherus de Wever.

Hec quoque in proxima feria IV. presentibus nobilibus: Bernhardo de Lippia, Heremanno de Ittere, Florino de Spenge, & presentibus Henrico Abbate civitatis Paderburnensis, & Wilhelmo Abba-

Abbate de Helmwardeshuſen, & Nicolao Abbate de Herſethenhuſen, & Syfrido Abbate de Flechtorp, & preſentibus Sacerdotibus & Scabinis, qui eo die *ad Synodum generalem* convenerant, in Capitulo majori recitata ſunt, ac confeſſione ac permiſſione Heremanni & Heinrici confirmata. Preterea tota hec actio hoc ordine conſcripta proxima Feria II, qua cantatur: *Introduxit nos Dominus;* Waldekke recitata eſt in audientia Domini Arnoldi Oſenbrucenſis Epiſcopi, Lentfridi Oſemb. Præpoſiti, Rodolphi de Stenvorde, & multorum Clericorum ac Militum, qui ibi ſimul cum Widekindo iter peregrinationis arripuerunt. Aderant quoque Bernhardus Prepoſitus Monaſterienſis, & frater ejus Ludolphus de Stenvorde, & Caſtellanide Waldekke, & multi Nobiles ac Miniſteriales, qui Widekindo valedicturi illuc convenerant. Et ſine omni heſitatione Heremannus & Heinricus ſe ſic feciſſe, promiſiſſe & juraſſe, & omnia ſe rata velle habere confeſſi ſunt.

Schatenus Tomo I. Annal. Paderbornenſ. Lib. IX. ad hunc annum, retentâ primigenia diplomatis orthographiâ.

SYNODUS HALBERSTADENSIS IN GATERSLEVEN,

Anno Chriſti MCLXXXIX. Clementis III. Papæ III. Friderici I. Reg. XXXVIII. Imp. XXXVI.

SUMMA. §. I. Theodoricus, Epiſcopus Halberſtadenſis, confirmat donata Caldenbornenſi Eccleſiæ.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

THEODORICUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, HALBERSTADENSIS ANTISTES.

Vita mortalium vaſis aſſimulat fictilibus: ſui curſus præmium cito conſequitur, & indeſinenter ad ulteriora transcendit. Inde eſt, quod rei geſte cito ſeneſcit notitia, niſi per litterarum ſeriem ejuſdem vivat memoria. Innoteſcimus igitur univerſitati fidelium Chriſti; quod Henricus de Lodersleben prædia *Caldenbornenſis Eccleſiæ*, qui cum curribus ſuis longa uſurpatione nunquam cognoſcere volens poſſederat, banni tandem cenſura præmonitus, & zelo ductus juſtitiæ, ſopitis utrimque controverſiis, ipſi Eccleſiæ reſignavit, & pro bono pacis utriuſque partis duos manſos, unum ſane cum omni utilitate, alium vero ſub jure ſolvendi cenſus ab eadem Eccleſia recepit, & cum uxore ſua Richerſa, plena fraternitate accepta, bona ſua, quæ vel in præſentiarum poſſidet, vel in futurum Deo largiente contraxerit, Eccleſiæ cum omni integritate contradidit, ea videlicet ratione, ut, quiſque alterum ſupervixerit, eadem bona ſub tuitione loci poſſideat, & poſt utriuſque deceſſum libere in poſſeſſionem Eccleſiæ tranſeat. Ut ergo actio hujus rei omni ævo rata & inconvulſa permaneat, præſentem paginam, inde conſcriptam, ſigilli noſtri atteſtatione roboramus, ac nunquam mutanda auctoritate Dei omnipotentis & noſtra ſub anathemate obligamus. Hujus rei teſtes ſunt Canonici majoris Eccleſiæ in *Halberſtadt*: Anſelmus Præpoſitus majoris Eccleſiæ, Conradus Præpoſitus S. Mariæ & S. Pauli, Wernerus Præpoſitus in Boſſeleve, Romarus Canonicus, Geverhardus, Adelbertus, Gardulphus, Geroldus Canonici: Theodoricus Abbas in Ilſeneburg, Ermenoldus Abbas in Gozeka, Ludolphus Præpoſitus in Caldenborn, Otto Præpoſitus in Gerbſtadt, Otto Præpoſitus in Harpenrhode, Reinhardus & Loderus Canonici in Caldenborn. *Laici*: Heinricus Comes de Blandenburgk, Adelbertus de Hackenborne, Henricus de Dithforde & Sifridus frater ejus, Bernhardus & Fridericus de Herſeleve, Fridericus de Orden, Ludol-

dolphus de Isleven. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Mo. Co. L. XXXIX. Indictione VII. *in plena Synodo Gatersleven.* Data in Gatersleve VI. Idus Junii.

Samuel Lentzen in Hiſtoria Diplomatica Halberſtadenſis Eccleſiæ.

§. II. *Idem Epiſcopus eidem Eccleſiæ Caldenbornenſi varia Dona confirmat, & Privilegia, & immunitates indulget.*

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

THEODERICUS, DEI FAVENTE CLEMENTIA, HALBERSTADENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, IN PERPETUUM.


QUia ſolent plerumque bona Majorum noſtrorum inſtituta, ſive ex oblivione antiquitatis obſcurari, ſive ex iniquorum machinationibus caſſari, idcirco convenit omnibus, & præcipue Epiſcopis, quos Divina gratia ſibi Vicarios ordinavit, non ſolum ſibi commiſſorum utilitatibus; verum etiam futuris malorum eventibus oculo diſcretionis præcavere. Inde tam præſentium, quam futurorum univerſitati innoteſcimus, qualiter p. m. Bernhaldus, *Caldenborn.* Præpoſitus decimam quorundam novalium in Holdenſtede, a quodam Erwino, & fratre ſuo Theodorico quinque libris argenti redemit, quam ipſe Erwinus Domino ſuo Cunoni de Sutterhauſen, & idem Cuno nobis ea ratione reſignavit; ut noſtra conceſſione Eccleſiæ *Caldenborn.* libera in perpetuum remaneret. Non ſolum igitur huic rei favore noſtro annuendum duximus; verum etiam decimam *vineæ in Gaſterſtede*, & decimam quorundam agrorum in *Bornſtede*, ibidem Eccleſiæ adjacentium, & ſuper prædia in villa *Entzingen*, quæ Beno miniſterialis noſter poſſederat, liberam advocatiam cum ipſis prædiis, eo mortuo, memoratæ Eccleſiæ ſemper manſuris, in plena libertate pia devotione contradimus. Præterea quieti & utilitati prædicte Eccleſie impoſterum providere volentes, quæcunque eradicatis fruticetis in *Novalia* fideles inibi redegerint, more venerabil. Anteceſſorum noſtrorum *Reinh.*, *Ottonis*, *Rudolphi*, *Odalrici*, libera ab omni decimatione eis concedimus. Inſuper ſive Magdeb. Archi-Epiſcopus & jam dictus Cuno, & alii quamplures in Deusne ſchlàvico jure poſſident bona & homines, qui antiquo juri ſuo innitentes, decimam dari nondum conſentiunt, ita & eodem jure, & eadem conſuetudine, in qua hactenus manſerint, volumus homines *Caldenborn.* liberos a decima permanere; donec generali conſenſu homines *Dom. Magdeburgenſis Archi-Epiſcopi*, & *Ducis*, aliorumque Principum & Miniſterialium ad ſimilia compellantur, & donec *Dom. Apoſtolici generali* de omnibus dato decreto legi Chriſtianæ & *juri Synodali* ſtare cohæreſcant. Statuimus etiam, ut Præpoſitus nullum infeodare valeat decimis, quas tempore conſuevit Archi-Diaconatus ſui; ſed liberam habeat ordinandi poteſtatem de hys, prout ſibi & ſuæ Eccleſiæ utilius conſpexerit eſſe, & ſic ſpecialius jam dictam Eccleſiam pie devotionis affectu amplectimur, fratrumque inibi Deo famulantium, utilitati ſimul & neceſſitati proſpicientes bona, quæ Dom. *Frid. Imperator* Rhomanor. cum *Bernhardo Præpoſito* & fratribus Caldenbornenſ. Eccleſiæ commutavit in villa Winckele VI. manſos litonum i. e. Lazze, ſolventes quatuor talenta & tres ſolidos, de novalibus VI. talenta & VII. ſolidos, in *Walferſtede* de duobus manſis lithonum & de manſis famulorum, qui appellantur *Hygen*, quinque talenta & decem ſolidos; *in Varenſtede* de uno litonis manſo & de uno Slavi manſo, & de aliis famulorum manſis IV. talenta, ſicut idem Imperat. maj. ſuæ ſigillo privilegii ſui paginam inde conſcriptam roboravit, prius receptis a Caldenborn. Eccleſia bonis, quæ ſita ſunt in pago *Orla*, ſolventibus XXV. talenta; ita & nos Epiſcopali banno prætaxati concambii contractum roboramus, firmiter inhibentes, ne Præpoſitus Caldenborn. ea bona, vel alia quæcunque cuicunque obligare, vel quemcunque infeodare præſumat; ſed fratribus ad ſubſidium præbende fideliter conſerventur. Inſuper ipſam Eccleſiam in bonis, quæ Comes *Wigmannus*, & alii fideles, ſæpe dictis fratribus in ſolatium contulerunt, in molendinis, pratis, paſcuis, agris, ſilvis, cultis & incultis

cultis, cum omnibus, quæ ad eam Canonice pertinere noſcuntur, aut in futurum rationabilibus modis præſtante Domino poterit adipiſci, ſub B. Petri & S. Stephani Prothomart. ac noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti pagina privilegiata, banni noſtri autoritate inviolabiliter communimus. Statuentes ut neminem Epiſcopus advocatum ſtatuat jure feodali, vel hæreditario, in bonis Eccleſiæ, fratribus invitis; ſed ſi petierint ſibi advocatum, idem præter ſtatutum nihil exigat ab Eccleſia, & ſicut a fundatore Wigmanno Comite noſcitur inſtitutum, & a *Lothario* Imperat. glorioſiſſimo confirmatum, ſicut evidenter in ſuo Privilegio dinoſcitur; advocatiam nullo modo amplius detineat, quam Eccleſiæ poſtulaverit utilitas & Præpoſito complacuerit. Cæterum ARCHI-DIACONATUM cum terminis, quibus ex antiquo limitatus fuerat, & eo jure, ut plene in privilegio *Reinhardi* EPIſ. oſtenditur, in perpetuum ECCLEſIÆ Caldenbornenſi ſtabilimus, & quia in partem ſolicitudinis noſtræ vocata eſt; cum ſciamus, laicos ſemper infeſtos fuiſſe Cleris, jus patronatus emi non poſſit per ſe & ſimpliciter, verſutias laicorum adnullare ſperantes, qui, quia ſtatutum eſſe ſciunt, " *Quod, ſi Fundatores Eccle-" ſiarum ad inopiam vergere cœperint, ab " eiſdem Eccleſiis temporalis vitæ ſuffragia " percipiant*, ea occaſione ſua temeritate, & quod gravius eſt, ducti cupiditate Clericis ingerunt angaria & perangaria, quique rapinas, quique fraudes & violentias inferre non formidant, & ſæpe Sacerdotibus viam univerſæ carnis ingreſſis, ipſi in rebus Eccleſiaſticis quaſi proprii juris proprietatem exercerent, quibus in ſua redactis nullum repræſentant Prælato ad inſtituendum, niſi vel clam mutuando, vel vadiando, vel fide jubendo pro ipſis aliquid muneris contingat manus eorum: ideoque, quia non placuit, laicos ſtatuendi in ECCLEſIAM hancce (*a*) aliquam poteſtatem; quibus ſubſequendi manet virtus, non autoritas imperandi. Sicut autoritate Ss. Patrum decimas a laicis poſſeſſas, omnibus Clericis & etiam Monachis licitum eſt, EPIſCOPO conſentiente, redimere, & eas perpetua ſtabilitate retinere; ita & Eccleſiæ *Caldenborn.* licitum ſit, decimas redimere per totam noſtram Diœceſin, & Eccleſias a laicis detentas, ſi eas nomine pignoris voluerint obligare, recipere, & ex noſtra conceſſione & authoritate ad redimendas vexationes Clericorum, advocatias, & ſervitutes, quæ retente ſunt hæredibus a primis fundatoribus, emere; nec hoc eſt ſimoniacum, & ſic ad ordinandum accipere, & eis in perpetuum providere. Si quis ergo laicorum poſtea diſpoſitione, ſeu diminutione rerum, ſive poſſeſſionem Eccleſiarum ſibi vendicaverit, ut ſacrilegus indicetur & qui hoc temerare voluerit, cum confuſione vite & excommunicationis animæ, ſententiam in eum a nobis ſciat promulgatam.

Acta ſunt hæc anno Incarn. Dom. M. C. LXXXIX. Indict. VII. *in plena Synodo* Gatersleven VI. Id. Junii. Hujus rei teſtes ſunt: Anshelm majoris Domus Præpoſitus, Conr. Præpoſitus S. Mariæ & S. Pauli, Wern. Præpoſitus S. Bonifacii. Canonici: Romarus, Gevehardus, Albertus, Gardolphus Vice Dominus. Theodoricus Abbas Helſeneburg, Ludolphus ipſius Eccleſiæ Præpoſitus, Otto PRÆPOſITUS in Gerberſtede. *Laici*: Henricus Comes de Blanckenburg, Albertus de Hackeborne, Henr. & Siffr. de Trethforde, Dedo & Guntzelinus de Crozig, Theodericus & Conradus, & alii quam plures.

Samuel Lentzen in Hiſtoriæ Diplomaticæ Halberſtadenſis appendice.

(*a*) pro *hancce* forte legendum habere.



Trans-

Translatio & Elevatio S. OTTONIS,

Episcopi Bambergensis, & Pomeranorum Apostoli.

FACTA à DUOBUS EPISCOPIS, PAPÆ COMMISSARIIS, ET DUOBUS ABBATIBUS.

ANNO CHRISTI MCLXXXIX. CLEMENTIS III. PAPÆ II. FRIDERICI I. REG. XXXVIII. IMP. XXXV.

Clementis III. PP. Epistola ad Episcopos & Abbates, primo de inquisitione facienda vitæ & miraculorum Ottonis, deinde procedendum ad Canonizationem.

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS E. (a) MERSEBURGENSI ET O. (b) EISTETTENSI EPISCOPIS, ET DILECTIS FILIIS S. EMMERAMMI RATISPONENSI ET SCHUUARTZENSI (c) ABBATIBUS, DECANO ET SCHOLASTICO WIRTZIBURGENSI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

AD audientiam Apostolatus nostri, ex quarumdam serie litterarum & relatione multorum pervenit, quod Divina potentia, per meritum & interventum beati Ottonis, qui Babenbergensis fuit Episcopus, multam est operata salutem, præcipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab Apostolica Sede transmissus, & in ea compluribus miraculis donavit illi Dominus coruscare. Quoniam igitur, juxta Divinæ scripturæ testimonium, lucerna non sub modio, sed supra candelabrum est ponenda; districtioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de vita ipsius & miraculis diligentius inquiratis, quæ nobis fuerunt per multorum litteras indicata. Et si non inveneritis aliquid, quod obsistat; ipsum canonisatum, auctoritate freti Apostolica, solenniter & publice nuncietis; anniversarium diem sui transitus facientes, & publice nunciantes ad honorem Dei, & ipsius beati viri memoriam solennem haberi. Datum Laterani III. Kal. Maji Pontificatus nostri anno secundo.

Ex Gretsero de Divis Bambergensibus.

(a) Eberhardus Merseburgensis. (b) Otto Eistetensis Episc.
(c) Schwartzacensi.

Clementis III. Bulla ad Bambergensem Clerum & Populum, significat, mandatum a se datum Commissariis, Episcopis & Abbatibus de inquirendo & canonizando S. OTTONE.

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI OTTONI EPISCOPO, ET DILECTIS FILIIS CANONICIS, ET UNIVERSO CLERO ET POPULO BABENBERGENSI, MONTIS S. MICHAELIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

CUm Sedi Apostolicæ referuntur ea, quæ ad salutem pertinent animarum, & devotionem Cleri & populi manifestius indiciis respicere comprobantur; ea, sicut convenit, libenter audimus, & ut debeant in Domino promoveri, favorem, ut expedit, impertimur Apostolicum & assensum. Hinc est, quod cum ad audientiam Apostolatus nostri, quarumdam serie literarum & multorum

torum (a) relatione pervenerit; quod Divina Potentia, per miracula & interventum beati Ottonis, qui Babenbergensis fuit Episcopus, sit multorum operata salutem, præcipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab Apostolica Sede transmissus: in qua donavit illi Dominus Deus compluribus miraculis coruscare. His gratanter auditis, & pro tantis beneficiis omnipotenti Domino gratiarum actionibus exsolutis, vestris piis desideriis, ad laudem Dei, satisfacere cupientes, venerabilibus fratribus nostris Merseburgensi & Eistettensi Episcopis, & dilectis filiis S. Emmerami Ratisponensi, & Schuuartzensi Abbatibus, Decano & Scholastico Wirtzeburgensi dedimus in mandatis, quatenus de vita ipsius, & miraculis diligenter inquirant, quæ nobis fuerunt per multorum litteras indicata. Et si non fuerit inventum aliquid, quod obsistat, ipsum canonizatum prædictæ personæ debeant solenniter, & publice, auctoritate freti Apostolica, nunciare, anniversarium diem sui transitus facientes, & publice nunciantes ad honorem Dei, & ipsius beati viri memoriam solennem haberi. Datum Laterani Kal. Maji. Pontificatus nostri anno secundo.

Gretserus de Divis Bambergensibus T. X. pag. 669.

Hæ Bullæ vel earum alterutra, aliquos induxit, ut institutam XXIX. Aprilis *Sancti Ottonis* Canonizationem scriberent, quos secutus Antonius Balinghemius S. J. ad eum diem ita legit, *S. Otto anno* 1189. *a Clemente III. refertur inter Sanctos*, quo die & in prætermissis de eo actum est *Tomo III. pag.* 612. Veruntamen non satis proprie, & in rigore ab ipso, & ab aliis id intellectum oportuit, cum ex relatis instrumentis manifeste pateat, præcedere debuisse, deputatorum Episcoporum, aliorumque *de vita S. Ottonis & miraculis* diligentem inquisitionem priusquam *prædictæ magnæ Personæ* Sanctum ut *Canonizatum solenniter & publice, auctoritate freti Apostolica, nuntiare* potuerint; quibus rite exequendis menses ut minimum tres insumptos existimo; tum vero ad actum solennem processum esse, coram universa *Cæsarea Curia*, quæ Herbipoli convenerat *in Festo S. Laurentii*, uti habet Biographus *Ebbo num.* 134. Dein ad sacri Corporis e prima sepultura elevationem, translationem, & publicæ venerationi Catholico tunc more expositionem, quæ sub finem Septembris ejusdem anni peracta sunt. Et sic recte pag. 375. subjungit laudatus supra Gretserus: *Anno igitur Domini MCLXXXIX. II. Kal. Octobris in die S. Hieronymi translatus est S. Otto, Deo dignus Episcopus Babenbergensis, & Pomeranorum Apostolus, præsidente adhuc in Sede Babebergensi Ottone Largo, II. ejus nominis.*

Nota hæc est Joannis Baptistæ Sollerii S. J.
Act. SS. Tomo I. Julii in Commentario prævio.

Lambertini de Servorum Dei Beatificatione Lib. I. Cap. XLIV. No. 15. *observatio hæc est:* Hac Bullâ Pontificiâ delegari Episcopis non Canonizationem S. Ottonis: sed *inquisitionem* in vitam & miracula ejusdem: quibus veris repertis, decrevit ipsus Papa canonizandum esse, eumque canonizavit: deinde ipsum canonizatum auctoritate freti Apostolica solemniter & publice nuntiandum significavit. Veritas hujus observationis Benedicti XIV. ab eodem confirmatur ex Ebbone Biographo S. Ottonis, edito ab Hagiographis Tomo I. Julii pag. 455. sic scribente: " Anno igitur Dominicæ Incarnationis 1189. Clemens III. Romanæ Sedis Antistes, eorum, qui hujus negotii auctores extiterant, attestationes recipit; habitoque fratrum, qui præsentes erant, consilio, Sanctissimum Confessorem Dei Ottonem Sanctorum catalogo adnumerandum decrevit. Eo igitur canonizato executionem translationis Venerabilibus Episcopis fratribus suis delegavit.

Unde colligit Lambertinus I. nullo id fundamento niti, quod a nonnullis asseritur, definitionem scilicet causarum canonizationis aliquando fuisse a Summis Pontificibus commissam Episcopis. Colligit 2do, si id verum esset, nihil ex eo tamen deduci posset adversus Summi Pontificis infallibilitatem in canonizatione Sanctorum.

Acta specialia in CANONIZATIONE hæc narrantur, Bambergæ patrata, post acceptas in Curia Herbipolensi Literas Apostolicas:

1. Vitæ & Miraculorum S. Ottonis jam approbatorum Lectio publica.
2. Decreti Pontificii vel utriusque Bullæ hic appositæ Lectio.
3. Elevatio Corporis S. Ottonis, translatio in locum decentiorem: aut forte collocatio supra altare majus.
4. Sacrificii Missæ oblatio de uno Pontifice.

5. Vela-

(a) Wulfframi, Abbatis S. Michaëlis, Legati ad Pontificem pro hac causa, aliorumque.

5. Relatio nominis S. Ottonis in Canonem.
6. Relatio nominis S. Ottonis in Litanias.
7. Relatio nominis S. Ottonis in Calendarium ſeu Catalogum Confeſſorum Chriſti.
8. Dies anniverſaria ſolemnis ferianda indicitur.

SYNODUS (a) TREVIRENSIS DIOECESANA

ANNO CHRISTI MCLXXXIX. CLEMENTIS III. PAPÆ II. FRIDERICI I. REGIS XXXVIII. IMP. XXXV.

Trevericum ſchiſma a Legato Apoſtolico ſopitum, per depoſitionem Folmari, ac Rudolphi, & Joannis I. electionem.

UBi venit plenitudo dierum, ut miſeriarum Treverenſis Eccleſiæ finem diu exſpectatum, Dominus imponere vellet; Clemens Papa Legatum Apoſtolicæ Sedis D. Sofridum (b) Tituli S. Mariæ inviolatæ (c) Cardinalem ad Regem (d) transmiſit, ut ſecundum tenorem compoſitionis factæ negotium Treverenſe determinaret. Ille autem profectus, prædicavit ubique pacem factam inter Regnum & Sacerdotium, Deo cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus etiam ſignis confirmatæ compoſitionis. Siquidem juxta mandatum Papæ Treverim acceſſit, & Eccleſiam totam cum ſuffraganeis Eccleſiis ab obedientia Folmari, auctoritate Apoſtolica abſolvit. Si quos etiam idem Folmarus excommunicaverat, officio & beneficio privaverat, vel omnino depoſuerat, in ſtatum priſtinum reſtituit. Ut autem factum ſuum majore contra obloquentes muniretur præſidio, cartam ſigillo Papæ, ſubſcriptione Cardinalium munitam propoſuit, in qua continebatur, quod Papa pro ejuſdem negotii determinatione Archi-Epiſcopum Folmarum, tertio per Cardinales citatum, & tandem non venientem, ab amminiſtratione Treverenſis Eccleſiæ omnino depoſuit, conſecrationem Pontificalem tamen non ademit, Eccleſiam vero Treverenſem ab obedientia ſua in eodem ſcripto liberavit, omneſque, quos ille ligaverat, abſolvit: quos ille depoſuerat, in priſtinum honorem reſtituit: quidquid etiam tempore ſchiſmatis ab utroque, Rudolpho videlicet Præpoſito, & Folmaro conſtitutum fuerat, quod alicui in jure ſuo derogare poſſet, in irritum revocavit.

His omnibus præmiſſis, tandem Eccleſiæ Treverenſi in eodem ſcripto liberam electionem antiſtitem eligendi conceſſit. Acceptâ ergo electionis ſuæ libertate, Treverenſes ſuggeſtione & precibus Regis, (d) qui tunc temporis in civitate præſens erat, Dominum Joannem, Imperialis aulæ Cancellarium, unanimiter elegerunt, poſt electum Regi præſentarunt inveſtiendum. Peractis autem omnibus ſolennitatibus electionis, auctoritate Apoſtolica a Cardinale confirmatus eſt.

Geſta Trevirorum Cap. C. apud Illmum Hontbemium. in Prodr. Hiſt. Trev. P. II.

(a) Trevirim una cum Henrico Rege veniens (*Legatus*) *Conventum Provinciæ totius* habuit, ubi in *Sacerdotum ac Principum aſpectu*, incredibili omnium Ordinum lætitia pacem Eccleſiæ reddidit, &c. *Browerus Annal. Trevir. Tom. II. ad h. a.*

(b) Godefridum, nominat *Browerus.* (c) *Pagi*: in via lata.

(d) Henrici Regis Germ. filii Friderici I. Imp., cui Pater eodem anno, in Orientem digreſſus, res Imperii moderandas permiſerat.

Addit auctor geſtorum Trev. Cap. CI. Pallium (Joannis I. Archiep. Trev.) cum a Clemente Papa reciperet, Hermannus Abbas Clauſtri, exclamâſſe dicitur, & dixiſſe: Benedictus Dominus! Hodie deletum eſt chyrographum maledictionis noſtræ. Sciſcitante Papa, quid hoc eſſet; reſpondit, quod B. Hildegardis prædixiſſet, coronam Trevericæ dignitatis dejectam jacere debere ſeptem annis, & illam diem æſtimabat eſſe illius infelicis ſeptennii ultimam.

HILDESHEIMENSIS SYNODUS

ANNO CHRISTI MCXCI. CLEMENTIS III. PAPÆ IV. HENRICI VI. REGIS I.

SUMMA. Berno, Episcopus Hildesinus, confirmat bona Monasterii Stederburgensis.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, BERNO, DEI GRATIA, HILDENSEMENSIS EPISCOPUS.

Ecclesiarum profectibus plurimum expedire dignoscitur, si Donationes eis factæ, vel aliæ justæ conquisitiones, debita firmitate roborentur, ut ita malignari volentium iniquitas elidatur, & prodesse volentium charitas ad benefaciendum Ecclesiis animetur. Inde est, quod notum esse volumus tam præsentibus, quam futuris, quod Reverendus Frater noster *Gerhardus* Præpositus in *Stederburg*, zelo domus Dei sibi commissæ fervens, ut in ea ampliari posset numerus Deo famulantium, reditibus ejus ampliandis piæ sollicitudinis impendit studium, cujus desiderio, sicut rei probat evidentia, Dominus optatum concessit effectum: Divina enim favente clementia & Antecessorum nostrorum, & nostra opitulante benevolentia, locus ille a laborante prædicto ejus Præposito crevit personis, crevit ædificiis, crevit & prædiis. Hæc autem sunt prædia, quæ Ecclesiæ Stederburg per solertiam Præpositi Gerhardi de novo conquisita sunt. In *Lienethe* IX. mansi & XIV. areæ; in *Mandeve* XIV. mansi & XV. areæ; in *Ardesheim* VIII. mansi & dimidius cum totidem areis; in *Lefforde* IX. mansi & IV. areæ; in *Linden* II. mansi & II. areæ; in *Stokem* & in *Melverode* IV. mansi & dimidius, & totidem areæ; in *Swlbere* IV. mansi & totidem areæ; in *Brunsele* V. mansi & totidem areæ; villa, quæ *Hop* dicitur, in qua sunt IX. mansi, & areæ, & prata, & pascua; in *Alerem* & *Dunckerbecke* V. mansi & VI. areæ; in *Stidiem* III. mansi & III. areæ; in *Bungenstide* II. mansi & II. areæ; in *Stidire* II. mansi & II. areæ; in *Northeim* III. mansi & III. areæ; in *Thide* IV. mansi & dimidius, & totidem areæ; in *Lewardesbuttle* I. mansus; in *Machtersem* I. mansus; in *Sulethe* IV. mansi & III. areæ; in *Senethe* III. mansi; in *Stockeim* I. mansus; in *Alvetesheim* I. mansus & area; in *Linden* molendinum I. & II. mansos; in *Meinolverode* unum molendinum. Decima in *Senete*, decima in *Echte*, decima in *Mandere*, & medietas decimæ in *Lefforde*. Cum igitur Ecclesia in Stiderborch, nostræ Ecclesiæ sit specialis filia, utpote ei a fundatrice sua *Frideronda*, *Altmanni* Comitis filia, cum prædiis, quibus eam dotavit, collata a Rege *Henrico II.*, jurisdictioni S. Patris nostri Episcopi *Bernwardi* & successoris ejus integraliter supposita, ut testatur privilegium loco illi Regia liberalitate ejusdem Henrici II. indultum; Nos securitati ejus & perpetuæ paci merito consultum esse volentes prænumeratorum prædiorum proprietatem eidem Ecclesiæ in Stederborch confirmamus, & ne quisquam eam super his inquietare præsumat, auctoritate Apostolorum Petri & Pauli, & nostro banno ipsam munimus. Advocatiam quoque super jam dictis prædiis Ecclesiæ in Stiderborch concedimus, ut causas, quæ emerserint Præpositus ejusdem Ecclesiæ definiat, vel ad Nos, vel successores nostros, si negotii qualitas postulaverit, referat; ut autem hæc ordinatio perpetuo vigore inconcussa permaneat, eam præsentis paginæ scripto Sigilli nostri caractere insignito roboramus.

Actum *in pleno Capitulo* anno Dom. Incarnationis MCXCI. Indict. IX.

Hi sunt Testes:

Bertholdus Major Præpositus.
Hilarius Decanus.
Bruno Cellerarius.
Gotfridus Pæpositus.
Lodewicus Sacerdos, *Joannes* de *Poppenborch*, *Thietmarus* de Curia Dominorum, *Gilbertus* Præpositus, *Bertoldus* Custos, *Ludolphus* Præpositus, *Poppo* Præpositus, *Conradus* de Bobentum, *Ekkehardus* Canonicus, *Fridericus* Canonicus, *Hermannus* de Lichowe, *Rodol-*

Rodolfus de Zygenhagen, *Hermannus* de Bodenſtein., *Borchardus* de Walldenberch, *Ludolphus* de Waldenbergh, *Rolandus* Scholaſticus.
Theodericus Abbas Sancti Michaelis.
Theodericus Abbas S. Godehardi.
Alexander Abbas de Rinckelum.
Richmannus Decanus Montis.
Bertholdus Decanus S. Crucis.
Rudolfus Præpoſitus de Richenberch.
Ekkehardus Præpoſitus de monte S. Georgii.
Joannes Præpoſitus de Heninghe.
Gerhardus præpoſit. de Lammespringhe.
Hiddo Præpoſitus de Sulta.
Geroldus Præpoſitus de Backenrod.
Mag. *Herovicus* Scholaſticus S. Crucis.

Chronicon Stederburgenſe apud Leibnitz Tomo I. Scriptor. Brunsvicenſium.

STATUTA SYNODALIA ODONIS,
EPISCOPI TULLENSIS.
Anno Chriſti MCXCII. Cœleſtini III. Papæ II. Henrici VI. Reg. III. Imp. II.
CANONES IX.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

ODO, DEI GRATIA, LEUCHORUM EPISCOPUS, OMNIBUS ECCLESIASTICIS PERSONIS IN EPISCOPATU NOSTRO CONSTITUTIS IN PERPETUUM.

NOverint inpoſterum, ac memoriter teneant univerſi, quod dilecti nobis in Domino fratres & amici, Archi-Diaconi, & Abbates de Epiſcopatu noſtro ad nos venientes, & pro lacrymabilibus injuriis, quibus Eccleſiæ noſtræ & Eccleſiarum Miniſtri, quotidie oppreſſi, irremediabiliter laborabant & afficiebantur, pariter ingemiſcentes; unanimiter nos rogaverunt, ut contra tyrannidem raptorum & quorumlibet malefactorum in eos deſævientium, illud auxilii & protectionis conſilium atque tutamen eis miſericorditer exhiberemus, quod ex injuncta nobis cura & officio paſtorali eis paterne exhibere debebamus. Unde nos communicato cum eis conſilio, ſicut rationabile nobis viſum fuit, & eorum diſcreta conſideratio nobis conſuluit, ſtatuimus, quod in præſenti pagina capitulatim annotari præcepimus.

CANONES.

I.

STatuimus itaque, & ſub anathemate interdiximus, ut quando per quodcumque caſtrum, ſeu villam in Epiſcopatu noſtro conſiſtentem bona Eccleſiarum noſtrarum, ſeu cujuslibet Clericorum noſtrorum per injuſtam ablationem deducta tranſire, vel forte ibi pernoctare contigerit, ita quod exinde nihil prorſus ibi remaneat, interim Divina ibi non celebrentur. Ubicumque autem bona illa vel ex toto, vel ex parte receptari, vendi, aut quocumque modo expendi contigerit, Divina ibi fieri omnino interdicimus, & emptores pariter cum prædatoribus eadem excommunicationis ſententia innodatos eſſe uſque ad integram reſtitutionem, & condignam ſatisfactionem decernimus: hoc adjicientes, quod interim, ſi qui ibi manentes, & illius injuriæ non conſentanei nec auctores, in extremis poſiti fuerint, confeſſionis & viatici ſuffragio fungantur: ſepulturam vero in atrio non habeant, donec ablatis ex integro reſtituti & Divina ibi celebrentur, & extra atrium poſiti ſine omni emendatione debito atrii honore donentur.

II. Conſtituimus etiam, ut ſi aliquis de Principibus, aut nobilioribus hujus terræ, bona quælibet Eccleſiarum, ſeu Clericorum noſtrorum in propria perſoſa ſua per violentiam diripuerit, & in villam ſuam deduxerit; in eadem villa, & in tota terra ſua Divina non celebrentur, donec ablata ex integro reſtituantur. Si vero milites, vel quicumque de familia tam Principum, quam nobilium aliorum, bona quæcumque ſimiliter Eccleſiarum ſeu Clericorum noſtrorum violenter acceperint, & in villam ſuam Domini deduxerint; Divina ibi penitus non celebrentur, donec ablata cum ſatisfa-

tisfactione ex integro restituantur: & cum ipsi maleficii auctores a nobis nominatim excommunicati fuerint, & hoc per Episcopatum nostrum innotuerit; ab omnibus Presbyteris, ubicumque Divina fient, singulis Dominicis diebus nominatim excommunicentur. Si vero pro rigore justitiæ capitalia ex integro reddita fuerint, ipsi tamen, non nisi satisfactione nobis prius facta, nullatenus absolvantur. Hoc vero nunc superaddimus, quod quicumque aliquem de hujusmodi malefactoribus, a nobis nominatim excommunicatis, in domo sua receperit, apud sese eum pernoctare sustinuerit, pariter cum illo excommunicatus sit, nisi per ignorantiam se hoc fecisse probare possit, quod sola manu sua ei facere licebit, si voluerit: si autem se inde purgare non potest, & ad emendationem culpæ pro nocte illa decem solidos solvere voluerit; & totiens decem solidos, quot noctibus illum recepit, a sententiæ vinculo absolutus erit.

III. Quia vero diligenti ac perutili consideratione hæc deliberavimus, & communi omnium subditorum nobis Clericorum tam rogatu, quam assensu hoc teneri decrevimus, ac præcepimus, statuimus, quod quicumque subditus nobis simpliciter Clericus, seu etiam Monachus, hoc nostrum mandatum transgressus fuerit, & beneficio, si habuerit, & officio careat in perpetuum.

IV. Porro de his, qui corpus alicujus defuncti violenter in cimeterio tumulaverint eo tempore, quo villa in a Christianitatis obsequio propter justitiam suspensa fuerit; constituimus, ut quamdiu ibi sepultum fuerit, Divina ibi penitus non celebrentur; & cum ejectum fuerit, nec in illo, nec in alio cimeterio deinceps umquam sepeliatur. De his vero qui corpus sic tumulaverunt, si quis ante reconciliationem obierit, similiter Christiana sepultura careat in perpetuum.

V. Et quoniam gravis & intolerabilis plaga domibus religiosorum imminet ex hoc, quod potentes terræ boves, seu cetera animalia, vel carros ad carrucandum sibi violenter diripiunt; irrefragabili determinatione constituimus, ut illi, qui talem violentiam fecerint, statim sub interdicto excommunicationis teneantur; & illi, qui eis dederint, vel vendiderint, quod carricabunt, postquam violentiam illam cognoverint, similiter excommunicentur, & villa illa, ad quam deportatum fuerit, quod carricaverint, ab omni Christianitatis obsequio suspendatur, quousque damna domibus illata ex integro restaurentur, & digne de cetero Deo nobisque satisfiat.

VI. De fugitivis vero, qui professiones suas irritas facientes, de quolibet ordine ad sæculum revertuntur, similiter constituimus, ut singulis Dominicis diebus per universas Parochias excommunicentur; & si uxores duxerint, uxores similiter & familiæ eorum excommunicentur, & omnes, qui eis aliquam Christianitatis communionem scienter præstiterint, sub interdicto cum eisdem teneantur.

VII. Si quis vero nobilium vel potentium terræ, tempore, quo excommunicatus fuerit a nobis, Presbyterum aliquem adduxerit, & contra interdictum nostrum Divina sibi celebrare fecerit, ille qui taliter celebrare præsumpserit, excommunicetur, & beneficio, & officio Ecclesiastico in Episcopatu nosto careat in perpetuum.

VIII. Constituimus etiam, ut si aliquis Presbyter a nobis excommunicatus in Diœcesi nostra Divina celebrare præsumpserit, beneficio & officio Ecclesiastico careat in perpetuum.

IX. De Hæreticis autem, qui vocantur *Wadoiis*, (*a*) omnibus fidelibus tam Clericis quam Laicis in remissionem peccatorum suorum præcipimus, ut quicumque eos invenerint, vinculis astrictos teneant, & ad sedem Tullensem puniendos adducant.

X. Illud sane memoriæ commendandum, quod si qui pro executione hujus justitiæ a propriis sedibus suis, quod absit, expulsi fuerint, apud nos nostro Patrocinio, nostraque dispositione victus & vestitus administrationem, prout dignum fuerit, indubitanter invenient. Omnibus hujus cartæ tenorem servantibus sit pax & gaudium per omnia sæcula sæculorum.

Actum legitime, publice recitatum, canonice *in Sancta Tullensi Synodo confirmatum*, Indictione XV. III Idus Maji. Anno Dominicæ Incarnationis MCXCII.

Martene Anecdotorum Tomo IV. p. 1178. *ex Autographo belli prati.*
Ex quo Mansi Tom. II. Supplementi Concil. pag. 755.

Cano-

(*a*) Waldenses hæretici hoc sæculo variis titulis infames.

Canonizatio Romæ celebrata S. Bernwardi, Episcopi Hildesemensis.

Anno Christi MCXCIII. Cœlestini III. Papæ III. Henrici VI. Regis IV.

STatuta die Summus Pontifex Cœlestinus ab adventu Theodorici Abbatis Cœnobii Hildesiensis S. Michaelis, Legati a Bernone Episcopo, Clero & populo Hildesiensi, & adventus causa inter Cardinales convocatos librum proponens, qui de vita & miraculis beati Bernwardi conscriptus erat, & sigillo Episcopi Bernonis, & Cincii Cardinalis Presbyteri tunc Legati Apostolici in Capitulo Ecclesiæ Hildesiensis consignatus fuerat, in audientia ipsorum recitari præcepit.

Qui, ubi sanctam ejus conversationem, & virtutum insignia compererunt, Deum, qui in Sanctis suis mirabilis & gloriosus est, benedicentes, facilem in tam rationabili, Deoque accepta petitione præbuere assensum. Adhæc Dominus Apostolicus præfatum seniorem Theodoricum taliter alloquitur: Cum te, Frater venerande, tibique subjectos in religionis fervore, in monastici ordinis observantia laudabiliter audiamus proficere: & cum Venerabilem Virum Bernwardum, quondam Hildensemensem Episcopum, Cœnobii vestri Fundatorem, gloriosam & memoratu dignissimam in terris vitam duxisse, & multis coruscâsse miraculis, textu vitæ ejus inspecto, indubitanter sciamus: Auctoritate Dei & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, dilecti quoque filii nostri, Cincii Cardinalis interventu mediante, qui legationis suæ tempore multa, ut asserit, a vobis benignitatis expertus est argumenta; jam dictum Reverendissimum Virum in *Catalogo Sanctorum* a modo numerandum decrevimus, & sacratissimum ejus Corpus de terræ gremio erigendum, & inter Sanctorum memorias veneratione condigna collocandum.

Ad hæc Senior lacrymatus præ gaudio, pedibus ejus gratias acturus prosternitur: sed assistentium manibus erectus in oratorium beatæ Mariæ semper Virginis ducitur; ibique Deo laudibus exhibitis, tam a summo Pontifice, quam a Cardinalibus, beatus Confessor in Sabbato ante Natale Domini solemniter canonizatur.

Browerus inter Sidera Germaniæ. Moguntiæ 1616. *pag.* 63.
Leibniz. Tom. I. Scriptor. Brunsvicensium pag. 474.

Elevatio S. Bernwardi, facta Hildesii anno sequente MCXCIV.

Conventus Dioecesanus die XV. Augusti.

JAmque Sacratissimæ Virginis aderat Assumptio, cum non solum propter specialem Hildensemensem festivitatem, verum etiam pro sanctarum Reliquiarum sublevatione, quæ proxima die celebranda erat, cum diversarum Ecclesiarum Prælatis inæstimabilis multitudo non tantum de propinquis & cognitis, sed etiam de remotis terrarum Provinciis certatim confluxerant. . . . . Januis Ecclesiæ firmissime servatis, præmissis orationibus, patefacto sarcophago, spiritalis & antea incognitus exhalatur odor... Excipiuntur tandem de tumulo membra, loco celebriori collocanda, & adinstar Dominici corporis, famuli sui corpus sindone munda involutum, mane sequenti, in Ecclesia, Prælatorumque frequentia, reverenter de terræ pulvere sublevatur: & eâ hora, quâ Spiritus veritatis in linguis igneis discipulos visitasse affirmatur, per medium deportatur Ecclesiæ, & tam Cleri, quam populi universitas in ejus laudem accenditur. Casula etiam serica beati Præsulis, in qua tot annis (centum septuaginta duobus) sepultus

pultus fuerat, adhuc recens & incorrupta apparuit, cujus etiam tactu multi infirmi curati sunt.

Hactenus iidem Browerus & Leibnitius Locis citatis.

De eadem translatione Arnoldus Lubecensis coœtaneus Scriptor. Lib. IV. Chronici Slavorum Cap. XXIII.

Facta est autem hæc translatio non sine virtute signorum a Domino. Berno Episcopo, anno Præsulatus ejus septimo. Anno Verbi Incarnati MCLXXXIV. (*a*) Romæ præsidente D. Papa Cœlestino, Pontificatus ipsius anno quarto, regnante Henrico pio Imperatore, anno Regni ejusdem a morte Patris, qui in peregrinatione Hierosolymitana gloriose obierat, septimo, Imperii vero quarto: anno quoque depositionis Sancti memorati CLXXXVIII. (*b*)

(*a*) Bangertus, Arnoldi editor, in Scholio notat hic latere errorem, & scribendum esse MCXCIV., quia Cœlestinus III. nonnisi 1191. III. Kal. Aprilis electus, die proximo Paschæ consecratus, postridie coronavit Henricum VI. unde recte quartus ejus Imperii annus numeratur: sed cum Pater 1190. obierit: non septimus, sed V. annus a morte Patris numerandus.

(*b*) Cum S. Bernwardus obierit 20. Novembris 1022., ergo dies elevationis a die depositionis vel mortis non 188, sed 172. annis distat.

Bulla Canonizationis a Jackenio Abbate S. Michaelis communicata, refertur a Browero loc. cit. pag 100.

COELESTINUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI HILDENESHEMENSI EPISCOPO, ET DILECTIS FILIIS, CLERO EJUSDEM CIVITATIS, UNIVERSIS ETIAM FIDELIBUS PER SUAM DIŒCESIN CONSTITUTIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

CUm universorum Conditor & Creator mirabilis & gloriosus in Sanctis suis frequenter appareat, & dignetur per eos opera suis fidelibus revelare, dignum duximus, & Omnipotenti pariter honorificum, quæ in celebris memoriæ Bernwardo, quondam Hildenesheimensi Episcopo, per suam voluit gratiam demonstrare, suscipere humiliter & audire, ac præterea eum in Sanctorum Collegio numerare. Inde est, quod de meritis ipsius, ac vita laudabili, ac miraculis multiplicibus per dilectum filium nostrum Centium, titulo S. Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem, & venerabilem fratrem nostrum Moguntinum Archi-Episcopum, Sabinensem Episcopum Conradum, & alios Episcopos, & dilectum filium Fridericum Abbatem Ecclesiæ S. Michaelis in Hildenesheim, & honestas personas ac religiosas ejus Provinciæ certiores effecti, & famam illius celebrem & commendandam memoriæ plenius cognoscentes, fratrum nostrorum deliberatione habitâ diligenti; prædictum Reverendissimum Virum in Sanctorum catalogo duximus numerandum & venerandum, corpus ejus de terræ gremio erigendum, & inter Sanctorum Reliquias collocandum: ut ibi a Christifidelibus assidua devotione officium debitæ venerationis accipiat, & ipsi per intercessionem ejus felicem & Domino complacentem suorum delictorum veniam consequantur. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, quod de Sancto ipso a nobis tam celebriter institutum est, vos publicantes, eundem Sanctum debitis obsequiis amodo prævenire curetis, ut vestras votivas preces, quas omnium Creatori porrexeritis, per intercessionem ejus placabilem dignetur per suam misericordiam exaudire. Data Romæ apud S. Petrum VI. Idus Januarii, Pontificatus nostri anno secundo.

Ita Browerus pagina 100. *inter Sydera Germaniæ.*

CURIA

CURIA IN FRANCONOFORD

ANNO CHRISTI MCXCV. COELESTINI III. PAPÆ IV.
HENRICI VI. REGIS VI. IMP. V.

Edictum Cæsareum pro immunitate Clericorum a foro laicali.

HENRICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM REX ET SEMPER AUGUSTUS, CIVIBUS HILDESCH. UNIVERSIS GRATIAM ET OMNE BONUM.

CUm in solenni Curia in Franckenvord ex communi consensu Principum a nobis sit decretum, ut quicunque sæculare judicium adversus aliquem Clericum exeruerit, in his, quæ sanguinis judicium requirunt, ante degradationem ab Episcopis faciendam, præter id, quod in Canonem latæ sententiæ incidit, a quo præter indultum speciale Domini Papæ nequit absolvi, ex nostra sit sententia proscribendus: Et dilectus Princeps noster Conradus Hildesch. Episcopus per suam nobis querimoniam patefecerit, quod vos, auctoritate propria Clericos temere judicando, morti feceritis destinari, in quos degradationis sententia non processerat: Vobis auctoritate Regia firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ei & Ecclesiæ suæ, in quam deliquistis, prout ejus gratiam invenire poteritis, emendetis. Alioquin vos in media Quadragesima, ut pro tantis respondeatis excessibus, ad nostram præsentiam ubicunque fuerimus, evocamus. Datum Franckenvordii Idib. Februarii 1195. Ind. 7.

Lunig. Spicilegii pag. 258.
Ex quo Mansi Tom. II. Supplementi pag. 771.

CONCILIUM IN LAUFFEN

ARCHI-DIOECESIS SALISBURGENSIS,

Anno Christi MCXCV. Cœlestini III. Papæ V. Henrici VI. Regis VI. Imp. V.

SUMMA. *I. Adalbertus II. Salzburgensis Archi-Episcopus, Admontensis & Hallensis Cœnobiorum possessiones & justa confirmat, ac diversa eisdem privilegia impartitur. II. Pilgrimum Abbatem S. Petri, ad Abbatiam resignandam compellit.*

ANno MCXCV. celebratum est solenne Capitulum apud Lauffen, mense Novembri; præsentibus cum ADELBERTO Archi-Episcopo, Chundacharo Saltzburgensi Præposito & Archi-Diacono, Rudolfo Decano majoris Ecclesiæ Saltzburgensis, Bernhardo Pertersgadensi Præposito, Sigbotone Chiemsensi Præposito, Ottone Bambergensi Præposito & Archi-Diacono, Berchtoldo Garzensi Præposito, Pabone Ouvensi Præposito, Albano Seunensi Abbate, Aribone Reichspergensi Præposito, Leopoldo Burensi Abbate, Wicmanno Hallensi Præposito, cui eodem in Capitulo Albertus dedit munificum privilegium, quo res Canonicorum Hallensium S. Zenonis ample confirmat. Actum anno dicto, residente Domino Alberto Saltzburgensi Archi-Episcopo in solenni Capitulo apud Lauffen, habito XVII. Calend. Decembris.

Litteras recitat Hundius in rebus Monasterii S. Zenonis, quas mox referemus, una cum Literis, quibus eadem in Synodo confirmata sunt bona Monasterii Admontensis.

II. Eodem, *ut scribit Chronographus Salisburg.*, Pilgrimus Abbas S. Petri multis modis gravatus a Domino Alberto Archi-Episcopo compulsus, resignat Abbatiam: cui anno sequenti substitutus est Chunradus Abbas de Sitanstein.

Hansitz. Germaniæ sacræ Tom. II. pag. 307. *in Histor. Archiepisc. Salisburg.*

Alberti, Saltzburgensis Archi-Episcopi, Confirmatio Bonorum Ecclesiæ Admontensis.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

ADALBERTUS, DEI GRATIA, SALTZPURGENSIS ARCHI-EPISCOPUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, RUDOLFO, VENERABILI ADMONTENSIUM ABBATI, EJUSQUE FRATRIBUS IN PERPETUUM.

AD amplificandum Divini cultus studium tam futuris quam præsentibus providere cupientes, exemplaria quoque diligentiæ prædecessorum nostrorum juste sequentes, qui Admontense Monasterium, ob sui Religionem speciali amore extulerunt, nos quoque pro debito officii nostri, & collatæ nobis a Deo dignitatis, eidem loco nostrum patrocinium, hujus scripti privilegio præstare dignum duximus. Unde notum facimus Christi fidelibus, quod nos Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ, & domum Hospitalem Frisaci, quæ privilegiis & traditionibus antecessorum nostrorum Admontensi Cœnobio confirmatæ fuerunt; hæc (inquam) a Domno *Isenrico* venerabili Abbate, cum assensu totius congregationis suscipientes, eadem Canonicis chori Frisacensis donantes, plebem in Liessenich & plebem in Palta, cum omni jure Plebesanarum Ecclesiarum in concambio tradidimus; idque postmodum in capitulo nostro Libniz, in præsentia Prælatorum, ac ministerialium nostrorum confirmavimus; propter igitur habundantem cautelam, easdem Ecclesias propriis vocabulis distinguere dignum duximus, scilicet: Ecclesia S. Nicolai ad Mutarn in prædio Monasterii sita; Ecclesia S. Joannis Bapt. ad Chamer; Ecclesia S. Rudberti ad Treviah; Ecclesia S. Egidii ad Nendisdorff; Ecclesia S. Georgii ad Chrowat, quæ V. nunquam a jure matricis Ecclesiæ S. Michaelis remotæ fuerunt. Ecclesiam vero S. Walpurgis tam ex antiqua consuetudine, quam etiam privilegio a jure plebesanæ Ecclesiæ legitime exemptam *Ulricus* de *Harperch*, & *Rembertus* de *Libniz*, fratres Uterini, ad quos eadem Ecclesia jure hæreditario & testamentario pervenerat, in præsentia nostri, & chori Salzpurgensis eodem jure perpetuo cum omni prædio suo tradiderunt. Item II. Ecclesias apud Liuben S. Petri, & S. Jacobi, in prædio Ducis Stirensis sitas, & ab antiquo a jure Plebesanæ Ecclesiæ, præter jus convocandi conventum, exemptas, utpote: in quibus hactenus Marchiones Styrenses, proprios, dum libuit, Sacerdotes habuerunt, *Otacker* Dux *Stirensis*, petitione nostra, Admontensi Monasterio, ut verus Dominus, perpetuo habendas delegavit; Capellam autem S. Salvatoris in fundo Cœnobii Trunchirchen sitam, per Sacerdotem Abbatis in Divinis volumus procurari, quam & nos idcirco in secunda dedicatione sua decimis dotavimus, ut Ecclesiæ Matrici S. Michaëlis in omni jure Parochitano subdita sit. Ecclesia nihilominus S. Steph. in Chrowat, licet ad Hospitale S. Mariæ in Cerwalde jure fundi spectare videatur, cura tamen spiritualis ad matricem Ecclesiam Liessenich spectasse hactenus dinoscitur. Gossensis vero, & Prieliebensis, Ecclesiæ, in placito Christianitatis, & in excessuum satisfactione, in judiciis *ferri & aquæ*, non matricem Ecclesiam Liessenich respicere tenentur, cui etiam antiquo & canonico juri nullatenus refragentur. Tragossensis præterea plebs, baptisma, sepulturam, placitum Christianitatis, absolutionem pœnitentium, apud S. Rudbertum Treviah, sicut ad nos transmissum est, requirat: curam animarum in Abbatis dispositione consistere decrevimus, sed & hanc ei, suisque successoribus, per ostium intrantibus, prerogativam perpetua firmitate indulsimus, quod non nisi ad arbitrium & voluntatem ipsorum Sacerdotes in eisdem Ecclesiis instituantur; & ne hanc nostram constitutionem in recidivum scrupulum quempiam reducere contingat, præcipimus autoritate, qua licet impares viribus prominemus, ne quisquam de cetero pro aliqua persona apud successores nostros petitionem, sicut fieri assolet, porrigere præsumat, sed institutio jam dictarum Ecclesiarum omnifariam ad Abbatis Admontensis ordinationem inconvulse ac quiete permaneat.

Hoc

Hoc etiam tam præſentium, quam futurorum noticiæ manifeſtamus: quia patellam ſalis, quam beatæ memoriæ Eberhardus Archi-Epiſcopus pro neceſſitate Eccleſiæ ſuæ, & Imperii, Gotefrido Abbati, & fratribus Admontenſibus pro LXXX. marcis *examinati argenti* & XX. *montani*, depoſuerat, uſum fructum tamen ejusdem patellæ, antequam ab alioquo ſucceſſorum ſuorum redimeretur, fratribus indulſerat, hanc nos pro redemptione animæ noſtræ, ac prædeceſſorum noſtrorum omnibus Deo in eodem loco ſervientibus, ac in perpetuum futuris, in proprietate ſemper habendam indulſimus.

Ad hæc etiam, reſpectu pietatis & amore juſtitiæ, ipſi Monaſterio quoſdam terminos ſuos in Raſtat, & in Pongowe remiſimus, pro quibus detinendis ſuggeſtione noſtrorum inducti fueramus; & non tam in his locis, quæ nominavimus, quam & in ſingulis poſſeſſionibus ſuis apud Lungævo, videlicet: juxta Muram & ad Chatz, terminos ſuos, nec non omnes decimas, tam de antiquis, quam de novellis, eisdem fratribus præſenti ſcripto confirmamus. Prædium etiam, quod *Diemundis*, vidua *Mcingoti*, Præfecti Salzpurgenſis, Admuntenſi Eccleſiæ tradidit, in loco, qui vocatur Wenge, etiam nos autoritate noſtra fratribus eisdem ſtabilimus: nec non & prædium, quod eidem Cenobio *Siboto* de *Surberch* contulit, duos videlicet manſus, unum in Luter, alterum ad Wanhartſtein.

Præter hæc beneficia, quædam Admontenſi Cenobio a prædeceſſoribus noſtris beatæ memoriæ *Gebhardo*, *Tyemone*, *Chunrado I.*, *Eberhardo*, *Chunrado II.* avunculo noſtro impenſa, præſentis ſcripti pagina confirmamus, quæcumque videlicet ipſum Monaſterium in prædiis ſeu decimis inpræſentiarum poſſidet, quæ vel in privilegiis ipſorum continentur, vel poſt indulta privilegia, Monaſterio accreverunt, quæ nihilominus ſubtili retractatione diſcuſſimus, inter quæ in valle Admontina patellas ſalis, quas prædeceſſores noſtri contulerunt, ſed & ubicumque in poſſeſſione Monaſterii vena ſalis, ſeu ferri, aut argenti, vel cujuslibet metalli fodinæ reperiri poterint, quæ de Regalibus Imperii Eccleſia Salzburgenſis hactenus quiete poſſedit, noſtra eis autoritate ſtabilimus, in eadem valle præconium totum, & omne jus quod Saltzpurgenſis Eccleſia ibi habuit a temporibus *Hemmæ* Comitiſſæ, quæ vallis ejuſdem maximam partem cum aliis prædiis ad Cenobium ibidem fundandum *S. Rudberto*, temporibus Domini *Balduini* Archi-Epiſcopi, contradidit, & nos Abbati, & fratribus, potenti manu & plena Juriſdictione ſtabilimus; adhæc in oppidis noſtris, ubi forum habemus, ſed & apud cluſam juxta Werven liberum jam dictis fratribus tranſitum concedimus, & ne in eiſdem locis Thelonei exactione graventur, indulgemus.

Præterea ſtatuimus: ut ſecundum tenorem & jus fundationis Admontenſis Eccleſiæ, & ſicut per ſententiam Imperialis curiæ, divæ memoriæ Friderici Auguſti adjudicatum eſt, Advocato Monaſterii non liceat de advocatia bonorum ejuſdem Eccleſiæ quempiam inbeneficiare; inſuper, ut nec ipſi Advocati, nec fideles eorum, placita, bannos, modios, vel pecudes a fratribus ipſis, vel hominibus eorum exigant, quoniam aliorum beneficiorum utilitatibus a Saltzpurgenſi Eccleſia id eis eſt recompenſatum.

Inſuper etiam terminos foreſti, quos anteceſſores noſtri ſuis privilegiis Monaſterio firmaverunt, prout eos fundator loci tradidit, ita nos quoque ejuſdem ſylvæ interliminia præſenti pagina diſtinximus: Zedilſach fluvius cum ſuis decurſibus, a Dietmarsperg omnes deſcenſus & decurſus in Aneſum; Alpes, qui dicuntur Catwingalbe, & Pladmalb cum ſuis omnibus deſcenſibus in fluvium Jonispach; Jonspach cum ſuis decurſibus, Hauſtuvichespach ab Alpe Niwenburg cum ſuis decurſibus in Aneſum; item de Petra, quæ dicuntur Want, ſurſum ad verticem Wlreiſalbe, item Leimpach de Wlreiſalbe cum ſuis deſcenſibus & decurſibus uſque in Aneſum, Gamze de Purchberg cum ſuis deſcenſibus & decurſibus, Suzinpach de Wildalve cum ſuis deſcenſibus ac decurſibus, Gamze de Puchberg cum ſuis deſcenſibus & decurſibus. Alpes Gridelalbe tota, & Larnich minor cum ſuis deſcenſibus; Larnich major cum ſuis deſcenſibus & decurſibus; Monlich fluvius cum ſuis decurſibus; Ozlich fluvius cum ſuis deſcenſibus & decurſibus, & Ozlichalb cum ſuis deſcenſibus uſque ad medium fundum

Frodniz & exinde uſque medium fundum Aneſi. Quidquid infra prædictos terminos in omni genere venationum, & piſcationum, vel cujuslibet quæſtus, fratres Admuntenſes aſſequi potuerint utilitatis, ſicut prius acceperunt à prædeceſſoribus noſtris, & nos ipſis indulgemus & donamus.

Sane duas Baptiſmales Eccleſias in prædiis Monaſterii ſitas, ſcilicet: ſuper Zozzen & Mokirnowe, cum omni jure ſuo, dote videlicet & clave Eccleſiæ; quarum primam a venerabili *Romano*, Gurcenſi Epiſcopo, ex mandato Domini *Everhardi* dedicatam; idem beatus Pater jam dicto Monaſterio tradidit, & nos eidem confirmamus; quemadmodum alteram Eccleſiam, quam prædeceſſores noſtri baptismalem eſſe inſtituerunt, & quam rurſus ſub Domino *Chunrado* primo Archi-Epiſc. *Gotefridus* de *Wietingen* a jure Parochitano exemit, quodam prædio ſuo Eccleſiæ Saltzpurgenſi ſuper hoc contradito, ut Sacerdotem ibidem, quem vellet, haberet.

Pro hujuſmodi gratiæ noſtræ impendiis, hanc nobis reddi vicem volumus, quatinus dies beati Thomæ, Martyris & Epiſcopi, cum officio pleno apud vos perpetim agatur, & ut meliore pane, & vino, & etiam piſcibus ob honorem ipſius Martyris, noſtrique memoriam illa die Congregationi miniſtretur, & ut noſtræ diſpoſitionis anniverſarius dies eodem modo in pane, vino, & piſcibus, ſed & in Divinis propenſius agatur. Ut autem hæc Pontificalium donationum memoria cunctis futuris temporibus inconvulſa & illibata permaneat, nos hanc inde cartam conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione muniri juſſimus, adjicientes: ut nullus ſucceſſorum noſtrorum hanc noſtræ autoritatis paginam infringere, & præfatis fratribus factam donationem, auferre vel minuere præſumat.

Actum in plenaria *Synodo* noſtra, apud *Loufen* celebrata, coram teſtibus, quorum nomina ſunt hæc.

Gundakerus, Præpoſitus Saltzpurgenſis Eccleſiæ.
Wernhardus, Præpoſitus in Berhtergadem.
Syboto, Præpoſitus in Kyemſe.
Otto, Præpoſitus in Bamburg, & Archidiaconus.
Perhtoldus, Præpoſitus in Gartz.
Heinricus, Præpoſitus in Werde.
Arbo, Præpoſitus in Richersperg.
Albanus, Abbas de Sewen.
Lupoldus, Abbas de Puern.
Pabo, Abbas de Atila.
Heinricus, Abbas de Formbach.
Cunradus, Præpoſitus Friſingenſis Eccleſiæ.
Heinricus, Archidiaconus de Gruscarn.
Fridericus, Decanus Ratisponenſis.
Richerus, Canonicus Patavienſis.
Eticho, Præpoſitus de Ramshoven.
Pabo, Præpoſitus de Suben.

Nobiles:

Chunradus de *Walhen*.
Pabo de *Eringen*.
Syboto de *Surbach*.
Chuno, & frater ejus *Chunradus* de *Werwen*.
Eticho de *Jettenbach*.
Ulricus, & frater ejus *Chunradus* de *Chalem*.
Heinricus, & frater ejus *Lutwinus* de *Gebeninge*.
Ekkehardus de *Tanne*.
Otto de *Goldeckke*.
Wolckmarus de *Mulberch*.
Rudigerus, Vice-Dominus Saltzpurgenſis.
Otto de *Steveninge*, & alii quam plures.

Ego *Adelbertus*, Archi-Epiſcopus ſubſcripſi.

Anno Incar. Dominicæ MCXCV. Indict. XIII. Anno Papatus Dom. Celeſtini III. quinto. Regnante Glorioſiſſimo Imperat. *Heinrico* feliciter, Amen.

Ex Archiv. Admontenſ. Monaſt. deſcripſit Schannatus.

Adel-

Adelberti, Archi-Episcopi, confirmatio Bonorum Præposituræ Hallensis.

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO ADELBERTUS, DEI GRATIA, SALTZPURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, WIGMANNO, HALLENSI PRÆPOSITO, CÆTERISQUE FRATRIBUS INIBI REGULAREM VITAM PROFESSIS, IN PERPETUUM.

CUm ſuſcepti Regiminis officium imponat, omnibus Eccleſiarum provectibus intendere &c. Eapropter dilecti in Chriſto Fratres, petitionibus veſtris, pro ſpe futuræ mercedis, aurem pietatis inclinamus, & Eccleſiæ Hallenſi, in qua Deo ſervire profeſſione Canonica diſpoſuiſtis, Prædeceſſorum noſtrorum beatæ recordationis *Cunradi* ſenioris, *Eberhardi*, *Conradi* Moguntini, Pontificum veſtigia ſequentes, quicquid juſte poſſidetis &c. ſcripto præſentis paginæ roborando confirmamus.

Inſuper Allodium, quod in Cella (*a*) dicitur, cum terminis manifeſte diſtinctis, cultis & incolendis, ac Capellam ſumptibus veſtris in eodem loco conſtructam, cum juris integritate decimarum, cæterorumque omnium, quæ in præſenti poſſidet, vel de futuro conſequetur, pro remedio animæ noſtræ, & prædeceſſorum noſtrorum tradimus Omnipotenti Deo, ſanctoque Zenoni, & ſupradictis Fratribus, petente hoc & conſentiente majoris Eccleſiæ Saltzpurgenſis Præpoſito *Gundackaro*, cum Chori Capitulo, a quo Parochiam in Vahendorff, in cujus terminis jam dicta Capella ſita eſt, canonice poſſederunt; ad indempnitatem ergo præfatæ Parochiæ, dimidium manſum Mieſenbach, in loco, qui Hirisbuhel dicitur, a præmemoratis Fratribus recepimus, & pro legali concambio ad uſum Eccleſiæ matricis ordinavimus. Concedimus itaque præſenti Præpoſito Wigmanno, omnibusque Succeſſoribus ſuis canonice inſtituendis, quatenus in præfata Capella, quam ab omni jurisdictione & diſtricto matricis Eccleſiæ eximimus, & liberam facimus, juxta Dei timorem pro ſuæ voluntatis arbitrio non ſolum temporalia, verum etiam ſpiritualia libere ſecureque diſpenſent, & ordinent. Per nos quoque, Deo cooperante, ipſam conſecrantes Eccleſiam, eodem prædio cum omnibus appendiciis ſuis, Pontificali auctoritate in perpetuum dotatam eſſe decrevimus.

Siquis autem hujus Inſtitutionis noſtræ paginam, quam forma ſigilli noſtri communimus, & Prælatorum noſtrorum, Cleri, Miniſterialiumque noſtrorum teſtimonii favore ſtabilimus, caſſare tentaverit, ultrices flammas, ſi non reſipuerit, in diſtrictiore examine, ſine ſpe redemptionis, ſuſtinebit. &c.

Acta ſunt hæc annó Incarnat. Dom. MCLXXXXV. reſidente Domno *Alberto* Saltzpurgenſi Archi-Epiſcopo, in ſolemni *Capitulo* apud *Lauffen* habito XVII. Kalend. Decembris.

Ex Hundii Metrop. Salisburg.

(*a*) Hæc poſtmodum in Cœnobium ejusd. Ordinis excrevit.

SYNODUS MOGUNTINA

ANNO CHRISTI MCXCVI. COELESTINI III. PAPÆ VI. HENRICI VI. REG. VII. IMP. VI.

Conradus, Archi-Epiſcopus Moguntinus, concedit facultatem allodialia bona donandi Monaſterio Owelsburg Ord. Ciſtercienſis.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

CONRADUS, DEI GRATIA, MOGUNTINENSIS ARCHI-EPISCOPUS, SABINUS EPISCOPUS &c. IN PERPETUUM.

CUm debitum noſtri officii exigat, & pietas perſuadeat, nos curæ religioſorum diligenter intendere; his tamen diligentiorem curam tenemur impende-

pendere, qui majori familiaritate, ſubjectionis debito & reverentia, Moguntinæ ſe ſubdiderunt Eccleſiæ. Eapropter notum fieri volumus tam futuris, quam præſentibus, quod nos inſpecta devotione dilecti nobis in Chriſto filii Godeſcalci, Abbatis de Owelsburg, & fratrum, in eodem loco Deo Omnipotenti & intemeratæ Virgini Mariæ ſervientium, ſub honeſtate ſanctæ converſationis, & bonæ religionis in ordine Ciſtercienſi, & Regula S. Benedicti: conſiderato etiam, quod idem locus Moguntinæ attinet Eccleſiæ; tanto diligentius in his, quæ honorem Dei redolent, & eidem loco quoad utilitatem & commodum expediunt, ei prodeſſe intendimus. Unde & miniſterialibus Moguntinæ Eccleſiæ liberam poteſtatem indulſimus, conferendi ſua allodia præfato Monaſterio in Owelsburg, ſuorum in remedium peccatorum, & nouvellæ plantationis auxilium. Si autem aliquis auctor temerarius, inſtinctu diaboli, huic noſtro pietatis facto præſumeret derogare, illud præſenti pagina, illius confirmativa, & teſtium, quorum nomina ſubſcripta ſunt, adhibitione, *in Sancta Synodo* Moguntina, neceſſarium duximus roborare.

Teſtes hi fuerunt:

Conradus de Moguntia Præpoſitus.
Henricus Decanus.
Rucherus Cuſtos.
Godefridus Cantor.
Sifridus, Præpoſitus Sancti Petri.
Wernherus Præpoſitus ſancti Stephani.
Wortwinus, Præpoſitus ſancti Victoris.

Abbates quoque.

Henricus de S. Albano.
Hezelhinus de S. Jacobo.
Philippus de monte S. Thiſibodi.

Nec non Capellani Curiæ noſtræ.

Emeranus Sacerdos.
Magiſter Rodolphus, & Hermannus Notarius.

Comites.

Symon de Teckneburg.
Wernerus de Withekindeſtein.

Nobiles.

Godefridus de Haſthesvelt, Helias de Bruninghuſan, Iſifridus de Heiligenberh.

Miniſteriales etiam Moguntinæ Eccleſiæ.

Dudo Camerarius, Embricho Vice-Dominus, Dietherus Sculteтus, Thirricus de Appolt Pincerna. Cinctio Marſchalcus, aliique plures, qui intererant, Moguntini.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXCVI. Indict. XIV. Domno Cœleſtino Apoſtolicæ Sedi Præſidente, Henrico VI. Glorioſiſſimo Imperatore ſemper Auguſto imperante, & Regnum Siciliæ feliciter gubernante. Electionis quoque noſtræ anno XXXIII. reverſionis vero XIV.

Jongelinus Notitia Abbatiarum Ordinis Ciſtercienſis: *adnotante Schannato.* Ego vero in Jongelino id non reperio.

SYNODUS DIOECESANA WORMATIENSIS

A LUPOLDO, ELECTO WORMATIENSI, CELEBRATA, ANNO CHRISTI MCXCVI. COELESTINI III. PAPÆ VI. HENRICI VI. REG. VII. IMP. VI.

In qua jus paſtorale in Bubenheim, Abbati Arnſteinenſi tribuitur, nec non bona quædam in Swetzingen, Cœnobio Schonaugienſi adjudicantur.

LUPOLDUS, DEI GRATIA, WORMATIENSIS ECCLESIÆ ELECTUS &c.

PRecibus *Herbordi*, venerabilis Abbatis *Arnſtein*, libenter annuentes, utraque autoritate, ſcilicet: Wormatienſis Epiſcopatus, ac majoris Præpoſituræ, qua fungimur, tam illi, quam cunctis ſucceſſoribus illius, concedimus jus paſtorale, ac donum Altaris in Capella ſua Bubenheim, nec non inſtituendi illic, quem voluerit, Vicarium. Præterea ipſam Capellam ab omni debito exi-

exigentiæ Synodalis emancipamus, eo quidem prætextu: ut Ecclesia S. Michaelis in Buggenheim, XV. denarios & obolum, quos Capellæ in Bubenheim tenetur persolvere, in compensationem Cathedratici Archi-Presbytero nostro, qui illi loco præfuerit, annuatim persolvat.

Acta sunt hæc, in *Synodo Wormatiensi*. Anno Dom. MCXCVI. Ind. XIV. II. Non. Aprilis.

Testes Clerici:

Smutzelinus Major Decanus.
Sifridus Præpositus S. Paulini.
Præpositus Wimpinensis.
Giselbertus Decanus S. Pauli.
Gelfridus Archi-Presbyter.
Heinricus Archi-Presbyter & universa *Synodus*.

LUPOLDUS, DEI GRATIA, WORMATIENSIS ELECTUS.

SPiritualium tam paci, quam securitati consulere cupientes, lites & controversias in præsentia nostra habitas, qualiter decisæ, ac determinatæ sint, scripto memoriæ mandari decrevimus.

Notum itaque facimus: quod *Rapoto* de *Kircheim* duos mansos in Suvezingen Abbati *Godefrido* de *Schonaugia*, & ejus Monasterio, nullo contradicente vendidit; quos cum, vivente Rapotone, sine ullius querimoniæ, seu proclamationis illatione, annis X. & amplius quiete possedisset; uxor Rapotonis, eo defuncto, ad præsentiam nostram in *Synodo*, adversus *Diepoldum* Abbatem, bonæ memoriæ Godefridi successorem, super mansis illis querimoniam movit: & necesse fuit, ut memoratus Abbas, qui possessor videbatur, & erat, tribus testibus eosdem mansos Monasterio suo, emptionis lege, uxoris, vel hæredum, nec ullius reclamatione cognita, comparatos probaret; quod cum die constituto per trium bonæ opinionis testium, scilicet: *Conradi* Sacerdotis de *Schiresheim*, *Sibotonis* de *Bergeheim*, & *Hermanni* de *Waltorff*, juramenta probasset, nos, contra Rapatonis uxorem data sententia: Abbatem, & ejus Monasterium in possessione, sicut debuimus, & jura docuerant, confirmavimus; judicantes, Actrice deficiente, omnes ejus hæredes, perpetuo defecisse; paginæ quoque præsenti actionis ac diffinitionis hujus seriem annotari fecimus, sigillo nostro communitas; quatenus deinceps aliquis hæredum Schonaugiensem Ecclesiam de his mansis impetere præsumpserit, hoc nostræ auctoritatis instrumento, a judicio, non audiendus, repellatur.

Datum *Wormatiæ* in *Synodo*, Anno MCXCVI. II. Non. Aprilis.

Ex archæo Ecclesiæ Collegiatæ S. Martini Wormatiæ descripsit Schannat. b. m.

SYNODUS COLONIENSIS DIŒCESANA
Anno Christi MCXCVII. Cœlestini III. Papæ VII. Henrici VI. Reg. VIII. Imp. VII.

SUMMA. *Adolphus, Archi-Episcopus Coloniensis, confirmat Monasterio Eiffliæ jus patronatus in Ecclesia de Reinbach & Ipplendorff.*

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

ADOLPHUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS &c.

INdempnitati Ecclesiarum ex ea dignitate, quam Deus in nos contulit, quantum possumus, tenemur prospicere. Monasterium in Eifflia, pia defensione dignum, propter Sanctos Martyres *Crysantum & Dariam*, qui in ea quiescunt, jus Patronatus habet in Ecclesia *de Reinbach & Ippellndorf* ad eam pertinente. Nemo hominum cum Monasterio prædicto, vel sine eo, jus habet in istis, unde possit dici vel esse Patronus. Hinc est, quod Conventus Fratrum de Monasterio, quando vacat Ecclesia de Reinbach, libere Pastorem invenit & producit ad susci-

ſuſcipiendum donum altaris ab *Archi-Diacono.* Ex tali præſentatione & ſequente inveſtitura, is, qui de Eccleſia in Reinbach inveſtitur, eodem jure, quo tenet Reinbach, tenet Ippellndorp, ad nullam laicam perſonam reſpectum aliquem habens propter iſta.

Ad hujus veritatis aſſertionem hoc pertinet, quod Henricus Paſtor in Eccleſia de Reinbach in *plena Synodo noſtra*, coram nobis, confeſſus eſt ea, quæ prælibata ſunt, vera eſſe; Nos ergo de veritate hujus rei plene inſtructi, & jus Eccleſiæ Monaſterienſis perſpicue cognoſcentes, noſtro ſcripto & noſtro ſigillo *Reinbach & Ippellndorp* prædicto Conventui confirmamus, diſtricte præcipientes, & ſub pœna excommunicationis inhibentes, ne aliquis audeat fratres Monaſterienſes inquietare in his.

Privilegium iſtud ad robur confirmationis ſcriptum, & porrectum fuit Coloniæ *in Synodo noſtra* Anno Domin. Incarn. MCXCVII. præſentibus teſtibus ſubſcriptis: *Udone* Majore Decano, *Brunone* præpoſito Bunenſi, *Theodorico* præpoſito S. Gereonis, *Herimanno* præpoſito S. Severini, *Theodorico* præpoſito S. Andreæ, *Gerardo* Decano S. Gereonis, *Ivone* Decano Ss. Apoſtol. *Hildebrando* Decano S. Cuniberti. *Henrico* Comite de Keſſele, *Henrico* Comite de (a) Kukerwage, *Everardo* de Hengebach, & aliis pluribus tam Clericis, quam Laicis.

Forte ex Archæo Collegiatæ Eccleſiæ Monaſterii Eifliæ, cui Eccleſiæ ab Abbate Prumienſi pro Monachis fundatæ, corpora Ss. Martyrum Chryſanthi & Dariæ a Marcwardo tertio Abbate Prumienſi donata fuerunt, ſub Lothario Imperatore a Sergio Papa conceſſa ante annum DCCCLV.

(a) *forte:* Huckeswagen.

SYNODUS COLONIÆ

Anno Chriſti MCXCVIII. Innocentii III. Papæ I. OTTONIS IV. REGIS I.

Sententia excommunicationis contra Conradum de Blanckenheim, Dominum de Schleyda, uſurpatorem decimæ Novalium.

ADULPHUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, TAM FUTURÆ QUAM PRÆSENTIS ÆTATIS FIDELIBUS, PACEM ET VERITATEM DILIGENTIBUS.

UNiverſitati veſtræ præſenti ſcripto notum facimus, *quod fratres de Blanckenheim Gerardus & Cunradus*, accedentes ad Dominum Brunonem (a) Archi-Epiſcopum, poſtulaverunt, ut ab eo acciperent in beneficium decimam de Novalibus in ſylva, quæ eſt juxta caſtrum Schleyda, quam Eccleſia *Steinfeldenſis* ab antiquo poſſederat. Proinde Archi-Epiſcopus Bruno ſub hac cautela verborum poſtulata conceſſit, ſi poſſet hoc de jure facere, & ita abſolute vacaret ei decima illa, quod poſſet eis præſtare. Hac occaſione prædicti fratres aggravabant manum ſuam ſuper domum *Steinfeldenſem* auferentes ei decimam de Novalibus, quam prædicta Eccleſia libera donatione primi Friderici Archi-Epiſcopi, & plurimorum anteceſſorum, & omninm ſucceſſorum ſuorum, uſque ad Dominum Brunonem quietâ poſſeſſione annis fere centum, ſicut in privilegiis ipſis Eccleſiæ perpendi poteſt, poſſederat. Tam grave damnum Eccleſiæ ſuæ fratres *Steinfeldenſes* ferre non valentes, ſæpius ad nos querelam de hac injuria & ad Priores noſtros, & ad Barones terræ detulerunt; *donec Cunradum de Schleyda*, qui in partem diviſæ hæreditatis ipſam decimam acceperat, de ſententia Priorum, & aſſenſu nobilium virorum, excommunicavimus. Præterea *in generali Synodo* noſtra, cum importuno clamore nos fratres de *Steinfeld* pulſarent, ſicut adjudicatum eſt eis in ſententia *Priorum & nobilium Laicorum*, ipſi in ſeptem ſcholis ſuper

(a) Bruno de Altena ſedit ab anno 1191. reſignavit anno 1193. ſuſcepto Monachi habitu in Monaſterio *Veteris Montis*.

ſuper plenarium eandem decimam jure Eccleſiaſtico obtinuerunt. Unde nos legitima cenſura utentes *Cunradum de Schleyda*, eos in ipſa decima infeſtantem, & omnes fautores ſuos *excommunicavimus*: Domino etiam *Lothario*, *Advocato* ipſius Eccleſiæ, ut de cetero defenſione materialis gladii pro Eccleſiá ſtaret, diſtrictè præcepimus. Sane Domino in ſervis ſuis pacem operante per manum *Walrami de Monte joci*, & *Gerhardi de Reefferſcheid* facta eſt pax inter *Cunradum*, & Comitem *Lotharium*, *Abbatem de Steinfeld*, & fratres ejus, ita, quod prædictus Conradus in manum noſtram reſignaverit hoc ipſum juris, quod dicebat ſe in ipſa decima habere, promittens bona fide, quod ipſe nunquam, nec aliquis cognatorum ſuorum, in eadem decima ſervos Dei infeſtaret. His rite peractis, nos diligentius imitantes veſtigia anteceſſorum noſtrorum, eandem decimam, & quidquid decimarum conquiſitum fuerit, in cultis & excolendis, erutis & eruendis in perpetuum novalibus Parochialis termini eorum, in noſtro Epiſcopio, ſicut de liberalitate prædeceſſorum noſtrorum uſque ad nos detulerunt, eis noſtra authoritate in perpetuum confirmamus. Ad confirmandam igitur actionis ſeriem, juſſimus eam ſcripto & ſigillo noſtro, & ſigillis nobilium virorum, Walrami, Lotharii, ejuſdem Cunradi muniri, & Epiſcopalis banni robore firmatam ſolenniter promulgari. Teſtes horum ſunt: *Ludowicus* major Præpoſitus, *Udo* major Decanus, *Bruno Bunnenſis* Præpoſitus, *Gerhardus Sanctenſis* Præpoſitus, *Engelbertus S. Georgii* Præpoſitus, *Theodoricus ſancti Gereonis* Præpoſitus, *Theodoricus ſancti Andreæ* Præpoſitus, *Rudulphus* major Scholaſticus. Liberi: D. *Henricus*, *Walramus*, *Fridericus* filii ejus, *Gerhardus de Reifferſcheid*, & *Philippus* fratres ejus, *Henricus de Sundeheim*, & frater ejus *Godefridus*. Miniſteriales: *Godefridus* Dapifer, D. *Walramus*, *Ebelertus*, *Kynneburg*, *Joannes Monaſterienſis*, *Godefridus Gokappelpayn de ac*, *Albertus de Erlepe*, *Wicgmannus de Blanckenheim*, *Erneſtus de Reifferſcheid*, *Thomas de Schleyda*, *Arnoldus Schellewald*, *Fridericus de Froenvards*. Si quis hæc caſſare & irritare tentaverit, de numero Electorum ſegregetur. Actum Coloniæ anno Dominicæ Incarnationis MCXCVIII.

Illmus Hugo Stivagienſis Tomo II. Annal. Præmonſtratenſ.

Philippi, Romanorum Regis, varia promiſſa, facta in manum Diethelmi Epiſcopi Conſtantienſis, & aliorum Pontificis Legatorum.

Circa annum Chriſti MCXCVIII. Innocentii III. PP. I.

EGO PHILIPPUS, ROMAN. REX, SEMPER AUGUSTUS &c.

ANtequam *Martinus*, Prior Camaldulenſis, & frater *Otto*, Monachus de Salem, venirent ad me, tractaturi

I. *De pace Eccleſiæ & Imperii*; voveram Deo, & Sanctis ejus, me iturum ultra mare, ad liberandum terram promiſſionis a gentium feritate, & iterum poſt eorum adventum, audito verbo eorum *de tractatu Pacis*, *de conceſſione Domini Apoſtolici*, in manu prædicti Prioris, vice Domini Apoſtolici, vovi & promiſi Deo, & Sanctis ejus, & eidem Priori, loco dicti Domini Apoſtolici, me opportuno tempore Eccleſiæ, & Imperio, & liberationi terræ prædictæ, bona fide, abſque omni fraude, illuc iturum, & opitulante Deo, terram illam pro poſſe meo liberaturum. Hujus voti teſtes ſunt: *Ditthalmus* Conſtantienſis Epiſcopus, *Eberhardus* Abbas de Salem, *Petrus* Abbas de Burgo ſancti Sepulchri, Frater *Otto* de Salem, *Henricus* Dapifer de *Wittingen*, *Henricus* de *Smalekke*, *Henricus* Mareſcallus de *Papenheim*, *Henricus* Notarius.

Inſuper promiſi, me facturum omnia hiç ſubſcripta:

II. Omnia bona tam Romanæ Eccleſiæ, quam aliarum Eccleſiarum, quæ anteceſſores noſtri Reges, vel Imperatores, injuſte abſtulerunt, vel detinuerunt, vel ego abſtuli, vel injuſte detineo, reſtituam, & ab eis quiete ac pacifice poſſideri permittam.

III. Omnes abuſus, quos anteceſſores

res mei in Ecclesiis habuerunt, *ut puta*: Mortuis Prælatis bona ipsorum, vel Ecclesiarum eorum accipiebant, perpetuo relinquam.

IV. Electiones Episcoporum, & aliorum Prælatorum, canonice fieri permittemus, omnia spiritualia Pontifici relinquentes.

V. Monasteria irregulariter inventa, in quantum Majestati Imperiali congruit, cum adjutorio Domini Apostolici, regularibus Conventibus, scilicet, Cisterciensi, Camaldulensi, Præmonstratensi subjiciemus, & operam dabo, ut tam Monasterialis, quam Clericalis ordo, eâ, qua decet, religione vivat & honestate.

VI. Advocatos, sive Patronos Ecclesiarum, ab exactionibus, angariis, & perangariis, in quantum potero, cessare compellam.

VII. Si Omnipotens Deus Regnum Grecorum mihi, vel Leviro meo, subdiderit, Ecclesiam Constantinopolitanam Romanæ Ecclesiæ, bona fide, & sine fraude, faciam fore subjectam.

VIII. Romanæ Ecclesiæ in omnibus, & per omnia, fidelis & devotus, atque filius & defensor semper ero.

IX. Generalem legem statuam & observari faciam, semper & ubique, per totum Imperium, ut, quicunque excommunicatus fuerit a Domino Apostolico, in banno statim sit Imperiali. Insuper, pro pace & amicitia inter me, & Dominum Apostolicum, semper servanda, & omnimoda suspicione auferenda,

X. Ut ipse semper mihi sit benignissimus Pater, & ego ei fidelissimus & optimus filius, filiam meam nepoti ejus in conjugium dabo, & alias, vel alios de cognatione mea, secundum voluntatem suam, generi suo copulari faciam.

XI. De omnibus excessibus meis, ad mandatum & voluntatem Domini Apostolici, Deo, & Ecclesiæ, plene satisfaciam.

Hæc & omnia in præsentia Domini Episcopi Constantiensis, (a) & Domini *Martini*, Prioris Camaldulensis, & Domini *Eberhardi* Abbatis de Salem, & Domini Abbatis *Petri* de Burgo S. Sepulchri, & fratris *Odonis* de Salem, præsentium latoris, *Henrici* Dapiferi de *Walpur*, *Henrici* Mareschalli de *Bappenheim*, *Helferici* Notarii, me facturum, & observaturum bona fide, & sine omni fraude, juravi.

Ex codice MS. Biblioth. Eminent. Card. Othoboni descripsit Schannat.

(a) Diethelmus, Baro de Wysenburg, Abbas Augiæ divitis, a Clero & populo Constantiensi eligitur Episcopus anno 1193. obiit anno 1205. 12. Aprilis.

CONVENTUS IN MULHUSEN

ANNO CHRISTI MCXCVIII. INNOCENTII III. PAPÆ I.

Post mortem Henrici VI. IV. Kal. Octobris, relicto filio impubere, Adalbertus, Archi-Episcopus Salisburgensis, cum Ducibus Austriæ, Bavariæ, Saxoniæ, earumque partium Episcopis, Colloquio celebrato in partibus Turingiæ apud villam Arnisperc, PHILIPPUM, Sueviæ Ducem, Henrici VI. defuncti fratrem, elegerunt in defensorem Imperii, quousque Henrici filius in Alemanniam ex Sicilia veniret.

Quo Colloquio soluto, ad oppidum *Mulnhusen* venientes, promissa eidem subjectione digressi sunt, Suevi, Saxones, Bohemi, Bavari, quam plures Principes Rheni.

Otto Blasianus. Urspergensis Chron. pag. CCCXX.

Mulhusino Colloquio interfuere Archi-Episcopi: Vesontinus, Ludolfus Magdeburgensis, Adalbertus Salisburgensis. Episcopi: Ratisbonensis, Augustanus, Constantiensis, Eistadensis, Wormatiensis, Spirensis, Brixiensis, Hildesheimensis, Electores Regis Germaniæ. Abbates: Fuldensis, & Elvangensis.

Rex Bohemiæ, Dux Saxoniæ, Bavariæ, Austriæ, Moraviæ.

Vide horum Epistolam ad Papam apud Baronium.

Bertoldus cum diffideret de expensis ad obtinendum Imperium necessariis, accepit a Philippo beneficia, & hominium

nium ei fecit, & fidelitatem, & vades nepotes ſuos, quos apud Coloniam pro expenſis obligaverat, non abſolvit.

Urſpergenſis.

Philippus Moguntiæ a Tarentaſienſi Epiſcopo, Sutrino Epiſcopo ſacris operante, coronatus fuit: Philippo Philippus Galliæ Rex favebat.

Philippus nuntios ſuos miſit primo Andernacum, dein Coloniam, impediturus, ne in præjudicium ſuum fieret electio, tum

I. Propter ſui & quorundam Principum abſentiam.

II. Tum propter Regiæ generationis in Friderico II. infante trienni non deſtituendam proſapiam:

III. Tum propter juramenta Principum eidem generationi in Henrico Patre exhibita 1195.

Attamen Bertoldus, Dux Zaringiæ. Coloniæ denominatus fuit in Regem, non propter hoc, quod juſtus poſſet eſſe videri, ſed quia pecunioſus videbatur, cum eſſet avariſſimus. *Abbas Urſpergenſis in Chronico pag. CCCXX.*

Otto cum Colonienſibus & Fautoribus venerunt ad Aquisgranum (quod jam Philippus prior obtinuerat) ſed quia intra civitatem exiſtentes reſiſtere non poterant, acceptâ pace & ſecuritate perſonarum, dederunt civitatem Ottoni, quem Adolfus Archi-Epiſcopus Colonienſis coronavit. IV. Non. Junii. 1198.

Cæſarius Heiſterbacenſis. Arnoldus Lubecenſis. Godefridus Pantaleonita.

Ottoni Richardus Angliæ Rex, & Innocentius III. favebant.
Philippo favebat Saxonia.

COLONIÆ CONVENTUS

Electorum Imperii ad OTTONEM IV. *eligendum.*

ANNO CHRISTI MCXCVIII. INNOCENTII III. PP. I.

MOrtuo in partibus transmarinis Henrico VI. Colonia Agryppina in Regnis inclyta, Colloquio celebrato cum Regni Primatibus de electione novi Regis tractare cœpit. Huic colloquio intererat Adolfus Colonienſis Archi-Epiſcopus, Conradus Moguntinus, qui tamen præſentialiter aberat, transmarinis negotiis, ut prædictum eſt, occupatus, cujus vicem in omnibus negotiis ordinandis ipſe Colonienſis tenebat, nec minus Dominus Trevirenſis talibus ſe negotiis non abſentabat; intererat quoque Palatinus de Rheno Henricus, cum multis nobilibus, qui omnes unanimi conſenſu *Othonem*, Henrici Nobiliſſimi Principis & Ducis filium, in *Pictavio* adhuc conſtitutum, in Regem & Romani Imperii Principem elegerunt, miſſisque legatis, eum cum ſummo honore Coloniam uſque perduxerunt.

Talis igitur electio ſive Regis ordinatio per Legatos honoratos a Domino Colonienſi, ſive ab aliis Archi-Epiſcopis & Principibus, Primoribus, Domino Innocentio, Romanæ ſedis ſummo Pontifici, inſinuata eſt; omnibus obnixe poſtulantibus, ut electionem ſive ordinationem Regis Othonis approbaret, ipſamque ſua auctoritate confirmaret. Papa nimis gaviſus eſt, & non ſolum ipſius electionem approbavit, ſed ipſum Othonem Imperio digniſſimum judicavit, miſſisque Epiſtolis, ut omnes Regi electo ſervirent, mandavit.

Arnoldus Lubecenſis Lib. VI. Chronici Slavorum Cap. I.



Episcoporum & Principum Germaniæ, qui OTTONEM, Saxoniæ Ducem, elegerunt Regem, & Aquisgrani coronaverant, Literæ ad Innocentium III. Papam, quibus petunt confirmari factam electionem.

Anno Christi MCXCVIII. Innocentii III. Papæ I. Ottonis IV. Reg. I.

SUMMA. *Electio Ottonis IV. narratur. II. Collatio Investituræ Principibus facta ab eodem. III. Juramenta Regis, Ecclesiæ & Imperio facta. IV. Commendatur Pontifici coronandus.*

SANCTISSIMO PATRI AC DOMINO INNOCENTIO, S. ROMANÆ SEDIS SUMMO PONTIFICI, PRINCIPES ET BARONES ALAMANNIÆ, CLERICI ET LAICI, DEBITAM IN CHRISTO REVERENTIAM ET SINCERITATEM OBSEQUII.

CUm placuisset ei, qui aufert Spiritum Principum, & magnus & terribilis est super Reges terræ, Dominum Henricum Imperatorem de medio auferre, necessarium nobis visum fuit de substituendo Rege tractatum & colloquium habere. Convenimus ergo sæpius & miserias & oppressiones, quas hactenus sustinueramus, recensentes, per universos Pincipes Regni animos nostros ereximus, & quid honori Ecclesiæ Dei & paci ac quieti subjectorum potissimum expediret deliberantes, nunc unum nunc alium, quasi finaliter eligere putabamus. Verum, quia non est prudentia, non est potentia, non est consilium, nisi per Deum, placuit ei, qui Abrahæ filium imolare volenti victimam providit, & David fratribus juniorem de post fœtantes accepit, atque Matthiam ex discipulorum numero ad sortem Apostolatus elegit, Serenissimum Dominum Ottonem, quondam Henrici Ducis Saxoniæ filium, ad Regimen Romani Imperii de terra peregrinationis suæ (a) ex inopinato offerre nobis. Invocata itaque S. Spiritus gratia, prædictum Dominum Ottonem Christianæ fidei cultorem devotissimum, atque S. Romanæ Ecclesiæ Advocatum, & defensorem fidelissimum, & judiciariæ potestatis observatorem justissimum, de longa & antiqua Regum prosapia ex utraque linea spectabiliter editum, ad Romani Regni fastigium juste ac rationabiliter elegimus, & sicut debuimus, ipsius electioni consensimus, ipsumque in Augustorum sede a Karolo M. apud Aquisgranum deputata huic dignitati locavimus, & corona & Regio diademate per manum Domini Adolphi Coloniensis Archi Episcopi, ea qua decuit solemnitate, feliciter decoravimus. Nos autem Principes, qui jam dictum Dominum Ottonem in Regem elegimus, feoda nostra, quæ ab Imperio tenemus, à manu ipsius recipientes, hominium sibi fecimus, & fidelitatem juravimus. Tantæ igitur dignitatis munus Excellentissimus Princeps Divinæ potius gratiæ quam suis meritis ascribens, primitias hujus honoris offerens Domino propria voluntate juramentoque firmavit, *imprimis* Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, *deinde* omnium Ecclesiarum jura bona fide servare ac manutenere, & subjectos Imperii exhæredatos maxime & a suis possessionibus violenter ejectos in sua justitia pro posse juvare & conservare. Pravam illam *insuper* consuetudinem, quam Imperatores antecessores sui in occupandis rebus nobilibus vel se se moventibus decedentium Episcoporum vel Abbatum, Principum hucusque servaverant, penitus exstirpans, nos Ecclesiasticos Principes ab hac indebita vexatione regali benevolentia liberos dimisit, & decedentium bona suis successori-

(a) Pictavis peregrinabatur Otto, Dux Suevlæ.

soribus servanda liberaliter statuit. Paternitati ergo vestræ dignum supplicare duximus, quatenus fidem & devotionem Domini nostri Regis attendentes, merita quoque Illustrissimi Patris sui H. Ducis Saxoniæ, qui ab obsequio S. Romanæ Ecclesiæ nunquam recessit, memoriter tenentes, paci & quieti vestræ & nostræ, intuitu Dei ac nostri obsequii providentes, ipsius electionem & consecrationem auctoritate vestra confirmare & Imperiali coronationi annuere paterna pietate dignemini. Sanctitatem insuper vestram obnixe rogamus, quatenus Principes ac Barones a tam rationabili electione discordantes Ecclesiasticâ censurâ ad concordiam revocetis, & ab illicita fidelitate partis adversæ clave Petri resolutos ad præstandam Domino nostro Regi fidelitatem & subjectionem auctoritate vestra compellatis. Ut autem a Domino Rege nostro jura Romanæ Ecclesiæ ut prædictum est integra & illibata serventur, nos in bona fide spondemus, & pro Domino Rege nostro fide jubemus.

† Ego Adolphus Coloniensis Archi-Episcopus elegi & subscripsi.

† Ego Gerardus Inden: Abbas elegi & subscripsi.

† Ego Heribertus Werdin: Abbas elegi & subscripsi.

† Ego Henricus Dux Lotharingiæ qui & Brabantiæ, Marchio Romani Imperii elegi & subscripsi.

† Ego Bernhardus Paderburnensis Episcopus elegi & subscripsi.

Ego Thietmarus Mindensis Episcopus elegi & consecrationi cooperatus fui.

† Ego Widekindus Corbejensis Abbas elegi & subscripsi.

Ex Autographo Romano descripsit Illustrissimus Episcopus Furstenbergius, & Schateno communicavit, qui edidit in Annal. Paderborn. ad ann. 1198.

§. II. Sanctissimo Patri ac Domino Innocentio, S. Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Adolphus, [a] Dei Gratia, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Minister Humilis, Devotum Obsequium et Orationes in Domino.

POst obitum Henrici Imperatoris nos una cum aliis Principibus de substituendo Rege sæpius tractantes, quid S. R. E. expediret, subditisque Imperii, qualiter quoque priorum Imperatorum oppressiones evitare possemus, sollicite deliberavimus. Protendimus igitur animos nostros ad diversos Imperii Principes, & sicut Domino placuit, Serenissimum Dominum Ottonem Henrici Ducis Saxoniæ filium in Romanum Regem rationabiliter elegimus, postmodum vero in Augustorum sede Aquisgrani locavimus, & sicut debuimus, ea qua decuit, solemnitate consecravimus ac coronavimus. Ipse vero Dominus Rex in timore Dei & reverentia S. Ecclesiæ omnia jura Romanæ Ecclesiæ aliarumque Ecclesiarum bona fide conservare & manutenere juravit. Nobis etiam aliis Episcopis pravam illam consuetudinem aliorum Imperatorum, qui decedentibus Episcopis & Abbatibus, Principibus in mobilibus rebus, seseque moventibus succedebant, liberaliter remisit. Paternitatem igitur vestram attente rogamus, quatenus rationabile factum nostrum aliorumque Principum, qui de jure eligere debent, attendentes, merita quoque Domini nostri Regis, Patris ac fratris sui Palatini, Regis quoque Angliæ avunculi sui, qui a servitio & unitate Ecclesiæ nunquam separati fuerunt, considerantes; injurias quoque Ducis Sueviæ patris ac fratris ejus non dissimulantes, magnos & honorabiles viros, quos ipse ac Principes de communi consilio ad pedes sanctitatis vestræ transmittunt, benigne recipiatis ac benignius remittatis, & rationabilem ipsius

[a] Scripsit & Coloniensis Archi-Episcopus, moderator hujus electionis ad Innocentium III. Pontificem literas haud dissimili, quo ceteri Principes, argumento; quas hic uti *Ferdinandus Episcopus Paderbornensis* ex Romano tabulario attulit in Germaniam, prioribus conjungit *Schatenus Tom. I. Annal. Paderbornens.*

ſius electionem, conſecrationem, ac coronationem confirmetis, & ad Imperii conſecrationem vocetis, noſtros quoque adverſarios & Eccleſiæ a fidelitate Duci Sueviæ præſtita abſolvatis, & noſtro Regi obedire Eccleſiaſtica cenſura compellatis. Nos etiam pro patrimonio Eccleſiæ Romanæ dimittendo ac conſervando pro ipſo Domino Rege ſpondemus, ac fide jubemus.

Apud Schatenum loco indicato.

Rex Angliæ & Otto ipſus ſcripſerunt ad Innocentium III, ut electionem ratam haberet; Pars adverſa Procerum Germaniæ, Archi-Epiſcopi: Treverenſis, Magdaburgenſis, Biſuntinus; Epiſcopi: Ratisponenſis, Friſingenſis, Auguſtenſis, Conſtantiæ, Eiſtadii, Wormatiæ, Spiræ, Brixini, Hildesheimii; Rex Bohemiæ, Dux Saxoniæ, Dux Bavariæ, Dux Auſtriæ, Dux Moraviæ, Dux Lotharingiæ, Marchio Miſenenſis, Marchio Brandenburgenſis, Marchio Moraviæ, Marchio de Rumesberg; Abbas Fuldenſis, Abbas Hersveldenſis, Abbas de Tegernſee, Abbas Elwacenſis, aliique Alamanniæ Nobiles Literis ſcriptis ſignificarunt Pontifici Innocentio III. electum Philippum, defuncti Henrici VI. Imperatoris fratrem, & tutorem Friderici II. impuberis Siciliæ Regis, ad Sceptra & Regimina Imperii gubernanda in Curia ſolemni apud Noremberg, Romam brevi aditurum pro corona Imperiali, eidemque jam hominium factum a Germaniæ Principibus, quos inter præter ſupra memoratos erant Patriarcha Aquilegienſis, Archi-Epiſcopus Bremenſis, Epiſcopi: Verdenſis, Halberſtadenſis, Merſeburgenſis, Nuiwenburgenſis, Monaſterienſis, Osnaburgenſis, Babeburgenſis, Batavienſis, Curienſis, Tridentinus, Metenſis, Tullenſis, Virdunenſis, Leodienſis.

Comes Palatinus Burgundiæ, Dux Caringiæ, (*a*) Dux Carinthiæ, Dux de Bites, Marchio de Lunnesberg, Marchio de Voheberg, Comes Palatinus de Ticing, Comes Palatinus de Witilinesbach, & alii quamplures Comites & Nobiles. Datum Spiræ V. Calend. Junii 1198.

Schatenus integras refert ad hunc annum.

Papa acceptis ab utraque factione Literis, & Nuntiis Romam miſſis, bienni deliberatione interpoſita, pro Ottone pronuntiat, eumque uti Regem acceptari mandat omnibus Germaniæ Principibus.

Innocentii III. Epiſt. XXI. & XXIX. ad univerſos Germaniæ Principes. Et ſi numerus Principum eligentium major pro Philippo fuiſſet, quam pro Ottone: at hic Aquisgrani ab Adolpho Colonienſi in Caroli M. ſede locatus fuerat: Philippus Moguntiæ a Tarentaſienſi Archiepiſc. alienigena coronatus fuerat.

(*a*) *fors:* Zaringiæ.

SYNODUS DIOECESANA OSKERSDEVENSIS,

ANNO CHRISTI MCC. à GARDULFO, HALBERSTADENSI EPISCOPO, CELEBRATA,

In qua Lis, circa quendam Archi-Diaconatum orta, ſopitur.

GARDUFUS, DEI GRATIA, HALBERSTADENSIS EPISCOPUS.

NOtum facimus univerſitati fidelium tam præſentium, quam futurorum, quod pro debito nobis commiſſi Regiminis officio, paci, tranquillitati & utilitati Eccleſiarum intendere, & de medio earum ſcandala & diſſenſiones tollere cupientes, eam controverſiam & litem, quæ inter fratres noſtros *L.* majoris videlicet Eccleſiæ Canonicum & Vice-Dominum, & *Oſtonem*, pro quodam Archi-Diaconatu, per annos plurimos eſt actitata; ad bonum pacis & concordiæ reduximus, ea videlicet ratione: ut dilectus noſter videlicet L. Vice-Dominus, pro Dei amore, & noſtro interventu, a petitione Archi-Diaconatus ceſſaret, & nos, cum ipſius conſenſu, eundem Archi-Diaconatum Præpoſito Oſtoni recognovimus & aſſignavimus, ut omni ambiguitate remota præfato Præpoſito Oſtoni, ſuiſque ſucceſſoribus maneat in perpetuum.

Ut

Ut autem hæc noſtra ordinatio, nunc & deinceps rata maneat, & inconvulſa, autoritate Dei Omnipotentis, & beati Petri Apoſtolorum Principis, noſtroque banno confirmamus, & chartam hanc inde conſcriptam, ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Datum V. Kalend. Julii, *Oskersdeve*, in generali *Synodo*, Anno MCC.

Ex cod. MS. Biblioth. Metropol. Mogunt. deſcripſit Schannatus.

Gardulphus Canonicus Majoris Eccleſiæ Halberſtadenſis, & Decanus, eligitur Epiſcopus anno 1194. Obiit anno 1201. cujus memoria in benedictione, ait *Samuel Lenzen in Diplomat. Hiſtor. Diœceſis & Prov. Halberſtad.* qui hujus Synodi non meminit. Idem tamen duas Synodos Sæculi XII. recenſet, unam *magnam Synodum* in Halberſtadt anno 1145. die Lunæ pag. 103: Alteram *plenam Synodum* in Halberſtadt, in majore hebdomada anno 1186. pag. 111.

Tempore ſchismatis inter Philippum & Ottonem IV. Dominus Wido Cardinalis Prænæſtinus (*a*) aliquando Abbas Ciſtercienſis, cum miſſus fuiſſet Coloniam ad confirmandam electionem Ottonis jam Aquisgrani ab Adolfo Colonienſi Archiepiſc. coronati, anno 1198. bonam illic conſuetudinem inſtituit. Præcepit enim, ut ad elevationem hoſtiæ omnis populus in Eccleſia ad ſonitum nolæ veniam peteret, ſicque uſque ad calicis benedictionem proſtratus jaceret. *Forte hæc in Synodo Coloniæ ſtatuta.*

Præcepit etiam idem Cardinalis, ut quoties deferendum eſſet ad infirmum, Scholaris ſive Campanarius Sacerdotem præcedens, per nolam illud proderet, ſicque omnis populus tam in ſtratis, quam in domibus Chriſtum adoraret.

Cæſarius Heiſterbacenſis Lib. IX. Miraculor. Cap. LI.
Innocentii III. Lib. III. Regeſti Epiſc. meminit horum duorum Legatorum a ſe Coloniam miſſorum anno MCC.

(*a*) Una cum Octaviano Epiſcopo Portuenſi.

CONCILIUM ROMANUM

Anno Chriſti MCC. Innocentii III. Papæ III. Ottonis IV. Regis IV.

SUMMA. *Papa Innocentius Tiemoni Bambergenſi Epiſcopo, ejusque Capitulo ſignificat factam in Concilio Romano Canonizationem S. KUNEGUNDIS Auguſtæ.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI THEUMONI EPISCOPO, ET DILECTIS FILIIS CAPITULO BABENBERGENSI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

CUm ſecundum Evangelicam veritatem *nemo accendat lucernam*, (a) & *ponat illam ſub modio, ſed ſuper candelabrum; ut omnes, qui in domo ſunt, videant*: pium pariter eſt & juſtum, ut, quos Deus merito Sanctitatis coronat & honorat in cœlis; Nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris: cum ipſe potius laudetur & glorificetur in illis, qui eſt laudabilis & glorioſus in Sanctis. Pietas enim *promiſſionem* (b) *habet vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ*: dicente Domino per Prophetam. Dabo vos cunctis populis in laudem; gloriam & honorem. Et per ſe pollicente: *Fulgebunt juſti*, (c) *ſicut Sol in regno Patris eorum.* Nam, ut ſuæ virtutis potentiam mirabiliter manifeſtet, & noſtræ ſalutis cauſam miſericorditer operetur, fideles ſuos, quos ſemper coronat in cœlo, frequenter etiam honorat in mundo, ad eorum memorias ſigna faciens & prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica, & fides Catholica confirmetur. Nos ergo, Cariſſimi,

(*a*) Matth. V. (*b*) I. ad Timoth. IV. (*c*) Matth. XIII.

rissimi, quantas possumus, Omnipotenti Deo gratiarum referimus actiones, qui in diebus nostris ad confirmationem Catholicæ fidei, & confusionem hæreticæ pravitatis, evidenter innovat signa & miracula, potenter immutat, faciens eos coruscare miraculis, qui fidem Catholicam tam corde quam ore, nec non & opere tenuerint.

Inter quos beatæ memoriæ KUNEGUNDIS Romanorum Imperatrix Augusta, quæ degens olim in mundo magnis meritis præpollebat: nunc vivens in cœlo multis coruscat miraculis, ut ejus Sanctitas certis indiciis comprobetur. Licet enim adhoc, ut aliquis sanctus sit apud Deum in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, testante Veritate, quæ dicit, quoniam, *qui perseveraverit* (d) *usque in finem, hic salvus erit.* Et iterum: *Esto fidelis usque ad mortem,* (e) *& dabo tibi coronam vitæ.* Ad hoc tamen, ut ipse sanctus apud homines habeatur in Ecclesia militanti, duo sunt necessaria: VIRTUS MORUM & VIRTUS SIGNORUM, videlicet merita & miracula, ut & hæc & illa sibi invicem contestentur. Non enim aut merita sine miraculis, aut miracula sine meritis plene proficiunt ad perhibendum inter homines testimonium sanctitati: cum interdum angelus satanæ transfiguret se in angelum lucis, & quidam opera sua faciant, ut ab hominibus videantur. Sed & *Magi* (f) *Pharaonis* olim signa fecerunt; & Antichristus tandem prodigia operabitur, *ut, si fieri potest, in errores etiam inducantur electi.* (g) Verum, cum & merita sana præcedunt, & clara succedunt miracula, certum præbent indicium Sanctitatis, ut nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus & meritis præcedentibus, & miraculis subsequentibus exhibet venerandum. Quæ duo ex verbis Evangelistæ plenius colliguntur, qui de Apostolis loquens, ajebat. *Illi autem* (h) *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Sane, cum ad audientiam bonæ memoriæ Cœlestini Papæ, prædecessoris mei merita & miracula præfatæ Imperatricis, vobis referentibus pervenissent; ut ipse de illis notitiam conciperet certiorem inquisitionem eorum Venerabilibus Fratribus nostris Augustensi & Eistetensi, & bonæ memoriæ Wurzburgensi Episcopo, & dilectis filiis, Eboracensi, Lancheimensi, & Hailsbrunnensi Abbatibus per Apostolica scripta commisit, post cujus obitum usque adeo manifestari cœperunt & multiplicari miracula, ut ex evidentia pariter & frequentia sanctitas ejus ab omnibus quasi notoria prædicetur, sicut ex multis testimonialibus literis Episcoporum, Abbatum, Præpositorum & Principum, nec non & aliorum multorum nuper nostro extitit Apostolatui reseratum.

Venientes igitur ad Apostolicam sedem ex parte vestra dilecti filii N. Abbas Michelveldensis, Gundelus Decanus, Cunradus Custos, Marcus Archi-Diaconus, Hermannus Subdiaconus majoris Ecclesiæ vestræ, Lupoldus Diaconus S. Stephani, Burcardus Diaconus S. Mariæ, Heinricus Presbyter S. Michaelis, Heinricus Subdiaconus S. Mariæ, Nobis & fratribus nostris humiliter supplicarunt, ut ex plenitudine potestatis, quam JESUS CHRISTUS B. Petro concessit, prænominatam Imperatricem Sanctorum catalogo dignaremur adscribere, decernentes, ejus memoriam inter Sanctos ab universis fidelibus de cætero celebrandam: cum hoc sublime judicium ad eum tantum pertineat, qui est B. Petri Successor, & Vicarius JESU CHRISTI.

Nos itaque cognoscentes, quod hoc revera judicium sublimius est inter cætera judicandum, in ipsius examinatione plenariam volumus adhibere cautelam. Et ideo prænominatos jurisjurandi religione constrinximus, ut puram nobis super hoc dicerent veritatem. Qui jurati dixerunt, quod, sicut ex celebri fama & solenni scriptura noverunt, B. KUNEGUNDIS S. HEINRICO IMPERATORI fuit matrimonialiter copulata, sed ab eo non extitit carnaliter cognita. Unde cum Dominus Imperator ageret in extremis: Principibus & Parentibus inquit de illa: Qualem mihi eam assignastis, talem vobis eam resigno. Virginem eam dedistis, & Virginem reddo. Suam ergo Virginitatem Domino consecravit, & servavit intactam: ita quod, cum aliquando, instigante humani generis inimico,

(*d*) Matth. X. (*e*) Apocalyps. II. (*f*) Exod. VII.
(*g*) Matth. XXIV. (*h*) Marci XVI.

mico, ſuſpicio quædam contra ipſam fuiſſet exorta; ipſa, ut ſuam innocentiam demonſtraret, ſuper ignitos vomeres nudis plantis inceſſit & proceſſit illæſa.

Item Sanctus Imperator HEINRICUS, & hæc Imperatrix egregia KUNEGUNDIS de propriis facultatibus BABENBERGENSEM fundaverunt Eccleſiam & dotaverunt; quam cum ſuis omnibus pertinentiis ex fervore devotionis, quam ad Apoſtolicam ſedem habebant, B. Petro Apoſtolorum Principi obtulerunt, annuum ei cenſum, ad indicium, quod juris ſit Eccleſiæ Romanæ, ſolventem. Sed & alia plurima beneficia piis locis & venerabilibus Eccleſiis contulerunt, Chriſtum ſibi facientes hæredem.

Hæc & alia retulere de meritis: De miraculis aſſerentes, quod eis præſentibus & videntibus, ad memoriam hujus Virginis, cæci viſum, claudi greſſum, muti verbum, & ſurdi recuperaverunt auditum, aliisque languoribus impetiti, frequenter & evidenter plenam conſecuti ſunt ſanitatem. Et quod eſt mirabilis novitatis & novi miraculi; pulvis de tumulo ejus aſſumtus, ſæpe converſus eſt in frumentum.

Nos ergo de meritis & miraculis ejus multis & magnis non ſolum teſtimoniis ſed & teſtibus certiores effecti, cum ſecundum Prophetam laudandus ſit Deus in Sanctis ſuis: de fratrum noſtrorum conſilio & Pontificum multorum apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium, ipſam beatam Virginem KUNIGUNDIM Catalogo Sanctorum adſcripſimus, ejusque memoriam inter Sanctos decrevimus celebrandam.

Quapropter Univerſitatem veſtram monemus, & hortamur in Domino per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus, quod nos ſolenniter & caute ſtatuimus, vos humiliter & devote ſervetis, ut meritis ejus & precibus apud miſericordiſſimum judicem indulgentiam conſequamur.

Collectam autem & alias orationes in commemoratione ejus dicendas edidimus, quas in hac pagina duximus ſubſcribendas:

Oratio. Omnipotens & miſericors Deus, qui a gloria tua nullum excipis ſexum, nullamque conditionem excludis, Te ſuppliciter exoramus, ut, ſicut beatæ KUNIGUNDI Virgini tuæ poſt terreni culmen Imperii cœleſtis Regni ſolium contuliſti; ita meritis ejus & precibus nobis quoque famulis tuis æternæ felicitatis præmia largiaris. Per Dominum.

Secreta. Sacrificium laudis tuæ Tibi, Domine Deus noſter offerimus, tuam clementiam implorantes, ut per hujus Sacramenti virtutem, nos a peccatis expedias, & a periculis tuearis. Per Dominum.

Complenda. Sacramentum redemtionis humanæ, quod in honore beatæ KUNEGUNDIS obtulimus, tibi nos Domine reddat acceptos, ut per hoc, quod & accepimus ipſi de tuo, & ſuſcepiſti de noſtro, in tui ſemper unione vivamus; Qui cum Patre.

Datum Laterani III. Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri anno tertio.

Ex Annalibus MS. Bambergenſibus deſcripſit Gretſerus Tomo X. novæ editionis pag. 565, 566, 567.

DIGRESSIO AD SÆCULUM XII.

§. I. *De ſerie Regum Germaniæ & Imperatorum.*

HActenus in fronte Conciliorum annis Chriſti ſubjunximus annos Romani Epiſcopi, & annos Regis Germaniæ, ſeu Imperatoris: quoniam utriuſque auctoritate & præſidio plurima Concilia vel indicebantur, vel fovebantur, & Reges ſæpiſſime Epiſcoporum cœtibus in Germania interveniebant, aut illis cogendis cauſam & occaſionem dabant: aut eorum executionem & obſervantiam curabant. Incidimus autem in ea tempora ſæcul. XI. & XII. quibus vidimus & plures ſimul Romanæ urbis Epiſcopos, & plures ſimul Germaniæ Reges ac Imperatores exſtitiſſe, diverſarum factionum ſtudiis.

Verum quemadmodum plures Antipapæ a ſchiſmatum fautoribus excitati, puta Cœleſtinus II. contra Honorium II., Pe-

trus Leonis sub nomine Anacleti, contra Innocentium II. Octavianus dictus Victor IV. Pascalis III. Cœlestinus III. Innocentius III. quatuor Antipapæ suscitati contra Alexandrum III. legitimum Pontificem excitati, non impediunt nos, quominus solos annos Pontificis Romani semel ab orbe Catholico, & maxima hujus parte, agniti numeremus: licet Papa ille sit in exilio, aut ab uno alterove Principe non agnoscatur: licet alii Antipapæ Epistolas & bullas ediderint; sic nos vicissim Regem Germaniæ semel ab omnibus, vel pluribus Germaniæ principibus electum & agnitum, semper scribimus *Regem usque ad finem vitæ* etsi forte excommunicatum, aut alio Anti-rege undecunque electo, aut subintruso, turbatum.

Hac Regula præjacta, Henricum IV. a morte Patris sui Henrici III. [quæ accidit III. nonas Octobris anno MLVI. Bodenfeldiæ & sepultura Spiræ XXVIII. Octobris anni ejusdem] Regem nominamus, & scribimus usque ad diem VII. Augusti: qua obiit, anno MCVI. Regni ejus quinquagesimo, Imperii 22do, nihil morati vel Rodulphi Suevi Anti-Regis, vel Hermanni Luxemburgensis, ab alia factione electi & obtrusi schisma.

Simili tenore Fridericum I. Sueviæ Ducem (a morte Conradi III. antecessoris die XVIII. Februarii MCLII. secuta) qui eodem anno IV. nonas Martii Francofurti electus, & Aquisgrani media quadragesimæ Dominica coronatus fuerat, ac in Caroli M. sede collocatus, *Regem* nominavimus & scripsimus usque ad annum MCXC. quo ad diem IV. Idus Junii obiit in Cilicia. Quidquid interim Pontifices Romani de eo, ejusque Regno, aut Imperio senserint: quorum sententiam reveremur; at Chronologicam seriem sequimur celeberrimorum Historiographorum, & ante alios Illustrissimi Baronii, qui annum MCXC. Friderici primi scilicet ejusdem Imperii XXXVItum numerat & scribit.

Eodem tenore Friderici II. annos computamus a morte Ottonis IV. licet jam antea Proceres Germaniæ nempe anno MCXCV. rogatu Patris Henrici VI. eidem homagium fecissent, uti successuro in Germaniæ Regnum; licet rursum anno MCCXII. vivente Ottone IV. eundem Fridericum II. denuo elegerint, & Papam, ut eundem coronaret Augustum, rogaverint: attamen nonnisi post mortem Ottonis IV. (quæ anno MCCXVIII. Idibus Maji in castro Hartzburgi evenit) Regnum Germaniæ solus obtinuit; unde a Schateno annus Christi MCCXVIII. dicitur Regni Ottonis XXImus Imperii X. vitæ ultimus: & Friderici II. sextus Regni Germanici [deducto computu ab anno MCCXII.] quo iterum Moguntiæ pridie Kalendas Decembris electus fuerat Rex Germaniæ. Reapse erat annus hic MCCXVIII. *primus*, quo *solus* vacuum Germaniæ thronum adiit Fridericus II.

Itali tamen Historiographi inde ab anno MCCX. vacasse Imperium, & Germaniæ Regnum supponunt potius, quam demonstrent. Nec Philippi Suevi intercedens electio, facta ab alia & majore factione Principum Germaniæ nos turbat. Nec enim nostri officii, aut instituti est, vel inquirere de valore electi istius, illiusve Regis: vel positis pluribus electionibus examinare, quæ præ aliis valida sit? examinent id Politici. Nos ab anno MCCXVIII. ad MCCL. Fridericum II. Regnorum Germaniæ, XXXIII. siculi LII. Jerosolymæ XXXImum annum computamus. Intermedio tempore electos contra Fridericum II. Anti-Reges præteribimus; nisi aliqua Synodus vel acta in Synodo cogant nos ejusdem meminisse in notis. Fuere autem inter MCCXVIII. & MCCL. tres Reges Germaniæ electi.

Anno MCCXXXVII. Conradus IV. filius a patre Friderico II. designatur successor in throno Regni Germanici & a Proceribus Imperii acceptatur, eligitur.

Anno MCCXLVI. Henricus Raspo Landgravius Thuringiæ & S. Elisabethæ Levir eligitur juxta Herbipolim a variis Principibus Rex Germaniæ.

MCCXLVII. die S. Michaëlis prope Worungam in agro Coloniensi (alii inquiunt Franckenvurt) eligitur Wilhelmus Hollandiæ Comes a quibusdam Germaniæ proceribus: alii Anno MCCXLIX. ultima Octobris electum volunt, & coronatum I. Septembris.

Sed hæc nos non morantur, quin Fridericum II. ad MCCL. vixisse & regnasse scribamus.

Ab anno MCCL. XIII. Decembris Regem Germaniæ scribemus Conradum IV. ad XXI. Maji anno MCCLIV. quo vivere desiit.

Ab anno MCCLIV. XXI. Maji ad MCCLXXIII. XXX. Septembris INTERREGNUM Germaniæ scribemus.

A Rudolpho primo Habsburgico anno MCCLXXIII. electo ad Augustissimum FRANCISCUM. I. nunc Germaniæ Regem & Imperatorem felicissimum fluit intaminata series Chronologiæ Imperatorum.

§. II. *Quod sub nomine Capitulorum Synodi Provinciales & Diœcesanæ intelligantur.*

HÆc res non tam eget demonstratione, quam ipsa expositione Historiographorum coævorum, qui sub nomine *Capituli*

tuli jam Diœcesana, jam Provincialia Concilia indicari significant.

[a] Clarissimus *Mansi* Tomo II. *supplementi* observat, sub *Capituli* nomine Synodum vel Concilium Episcopale indicari, præsertim in Archi-Diœcesi Salisburgensi, Frisingensi, Passaviensi & Hildenesheimensi, ut in hoc sæculo XII. maxime apparet, & apud HANSITZ Historiæ Salisburgensis Archidiœcesis Tom. II. *Germaniæ Sacræ*: quam significationem *Capituli* non observavit Clarissimus Du-Cange in Glossario mediæ & infimæ latinitatis. Aliam tamen advertit inter multas usurpationis voces *Capitulum*: nempe pro libro Canonum, vel actis Synodicis, quo sensu Lupus Ferrariensis Epistola XLII. scribit: *Canones eosdem, sive, ut vos vocatis, Capitula vobis direxi.* Et Theodolphus Aurelianensis *Capitula* vocat librum, quem scripsit ad Presbyteros suæ Parochiæ, seu acta Synodica, in quibus ad Cleri & populi emendationem præcepta continentur.

Quo sensu notiore scimus Regum Francorum sanctiones, & decreta Regia, vocari Capitula vel capitularia uti Tom. I. & II. vidimus: sed hoc Tom. III. Capitulum sumitur pro ipso cœtu Episcoporum canones condentium, aut promulgantium Clero & populo observandos.

§. III. *Canonistæ Germani sæculi XII.*

I. RUPERTUS Tuitiensis Abbas ex Monacho Sancti Laurentii Leodii ordinis S. Benedicti, Tuitium a Friderico Archiepiscopo Coloniensi evocatus ob doctrinæ præstantis famam, scripsit, quod ad jus Canonicum spectat.

Libros XII. de Divinis Officiis, quos dicavit Cunoni ex Sigebergensi Abbate ad Ratisponensis Ecclesiæ Cathedram promoto Episcopo.

2. In regulam S Benedicti Libros IV, quorum primus Apologeticus vitæ Apostolicæ, contra calumniatores Ordinis Sancti Benedicti; editus ab Martenio & Durando *Tom. IX. Thesauri amplissimi Anecdotorum*, aut forte idem est, qui inscribitur: *Altercatio Clerici & Monachi* citatus a me *in Bibliotheca Coloniensi pag.* 292. Cum enim Clerici inhiarent divisioni præbendarum & communem hactenus mensam ac dormitorium nausearent, contra Rupertus zelaret pro vetere instituto vitæ communis Clericalis, *in Concilio Aquensi* stabilito, non mirum est, inde ortum fuisse sententiarum dissidium.

Altera causa erat, quod Canonici regulares, sæculo XI. exorti, nollent Monachos ad Ecclesiæ munia evocari & evehi: quos ad ea munia idoneos esse, & semper habitos fuisse demonstrat *Libris V. Dialogorum Apologiæ de vita vere Apostolica. Fabricius Biblioth. mediæ & infimæ latinit.*

Elogium viri post sexcentos Lexicographos vide in Bibliotheca Coloniensi succinctum.

II. STEPHANUS, Tornacensis Episcopus, scripsit præter multas Epistolas & Sermones, *Commentarium in Decretum Gratiani*, quem præ Patribus, Conciliis, & Fontibus Canonum describi, emi, & legi ægre ferebat. Anno MCXCII. elevatus fuit ad hunc Episcopatum, quem administravit ad annum MCIII. quo ad plures abiit.

Inter Epistolas *Dupinius Tomo IX. novæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ*, observat tertiam scriptam ad Mauritium, Episc. Parisinum, &c. Stephanum Abbatem; quâ petit sibi responderi, utrum immersio cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis, seu facta in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, sit valida, si omittantur hæ duæ voces ore prolatæ: *Te Baptizo*; ipse judicat has duas voces non esse de substantia Sacramenti, sed de solemnitate mysterii, Christum præcepisse tinctionem, mersionem, non vero pronuntiationem harum duarum vocum, sed actionem per eas voces significatam.

Observat idem Epistolis 40, 107, 108, 140, ad Episcopum Dolensem, accusari Canonicos Regulares S. Joannis de Vineis, qui peculium volebant, & qui, cum essent curati, Episcopo, non Abbati, parere volebant, nec esse ad nutum revocabiles: quæ omnia improbat, & primævæ disciplinæ contrariari credit.

Epistolis 61, 95, 162. probat, licitum esse transitum ab ordine Monastico mitiori ad severiorem, puta a Grandi-Montensi ad Cistercienscm.

Epist. 202. in III. Parte Epistolarum decernit, Matrimonium e Novitiatu egressi esse validum.

Epist. 251. conqueritur Papæ, studia Patrum negligi præ *decretalibus nuper vulgatis*, negligi veteres Canones, Concilia Patrum.

III. ANSELMUS Havelbergensis in Brandenburgica Marchia Episcopus fuit, a Lothario II. missus Constantinopolim, ubi præstantissimæ dissertationes fuêre inter Græcos & hunc Germanicum Episcopum, quæ cum spectent universim ea, in quibus dissidet Ecclesia græca Orientalis a nostra Occidentali, reductæ in Libros III. ab ipso Anselmo Eugenio III. PP. dicatæ fuêre, & editæ Tom. XIII. Spicilegii Dacheriani.

In Libro III. legitur de Primatu Ecclesiæ Romanæ dissertatio, quam magna facundia explanat, demum utrimque remittitur definitio

(a) pag. 857.

nitio controversiarum ad Concilium Oecumenicum, quale fuit Florentinum anni MCCCCXXXIX.

IV. RODOLPHUS ex Abbate S. Trudonis fit Abbas S. Panthaleonis Cœnobii intra Coloniam: ejus supersunt varia Canonica. Tractatus contra Simoniacos, cujus ipse meminit in suo Chronico VII. Libris constans, de quibus Mabillon. editor.

Responsoria ad Sibertum Priorem Cœnobii S. Panthaleonis, an opulento filio ordinem Benedictinum Professo denegare parentes valeant hæreditariam portionem? Patrem quidem peccare, ait, sed negat a Cœnobio hæreditatem exigi posse nomine filii. VASELINUS, Prior Laurentii, Cœnobii Benedictini, Leodii examinavit factum, an conjugatis post nocturnum usum nuptiarum licitum sit postridie sacram mensam adire? & discrete resolvit Mabillon. Tomo I. Analectorum.

V. GERHOHUS Cœnobii Reicherspergensis in Bavaria Canonicorum regularium S. Augustini Præpositus; ante Magister Scholarum, Ss. Theol. Doctor & Canonicus Augustanæ Ecclesiæ: utroque prædivite officio dimisso ingreditur Monasterium Bertenhech, ex quo ad Præposituram Reichersbergensem elevatur anno MCXXXII. eamque gessit ad annum MCLIX. inter gravissimas procellas & fluctus schismatis Imperium inter & Sacerdotium. Gretserus Tom. VI. novæ editionis Aventini calumnias contra Gerhohum difflat.

1. Syntagma Gerhohi, Reichersbergensis Præpositi, de statu Ecclesiæ sub Henricis IV. & V. & Gregorio VII. coævi & oculati Scriptoris, non minus a vitæ sanctimonia, quam a fidelitate erga Apostolicam Sedem admirandi, & nullo humano metu a veri semita abducti. *à Gevoldo & Gretsero editus fuit.*

2. Lib. de ædificio Dei, seu de studio, & cura disciplinæ Ecclesiasticæ, fide & officio ac diligentia Episcoporum & aliorum Clericorum, quorum conditionem non inferiorem vitâ Monachorum esse docet.

Edidit Petz. Tom. V. Anecdotorum Parte II. pag. 225.

3. Lib. Epistolaris ad Innocentium II. R.P. de eo, quod distet inter Clericos sæculares & regulares.

Apud Petzium enndem loco citato.

In Concilio Ratisbonensi anni MCXXX. ejusdem doctrina, de qua §. sequente, examinata fuit. Ejusdem intempestivus 2dus pro introducendis Canonicis regularibus in locum Canonicorum sæcularium reprehensus.

Idem Gerhohus interfuit Concilio Wurzeburgensi pro Papa Innocentio legitimo contra Anacletum Anti-Papam anno MCXXX. Idem Concilio Leodiensi pro eadem causa, semper enim pro legitimis Pontificibus contra Antipapas voce & calamo stetit.

Hansitz. Germaniæ sacræ Tom. II. pag. 228. 229.

§. IV. De Hæresibus hujus Sæculi.

Ecclesia militans Christi, uti quovis sæculo frugem bonam in horreum Domini congregat & colligit, sic nec desinit satanas inimicus regno Christi superseminare zizania, seu errores hæreticorum vel schismaticorum.

Utriusque generis zizania sensit & Germanica Ecclesia intra viscera sua pullulare, quibus evellendis Episcopi qua boni Pastores & inter omnes Episcopos Romani Pontifices indefessam operam navaverunt.

I. HENRICIANI, ab quodam Henrico Eremita, discipulo Petri de Pruys in Provincia Franciæ errores suos spargere cœperunt, unde progressi Lausannam & ad Cenomanos, demum in Germaniam & Belgium disseminaverunt errores suos, ex quibus notior est *Tanchelmus* Antverpianos pestifera sua secta inficiens, & ignoti nominis errones *circa Coloniam vagantes*, specie austerioris vitæ & jejuniorum popello fucum facientes.

Eorum errores leges in Synodis Germanicis Coloniæ MCXLVI. ibidem MCLXIII. MCLXXXIII. Atrebati.

Contra hos Hæreticos

EVERUINUS Præpositus Steinfeldensis scripsit Epistolam ad S. Bernardum, cui respondit S. Doctor *Sermone LXV.* in Cantica canticorum; idem *sermone LXVI.* sigillatim eorum errores ostendens & revincens, circa matrimonium, abstinentiam a carnis & lactis usu, pædobaptismum, purgatorium, vim Sacramentorum, preces pro pace defunctorum &c.

Everuini elogium dedi in Bibliotheca Coloniensi.

Ad Diœcesim Tullensem irrupit secta hominum, quos pecoribus, quam bestiis similiores judicat *Hugo Metullus* Canonicus regularis in Diœcesi Tullensi scribens & degens.

II. CATHARI, qui græca voce *mundos* vel puros se se appellabant, & appellari ab aliis volebant, spurcissimum sectæ genus est, quorum errores optime novit Egbertus qui ex canonico Bonnensis Ecclesiæ SS. Cassii & Florentii factus est Benedictinus monachus Schonaugiæ in Abbatia S. Florini Diœcesis Treverensis, unde a Reginaldo Archi-Episcopo Coloniensi evocatus anno MCLXIII. coram Clero & populo disputationem pub-

licam

licam instituit contra tres heresiarchas: quos licet auctoritate & ratione ad obmutescentiam redegisset, resilire tamen ab errore noluerunt, & comburi, quam salubriter pœnitere maluerunt. Errores infamis gregis Egbertus in suis sermonibus exponit, qui Sermones & seorsim Coloniæ excusi fuere, *& in Bibliotheca patrum recusi sunt.*

Non est ea ambitio puritatis, ut ut stolida videatur, nova: nam & nostro sæculo multi Acatholici se puritanos se puræ doctrinæ, puri verbi Dei, puri Evangelii præcones esse se sominant & jactant, ne putes catharos sectarios solo sæculo XII. pullulasse.

III. TANCHELMI Antwerpiæ Dominantis hæreses e' Belgio ad Rhenum & Germaniam nostram proserpsisse testis est *S. Norbertus* ejusdem pestis profligator & victor. Testantur idem literæ ab *Ecclesia Trajectensi ad Fridericum Archi-Episcopum* Coloniensis Metropoleos scriptæ, quas recitat *Gretserus* Tom. VI. novæ edition. pag. 566.

Et Hagiographi Antverpienses in actis Sanctorum Tom. I. junii pag. 843. 844. 845. ubi & Tanchelmi fœdi & enormes errores recensentur.

IV. GRÆCORUM a Latina Ecclesia dissidentium errores a Photio sæculo nono Constantinopolitano Patriarchia maximam partem excitatos, & a schismaticis Græcis sæculo hoc XII. pertinaciter defensatos occasione suæ Constantinopolim legationis patienter audiit *Anselmus* Havelbergensis Episcopus & erudite confutavit.

V. Eremitam Rodulfum, quia Judæos omnes interficiendos arrogato sibi prædicationis officio clamabat, non solum contra Saracenos, in quos hortante S. Bernardo aliisque expeditio cruce signatorum suadebatur, & instituebatur: sed & contra Judæos exstirpandas crucem assumendam prædicabat. Qua occasione plurimi Judæi, Coloniæ, Moguntiæ, Wormatiæ, Spiræ, Argentinæ finitimisque Rheno civitatibus interempti fuere circa MCXLVI. Henricus Archi-Episcopus Moguntinus de hoc prædicante conquestus est apud sanctum Bernardum, veluti præcipuum cruciatæ indictæ promotorem.

Respondet S. Doctor tria in hoc Rodolfo reprehensione dignissima esse: *usurpationem prædicationis*, ad quam Monachus hic a nemine missus fuit: *contemtum Episcoporum, homicidii judæorum approbati libertatem.* Concludit S. Bernardus nullatenus esse interficiendos Judæos, sed verbo Dei ad veram fidem reducendos. *Ep. CCCXXIII. Tom. I. operum S. Bernardi Editonis Merlohorstii* pag. 132. *Idem compendio scribit Mabillon. Tom. VI. Annal. Benedictinorum posthumo, edito a Martene* pag. 406.

VI. GERHOHI Præpositi Reicherspergensis in Bavaria *de gloria hominis in Deum assumti*, doctrina a variis impugnata fuit.

Contendebat nempe Christum hominem Deum adorandum summæ venerationis adoratione una cum sua & in sua divinitate, qua homo ille non inter alia omnia, sed super omnia prædicatur ab Apostolo: Deus benedictus in sæcula.

Libro scripto *de gloria & honore filii hominis.*

Folmarus Præpositus de Trieffenstein, Petræ Stillantis prope Herbipolim accusabat GERHOHUM, quasi doceret errorem *Nestorii*, & Elipandi adoptionem Christi filii Dei sæculo VIII. renovantem, ut ait *Dupin. in. Bibliotheca nova Ecclesiastica Tom. IX.* pag. 186.

In Concilio Babenbergensi ea quæstio agitata fuit a Folmaro, qui præsentiam corporis Christi in Eucharistia negabat: hic Gerhohum accusabat, quasi hac indivisa adoratione duas Christi naturas in unam confunderet: & hanc suam accusationem contra Gerhohum scripsit ad Archi-episcopum Salisburgensem & Episcopum Pataviensem: sed ab utroque rejectus & contemptus fuit.

Hansitz Tom. II. Germaniæ sacræ pag. 252. 253.

Videtur igitur Gerhohus in hoc puncto doctrinæ nihil errasse: sed supersunt duo alia dogmata ejusdem controversa.

Unus error Gerhohi erat, quod zelo vitæ Canonicæ regularis, ultra quam par est evectus, vitam Clericorum sæcularium insectabatur, 2do negabat ab hæreticis & excommunicatis confici posse verum sacrificium quoad virtutem, sic ut de pane fiat caro agni, etsi concederet Sacramentum, quantum ad formas visibilium signorum, quæ fiunt in depictione crucis & verbis ad hoc institutis.

Primum errorem intempestivo ex zelo profectum tempus emollivit, & quanquam Innocentio Papæ, Conrado Archi-episcopo, & Cunoni Ratisbonensi episcopo idem persuadere niteretur, nil tamen profecit.

De 2do errore sic Gerhohus scribit. Anno præterito (MCXXX.) cum sanctæ & venerabilis vitæ Gualterius Archi-Episcopus Ravennas esset Ratisponæ in Domini Papæ legatione: fui apud ipsum de verbo *isto* & aliis dirè pulsatus, a quo etiam præsente Domino meo Episcopo (*Cunone Ratisponensi*) de omnibus examinatus, ab ipso tandem in senten-

ſententia, quam dixeram, ſum corroboratus. Fuit autem ſumma culpa mihi tunc impoſita; quod dixerim irregulares Canonicos, niſi converterentur, ſalvari non poſſe, & extra Eccleſiam corpus Chriſti confici non poſſe. Hoc & ipſe Dominus Ravennas teſtatus verum eſſe. Ita ipſe Gerhohus in Dialogo *de differentia Clerici regularis & ſecularis edito a Lezio Tom. I. Ancedotor.*

Hanſitz: Tom. II. Scriptor. Germaniæ Parte II. ſacræ pag. 228. refert hoc Gerhohi de ſe & Apoſtolico Legato judicium: quo ſenſu autem verum ſit, non examinat. Hoc certum: ſilentium Gerhoho fuiſſe impoſitum, & a Legato ab Archi-Epiſcopo Salisburgenſi.

HERMANNUS, domo Colonienſis Judæus natus, a duobus graviſſimis viris Egberto Monaſterienſi Epiſcopo, & Ruperto Tuitienſi Abbate colloquiis & amica erudita converſatione convictus manus Chriſto dedit, imo & S. Norberto, cujus inſtitutum amplexus fuit, Schedenſis canoniæ Præpoſitus fuit.

Scripſit ipſe ſuæ converſionis hiſtoriam editam *in Bibliotheca Paulina Lipſienſi a Carpzozio ad calcem pugionis fidei Raimundi Martini.*

REFLEXIO AD CANONES CONCILIORUM SÆCULI XII.

Cum hoc ſæculo XII. tot illuſtres & eruditi viri in ſcientia ſacræ Scripturæ, S. Norbertus Patriarcha ſuæ familiæ, Rupertus Tuitienſis Abbas, Rudolphus S. Trudonis Abbas, Wolbero S. Panthaleonis Abbas.

Tot excellentes Canoniſtæ §. III. enumerati.

Tot invicti Polemici hoc §. enumerati.

Miratus ſum in Collectione tot Synodorum hoc Sæculo XII. in ſola Germania celebratarum, adeo ſteriles & Canonum inopes Synodos reperiri, ſed pene meris actionibus pro Eccleſiæ pace, unitate, concordia, pro fundationibus Monaſteriorum tutandis occupari, pro litibus componendis, pro Sanctis canonizandis occupari. Nulli vel pauciſſimi Canones editi, quibus Catholica doctrina promulgaretur, diſciplina & hierarchia Cleri ſtabiliretur. Admiranda hic providentia Chriſti, qui Eccleſiam ſuorum Superiorum undecim ſæculorum Canonibus abunde munitam gubernare nunquam deſinit. Etſi nunc eam fertiliorem in Canonum ſcientia, nunc parciorem relinquat.

Hæreſes ſane, hoc ſæculo ortæ, ſtatim ſuffocatæ fuerunt, & ſuos vindices Antagoniſtas Doctores Catholicos ſibi contradicentes repererunt. Inimicus homo ſemper ſeminat zizania inter triticum. Paſtor familiæ non dormit, neque dormitat, quin per ſervos ſuos agro ſubveniat.

§. V. *Claſſes variarum Synodorum bujus Sæculi.*

I. CLASSIS.

Synodi Dogmaticæ, in quibus vera doctrina proponitur; errores, hæreſes, damnantur.

MCV. Northuſana Synodus varios errores damnat.

MCXXVII. In Uzedum in Pomerania Slavos docet S. Otto.

MCXLVI. Coloniæ contra hæreticos Catharos ſana doctrina defenditur.

MCXLVIII. Treveris S. Hildegardis ſcripta approbantur a Papa & Concilio.

MCL. Bambergæ, Ratisbonæ, Saliſburgi, pro doctrina Gerhohi Reicherspergenſis Præpoſiti contra Folmarum.

MCLX. Friſacenſis de eadem Gerhohi doctrina.

MCLXIII. Coloniæ contra Catharos.

MCLXXV. Hallæ apud Magdeburg contra Torneamenta.

MCLXXX. Rodulfi Leodii Epiſcopi decreta contra vaſtatores Eccleſiarum.

MCLXXXIII. Simoniacorum Clericorum pœnitentia & ſatisfactio in Synodo Leodienſi.

MCLXXXIII. Attrebati Synodus, in qua varii hæretici detecti, convicti, puniti fuerunt.

II. CLASSIS.

Synodi pro concordia Principum Germaniæ cum Papa aut Conciliabula ſchiſmaticorum contraria.

MCXI. Edictum Henrici V. innixum concordato paciſcendo ſed non pacto.

MCXI. Idea conventionis ineundæ ex parte Papæ & Cæſaris.

MCXI. Conventio inita inter Paſcalem II. & Henricum V. ex caſtris ante urbem Romam.

MCXII. Concilium Lateranenſe abolet & caſſat conventionem præcedentem de inveſtituris.

MCXVI. MCXVII. MCXVIII. MCXIX. Excommunicatio Pontificia contra Henricum Coloniæ, Frideslariæ & alibi.

MCXIX. MCXXII. Triburiæ, Argentinæ, Metis, Moſomi, tentata concordia inter Calliſtum & Henricum V.

MCXXII. Wurzeburgi præparatoria ad novum concordatum circa inveſtituras. Ipſum concordatum.

MCXXIII. In Lateranenſi generali novum hoc concordatum ratificatur & inter Sacerdotium & Eccleſiam pax ſtatuitur.

MCXXV.

MCXXV. Moguntina Synódus, in qua Lotharius, qua pacis & Catholicæ Ecclesiæ promotor & fautor, eligitur Germaniæ Rex.

MCXXVIII. Herbipolensi in Synodo Conradus frater Lotharii Antirex excommunicatur, rursum Leodii & alibi.

MCXXXI. Leodii Innocentius II. a Rege & Episcopis Germaniæ eligitur, agnoscitur, salutatur.

Anacletus Antipapa excommunicatur.

Lotharii Regis edictum contra Anacletum Antipapam.

MCLX. Conciliabulum Papiense pró Victore Antipapa.

MCLXII. Curia Bisuntina Friderici pro eodem.

MCLXV. Wurceburgense Conciliabulum pro eodem.

MCLXX. Nuremburgensis Curia Regis, in qua exagitantur Episcopi schismati contrarii, & legitimo Papæ adhærentes.

MCLXXVII. Venetiis pax inter Alexandrum III. & Fridericum I. Ejuratio Antipaparum. Restitutio & sanatio factorum tempore schismatis.

MCLXXVIII. Saltzburgensis Synodus in Hochenawe ejurat Calistum Antipapam.

MCLXXIX. Catholici Episcopi Papæ reconciliantur, fidem jurant, recipiunt Diœceses, Pallia.

MCLXXXVI. Conventus Geilenhusensis de novo exacerbat Papam ob novas propositiones: Papa excommunicationem Friderico intentat, sed mors prævenit fulmen.

Horrendi motûs Germaniæ inter Pontificem & Imperatorem, & Episcopos Germaniæ, nunc huic nunc illi parti faventes, ostendunt ex una parte navem Petri sæpe fluctibus hujus sæculi jactari, at non mergi, vigilante Christo navarchâ.

Ex altera parte Imperatori Catholico necessariam & utilissimam esse pacem cum Ecclesia & Vicario Christi, Petri successore.

III. CLASSIS.

Synodi pro elevandis, canonizandis Sanctis Germaniæ.

MCVII. Treverica de elevato S. Modoaldo, aliisque corporibus SS.

MCX. Coloniæ de canonizando Guiberto, Gemblacensi Abbate.

MCXXXI. Leodii petitur Canonizatio S. Godehardi. Decisio rejicitur ad Rhemensem proximam Synodum.

MCXXXII. Synodus Hildesii. Elevatur corpus Godehaldi canonizati.

MCLXVI. Pascalis Antipapa Aquisgrani elevat corpus S. Caroli Magni.

MCLXXXVI. Coloniæ in Synodo Canonizatio S. Annonis secundi, Archi-Episcopi Coloniensis.

MCXCIII. Canonizatio S. Bernwardi Episcopi Hildesiensis, elevatio facta est Hildesii MCXCIV.

MCC. In Synodo Romana, Canonizatio S. Kunigundis Imperatricis Augustæ.

IV. CLASSIS.

Synodi in causis Episcoporum, & Episcopalium, & Prælatorum sæculi XII.

MCX. Magdeburgi in Synodo contra Slavos cruciatus exercitus decernitur.

MCXXIV. Bambergensis Synodus, e qua abit S. Otto, hortatu Papæ, Pomeranis prædicaturus Evangelium, & Caminensis Episcopatus initia facit.

MCXLIX. Episcoporum Saxonum cruciatæ prædicatio contra Slavos.

Altera cruciata contra Mauros, Saracenos, Ulyssipone; feliciter decreta in variis Conciliis Germaniæ, Moguntiæ, Wormatiæ.

Tertia cruciata in Palestinam recuperandam a Conrado Germaniæ, & Ludovico Franciæ Rege cruce signatis instituta, multis Episcopis conclamantibus, hortatore S. Bernardo.

MCLII. Eugenii V. Translatio Guicmanni ex Cizensi Ecclesia ad Metropolitanam Magdaburgensem inscio Papa ab Imperatore facta nulla declaratur, contra Gerardum a Canonicis Capituli Magdeburgici electum.

MCXXX. Adelberti Archi-episcopi Moguntina Apologetica ad Honorium II., quod Gebehardus prætensus Herbipolensis, appellans ad Papam, legitime fuerit examinatus & excommunicatus. Refutantur falsa allegata appellantis.

MCXXVII. Halberstadensis Episcopus Otto in variis Synodis Moguntiæ, Romæ, Pisis, Leodii accusatus, modo depositus, modo restitutus.

V. CLASSIS.

Synodorum pro variis Monasteriis Ordinis S. Benedicti fundatis, dotatis, ampliatis, virorum, monialium.

VI. CLASSIS.

Pro Monasteriis Cisterciensis Congregationis fundatis & auctis hoc Sæculo, S. Bernardo Duce & Propagatore.

VII. CLASSIS.

Pro Monasteriis Canonicorum regularium S. Augustini fundatis, dotatis, substitutis in aliarum sæcularium vel regularium personarum Monasteria.

VIII. CLASSIS.

Pro Monasteriis & Abbatiis ordinis Præmonstratensium S. Norberto Patriarcha.

Quæ Concilia, in his causis habita, Index Chronologicus in fronte Tomi III. positus enumerat.

SÆCULUM DECIMUM TERTIUM.

SYNODUS PATAVIENSIS

Anno Chrifti MCCIII. Innocentii III. Papæ V. Ottonis IV. Reg. V.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

WOLFKERUS, (a) DEI GRATIA, PATAVIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, UNIVERSIS CHRISTI-FIDELIBUS PERPETUAM IN CHRISTO SALUTEM.

NOtum fieri volumus omnibus præfentis & futuri temporis fidelibus, qualiter inter Canonicos Regulares S. Nicolai, & inter Dominum *Ortolfum*, & fratres fuos *Othonem* & *Sibothonem de Tegernbach* (b) verfabatur pro decimis agriculturæ fuæ in parochia *Grieskirchen* & quodam prædio, quod *Tegernbach* vocatur, quod *Ortolphus* pater eorum pro remedio animæ fuæ B. Nicolao & Canonicis Deo ibi fervientibus, contulerat, quæ noftro eft decifa judicio. Conftitutis in præfentia partibus, ea a prædictis Canonicis eft propofita, fuper qua & fuper prænominatorum fratrum . . . quæfitum eft a nobis in fcientia, quid de his ad commodum utriusque partis juftum videretur. Super quo requifiti a nobis Dominus *Chunradus* Archi-Diaconus, *Tiemo* de *Prochenperg* Minifterialis nofter, talem dederunt fententiam, ut teftes audirentur, & fecundum eorum atteftationes juxta tenorem Privilegii, quod jam dicti Canonici pro fe allegabant, caufæ finem imponeremus. *Dietmarus* igitur *de Trammerftain* juratus dixit, eandem caufam ita notam effe fibi, ficut tenor privilegii habebat. *Wizmannus*, etiam juratus, dixit, bene fibi conftare de caufa & ita effe, & ex tenore privilegii audierat. Auditis itaque eorum atteftationibus, requifiti a nobis Dominus *Chalbohus* Archi-Diaconus, & *Henricus de Prez* Minifterialis nofter, hanc fententiam dicunt: quod prænominati teftes ita teftificati effent, quod fæpedicti Canonici jufte per eos prætaxatam decimam & prædium fupramemoratum obtinuiffent; Quam fententiam rite latam, & univerfaliter a Clericis & laicis approbatam, præfentata noftra auctoritate confirmantes, figilli noftri robur ei impendimus, & fi quis eos in prædicta decima & prædio tam fæpius nominato gravare, aut eos injuriari præfumpferit, auctoritate & Beatorum Apoftolorum Petri & Pauli, eorumque fucceflorum, & noftri anathematis vinculo eos innodamus.

Acta funt hæc Patavii *in publico Capitulo noftro*, cum teftibus fubnotatis:

Poppone Abbate de Altach. (c)
Leonhardo Præpofito de Richersperg.
Dietmaro Præpofito de Suben.
Gerungo Præpofito de Ofterhoven.

Ex Canonicis Cathedralibus.

Conrado Archi-Diacono.
Chalbogo Archi-Diacono.
Henrico Plebano de Hartperch, *Henrico* Plebano de Gerpoltshoven, *Alberone* de Trufteren, *Pilgrino* de S. Egidio, *Ulrico* de Ammendorp, *Leone* de Grieskirchen, *Walthuno* de Bochenberg, & fratre fuo *Abrammo* de Utendorf, *Weigando* de Romptingen, *Heinrico* de Paumgarten, *Henrico* fratre fuo de Walbeck, *Wernhardo* de Ort, *Thiemone* de Puechenperg, *Alberto* puro, *Henrico* de Prez, *Henrico* de Leonstorff, *Eckardo* de Vuet, *Albone* de Gemunsperg, *Dietmaro* & fratre fuo *Henrico* de Crammenftein. *Alberto*, *Sibothone*, *Walthero*, *Ruizone*, *Wizmanno*, *Aezelmo*, *Pernoldo*.

Additiones Gewoldi ad Hundii Metropolim Salisburgenfem, in Hiftoria Monafterii S. Nicolai extra urbem Pataviam.

SYNO-

(a) Wolffgerus, Epifcopus Paffavienfis, natus de Ellenbrechtskirchen ab anno 1189. fedit in ea Cathedra ad 1204, quo Patriarcha Aquilegienfis fit. *Bucelinus.*
(b) Videtur deeffe: *Lis* feu *quæftio.*
(c) Inferiori *Nider-Altach.*

SYNODUS CAMINENSIS

SUB SIGEWINO IV. EPISCOPO. (a)
ANNO CHRISTI MCCIV. INNOCENTII III. PAPÆ VI. OTTONIS IV. REG. VI.

Discrimen in admittendis ad mensam Eucharisticam publicis peccatoribus, & personis honestis.

SIgewinus, seu Sugervinus, quem nonnulli Sigismundum vocant, vir optimus & religiosus, non solum ipse prædicationis officio creberrime functus est, more Prædecessorum, Ottonis & Adelberti, sed & Clericorum vitia, magis magisque irrepentia vehementer & publice coarguit.

Statuendo in Diœcesi (*statuto Synodali promulgato*) ne meretrices die Paschatos ad sacram synaxin admitterentur, sed die Veneris tantum: ut inter honestas & turpes personas discrimen aliquod constitueretur.

Hoc castitatis & honestatis discrimen usque ad Episcopum Wilhelmum stricte observatum fuit.

De Wuja Historia Episcopatus Caminensis Cap. XVIII.

Edente Ludewigio Tomo II. Scriptorum rerum Germanicarum pag. 583.

(a) Sigewinus per tria lustra Caminensem Ecclesiam feliciter gubernavit: obiit 1217. *Loc. cit. pag.* 584.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

ANNO CHRISTI MCCV. INNOCENTII III. PAPÆ VII. OTTONIS IV. REGIS VII.

Conradus approbat exemptionem villæ Eylwardestorp.

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS.

CONRADUS, DEI GRATIA, HALBERSTADENSIS EPISCOPUS, OMNIBUS, AD QUOS PRÆSENS SCRIPTUM DEVENERIT, IN PERPETUUM.

SIcut ex debito nostri officii rationabiles quosque contractus robore auctoritatis nostræ tenemur firmare, & contrarios malignantium incursus inviolabiliter communire. Notum esse volumus tam præsentis quam futuri temporis fidelibus, quod cum villa Eylwardestorph sub cura esset Parrochiæ in Ludesleve, dilecti in Christo *Fridericus* Abbas, totusque Conventus in Eylwardestorph, hanc villam volentes eximere a cura dictæ Parrochiæ, aream unam suæ Ecclesiæ pertinentem, in Lodesleve sitam, conterminam areæ, doti videlicet ejusdem Ecclesiæ de convenientia dilecti nostri cognati *Gevehardi*, Burchgravii Magdeburgensis, ejusdem Ecclesiæ Advocati, dictæ Ecclesiæ in Ludesleve rationabiliter contulerunt, tali commercio, supradictam villam à cura hujus Parrochiæ liberantes, accedente pariter consensu dilecti nostri *Ludolfi Præpositi Kaldenbergensis*, qui patronatum habet ejusdem Ecclesiæ & Domini *Conradi* ejusdem personam habentis. Hujus rei testes sunt: *Rupertus* Huisburg, *Marsilius* Wimodeburgensis Abbates, *Ekkehardus* Rodensis Præpositus, *Meinhardus* & *Conradus* Archi-Diaconi: nostræ majoris Ecclesiæ Canonici, *Vlricus* Sanctæ Mariæ Canonicus, *Rudolfus* Parrochianus in Gatersleve: Laici vero, *Theodericus* Advocatus, & *Heinricus* frater ejus, *Heinricus* de Sman, *Lambertus* de Querenforde, *Theodericus* Dapifer, *Gerardus* Dapifer, *Berchtoldus* de Isinstede. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCV. Indictione VII. Anno Ordinationis nostræ V. Ne ergo alicujus improbitas hunc contractum calumniari imposterum, vel temeraria præsumptione audeat infirmare, *banno nostro Synodali* ipsum communientes hanc paginam inde conscriptam impressione nostri sigilli fecimus insigniri.

Ex codice Diplomatico Ludewigii Tomo I. pag. 24.

CONVENTUS AUGUSTÆ

ANNO CHRISTI MCCVII. INNOCENTII III. PAPÆ IX.
OTTONIS IV. REGIS IX.

Eckbertus, Episc. Bambergensis, a læsæ Majestatis suspicione se purgat.

SEquenti anno Concilium apud Augustam Vindelicorum est actum, cui interfuerunt omnes fere Germaniæ Principes. In eo Concilio Eckbertus Episcopus Bambergensis de Majestate reus est postulatus, quod fœdere cum Andrea, Ungariæ Rege affine inito, adversus Imperium conspirasse diceretur, qui tamen responso, quo facile liberare Regem suspicione potuit, in speciem dato, a damno, vel periculo liber exivit.

Hoffmann. Annal. Bamberg. Lib. III.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

Anno Christi MCCVIII. Innocentii III. Papæ X. Ottonis IV. Regis X.

SUMMA. Contractus inter Decanum, & Canonicos B. Mariæ Halberstadensis Ecclesiæ, & W. Provisorem Fratrum Templi citra mare, Synodali banno firmatus.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

CONRADUS, (*a*) DIVINA PROVIDENTIA, HALBERSTADENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, IN PERPETUUM.

QUæcunque ad laudem & gloriam nominis JESU Christi per nostram, sive quorumlibet fidelium ordinationem rationabiliter disponuntur, ne imposterum decursu temporis per malignantium calumnias convellantur, seu, ut potius firmamentum inviolabile sortiantur, nostro ea tutelamine totaliter duximus communire, ut & facti memoria longum excressere valeat & vigere, omnisque tergiversatio malignorum, quæ per bonorum ignorantiam honestis & rationabilibus institutis possunt imposterum obviare, perspecta hac pagina veritatis, in se plenarie seriem continente, pœnitus obmutescat; ea propter factum esse volumus, universis Christi fidelibus tam præsentis temporis quam futuri, quod cum ad eam vocati fuissemus a Domino dignitatem, quam licet indigni ex ipsius providentia possidemus, & Ecclesiam Beati Jacobi in civitate nostra tenuem invenissemus in rebus, seu magis, unde doluimus, in personis, nos in ipsa ad divini obsequii cultum, sanctæ Religionis augmentum, conventum sanctimonialium ordinis Cisterciensis, qui usque ad tempora nostra in Diœcesi nostra extiterat, alienum instituere proponentes, dilectos in Christo Filios *Decanum & Canonicos S. Mariæ*, qui patronatum & fundamentum memoratæ Ecclesiæ sibi contra justitiam vindicabant, prorsus nostræ contrarios aliquamdiu habuimus voluntati, unde inter nos, & jam dictum Decanum & Canonicos, quibus constanter jus negavimus memoratum, fuit aliquanto tempore lis suborta. Habita tandem consideratione, quod ex debito pacem cum omnibus teneremur habere, licet ante dicti Canonici in Ecclesia B. Jacobi jus penitus non haberent, tamen ut omnis controversia, quæ inter nos fuit habita, concorditer sopiretur; ipsam Ecclesiam ab Ecclesia B. Mariæ exemptione

(*a*) Conradus von Krosigk, electus Halberstadiensis Episcopus anno 1201. mense Septembri, obiit 1225. 21. Junii. *Lentzen Historia Diplomatica Halberstadii.*

ne congrua duximus eximendam, *Ecclesiam B. Thomæ prope portam* versus septentrionem & infra civitatem, cujus patronatus ad nos specialiter pertinebat, Ecclesiæ B. Mariæ cum omni jure, quo eam possedimus, in recompensationem congruam conferentes, Ecclesiæ B. Joannis jus summum sanum per omnia relinquentes, quæ sicut curam præhabitæ Ecclesiæ hactenus sine interruptione tenuit & quiete, ita deinceps absque canonicorum contradictione tenebit, dans præterea mansos unum in territorio civitatis nostra jacentem & dimidium in Wersted, dimidium vero in minore Harsleben, quos Ecclesia B. Jacobi quiete possederat. Insuper ducentas quinquaginta oves & 20. marcas de camera nostra in recompensationem condignam Ecclesiæ contulimus memoratæ, quæ singula sæpe dicti canonici ad nostrarum precum instantiam concorditer acceptarunt & sic præscriptam Ecclesiam ab eorum & omnium impetitione fecimus liberam & immunem, nostræ eam subjicientes per omnia potestati. Facta ergo legitime, ut dictum est, exemptione præmissa, nos desiderium nostrum, quod conceperamus ante pura mente, ad effectum perducere quam plurimum affectantes, personas quasdam Sanctimonialium ordinis præmissi, quarum numerum Dominus ampliare dignetur, in Ecclesia locavimus sæpedicta. Cum autem aliquanto tempore residentiam in ea fecissent, non intelligentes situm loci religioni præhabitæ minime concordare, cum dilectis nostris fratribus templi ad quos Ecclesia B. Thomæ extra civitatem & donatione nostra consensu Capituli *nostri per omnia* consonante, legitime pertinebat, commutationem duximus faciendam fratri W. provisori bonorum *templi citra mare* dilectum nostrum fratrem Brunonem bonorum Theothonicæ provisorem, ad templum etiam respectum habentium cum litteris nostris in Franciam destinantes, & ejus consensum in hoc facto devotissime postulantes, ipse vero petitioni nostræ optatum præbens assensum literas consensum benevolum exprimentes per fratrem B. nobis in hæc verba remisit:

Reverendo Patri suo CONRADO, Venerabili Halberstadensi Episcopo, frater W. oculus bovis, *pauperis militiæ templi citra mare* Minister humilis salutem & amorem in Christo. Noverit dilectio vestra, quod plene literas vestras intelleximus, super quibus grates vobis copiosas referimus ex his, quod tam dulciter, quam benigne domos nostras & fratres domorum nostrarum in omnibus consovetis, quod frater B. nobis relatione veridica declaravit, ex quo invenitur: *Orate pro invicem, ut salvemini*, procul dubio habeatis nostrum capitulum bonorum suorum & orationum vos facere participem & consortem, idem de vestra charitate nihilominus exspectantes. De commutatione autem, de qua nobis per vestras literas mentionem fecistis fratri Brunoni commisimus, quidquid ipse super ea duxerit faciendum, ratum & intellectum habituri.

Harum igitur literarum auctoritate recepta cum fratre B. nec non fratribus templi, quorum copiam habere potuimus, super communicatione præmissa convenimus in hunc modum, videlicet: ut Sanctimoniales & fratres templi cœnobia sua hinc inde consensu unanimi commutarent, ita quod Sanctimoniales ad Ecclesiam B. Thomæ transirent cum omnibus bonis, quibus antea apud Ecclesiam B. Jacobi fruebantur, tribus tantum areis exceptis, triginta solidos annua pensione solventibus, quos pro agris infra curiam B. Thomæ comprehensis *templariis* dimiserunt.

Ipsi vero *Fratres templi* Ecclesiam B. Jacobi, cum bonis suis, quæ apud Ecclesiam B. Thomæ contraxerant, obtinerent: quod concorditer factum est utrobique. His ergo circa conventum prædictum rationabiliter ordinatis, dilectum in Christo filium Corvinum primum ejusdem loci præpositum, virum utique providum & Domino devotum nomine legitimi provisoris personis & loco recommendavimus memorato. De ipsius enim conversatione spem talem concepimus & certum habemus, quod per ejus industriam & laborem locus idem tam in interioribus quam exterioribus crescere & fructuosum sumere debeat incrementum, & nos in quantum possumus ad subsidium personarum inibi Domino famulantium una cum ipso temporibus vitæ nostræ intendere studebimus cum effectu. Reverendis Dominis universis successoribus nostris, quibus collegium me-

memoratum in Domino commendamus, devotiſſime ſuplicantes, quatenus Divinæ retributionis intuitu, ſuam efficaciter, circa ipſum devotionem exhibeant & favorem. Sanctimoniales vero loci prædicti inter ſe eligendi deinceps Abbatiſſam, nullius extra conventum requiſito conſenſu liberam electionem habebunt. Illud enim in Domino committentes, ut talem ſibi præficiant, quam in interioribus Eccleſiæ noverint profuturam. Cæterum ut in ipſa Eccleſia noſtra noſtrorum ſucceſſorum, & fratrum noſtrorum majoris videlicet Eccleſiæ noſtræ memoria tanto celebrior habeatur, dilecto in Chriſto Filio & ſuis ſucceſſoribus de conniventia Capituli noſtri, eam gratiam duximus conferendam, ut quid quid de bonis, quæ Miniſteriales vel Vaſalli Eccleſiæ noſtræ de manu noſtra tenent, prece vel pretio redimere poterunt, ad uſus Eccleſiæ ſuæ auctoritate noſtra redimant, & hanc eis præſenti pagina licentiam indulgemus; idem de conſenſu capituli noſtri permittimus, ut quicunque fidelium in prædicta Eccleſia locum ſibi eligere voluerit ſepulturæ, authoritate præſentium liberam habeant poteſtatem, ſalvo tamen per omnia jure ſuorum Parrochianorum, quorum jus ab omnibus inibi ſepulturam quærentibus ſanum & inviolabile volumus, & præcipimus obſervari. Ut igitur Eccleſia ſæpe dicta ad honorem Domini & ad commodum collegii inibi Domino famulantis ſemper vigeat, & in Chriſto jugiter augeatur & creſcat, nos eam noſtro patrocinio ſpecialiter amplectentes, ſub noſtra protectione ſuſcipimus: & quæcunque bona tam donatione Pontificum vel oblatione fidelium ſunt adepta, vel impoſterum juſto titulo poterint adipiſci, nos ea præſentis ſcripti privilegio communimus. Bona autem, quæ induſtria & labore Præpoſiti & ſororum inibi manentium Eccleſia conquiſivit, ut ſemper maneant inconvulſa, huic paginæ ea dignum duximus annotare. Emerunt autem a majore advocato Domino Ludolpho videlicet unam vineam cum area adjacente, & ſylvam unam in Aſpenſted ſitam 12. marcis, de quibus ipſe ſex Eccleſiæ pro animæ ſuæ remedio erogavit; ab eodem quoque advocato comparaverunt duos manſos cum area in Quenſtet ſitos, & duo prata in Werſted 30. marcis & una legitimis hæredibus ſuis conſentientibus, & compromittentibus hos contractus. Item a Domino Wernero de Suſeliz comparaverunt vineam & ſylvam unam in Aſpenſtedt 14. marcis de conſenſu hæredum ſuorum, præterea a Domino Wernero de Lichtenberg emerunt manſum unum cum area in Quenſtedt ſitum pro 12. marcis: a Bernardo quoque de Aſpenſted miniſteriali Eccleſiæ noſtræ comparaverunt, manſum unum ſitum in eadem villa in Aſpenſted cum 17. marcis. Item a Bernardo de Alvensleben dapifero noſtro manſum unum in Werſted ſitum pro 20. marcis emerunt, tres præterea manſos in territorio Halberſtad & Werſtet ſitos, æſtimatione congrua paraverunt. Inſuper manſum unum in eadem villa Werſted ſitum pro 30. marcis emerunt. Item a Theodorico litone beatæ Mariæ 6. jugera in Werſted ſita 6. marcis comparaverunt. Præterea Ludolpho præfato de Beersleben quatuor jugera, quæ Hersleben habuerunt, pro ſex jugeribus in Werſted ſitis quatuor marcis ſibi ſupra addictis concambium faciendo dederunt. Alvericum quoque Camerarium datis ſibi quatuor marcis adhoc induxerunt, quod ipſe quinque ſolidos de areis, quæ dicuntur tinſamenta, quos a nobis tenuit, in beneficio reſignavit, quos præfatæ Eccleſiæ contulimus pro animæ noſtræ remedio & ſalute; de quibus etiam dotatum eſt altare Sancti Archangeli Raphaelis. Præterea Domina Adelheydis matrona nobilis & devota ibidem converſa 3. manſos in Hopthale ſitos, de conniventia & conſenſu hæredum ſuorum eo jure, quo ipſa eos juſte poſſederat, eidem Eccleſiæ contulit pro animæ ſuæ remedio jugiter perfruendos. Ut ergo tam donationes, quam contractus quoslibet prætaxatos nullius improbitas unquam infringere, vel temeraria audacia audeat infirmare, authoritatis noſtræ robore, *Banno noſtro Synodali* ea rationabiliter celebrata inviolabiliter confirmamus, & ut perpetuæ firmitatis robur obtineant, hanc paginam inde conſcriptam, impreſſione noſtri ſigilli fecimus inſigniri. Hujus rei teſtes ſunt majoris Eccleſiæ noſtræ Canonici: *Wernerus* major Præpoſitus, *Burchardus* Decanus, *Fridericus* Vice-Dominus, *Otto* Archi-Diaconus in Weſterrode, *Anno* Cella-

Cellarius, *Almarius* S. Pauli Præpositus, *Arnoldus* in Seehausen Archi-Diaconus, *Meinardus* in Artebesheim Archi-Diaconus, *Burchardus* Diaconus, *Bertoldus* Archi-Diaconus Balsamiæ, *Burchardus* Subdiacon. *Conradus* S. Mariæ Præpositus, *Conradus* Præpositus in Wildeshausen, *Ludolphus* Subdiaconus, *Henricus* Camerarius, *Arnoldus* Scholasticus, *Bertoldus* Subdiacon. *Conradus* Archi-Diaconus Orientalis. Prælati vero Ecclesiarum: de Offenburg, de Huisburg, de Reinstorff, de Wimodeburg, de Sichem, de Conradesburg Abbates. Item: de Steterlingburg, de Hattmersleben, de Hammersleben, & sancti Joannis in civitate Præpositi. Laici vero nobiles: *Arnoldus* de Sierrenbecke, *Albertus* Comes de Werningerode, *Henricus* Comes de Regenstein, *Wernerus* de Suseliz. Ministeriales: *Gevehardus* de Alvensleben Dapifer noster, *Hugoldus* de Quensted, *Theodoricus* Mareschalcus, & alii quam plures.

Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo octavo, Indictione decima. Anno vero Ordinationis nostræ septimo, in nomine Domini, Amen.

Per manum Theodorici, Notarii.

(L.S.)

Leuckfeldt, Antiquitates nummariæ Halberstadenses pag. 119.

HALBERSTADII CONVENTUS
EODEM ANNO.

1. *Ottonis IV. electio secunda.*
2. *Querelæ Wirceburgensis electi de damnis suæ Ecclesiæ.*
3. *Conradus Halberstadensis volens Episcopatu cedere, non auditur.*

MOrtuo Rege Philippo, (a) omnes, qui per eum stare videbantur, infirmitati ceciderunt: unde contingit, Waldemarum, Bremensem electum minus a suis acceptum. Timebant sane offensam futuri Principis, vel excommunicationem Apostolici, quod eis tunc innotuerat. Rex autem Otho videns datam opportunitatem, quosdam de suis æmulis bello impetere cogitabat, ad quem accedens Archi-Episcopus Magdeburgensis una cum Duce Bernhardo sic ei locuti sunt. Non suademus, ut aliquem impetum præsumtuose faciatis, ne aliqua commotio contra vos fiat; sed magis ex dispensatione Principum curiale colloquium statuatis; ut ibi de electione Regis unanimiter tractetur. Si complacuerit Domino in nostra persona, gratum habebimus; sin aliud, & hoc audiemus.

Quod cum complacuisset, indicta est curia satis famosa in *Halberstad*, ubi convenerat maxima pars Prælatorum & Principum Saxoniæ & Turingiæ, nec defuit Herbipolensis Electus Otho. Omnes igitur Principes, qui convenerunt, ac si divinitus inspirati pari voto, & unanimi consensu *Othonem* in Romanum Principem, & semper Augustum elegerunt in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Archi-Episcopo, qui primam vocem habere videbatur, inchoante, prosequente vero Bernardo Duce cum Marchione Misnensi, & Landgravio Turingiæ cum aliis, ad quos electio Regis pertinere videbatur.

II. Cum autem perventum fuisset ad Electum (b) memoratum, conqueri cœpit in conspectu Principum, Ecclesiam suam damnificatam a Philippo Rege, & ejus prædecessore Henrico Imperatore, quovis anno ad mille marcas, pro qua etiam injuria Conradus (c) ipsius prædecessor dolose occisus est, & nisi eadem injuria mutaretur, ut Ecclesia indemnis maneret, ipse huic electioni se consensum non præbere affirmabat; cumque hinc inde multa allegarentur, ipse de collegio exiens discessit. Altero tamen die revocatus, Electioni Principum acquievit,

(a) X. Kal. Julii Bambergæ occiso.
(b) Electum Wirceburgensem.
(c) Episcopus Wirceburgensis.

vit, quorum una cum Rege ordinatione Ecclesiam suam recepit.

Arnoldus Lubecensis Lib. VII. Chronici Slavorum Cap. XV.

III. Ubi postquam Conradus Halberstadensis Episcopus Romanam Sedem diu sollicitasset, ut sibi liceret onus Episcopale deponere; Dominus Papa nullatenus ejus petitionem admisit, sed tandem Domino Hugoni Ostiensi Episcopo, & Domino Leoni Apostolicæ Sedis Legatis commisit, ut ipsi ad Haberstadensem Ecclesiam accederent, & si viderent, ejusdem Episcopi cessionem suæ Ecclesiæ expedire; tam congruam & idoneam, quam providam & honestam diligenter investigarent personam, cui Episcopatus dimitti posset, sed licet ipse cum multis lacrymis eorundem pedibus provolutus, a provisione Halberstadensis Ecclesiæ postulavit se absolvi, ipsi tamen Cardinales vice versa, se suis pedibus provolventes, ne ipse suam Ecclesiam relinqueret desolatam, attentius rogaverunt, votum etiam suum authoritate Apostolica cohibentes, omnemque spem impetrandæ dispensationis eidem de cœtero amputantes.

Chronicon Halberstadense apud Leibnitz. Tom. II. Script. Brunswicens.

SYNODUS TRAJECTENSIS
AD RHENUM.
Anno Christi MCCIX. Innocentii III. Papæ XI. Ottonis VI. Regis XI.

§. 1. *Consensu Cleri & Prælatorum varia Statuta eduntur.*
§. 2. *Controversia de jure Patronatûs in Ecclesiam Brigdamme componitur.*
§. 3. *Ratificatio compositionis per Episcopum.*

I. SI capiatur Prælatus, vel Canonicus, vel Socius chori, vel aliquis Clericus de familia Prælati, vel Canonici; Episcopus, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, ipsum liberabit, si potuerit aliquo modo; si non dixerit, quod eum liberare non possit, & hoc sub juramento, quod in primo suo introitu præstabit, comprehenditur, Ecclesia credet ei, & ex tunc Ecclesia resumet Divina & depositis crucibus, & compulsatione legetur maledictio. Si vero capiatur in terra Hollandiæ vel Geldriæ ab ipsis Comitibus, vel ab aliquo commorante in terra ipsorum: si detineatur, Ecclesia quatuordecim diebus cessabit a die notificationis. Interea monebitur Comes, ut captivum liberum remittat cum emendâ competente; quod si non fecerit, terra ipsius, quæ est in nostra ditione sita, ab Episcopo & Archi-Diacono ponetur sub interdicto; & Ecclesia resumet Divina, & observabit formam maledictionis supradictam, & Episcopus per totam Diœcesim suam faciet illum denuntiari excommunicatum.

II. Si vero aliqua prædictarum personarum lædatur in persona a laico, & enormis fuerit læsio manifesta; Ecclesia cessabit, donec denuntiatus fuerit malefactor, sicut hactenus est observatum. Si levis fuerit injuria, & non manifesta, non cessabit Ecclesia: sed vocabunt injuriatores, si se expurgare voluerint, audiatur eorum expurgatio, nisi actor possit probare in contrarium per duos testes idoneos.

III. Si bona alicujus Ecclesiæ vel personæ Ecclesiasticæ ad Ecclesiam spectantia a laico rapiantur, vel per violentiam detineantur; moneatur, ut infra quatuordecim dies restituat, & impedimentum removeat. Quod si non fecerit, Episcopus & Archi-Diaconus loci ipsum excommunicabunt, & excommunicatum denuntiabunt absque citatione: & si in excommunicatione perseveraverit per sex hebdomadas, Ecclesia,

in qua moratur, ponetur ſub interdicto: & ſi nec ſic reſipuerit; in omnibus Eccleſiis ipſius Decanatus accenſis candelis denuntiabitur excommunicatus. Quod ſi idem in malitia ſua nihilominus perſeveraverit, Dominus, in cujus terra moratur, monebitur, ut infra menſem ad reſtitutionem compellat; alioquin Dominus ille ponetur ſub interdicto.

IV. Si Prior vel Canonicus ſubtrahat, vel detineat præbendam fratrum, vel impediat, quo minus bona Eccleſiæ debito more locentur, excommunicetur per Hebdomadarium ad mandatum Decani, vel Majoris de Capitulo, ſi Decanus præſens non fuerit, & reditus ipſius ſubtrahantur. Et ſi ad annum in ſua malitia perſeveraverit, & ſi ad unitatem redire noluerit, ipſo jure ſit dignitate ſua, vel præbenda privatus. Si a laico impediatur, de eo obſervetur, quod a raptore, vel detentore, ſuperius expreſſum.

V. Si pactionarii Eccleſiarum ſtatuto tempore non ſolverint, ſive ſint in anno in annum, ſive ſint perpetui; excommunicentur, publice excommunicati denuntientur, & ſi in malitia ſua perſeveraverint, niſi Juſtitiarius monitus infra menſem de bonis ſuis Eccleſiæ ſatisfecerit, Eccleſia, in qua moratur, ab Epiſcopo & Archi-Diacono loci Eccleſiaſtico ponetur ſub interdicto.

VI. Si Epiſcopus vel ſuus Juſtitiarius injuriam Eccleſiæ fecerit, occupando, vel alio modo invadendo bona, quæ hactenus habuit in quieta poſſeſſione, monebitur, ut infra quatuordecim dies reſtituat, vel reſtitui faciat; quod ſi non fecerit, ceſſet Eccleſia, & ſi per hoc ad reſtitutionem duci non poſſit; Eccleſia læſa communibus expenſis coram Papa vel Archi-Epiſcopo ſuam injuriam proſequetur.

VII. Si aliquis qualiſcunque vel undecunque contra libertatem & conſuetudinem Trajectenſis Eccleſiæ hactenus obſervatam, aliquod beneficium petierit, vel obtinere voluerit, communibus expenſis univerſalis Eccleſiæ inſiſtat eidem, vel ſi aliquis in ſuum hoſpitium collegerit, vel auxilio adſtiterit, poſtquam Eccleſiæ innotuerit, ipſo jure a perceptione ipſius beneficii ſit ſuſpenſus, donec reſipuerit, & Eccleſiæ univerſali quinque libras perſolverit, cum corporali diſciplina *coram univerſali ſuſcipienda Eccleſia.* Si vero alicujus ſuſpectus fuerit, & ab Eccleſia, cui gravamen incumbit, coram univerſali Eccleſia de hoc impetitus fuerit, cum duobus fratribus ſui Capituli ſe expurgabit vel pro reo habebitur.

VIII. Si aliquis Canonicus penitus fuerit inobediens, ſuſpendatur per Decanum a beneficio, & per Capitulum; & ſi monitus tribus vicibus infra annum incorrigibilis permanſerit, beneficium abjudicetur ei per Decanum & Capitulum.

IX. Si Canonicus inteſtatus diſceſſerit, Capitulum diſponat de omnibus bonis ſuis, quæ a Capitulo tenet, niſi forte fidei Commiſſarios acceperit coram Capitulo, vel alias ſub bono teſtimonio.

X. Mortuo Prælato, vel Canonico in morte (a) ſive in die, ſignificetur campanariis omnium Eccleſiarum, ut audito ſigno Eccleſiæ, in qua mortuus eſt, compulſatio fiat in omnibus Eccleſiis. Idem fiat cum effertur vel ſepelitur; hoc etiam fiat in *ſeptimo & trigeſimo*, & in *anniverſario primo.* Fidei-commiſſarii dent cuilibet campanario duodecim denarios.

XI. Candelæ in vigiliis exequiarum quatuor ponentur, & in Miſſa quatuor; Candela plus non habeat, quam libram ceræ, aliæ novem ſint de tribus libris.

XII. Omnes conveniant ad Pſalterium, qui ſani ſunt, infirmi mittant pro ſe. Qui ſanus eſt, & non venerit, Camerarius accipiet duodecim denarios de præbenda ſua & faciat legi Pſalterium: ſi infirmus non miſerit nuncium, ſimili pœna puniatur. Omnes remaneant, donec ſepulchrum ſit clauſum: de qualibet Eccleſia habeatur legenda & ſtola, & per cuſtodes Eccleſiarum procuretur.

XIII. Quivis Canonicus infra trigeſimum legat, vel legi faciat pro anima defuncti Pſalterium, & Collecta in Miſſa Defunctorum, & Vigiliis, & in Matutinis dicatur per trigeſimum in qualibet Eccleſia. Omnes conveniant ad ſeptimum, trigeſimum & anniverſarium primum.

XIV.

(a) *forte* in nocte, *legendum pro* morte.

XIV. Compulſatio non fiat pro laico in conventualibus Eccleſiis, niſi cum effertur.

XV. Conventualis Eccleſia non ibit ad domum laici ad funus, ſed ſi Eccleſia invitata fuerit, ſicut hactenus conſueta eſt, ad Eccleſiam, ubi ſepeliendus eſt, convenient, & ad ſepta Cœmiterii occurrent.

Si ſcholaris, vel famulus Prælati, vel Canonici moritur, in platea ad Capellam deferetur, vel ad domum clauſtralem, & ibi Eccleſia occurret.

XVI. Si Epiſcopus gravatus fuerit, Eccleſia ei aſſiſtet auxilio, & conſilio, & in expenſis.

XVII. Si aliquis in periculis conſtitutus, vel timore mortis ad Eccleſiam, vel Immunitatem confugerit, Eccleſia ipſum defendet, donec ei ſecurus conductus fuerit præſtitus exeundi. Si per violentiam fuerit extractus, publice in omnibus Eccleſiis denuntiabitur excommunicatus, & pœnâ triginta marcarum puniatur: nec Epiſcopus malefactorem abſolvat, niſi ſatisfactum fuerit Eccleſiæ univerſali. Publicum vero latronem & nocturnum agrorum populatorem, & qui ſcelus committit eâ intentione, ut ab Eccleſia defendatur, alias non commiſſurus, & eum, qui delinquit in Eccleſia, Eccleſia non defendet.

XVIII. Si quis auſu temerario intrare Eccleſiam voluerit, & ſi diſſenſiones, vel bella exinde movere contenderit, excommunicetur publice, & ab Epiſcopo per ſæcularem potentiam ejiciatur. Similiter & adjutores ipſorum, ſive ſint Clerici, ſive ſint laici, excommunicentur, & pœna triginta marcarum puniantur. Et ſi Epiſcopus ipſos ejicere neglexerit, Eccleſia ceſſabit, donec ejecti fuerint & Eccleſiæ ſatisfactum.

Nullus in una Eccleſia duo vel plura habeat beneficia. Nec Epiſcopus ſcholaſteriam vel cuſtodiam alicui conferat, niſi Canonico ipſius Eccleſiæ.

Canonici, qui ſunt in perceptione in expenſis ſuis, vel alterius non ſint, niſi in domibus clauſtralibus. Poſtquam Canonicus electus fuerit, & in perceptione fuerit, Eccleſiam parochialem non regat.

Canonici tonſuras & coronas habeant congruentes, quicumque recuſaverit, per ſubtractionem ſui beneficii ad hoc faciendum compellatur.

Innovata & confirmata hæc rurſum ſunt a Wilhelmo Pontifice XXXV.

Batavia Sacra pag. 151, 152, 153.

§. II.

OTTO, DEI GRATIA, MAJOR IN TRAJECTO PRÆPOSITUS, UNIVERSIS IN WALLACRIA CONSTITUTIS TAM CLERICIS QUAM LAICIS, SALUTEM IN DOMINO.

NOtificamus univerſitati veſtræ, quod Dominus Theodericus bonæ memoriæ Epiſcopus Trajectenſis ad petitionem noſtram, & Canonicorum Beati Petri, qui jus patronatus habent & perſonatus, auctoritatem contulit Willelmo & Parochianis in *Brigdamme* conſtruendi novam Eccleſiam in terminis Parochiæ ſuæ, tum ut ibidem Divinus cultus augeatur; tum etiam ut Parochianorum neceſſitati paterne provideretur. Qua de cauſa inductus inpoſterum obſervari præcepit, ut prædicti Decanus & Canonici in hac nova Eccleſia ædificata inſtituant Sacerdotem pro voluntate ſua, & Sacerdos ab ipſis inſtitutus recipiat decimam ab Orientali parte uſque ad medietatem totius decimæ, quam antiquitus ſolebant percipere duo Sacerdotes, communiter in antiqua Eccleſia celebrantes. Præterea proventus agrorum Eccleſiæ antiquæ, & quandam decimam, quæ ſita eſt juxta Alartskints Kercke, Sacerdotes prædictarum Eccleſiarum, æquali inter ſe dividant portione: in prædicto quoque termino, qui protenditur ab occidentali parte uſque ad dimidietatem totius decimæ, quam habebit totam Sacerdos in nova Eccleſia. Cuſtos novæ Eccleſiæ habebit decimam de quinquaginta menſuris. Dedit etiam licentiam Parochianis omnibus, ut quicumque pro voluntate ſua in antiqua Eccleſia manere voluerit, maneat: qui vero ad novam tranſire voluerit, tranſeat. Ad hæc prædictæ Eccleſiæ Baptiſterium conceſſit, & ſepulturam. Quæſita fuit *in generali Synodo ſententia*; an Epiſcopus conſenſu

ſenſu Archi-Diaconi & perſonæ, inſpecta neceſſitate, cum conſenſu Patroni dare poſſet auctoritatem conſtruendi novam Eccleſiam? Et ſententiatum fuit, quod bene, & *Synodus* approbavit ſententiam. Teſtes hujus rei ſunt: Otto major Præpoſitus Trajectenſis, Reimboldus major Decanus, Wigherus Decanus S. Petri, Arnoldus S. Petri Canonicus, Willelmus, Waltherus, Gerolfus, Symon, Lambret in Wallacria Sacerdotes. Hæc facta ſunt Anno Incarnationis Domini MCCV.

§. III.

THEODERICUS, (a) DEI GRATIA, TRAJECTENSIS EPISCOPUS, UNIVERSIS IN WALACRIA MANENTIBUS TAM CLERICIS QUAM LAICIS, SALUTEM IN DOMINO.

UNiverſitati veſtræ præſentium teſtimonio litterarum ſignificamus, quod nos ad petitionem familiarium noſtrorum Heliæ Decani, & Canonicorum Beati Petri, indulſimus licentiam Wilhelmo, & Parochianis in *Brugdamme* conſtruendi novam Eccleſiam in terminis Parochiæ ſuæ, tum ut Divinus ibidem cultus augeretur, tum etiam ut Parochianorum neceſſitati paterne provideatur. Volumus itaque & diligenter obſervandum ſtatuimus, ut prædicti Decanus & Canonici in hac nova Eccleſia conſtituant Sacerdotem pro voluntate ſua & Sacerdos ab ipſis inſtitutus recipiat decimam ab Orientali parte uſque ad medietatem totius decimæ, quam antiquitus ſolebant percipere duo Sacerdotes communiter in antiqua Eccleſia celebrantes. Præterea proventus agrorum Eccleſiæ antiquæ, & decimam quandam, quæ ſita eſt juxta Alardes-Kintskercke, Sacerdotes prædictarum Eccleſiarum æquali inter ſe dividant portione. In prædicto quoque termino, qui protenditur ab Orientali parte uſque ad medietatem totius decimæ, quam, ut diximus, totam habebit novus Sacerdos, cuſtos novæ Eccleſiæ habebit decimam de centum & quadraginta menſuris. Dedimus etiam licentiam Parochianis omnibus, ut quicunque pro voluntate ſua in antiqua Eccleſia manere voluerit, maneat, qui vero ad novam tranſire voluerit, tranſeat, ad hæc prædictæ Eccleſiæ baptiſterium conceſſimus & ſepulturam.

Tom. VI. Annal. Antonii Matthæi.

Hoc Diploma eſt ſine data. Datum tamen fuit in Synodo quadam, ut conſtat ex immediate præcedenti diplomate Ottonis Præpoſiti, quod præmiſi.

(a) Theodoricus, abſens in Italia, concordi voto electus circa MCXCVIII., laudabiliter præfuit annis XIII. obiit MCCXII. Nonis Decembris, ſub eo *Synodus* celebrata fuit, anno MCCIX. edita in *Batavia ſacra* pag. 158. ex Bockembergii Diplomatibus MS.

HERBIPOLI CONVENTUS

Anno Chriſti MCCIX. Innocentii III. Papæ XI. Ottonis IV. Reg. XI.

SUMMA. I. Cardinalis Legatus proponit ſibi a Papa tributam facultatem pro diſpenſatione in impedimento conſanguinitatis inter Ottonem IV, & filiam Philippi Ducis Sueviæ.

II. Abbas Morimundenſis proponit, ad ſatisfactionem ab Ottone IV. præſtandam, ob relaxatum impedimentum conſanguinitatis:

1. Ut Rex Eccleſiarum & Monaſteriorum Protector ſit.

2. Viduis & pupillis juſto judicio præſit.

3. Monasterium Cistercienfis ordinis in proprio fundo ædificet.
4. Ecclesiæ Hierofolymitanæ in sua perfona fuccurrat.
III. Rex Cardinalibus & Legatis patefacit fuam intentionem, & deliberandi copiam facit.
IV. Fratrem fuum Henricum Palatinum non vult intereffe deliberationi.
V. Luppoldus Auftriæ Dux declarat ex refponfo Prælatorum & Principum ducendam Regi filiam Philippi.
VI. Rex acceptat Concilii fententiam; Puella Regi introducitur, fubarrhatur & Regina declaratur, demum Brunfwicum deducitur, dum Rex coronationem Imperialem fufcipiat.
VII. Hugoldus Abbas Corbejæ Saxonicæ ab Ottone IV. confirmationem privilegiorum fui Monafterii obtinet.

I.

HErbipoli in Palatium Regale congregatis, exftructo Tribunali, Rex confcendit, Cardinales habens collaterales, reliquis Principibus circum fedentibus.

Itaque Hugo Oftienfis Epifcopus Cardinalis primo exorfus de caufa Regalis connubii, pro qua convenerant rationabiliter, latino idiomate allegavit, interpretem habens Wirzburgenfem Epifcopum, Regique Ottoni, ut pro bono pacis & concordiæ, ad abolendam præteritorum malorum memoriam cum filia Illuftriffimi Principis Philippi matrimonium contraheret, auctoritate Dei & Beati Petri, per Apoftolicam obedientiam in remiffionem peccatorum fuorum præcepit.

II. Rege igitur ad hoc devoto animo confentiente, Abbas Morimundenfis, Ciftercienfis ordinis furrexit, omniumque Abbatum, aliorumque clauftralium utriufque ordinis, Cluniacenfis videlicet & Ciftercienfis, perfonam affumens, delictum hoc connubio contra confuetudinem Ecclefiæ, quamvis difpenfatorie committendum, Monaftico ordini auctoritate Apoftolica impofuit: I. Regi per hoc injungens pœnitentiam, ut Monafteriorum, aliarumque Ecclefiarum pro poffe defenfor exifteret, II. Viduis & pupillis jufto judicio præeffet. III. Monafterium Ciftercienfis ordinis in fundo proprio ædificaret, IV. ac poft hæc Ecclefiæ Hierofolymitanæ in propria perfona fubveniret.

Otto a S. Blafio Continuator Ottonis Frifingenfis cap. 51. *apud Urftifium Tomo I. Scriptor. German.*

III. Dominus Rex Otto IV. pro fpeciali negotio matrimonii fui, affumptis tantum Cardinalibus, Prælatis, & Principibus Sacerdotibus, cum literatis & legis peritis de legitimanda ei filia Philippi Regis fic omnibus generaliter exorfus eft. Rogamus omnes vos in Domino, primo Cardinales, qui de auctoritate, five de confilio Domini Apoftolici adeftis, fummos etiam Archi-Epifcopos, Abbates, & alios, quos Ecclefiafticus ordo diverfis diftinguit: Excellentiam quoque Regum, Ducum, Principum, ut verba noftra attendatis. Deus cœli poft multas adverfitates cum beneplacito omnium, Regnum nobis donavit, ita ut non immerito cum gratiarum actione ei dicere poffimus, *Lapidem,* (a) *quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eft nobis in caput anguli. A Domino factum eft iftud, & eft mirabile in oculis noftris.* Quod cum luce clarius conftet omnibus, & optio nobis non defit de Illuftriffimis fœminis, quas habet orbis Romanus, e quibus fponfam five conjugem eligere poffimus, tamen quia tam celebris Conventus pendet de articulo filiæ Philippi, Ducis Sueviæ, quam noftram confanguineam nemo dubitat, veftro nos fubmittimus arbitrio, five confilio, ut juxta falutem animarum veftrarum fincere deliberetis, omni fcrupulo poftpofito favoris five timoris, quid vobis fuper hoc fit faciendum! fi enim fex millibus annorum victuri effemus, magis omni tempore cœlibem eligeremus ducere vitam, quam cum animæ periculo fortiri uxorem. Nemo gloriam, generofitatem, divitias, caftra hujus virginis attendat, quæ omnia faluti animæ æquiparari non poffunt. Hæc enim omnia

(a) Pfalmo CXVII, 22, 23.

nia nobiſcum ſunt, ſi vero ipſa caſtra CCCL. diſtribuantur ſororibus, quas hæc contingit hæreditas, parum eſt, quod reſtat? Nunc igitur, ut dictum eſt, ſuper hoc deliberetis, ut congruum nobis reſponſum reddatis.

IV. Omnibus igitur ad colloquium, locum dantibus Rex *ait*, fratri Henrico Palatino, qui a dextris ejus erat; volumus, ut cedas, ne quem tua præſentia de ulla ſuſpicione terreat.

Actâ igitur longâ deliberatione, tandem ad Dominum Regem reverſi ſunt.

V. Poſuerat autem verba in ore Luppoldi Ducis Auſtriæ viri facundiſſimi & literati, qui ſic coram Rege locutus eſt. Domine Rex placet, ut audiatis reſponſum Cardinalium Prælatorum & Principum: Ad hæc Rex: *Audio*. Et ille: Noverit ſublimitas veſtra, quod iſte tam celebris conventus Cardinalium, auctoritatem Domini Papæ præferentium, ſummorum Prælatorum & Principum, & omnium litteratorum omnino vobis decrevit expedire, pro bono pacis & ſtatu Romani orbis, ut virginem, de qua mentio habetur, uxorem ducatis: hoc addentes, ut omnis auferatur trepidatio: duas congregationes Monachorum præclaras liberrime conſtruatis. Nos quoque vobis non deerimus, facultates & eleemoſynas large erogando; Sacerdotes etiam, ſive alii inferioris ordinis, in Miſſis & orationibus ſubveniendo. *Ad hæc Rex*: Nos conſilium ſanum & bonum tantæ auctoritatis non refragantes, veſtris acquieſcimus dictis. Igitur vocetur puella; quæ cum a Pontificibus ſive Principibus glorioſe adducta fuiſſet, Rex conſurgens de throno ſuo eam cum inclinatione recepit: qua reinclinante, proferens annulum eam coram omnibus ſubarrhavit, & in oſculo recepit, & ipſam inter Cardinales, quarum cathedra e regione coram facie regis erat, reſidere præcipiens, ſic omnibus ait: *Ecce Reginam habetis, ipſam, ut decet, honorate.* Ordinatis etiam Legatis honoratis, honeſtiſſime eam una cum ſorore uſque Brunswick deduci præcepit. Ipſe vero in terra permanſit, & peragratis illis partibus de conſecratione Imperiali tractare cœpit.

Arnoldus Lubecenſis L. VII. Chronici Slavorum Cap. XIX.

VII. Hugoldus Abbas Corbejæ in ſolenni Curia apud Wurceburg ab Ottone IV. Privilegiorum confirmationem obtinuit.

Chronicon Huxarienſe Paulini.

CONVENTUS GOSLARIENSIS
OTTONIS REGIS ET EPISCOPORUM.

SUMMA. Rex fraternitatem Ciſtercienſis Ordinis adipiſcitur.

Finita autem feſtivitate (Pentecoſtes) Rex abiit Goslariam & ordinatis ibi quibusdam negociis, proceſſit Walkenrede, ubi invenit Abbatem de Morimunde cum aliis quinquaginta Abbatibus ſui ordinis, qui eum omnes ſuæ fraternitatis ſocium & orationis fecerunt, & ſic Regem ſecuti ſunt, ab ipſo largiter procurati uſque Herbipolim, ubi cum maxima ſolennitate ſuſceptus eſt Dominica, *Domine in tua miſericordia*, cum hymnis & laudibus Dei: cantus autem hic erat: *Adveniſti deſiderabilis.*

Aderant ibi Legati Domini Apoſtolici: Hugo Hoſtienſis Cardinalis & Epiſcopus, Leo Sabienſis Cardinalis & Epiſcopus, cum maxima copia Prælatorum & Principum, Sacerdotum & Clericorum, inter quos erat:

Archi-Epiſc. Moguntinus Sifridus.
Colonienſis Thiedericus.
Treverenſis Joannes.
Salceburgenſis Eberhardus.
Argentinus Henricus.
Auguſtenſis Sigfridus.
Conſtantienſis Wernerus.
De Friſinge Epiſcopus Otto.
Patavienſis Managoldus.
Ratisbonenſis Henricus.
Baſilienſis Ludulphus.
Hildenſemenſis Hartbertus.
Verdenſis Iſo.
Halberſtadenſis Fridericus.
Havelbergenſis Sibotho.
Abbates: Cono Elwangenſis.
Vuldenſis Henricus.
Herſeveldenſis.
Corbejenſis.

Abbates: Prumienſis.
Wircenburgenſis.

Hos ſequuntur Nomina Regum ſive Principum.
Odackerus Rex Boemiæ.
Marchio de Meteren.
Luppoldus Dux Auſtriæ.
Bernhardus Dux Saxoniæ.
Lodewicus Dux Bavariæ.
Dux Bertoldus de Leringe.
Dux de Lutringe.
Dux Brabantiæ.
Marchio Miſnenſis.

Arnoldus Lubecenſis Lib. VII. Chronici Slavorum Cap. XIX.



INNOCENTII III. PP. Invitatoria ad Concilium Lateranenſe, ad Kalendas Novembris MCCXV. celebrandum, ob fines hic indicatos, ſcripta Archi-Epiſcopo & Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, per Moguntinam Provinciam conſtitutis.

VIneam Domini Sabaoth multiformes moliuntur beſtiæ demoliri: quarum incurſus adeo invaluit contra ipſam, ut ex parte non modica ſpinæ pro vitibus ſuccreverint: &, quod gementes referimus, ipſæ jam vites proferant pro uva labruſcam, infectæ multipliciter & corruptæ. Illius ergo teſtimonium invocamus, qui teſtis eſt in cœlo fidelis, quod inter omnia deſiderabilia cordis noſtri duo in hoc ſæculo principaliter affectamus; ut ad recuperationem videlicet terræ ſanctæ, ac reformationem univerſalis Eccleſiæ valeamus intendere cum affectu. Quorum utrumque tantam requirit proviſionis inſtantiam, ut abſque gravi & grandi periculo ultra diſſimulari nequeat & differri.

Unde ſupplicationes & lacrymas frequenter effudimus coram Deo, humiliter obſecrantes: quatenus ſuper his ſuum beneplacitum revelaret, inſpiraret affectum, accenderet deſiderium, & propoſitum confirmaret, facultatem & opportunitatem præſtando ad ea ſalubriter exſequenda. Quapropter habito ſuper his cum fratribus noſtris & aliis viris prudentibus frequenti ac diligenti tractatu, prout tanti ſollicitudo propoſiti exigebat, hoc tandem ad exſequendum prædicta de ipſorum conſilio providimus faciendum: ut quia hæc univerſorum fidelium communem ſtatum reſpiciunt, GENERALE CONCILIUM juxta priſcam Sanctorum Patrum conſuetudinem convocemus, propter lucra ſolummodo animarum opportuno tempore celebrandum: in quo ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, corrigendos exceſſus, & reformandos mores, eliminandas hæreſes, ad roborandam fidem, ſopiendas diſcordias, & ſtabiliendam pacem, comprimendas oppreſſiones, & libertatem fovendam, inducendos Principes & populos Chriſtianos ad ſuccurſum & ſubſidium terræ ſanctæ tam a Clericis, quam a laicis impendendum, cum cæteris, quæ longum eſſet per ſingula enarrare, provide ſtatuantur inviolabiliter obſervanda, circa Prælatos & ſubditos regulares & ſæculares, quæcunque de ipſius approbatione Concilii viſa fuerint expedire ad laudem & gloriam nominis ejus, remedium & ſalutem animarum noſtrarum, ac profectum & utilitatem populi Chriſtiani.

Quia vero ante biennium univerſale non poſſet Concilium commode congregari; diſpoſuimus interim per viros prudentes in ſingulis Provinciis plenius explorare, quæ Apoſtolicæ proviſionis limam expoſcunt, & præmittere viros idoneos ad terræ ſanctæ negotium procurandum, ut ſi exigente neceſſitate ſacrum Concilium approbaverit, Nos perſonaliter ipſum negotium aſſumamus efficacius promovendum. Credentes igitur hoc ſalutare propoſitum ab illo deſcendere, a quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum; Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos taliter præparetis, quod a præſenti Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo decimo tertio anno, uſque ad duos annos & dimidium præfixis vobis pro termino Kal. Novembris, noſtro vos conſpectui præſentetis cum modeſtia & cautela, ita quod in veſtra Provincia unus vel

vel duo de Suffraganeis valeant Episcopi remanere pro Christianitatis ministeriis exercendis: & tam illi quam alii, qui canonica forte præpeditione detenti personaliter venire nequiverint, idoneos pro se dirigant responsales, personarum & evectionum mediocritate servata, quam Lateranense Concilium (a) definivit: ut nullus omnino plures, quivis autem pauciores adducere secum possit: nec quisquam superfluas faciat & pomposas, sed necessarias tantum & moderatas expensas, ostendendo se actu & habitu verum Christi cultorem; cum non sæcularis applausus sed spiritualis profectus in hoc sit negotio requirendus.

Injungatis autem vos Fratres Archi-Episcopi & Episcopi ex parte nostra universis Ecclesiarum Capitulis non solum Cathedralium, sed etiam aliarum, ut Præpositos, vel Decanos, aut alios viros idoneos ad Concilium pro se mittant, cum nonnulla sint in ipso tractanda, quæ specialiter ad Ecclesiarum Capitula pertinebunt. Interim vero & per vos ipsos, & per alios viros prudentes universa subtiliter inquiratis, quæ correctionis aut reformationis studio indigere videntur; & ea fideliter conscribentes ad sacri Concilii perferatis examen: circa subventionem necessariam terræ sanctæ, ubi Deus Rex noster ante sæcula salutem in medio terræ dignatus est operari, opem & operam efficaciter impensuri, assistendo fideliter & prudenter iis, quos deputavimus ad hoc negotium specialiter procurandum.

Nullus itaque se fallaciter excusando ab executione tam sancti operis subtrahat, si canonicam vult effugere ultionem. Nemo dissensionum obstacula vel itinerum impedimenta causetur, quæ Domino faciente signum in bonum ex magna jam parte cessare cœperunt. Nam & quanto imminent majora pericula, tanto potiora remedia convenit adhiberi: Nunquam enim navigabit per æquora, qui semper expectat, ut mare non concitet ex se fluctus. Datum Laterani, decimo tertio Kalendas Maji, Pontificatus nostri anno sexto decimo.

In eodem modo, Archi-Episcopis & Episcopis, Abbatibus, Prioribus, per Bremensem Provinciam constitutis.

In eodem modo, per Saltzburgensem Provinciam constitutis.

In eodem modo, per Treverensem Provinciam constitutis.

In eodem modo, per Magdeburgensem Provinciam constitutis.

In eodem modo, per Coloniensem Provinciam constitutis.

In eodem modo, Episcopo Pragensi.

In eodem modo, Episcopo Rigensi.

In eodem modo, per Bisuntinam.

In eodem modo, Abbati & Conventui Cisterciensis Ordinis.

In eodem modo, Conventui & Abbati Præmonstratensi.

Ex Regesto Innocentii III. Epistolarum Lib. XVI. Epist. 30.

Binius Tomi III. Concil. Part. II. pag. 674.

(a) Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. Canone 4. anno 1179.

Friderici II. Imp. Decretum seu aurea Bulla, de Libertate Ecclesiastica. Datum in Conventu apud Egram.

Anno Christi MCCXIII. Innocentii III. Papæ XV. Ottonis IV. Reg. XV. Friderici II. Reg.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

FRIDERICUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, ROMANORUM REX, ET SEMPER AUGUSTUS, ET REX SICILIÆ.

Regnum nostrum tunc stabiliri confidimus, cum Altissimum, de cujus manu ea, quæ possidemus, bona recepimus, honoramus. Tanto enim Domino, qui bona tribuit nobis ad offerendas hostias operis & devotionis astringimur, quanto ipsum misericordem in nobis, & mirabilem experimur. Cognoscentes igitur gratiam, quæ data est nobis ab ipso, habentes quoque præ ocu-

oculis immenſa & innumera beneficia veſtra, Domine & Reverendiſſime Pater, Protector & Benefactor noſter Domine Innocenti, (a) Dei gratia, ſumme Pontifex venerande, per cujus beneficium, operam, & tutelam aliti ſumus, protecti pariter & promoti, poſtquam in ſollicitudinem noſtram mater noſtra

I. Felicis memoriæ *Conſtantia Imperatrix & Siciliæ Regina*, ex ipſo quaſi utero nos jactavit, vobis *Beatiſſime Pater*, & omnibus ſucceſſoribus veſtris Catholicis, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ ſpeciali Matri noſtræ, omnem obedientiam, honorificentiam, atque reverentiam, ſemper humili corde ac devoto ſpiritu impendimus, quam predeceſſores noſtri Reges & Imperatores Catholici veſtris anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur, nihil exinde volentes diminui, ſed magis augeri, ut major devotio eniteſcat.

II. Illum igitur volentes abolere abuſum, quem quidam prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, decretum in electionibus Prælatorum: concedimus & ſancimus, ut electiones Prælatorum liberè & canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum capitulum vel major & ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil deſit ei de Canonicis inſtitutis.

III. Appellationes autem in negociis, & *cauſis Eccleſiaſticis* ad ſedem Apoſtolicam libere fiant, earum perſecutionem ſive proceſſum nullus impedire præſumat.

IV. Illum quoque dimittimus & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis; omnia nos ſpiritualia vobis & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus libere diſponenda, ut, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei, Deo recta diſtributione reddantur.

V. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errores, auxilium dabimus & operam efficacem.

VI. Poſſeſſiones etiam, quas Eccleſia Romana recuperavit, ab anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuslibet aliis detentas, liberas & quietas ſibi dimittimus & ipſam, ad eas obtinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores, & quæcumque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate ac mora eas reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt a *Radicofano uſque Ceperanum*, *Marchia Anconitana*, *Ducatus Spoletanus*, *terra Comitiſſæ Mahtildis*, *Comitatus Bertinoris*, *Exarchatus Ravennæ*, *Pentapolis*, *Maſſa Trebaria*, cum adjacentibus terris & omnibus aliis ad Romanam Eccleſiam pertinentibus cum omni jurisdictione, diſtrictu, & honore ſuo.

VII. Verumtamen cum ad recipiendum Coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ ab Apoſtolica ſede vocati venerimus, de mandato ſummi Pontificis recipiemus procurationes, ſive fodrum ab ipſis. Omnia igitur ſupradicta & quæcumque alia pertinent ad Romanam Eccleſiam de *voluntate & conſcientia*, *conſilio & conſenſu Principum Imperii* libere illi dimittimus, renuntiamus, & reſtituimus; necnon ad omnem ſcrupulum removendum, prout melius valet & efficacius intelligi, concedimus, conferimus, donamus, ut ſublatâ omnis contentionis & diſſenſionis materiâ, firma pax & plena concordia in perpetuum inter Eccleſiam & Imperium perſeverent.

VIII. Adjutores etiam erimus ad retinendum & ad defendendum Eccleſiæ Romanæ *Regnum Siciliæ*, cum omnibus ad ipſum ſpectantibus, tam citra Pharum, quam ultra, nec non *Corſicam* & *Sardiniam* ac cœtera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tanquam devotus filius & Catholicus Princeps.

Ut autem hæc omnia memorato Sanctiſſimo Patri noſtro Domino Innocentio, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, ejuſque ſucceſſoribus, per nos & noſtros ſucceſſores Romanorum Reges & Imperatores obſerventur, firma & inconvulſa ſemper permaneant, præſens privilegium conſcriptum, Majeſtatis noſtræ aurea bulla juſſimus communiri. Teſtes autem ſunt hi.

Sigefridus Moguntinus Archi-Epiſcopus, Sedis Apoſtolicæ Legatus.
Eberhardus Salisburgenſis Archi-Epiſcopus.
Conradus Ratisponenſis Epiſcopus.
Otto Wirzburgenſis Epiſcopus.
Manegoldus Patavienſis Epiſcopus.

Enge-

[a] Innocentius III. obiit 1216. 6. Julii.

Engerardus (a) Zizenſis Epiſcopus.
Giadiacus Bohemorum Rex.
Ludovicus Dux Bavariæ.
Leopoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ.
Hermannus Lanthgravius Thuringiæ.
Comes Albertus de Eberſtein.
Comes Adolfus de Sonneberch.
Comes Burchardus de Mannesvelde.
Berardus Bers . . . . .
Comes Ludovicus de Wirtemberg.
Gebehardus (b) Busclavius Magdeburgenſ.
Henricus de Stahenwerch.
Walterus de Langenberg.
Henricus de Calandina, Mareſcalcus Imperii.
Walterus de Sepf, Pincerna Imperii, & alii quam plures.

Signum Domini FRIDERICI Secundi Roman. Regis invictiſſ. & Regis Siciliæ.

(a) Citizenſis. (b) Burgravius.

Ego Conradus Dei gratia & Apoſtolicæ Sedis, Metenſis & Spirenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini Sigefridi Moguntini Archi-Epiſcopi & Apoſtolicæ Sedis Legati, ac totius Germaniæ Archi-Cancellarii, recognovi.

Acta ſunt hæc anno Dom. noſtri JESU Chriſti MCCXIII. Indict. I. Regnante Domino Friderico ſecundo Rom. Rege glorioſo & Rege Siciliæ, anno Regni ejus Romani primo, Regni vero ejus Siciliæ decimo ſexto.

Datum apud *Egram* per manus Bertholdi de Niſe Regalis Aulæ Proto-Notarii. IV. Id. Julii.

Goldaſtus Tomo I. Conſtitut. Imperial pag. 289.

INNOCENTIUS III. ſcribit approbari a ſe factam Conſecrationem Theodorici Eſtienſis in Livonia novi Epiſcopi, quem Paderbornenſis, Verdenſis, Racenburgenſis & Rigenſis Epiſcopi ordinandum duxerunt.

COmmiſſi nobis officii ſollicitudo depoſcit, ut iis, quæ ad Divini cultus ampliationem pertinere noſcuntur, favorem ſtudeamus benevolum impartiri. Cum ergo Venerabiles Fratres noſtri Paderburnen. Verden. (a) Ralkenburgen. & Rigen. Epiſcopi te in Epiſcopum Eſtienſ. Provinciæ duxerint ordinandum, ſicut ex litteris accepimus eorundem; nos, quod ſuper hoc ab ipſis provide atque canonice factum eſt, ratum habentes & gratum, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut in ea libere officium exerceas paſtorale. Datum Lateran. II. Calend. Novembris. Pont. noſtri anno XVI.

Schatenus Tomo I. Annal. Paderbornenſ. ad annum 1213.

(a) *alias* Raceburgenſ.

Sed longe illuſtrius fuit opus trium Saxonicorum Epiſcoporum, Ottonis Monaſterienſis, Bernardi Paderbornenſis, & Iſonis Verdenſis, qui non modo ad Commendatitias Innocentii Pontificis literas Eſtienſem Epiſcopum omni caritatis ope & ſubſidiis exceperunt, ſed & ſe ipſos ad profectionem in Livoniam & Apoſtolicos labores obtulerunt, parati Evangelium & Chriſti legem docere incultum Livoniæ populum; quod ſane quam gratum fuerit Innocentio Pontifici, docebunt hæ Pontificis literæ ad Bernardum Epiſcopum Paderbornenſ.

AB eo, qui neminem vult perire, ſed ut omnes ad agnitionem perveniant veritatis, tibi audivimus & credimus eſſe inſpiratum, ut venerabili fratri noſtro Eſtien. Epiſcopo, qui ſicut ſervus fidelis & prudens in Domini vinea fideliter operatur, cooperator accedens cum eo portare propoſueris coram gentibus & Regibus nomen Dei, & dare ſalutis ſcientiam plebi ſuæ. Nos igitur tuum pium propoſitum dignis in Domino laudibus commendantes, fraternitatem tuam monemus attentius & hortamur, quatenus accenſus zelo fidei Chriſtianæ ac ſperans, quod, qui affectum tibi dedit, adjiciet & effectum, Evangeliſtæ aggrediaris opus & officium confidenter, ut cum illis, qui euntes ibant & fle-

& flebant mittentes femina fua, exultationis manipulos valeas reportare. Ut autem prædicationis officium valeas liberius exercere, ftatuimus, ut te hujusmodi pietatis operi mancipato, Ecclefia & perfona tua cum omnibus bonis fuis fub Apoftolicæ fedis protectione conftant. Tu denique frater Epifcope fuper te ipfo &c. Datum Laterani III. Calend. Novembris, Pontificatus noftri anno XVI.

Innocentii III. Epiftola 124.
Odoricus Raynaldus in Annal. Ecclefiaft.

Similis formæ literas fcripfit Papa ad Monafterienfem & Verdenfem Epifcopos, quâ fcripfit has Bernardo Paderbornenfi, ad fovendam & promovendam fidem in Livonia. Vide *Regefti Innocentii III. Lib. XVI. Epift. CXXIV.*

Epiftola INNOCENTII Papæ III. qua ad Concilium Lateranenfe IV. quod eft Generale XII. invitat Archi-Epifcopum Moguntinum & Suffraganeos Epifcopos.

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS PER MOGUNTINAM PROVINCIAM CONSTITUTIS.

Quia major nunc inftat neceffitas, quam unquam inftiterit, ut terræ fanctæ neceffitatibus fuccurratur, & de fuccurfu fperatur major, quam unquam provenerit, utilitas proventura.: Ecce refumpto clamore clamamus ad nos, & pro illo clamamus qui moriendo voce magna clamavit in cruce, factus obediens Deo Patri ufque ad mortem crucis; clamans ut nos ab æternæ mortis eriperet cruciatu. Qui clamat etiam per fe ipfum, & dicit: *Si quis vult poft me venire, abneget femetipfum, & tollat crucem fuam, & fequatur me*: acfi diceret manifeftius: qui vult me fubfequi ad coronam, me quoque fubfequatur ad pugnam, quæ nunc ad probationem proponitur univerfis. Poterat enim omnipotens Deus terram illam, fi vellet, omnino defendere; ne in manus traderetur hoftiles. Poffet & illam, fi vellet, de manibus hoftium facile liberare, cum nihil poffit ejus refiftere voluntati. Sed cum jam fuperabundaffet iniquitas, refrigefcente charitate multorum: ut fideles fuos a fomno mortis ad vitæ ftudium excitaret, agonem illis propofuit, in quo fidem eorum velut aurum in fornace probaret; occafionem falutis, imo falvationis caufam præftando, ut qui fideliter pro ipfo certaverint, ab ipfo feliciter coronentur, & qui ei noluerint in tantæ neceffitatis articulo debitæ fervitutis impendere famulatum, in noviffimo diftricti examinis die juftam mereantur damnationis fententiam fuftinere. O quanta jam provenit utilitas ex hac caufa! quam multi converfi ad pœnitentiam pro liberatione terræ fanctæ mancipaverunt fe obfequio crucifixi, & quafi per agonem martyrii coronam gloriæ funt adepti: qui forte in fuis iniquitatibus periiffent, carnalibus voluptatibus & mundanis illecebris irretiti! vetus eft hoc artificium Jefu Chrifti, quod ad fuorum falutem fidelium diebus iftis dignatus eft innovare. Si enim aliquis Rex temporalis a fuis hoftibus ejiceretur de Regno, nifi Vafalli ejus pro eo non folum res exponerent, fed perfonas: nonne cum Regnum recuperaffet amiffum, eos velut infideles damnaret, & excogitaret in eos inexcogitata tormenta, quibus perderet male malos? Sic & Rex Regum Dominus Jefus Chriftus, qui corpus & animam & cætera vobis contulit bona, de ingratitudinis vitio & infidelitatis crimine vos damnabit: fi ei quafi ejecto de Regno, quod pretio fui fanguinis comparavit, neglexeritis fubvenire. Sciat ergo fe culpabiliter durum & dure culpabilem, quicunque in hoc neceffitatis articulo fuum negaverit obfequium Redemptori. Nam fi quis fibi vel modicum quid hæreditatis paternæ fentiret dure ablatum; mox fecundum morem mundanum totis viribus laboraret, ut fuam vindicaret injuriam, & violentiam propulfaret; nec rebus parceret, nec perfonis, donec ex toto recuperaret amiffum. Quomodo ergo poterit

terit excusari, qui nec mediocriter laborare studuerit pro punienda sui Redemptoris offensa & ejus injuria ulciscenda; dum parcendo rebus & personis impedit, ne locus recuperetur passionis & resurrectionis Dominicæ, in quo Deus Rex noster ante sæcula salutem in medio terræ dignatus est operari? Quomodo etiam secundum præceptum Divinum *diligit proximum suum sicut seipsum*, sicut scriptum est, qui scit fratres suos fide & nomine Christianos apud perfidos Saracenos ergastulo diri carceris detineri, ac jugo deprimi gravissimæ servitutis, & ad liberationem eorum efficacem operam non impendit, transgrediendo illius naturalis legis mandatum, quod Dominus in Evangelio declaravit, *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis?* An forte nescitis, quod apud illos multa millia Christianorum in servitute ac carcere detinentur, qui tormentis innumeris cruciantur? Et quidem omnes pæne Saracenorum Provincias usque post tempora Sancti Gregorii Christiani populi possederunt, sed ex tunc quidam perditionis filius Machometus pseudo Propheta surrexit, qui per sæculares illecebras & voluptates carnales multos a veritate seduxit, cujus perfidia etsi usque ad hæc tempora invaluerit, confidimus tamen in Domino, qui jam fecit nobiscum signum in bonum, quod finis hujus bestiæ appropinquat: cujus numerus secundum Apocalypsim (*a*) Joannis intra sexcenta sexaginta sex clauditur: in proximo finietur per operationem Spiritus septiformis, qui caritatis igne corda fidelium hactenus frigescentia reaccendet: ex quibus jam pene sexcenti sunt anni completi. Certe (*b*) propter priores injurias grandes & graves redemptori nostro pro nostris offensis a perfidis Saracenis illatas, nuper in monte Tabor, ubi discipulis suis futuræ glorificationis speciem demonstravit: iidem perfidi Saraceni quandam munitionis arcem in confusionem Christiani nominis erexerunt: per quam civitatem Accon sibi valde vicinam de facili cogitant occupare; ac deinde sine omni contradictionis obstaculo residuum terræ hujus invadere, cum sit viribus & opibus pene penitus destituta. Ea propter igitur Dilectissimi Filii dissensiones, & æmulationes fraternas in pacis & dilectionis fœdera commutantes, accingimini ad obsequium crucifixi: non dubitantes pro illo res exponere ac personas, qui pro vobis animam suam posuit, & sanguinem suum fudit; certi pariter & securi, quod si vere pœnitentes fueritis, per hunc temporalem laborem quasi quodam compendio, ad requiem pervenietis æternam. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi ex illa, quam nobis Deus licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate; omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint & expensis, suorum peccatorum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis, juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinaverint: & illis similiter, qui licet in alienis expensis in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impenderint; plenam suorum veniam concedimus peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus & concedimus esse participes juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congrue ministrabunt. Personas quoque ipsorum & bona, ex quo crucem assumpserint, sub sancti Petri & nostra protectione suscipimus: nec non & sub Archi-Episcoporum & Episcoporum, & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant. Quodsi quisquam contra præsumpserit, per Ecclesiarum Prælatos, appellatione postposita censura Ecclesiastica compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur astricti: creditores eorum per Ecclesiarum Prælatos, ut remittant eis præfatum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quodsi quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione

(*a*) Apocal. XIII. (*b*) corr. *præter*.

ſione mandamus. Judæos vero ad remittendas ipſis uſuras per ſæcularem compelli præcipimus poteſtatem: & donec illas remiſerint, ab univerſis Chriſti fidelibus tam in mercimoniis, quam in aliis per excommunicationis ſententiam eis omnino communio denegetur. Ut autem terræ ſanctæ ſubſidium diviſum in plurimos facilius impendatur; obſecramus omnes & ſingulos, per Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, unum ſolum verum, unum æternum Deum poſtulantes vice Chriſti pro Chriſto, ab Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus & Prioribus, & tam Cathedralium quam Conventualium Eccleſiarum Capitulis & Clericis univerſis: nec non civitatibus, villis & oppidis, competentem numerum bellatorum cum expenſis ad triennium neceſſariis ſecundum proprias facultates. Et ſi ad hoc unum quodlibet non ſuffecerit, plura conjungantur in unum: quia pro certo ſperamus, quod perſonæ non deerunt, ſi expenſæ non deſint: poſtulantes hoc ipſum a Regibus & Principibus, Comitibus, & Baronibus, aliiſque Magnatibus, qui forſitan per ſe ipſos perſonaliter non acceſſerint ad obſequium crucifixi. A civitatibus vero maritimis navale ſubſidium poſtulamus. Et ne aliis onera gravia & importabilia imponere videamur, quæ digito noſtro movere nolimus: proteſtamur veraciter coram Deo, quia quod ab aliis eligimus faciendum, hoc ipſi prompto animo faciemus. Clericis autem ad hoc negotium neceſſariis providimus indulgendum: ut omni contradictione ceſſante beneficiorum ſuorum proventus propter hoc valeant uſque ad triennium pignori obligare. Quia vero ſubſidium terræ ſanctæ multum impediri vel retardari contingeret, ſi ante ſuſceptionem crucis examinari quemlibet oporteret, an eſſet idoneus & ſufficiens ad hujuſmodi votum perſonaliter proſequendum: concedimus, ut regularibus perſonis exceptis, ſuſcipiant, quicunque voluerint, ſignum crucis: ita quod, cum urgens neceſſitas, aut evidens utilitas poſtulaverit, votum ipſum de mandato Apoſtolico poſſit commutari, aut redimi, vel differri. Et propter eandem cauſam remiſſiones & indulgentias hactenus a nobis conceſſas procedentibus in Hiſpaniam contra Mauros, vel contra hæreticos in Provinciam, revocamus: maxime cum illis conceſſæ fuerint ad tempus, quod jam ex toto præteriit; & iſtis ob cauſam, quæ jam ex majori parte ceſſavit: utroque negotio per Dei gratiam adeo provecto, ut vehementem inſtantiam non requirat; & ſi forte requiret, nos ingruenti neceſſitati reſpicere curaremus. Concedimus tamen, ut hujuſmodi remiſſiones & indulgentias apud Provinciales remaneant & Hiſpanos. Cæterum quia curſarii & piratæ nimis impediunt ſubſidium terræ ſanctæ, capiendo, ſpoliando tranſeuntes ad illam & revertentes ab illa: nos eos & principales adjutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus: ſub intimatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis ſcienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis tractatu; & injungentes Rectoribus civitatum & locorum ſuorum, ut eos ab hac iniquitate revocent & compeſcant. Alioquin, quia nolle perturbare perverſos, nihil eſt aliud quam fovere, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare; nos in perſonas & terras eorum ſeveritatem Eccleſiaſticam curabimus exercere, cum tales, non minus quam Saraceni adverſentur nomini Chriſtiano. Innovamus præterea excommunicationis ſententiam in Lateranenſi Concilio promulgatam adverſus eos, qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum; quique in piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent: eoſque rerum ſuarum privatione mulctari, & capientium ſervos, ſi capti fuerint, fore cenſemus: præcipientes, ut per omnes urbes maritimas diebus Dominicis & Feſtivis hujuſmodi ſententia publice innovetur.

Verum, cum longe plus de Divina clementia quem de humana potentia confidere debeamus: oportet nos in tali conflictu non tam corporalibus armis quam ſpiritualibus dimicare, ideoque ſtatuimus & mandamus, ut ſingulis menſibus ſemel fiat generalis proceſſio ſeorſum virorum, ac ſeorſum, ubi fieri poterit, mulierum; in humilitate mentis & corporis cum devota orationum inſtantia poſtulantium, ut miſericors Deus auferat hoc a nobis confuſionis opprobrium: liberando terram illam, in qua

qua universa redemptionis nostræ Sacramenta peregit, de manibus paganorum: restituendo eam ad laudem & gloriam nominis sui sancti populo Christiano, proviso prudenter, ut semper in ipsa processione verbum salutiferæ crucis cum diligenti exhortatione populo proponatur. Orationi vero, jejunium & eleemosyna conjungantur: ut his quasi alis facilius & celerius ipsa volet oratio ad piissimas aures Dei, qui nos clementer exaudiat in tempore opportuno. singulis quoque diebus intra Missarum solemnia post pacis osculum, cum jam pro peccatis mundi offerenda vel sumenda est hostia salutaris, omnes tam viri quam mulieres humiliter prosternantur ad terram: & à Clericis Psalmus iste: (c) *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, alta voce cantetur: quo cum hoc versu devote finito (d) *Exsurgat Deus & dissipentur inimici ejus; & fugiant a facie ejus, qui oderunt eum:* Sacerdos qui celebrat orationem istam super Altare decantet alta voce.

Deus qui admirabili providentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus, ut terram, quam unigenitus filius tuus proprio sanguine consecravit, de manibus inimicorum crucis eripiens restituas cultui Christiano: vota fidelium ad ejus liberationem instantium misericorditer dirigendo in viam salutis æternæ. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum, &c.

In illis autem Ecclesiis, in quibus conveniet processio generalis, truncus statuatur tribus clavibus consignatus una penes honestum presbyterum, alia penes devotum laicum, & tertia penes aliquem regularem fideliter conservandis: in qua Clerici, & laici, viri, & mulieres, Eleemosynas suas ponant in terræ sanctæ subsidium convertendas, secundum dispositionem eorum, quibus hæc fuerit sollicitudo commissa.

Porro super processu & transitu modesto & ordinato, congruo loco & tempore faciendo, nondum oportet aliquid diffinire, donec exercitus Domini cruce signetur. Sed tunc pensatis undique circumstantiis, quæcunque viderimus opportuna, de prudentum virorum consilio statuemus. Ad hæc igitur exequenda dilectos filios de Salem & quondam de novo castro Abbates, & C. Decanum Spirensem, & Præpositum Augustensem viros utique probatæ honestatis & fidei deputamus: qui adscitis secum viris providis & honestis autoritate nostra statuant & disponant quæcunque ad hoc negotium promovendum viderint expedire: facientes quæ statuerint in singulis Diœcesibus per viros idoneos ad hoc specialiter deputatos fideliter & sollicite procurari. Quo circa universitatem vestram rogamus, monemus, & obsecramus in Domino per Apostolica vobis scripta mandantes & in virtute Spiritus Sancti injungentes, quatenus eis pro Christo legatione fungentibus tales vos exhibere curetis, necessaria ministrantes eisdem, quod per vos & in vobis fructum faciant exoptatum.

In eodem modo per Magdeburgensem & Bremensem Provincias.

In eodem modo per Coloniensem Provinciam.

In eodem modo per Saltzburgensem Provinciam.

In eodem modo per Treverensem Provinciam.

In eodem modo Pragensi Episcopo & Abbatibus, Prioribus, & universis Christi fidelibus per Bohemiam constitutis.

Binius Concilior. Tom. III. Parte II. pag. 673.

Ex Regesto Innocentii III. Epistolarum Lib. XVI. Epist. 28. edente Baluzio: sed varia Lectione a Biniana.

(c) Psalm. 78. (d) Psalm. 67.



SYNODUS PROVINCIALIS SALTZBURGENSIS
Anno Chrifti MCCXIX. Honorii III. Papæ III. Friderici II. Regis II.

ANNO MCCXIX. Concilium Provinciale a Domino Eberhardo Archi-epifcopo Saltzburgenfi celebratur, cui interfuerunt Pataviensis, Frifingenfis, Gurcenfis, Kymenfis, Secovienfis Epifcopi.

Annales Sterouis Tomo I. antiquar. Lectionum Canifii.

Concordat *chronica Auftralis apud Freherum fcriptorem Germaniæ Tom. I. habet ibid.* Eodem ipfo anno fuerit erectus ille Secovienfis Epifcopatus de confenfu Honorii III. Papæ, quemadmodum Kyemenfis epifcopatus erectus fuerat anno MCCXV. in Synodo Romana habit.

I. In Synodo Saltzburgenfi deliberatum de decreto Concilii (*a*) Lateranenfis anno MCCXV. ut omnes Clerici XXam partem Ecclefiafticorum proventuum conferant ad triennium in fubfidium terræ fanctæ, exceptis duntaxat religiofis.

II. Itemque de literis Apoftolicis Innocentii III. quibus dabatur venia Clericis, proventus beneficiorum per triennium obligandi.

III. *SPONDANUS putat in eodem Provinciali Concilio conftitutam fuiffe Diœcefin novam Seccovienfem, aut faltem in hac Synodo promulgatam & approbatam judicat HANSIZIUS. Nam Bulla Honorii III. inftitutionem hujus Epifcopatus continens, fpectat ad hunc annum* 1219. *fed ante mentionem Concilii Provincialis Saltzburgenfis.*

Binius Tom. III. Parte II. pag. 659. Litera E. Ex eodem Lateranenfi Clericis cruce fignatis, in Paleftinam profecturis, indulget Concilium, ut beneficia fua integra percipiant per Concilium, ac fi effent in Ecclefiis refidentes, & fi neceffe fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare.

SYNODUS HALBERSTADENSIS
Anno Chrifti MCCXIX. Honorii III. Papæ III. Friderici II. Regis II.

Fridericus, Epifcopus Halberftadenfis, Advocatiam Ecclefiæ Caldenbornenfis, fibi ceffam acceptat, & rurfum donat Præpofito & fratribus Caldenbornenfis Ecclefiæ.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, HALBERSTADENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS OMNIBUS HANC PAGINAM AUDITURIS SALUTEM IN EO, QUI LIBERAT PAUPEREM à POTENTE.

MOdernorum temeritas, quæ diebus his malis, factis quamcunque rationabilibus obviare confuevit, nos admonet & compellit: ut ea, quæ ad Ecclefiarum liberationem perpetuam, & ad alia commoda earundem per noftram providentiam & laborem rationabiliter fuerint ordinata, contra varios futurorum incurfus, qui velut flagellum inundans in cafu fubfequente frequenter emergunt, tam valido noftræ firmitatis munimine roboremus: ut & facti noftri memoria, quæ in fe proficuum continet & honeftum, fub tali vigore confiftat ac robore, quatenus pofteris inviolabiliter confervetur, & nullum a temeritate malorum contradictionis obftaculum fentiat in futurum. Eapropter Venerande Univerfitati veftre notum facimus, quod cum nos Ecclefiarum nobis in Deo fuffraga-

fragatarum clamorem assiduum ex filiorum querimonia sæpius audiremus, cui cotidie interiora cum ingenti dolore turbavit per multiplices *Advocatorum insolentias*, eorum videlicet, qui Dei Ecclesias disturbare suéverunt; quibus tamen ex vocatione sua, si saperent ac novissima previderent, totis viribus procurare deberent. Huic morbo, qui peccatis exingentibus (*a*) heu nimis invaluit, nostra quacunque potentia curavimus adhibere inter ceteras nostræ Diœceseos Ecclesias, quæ adhuc quasi sub servitute luti & lateris constitute propter exactionem continuam graviter ingemiscunt, quarum quasdam per Dei gratiam liberavimus, & alias, quascunque possumus, semper intendimus liberare; venerabilis ac perdilecti Patroni nostri, qui supra pectus Domini in cena recumbens Evangelii fluenta de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit, honorabilem, & in Deo nobis dilectam Ecclesiam *Caldenbornensem* paterne dilectionis oculis intuentes, & cum debita solicitudine tam ipsi Ecclesie, quam etiam nostris successoribus providere cupientes, in ipsa dilectum fidelem nostrum *Theodoricum de Revenigen* Ecclesiæ nostræ ministerialem, qui advocatiam Ecclesie memorate de manu nostra jure pheudali se tenere dicebat, adhibitâ studiosâ precum nostrarum instantiâ, ad hoc tandem induximus; quod ipse de bona voluntate nobis advocationem eandem totaliter resignavit, de recompensatione, si qua sibi proinde facere dignaremur, gratie nostre per omnia se submittens. Nos igitur factum ejus laudabile commendantes in Domino, & habito super eo prudentium virorum consilio, qui resignationi intererant *Wigmarri* Marscalci, *Henrici* Camerarii, *Bartholomæi* & *Godofridi* de Sutterhausen, *Henrici* Durren, & aliorum Castrensium de Neumburg, devotioni prefati Tiderici secundum suum desiderium curavimus concedere de voluntate dilecti in Christo Filii *Ludolphi Caldenbornensis Præpositi* ac fratrum suorum, jam dicte Ecclesie Canonicorum, quorum consensus nobis in omnibus assavebat, eam sibi gratiam facientes: ut in loco quem apud dictam elegit Ecclesiam, mansio sibi comparens preparetur, in quo duorum fratrum stipendia, carracta vini, duo Borri, agninum pellitum, annis ei singulis, vitæ suæ temporibus ministrentur, & hoc sine diminutione præcipiat, quamdiu in sæculari habitu voluerit permanere. Tres quoque servientes ipsius Prepositus cum sua familia procurabit, qui foris claustrum maneant nec ingredi absque Prepositi voluntate presumant; ne propter eos religionem in aliquo disturbari contingat. Ad hoc prepositus duos equos procurabit eidem, quos tamen memoratus Theodericus de suis comparabit expensis, & & nulli quoque transire licebit in ipsis, nisi suam ad hoc licentiam potuerit impetrare. Hec omnia suis usibus deputata eo exspirante, vel ex dono S. Spiritûs habitum commutante, in eo pariter exspirabunt. Ita quidem Ecclesia ex tunc super his omnibus ab omni suorum cognatorum impetitione libera permanebit. Habentes igitur in hunc modum memoratam advocatiam in manu nostra cum omni jure, penitus absolutam, ad instantiam dilecti nostri prædicti *Ludolph. Caldenbornens.* Prepositi, fratrumque suorum, qui nobis & Ecclesie nostre una cum ipso semper extitere devoti, & maxime nostra, nostrorumque predecessorum, successorumque, & omnium Ecclesie nostre majoris Canonicorum tam vivorum, quam defunctorum memoria apud eos tanto celebrior habeatur, dictam advocatiam dicte S. Johan. Ecclesie, cum omni integritate contulimus: ita etiam quidem nobis, nostrisque successoribus hujus *S. Halberstadiensium* Ecclesie Episcopis in futurum nihil in ea juris decrevimus conservandum; nisi tantum causas majores, quas religiosas non expedit tractare personas, quæ ex perscriptis in subsequentibus exponuntur.

Verum sicut Ecclesia nobis nostrisque successoribus, in utroque jure tam in spirituali, quam temporali subjacet; ita etiam utroque gladio regere ac defensare tenemur, omni tamen exactione penitus exclusâ. Propter quod, ut jam dicta Ecclesia in promissis omnibus privilegio gaudeat libertatis, memorato Ludolpho Præposito, suisque successoribus, eam ab hac hora, & deinceps conferimus potestatem; ut si causæ minores apud eos ubicunque locorum in bonis eorum invaserint, que juditium seculare requi-

(*a*) *forte:* exigentibus.

requirere videantur, has de noſtro conſenſu valeant judicare: ſi vero cauſe majores emerſerint, utpote *raptûs*, *furti*, *ſanguinis*, que ſuas vires videntur excedere, nos ex tunc, ſi haberi poterimus, cauſas judicabimus prenotatas; ſi autem preſentes eſſe non poſſumus, nec haberi, quod propter loci diſtantiam ſepius poterit evenire, prefato Ludolpho & ſuis ſucceſſoribus eam duximus gratiam conferendam; ut in tali caſu mundiburdum autoritate noſtra ſtatuant, qui vice noſtra, non ſua, judicet eo tempore, que fuerint judicanda, mutatis tamen per vices temporis perſonis hujusmodi; ne propter hujus vocationis frequentiam pedem in advocationem figere valeant, & in ipſa juris aliquid vendicare. Volumus etiam, ut hujus advocatiæ libertas, quam nos pro noſtre anime remedio reſtituimus libertati, penes nos & noſtros ſucceſſores libere acquieſcat. Unde, ut etiam prefate Eccleſie per omnia caveamus univerſos Dominos Succeſſores noſtros monemus in Domino, conſulimus, & devote rogamus, in remiſſionem ſuorum eis peccaminum injungentes, & ad validam totius firmitatis cautelam per Patrem & Filium & Spiritum S. diſtinctius inhibentes iisdem; ne propter blandas cognatorum, vel amicorum adulantium preces, vel propter munera, quæ excipiant, dictam advocatiam alicui hominum inpheudare, vel modis aliquibus obligare preſumant; ſed ut premiſſum eſt, in eorum jugiter permaneant poteſtate; ſicut in noſtra manebit ſuper nos, & in nobis diem noſtrum dante Domino clauſura ſupremum: qui preſentis ſcripti privilegio recognoſcimus, quod nos, ſi malignari vellemus, quod abſit, nequaquam eam inpheudare debemus, nec poſſimus obligare quidem, maxime propter hoc ſalutare remedium tam a nobis, quam a noſtris ſucceſſoribus ſtatuimus inviolabiliter obſervandum in Eccleſia illa, quæ nunc de ancilla facta eſt libera, per novam obligationem in ſervitutem priſtinam redigatur, ipſamque in morbum incurabilem recidivare contingat, que nunc, ut rati ſumus, per hanc noſtre liberationis medelam quaſi de infirmitate graviſſima eſt curata: quam noſtri ſucceſſores duplici de ratione ſub eorum protectione teneantur habere, & ſpeciali prerogativa diligere, ex quo nullo mediante utrumque gladium obtinent in eadem. Nos igitur, qui predictam Eccleſiam propter reverentiam Venerabil. Patroni noſtri, B. JOHANNIS Evangeliſte, ſpeciali dilectione diligimus, & propter ejus perſonas ſibi famulantes, in quibuscunque poſſumus, reverentius cupimus honorare, rationabiles quosdam advocatie proventus, quos Advocati ex antiqua fundatoris inſtitutione eripere conſueverint, qui nobis nunc vacare noſcantur, ad ſpeciales conſolationes fratrum totaliter aſſignamus, pullis exceptis, quas inter Prepoſitum & Fratres ſtatuimus equaliter dividendos, dimidios Prepoſito & dimidios fratribus deputantes, ac concedentes fratribus memoratis, ut inter ſe horum proventuum ſtatuant proviſorem, qui eosdem excipiat, adminiſtret ad communem ordinationem & beneplacitum ſingulorum: ut ſaltem hanc qualemcunque ordinationis gratiam de noſtro beneficio habeant in futurum. Ceterum Advocatiam cum bonis omnibus, que nunc Eccleſia poſſidet, vel in futurum juſto titulo poterit adipiſci, ſub noſtram ſuſcipientes protectionem, autoritate noſtra Epiſcopali & *Banno Synodali* S. Joh. Eccleſie ea pariter confirmamus ſub interminatione anathematis diſtrictius inhibentes; ne quis quacunque preſumptione temeraria Eccleſiam tam in Advocatia, quam in bonis alias pertinentibus ad eandem, inquietare, vel alio modo moleſtare preſumat. Si quis autem ſuadente diabolo hoc attentare preſumſerit, indignationem Dei Omnipotentis, & BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtri anathematis vinculum ſe noverit incidiſſe. Hujus rei teſtes ſunt: *Meinhardus* major Prepoſitus, *Arnoldus* Decanus, *Anno* Cellerarius, *Almarus* S. Pauli Prepoſitus, *Conradus* Erfortenſis Prepoſitus, *Arnoldus* Archi-Diaconus in Oldesleve, *Burcardus* Prepoſitus de Jechenburg, *Gardolphus* de Meinersheim, *Albertus* Prepoſitus in Buſſo, *Conradus* de Braunberg, *Conradus* de Veoburg, *Conr.* de Quidilingeburg, *Oſeco* Sacerdos, *Tydericus* Camerarius, *Richard.* Sacerdos majoris Eccleſie noſtre Canonicus. Abbates vero *Henr.* de Hilſeneburg, *Mathias* de Husburg, *Ceſarius* de Hildesleve, *Henr.* de Conradesburg, *Heidenr.* de Gozike, *Marſil.* de Winedeburg, *Henr.* de Reinsdorff, *Bertr.* de Eilwardesdorff. Prepo-

ſiti:

ſiti: *Euſt.* de Hademersleve, *Rud.* S. Joh. in civitate, *Gerbode* de Ruſteleven, *Ditbelmus* de Horneburg, *Martinus* de Gerbſtatt, *Joh.* de Roden, & alii quamplures. Acta ſunt hec *anno Domin. Incarnat.* ac noſtre Reparat. M.CC.XIX. Indictione VII.

Cl. Samuel. Lentzen Hiſtoria Diplomatica Halberſtadenſis. pag. 317.

SYNODUS, SEU CAPITULUM PATAVIENSE

ANNO CHRISTI MCCXX. HONORII III. PAPÆ V. FRIDERICI II. REGIS III.

SUB ULRICO EPISCOPO PATAVIENSI, PRÆSENTIBUS LEGATIS DOMINI APOSTOLICI.

Ratificata eſt viceſima pars omnium Proventuum Eccleſiaſticorum, pro triennio proximo pendenda, ex Concilio Lateranenſi pro recuperanda terra ſancta.

Nec plura refert Hanſitz. Tom. I. Germaniæ ſacræ pag. 365.

Friderici II. Imperatoris Auguſti Edictum,

De caſſandis ſtatutis adverſus libertatem Eccleſiæ editis.

Nos Fridericus, Dei gratia, Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, hac edictali lege irritamus, & præcipimus irritari omnia ſtatuta & conſuetudines, quæ civitates, vel loca, poteſtates, conſules, vel quæcumque aliæ perſonæ contra libertatem Eccleſiæ, vel perſonas Eccleſiaſticas edere vel ſervare tentaverint adverſus canonicas vel Imperiales ſanciones. Et ea de capitularibus infra duos menſes poſt hujuſmodi publicationem edicti penitus aboleri, &c. Datum Romæ, in die Coronationis. &c.

Goldaſtus Tom. I. Conſtitut. Imper. p. 292. *Honorii III. PP. Epiſtola* 483. *Libro V. Epiſtolarum.*

Anno MCCXX. 22. Novembris, Dominica proxima ante Adventum Domini, in Baſilica Vaticana Fridericus II. & Conſtantia uxor ab Honorio III. coronati Auguſti fuere. *Epiſtola Honorii apud Raynaldum num.* 53. *ad annum* 1220.

Friderici II. Imperatoris Auguſti Conſtitutio

pro Eccleſiaſtica Libertate. (*A.* 1220.)

FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, ET REX SICILIÆ, POTESTATIBUS, CONSULIBUS, AC COMITIBUS UNIVERSORUM COMITATUUM ET CASTRORUM ITALIÆ.

I. Cum *divæ memoriæ Imperatores* Romani Sacroſanctam Eccleſiam multiplici libertate dotarint, Nos diſponente Deo, a quo eſt omnis poteſtas, ad faſtigium culminis Imperialis electi, quæ pie ab illis ac Sanctiſſimæ ſedis Præſulibus pro ſtatu Eccleſiarum & Eccleſticorum virorum ſunt edita, conſervare volumus inconcuſſa; & illis contraria, ſicut ad nos ſpectare dignoſcitur, amputare. Cum igitur ad aures Celſitudinis noſtræ pervenerit, nonnullos veſtrum cupidine cæca ſeductos quædam deteſtanda edidiſſe ſtatuta, præjudicantia Eccleſiaſticæ libertati, ac Divino ac humano juri obviantia manifeſte, Nos ea tamquam de radice pravitatis hæreticæ provenientia, auctoritate præſentium caſſamus ſub pœna mille marcharum; diſtrictius inhibentes, ne quis veſtrum illis de cetero inhærere præſumat, aut eorum prætextu Eccleſias & Eccleſiaſticos viros contra ſanctiones canonicas & legitimas moleſtare. Quinimo ea de noſtris capitularibus ſeu breviariis condemnata penitus abolentes, Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas permittatis indulta ſibi libertate gaudere, ſi vultis pœ-

pœnam effugere prænotatam, & indignationem Regiam evitare.

Datum in castris apud S. Leonem, Anno Domini Millesimo; ducentesimo, vigesimo; indictione octava, Kalendis Octobris.

Goldastus. Tomo I. Constitut. Imperial. pag. 297.

Anno MCCXX. VIII. Kal. Octobris, coram Apostolicæ Sedis Legato juramentum de more præstitit de Ecclesiæ Romanæ juribus illæsis, & ejusdem privilegiis, bonis, & possessionibus conservandis; demum Fundanum Comitatum Clero Ecclesiæ Romanæ attribuit. *Pagi in Breviario PP. RR. Tom. III. pag.* 241.

Friderici II. Imperatoris Augusti Constitutiones contra Hæreticos.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, DILECTIS PRINCIPIBUS, CUNCTISQUE POPULIS, QUOS CLEMENTIÆ NOSTRÆ REGIT IMPERIUM, SALUTEM ET GRATIAM.

I. Commissi nobis cœlitus cura Regiminis, & Imperiale, cui dante Domino præsidemus, fastigium dignitatis, materialem, quo divisim a Sacerdotio fungimur, gladium adversus hostes fidei, & in exterminium hæreticæ pravitatis exigunt exerendum, ut vipereos perfidiæ filios contra Deum & Ecclesiam insultantes, tanquam materni uteri corrosores, in judicio & justitia persequamur, maleficos vivere non passuri: per quorum (*a*) sententiam seducentem mundus inficitur, & gregi fidelium per oves morbidas gravior infligitur corruptela.

II. Statuimus itaque sancientes, ut hæretici quocunque nomine censeantur, ubicumque per imperium damnati fuerint ab Ecclesia, & sæculari judici assignati, animadversione debita puniantur; si qui vero de prædictis, postquam fuerint deprehensi, territi metu mortis redire voluerint ad fidei unitatem, juxta Canonicas sanctiones ad agendam pœnitentiam in perpetuum carcerem detrudantur.

III. Præterea quicumque hæretici reperti fuerint in civitatibus, oppidis, seu aliis locis Imperii, per inquisitores ab Apostolica sede datos, & alios orthodoxæ fidei zelatores, ii, qui jurisdictionem ibidem habuerint, ad inquisitorum & aliorum Catholicorum virorum insinuationem eos capere teneantur, & eos captos arctius custodire, donec per censuram Ecclesiasticam damnatos, damnabili morte perimant, qui fidei Sacramenta & gloriam æternæ vitæ damnabant.

IV. Simili quoque pœna plecti censemus omnes, quos ad fovendum hæreticorum errores callidus hostis suscitat advocatos, vel parat illicitos defensores, maxime cum idem facinus, quos inquinat, æquat; nisi monitione præmissa destiterint, & eorum vitæ duxerint consulendum.

V. Eos præterea, qui convicti in uno loco de hæresi ad alia loca se transferunt, ut cautius possint effundere virus hæreticæ pravitatis, debitam censemus subire vindictam: ut super hoc per viros ab eodem errore conversos ad fidem, nec non & per alios, qui eos de hæresi convicerunt, quod & in hoc casu concedimus licite faciendum, evidens testimonium habeatur.

VI. Item mortis sententiæ ducimus addicendos, si quos hæreticorum ad judicium tractos, in extremo vitæ periculo hæresim abjurantes, postmodum de falso juramento constiterit, & de fide mentita convinci, ac eos contigerit ejusdem morbi spontaneam incurrere recidivam; ut sibi damnabilius iniquitas sit mentita, & pœnam debitam mendacium non evadat.

VII. Omne insuper proclamationis & appellationis beneficium ab hæreticis, receptatoribus & fautoribus eorundem, penitus amovemus, volentes ut de finibus Imperii, in quibus semper debet existere fida fides, hæreticæ labis genimina modis omnibus deleantur.

VIII.

(*a*) *al.* scientiam.

VIII. Cæterum, quia, quanto majora Divinæ nutu miserationis accepimus; & altiorem locum præ filiis hominum obtinemus, tanto devotiora debemus obsequia gratitudinis conferenti. Si quando igitur in nostri nominis contemptores nostri culminis excandescat auctoritas, si reos læsæ Majestatis in personis eorum & liberorum suorum exhæredatione damnamus; multo fortius justiusque contra Dei blasphematores nominis, & Catholicæ fidei detractores provocamus, eorundem hæreticorum, receptatorum, fautorum, & advocatorum suorum, ac eorundem hæredes & posteros usque ad secundam progeniem, cunctis beneficiis temporalibus, publicis officiis, & honoribus Imperiali auctoritate privantes, ut in paterni memoria criminis continuo mœrore tabescant; vere scientes, quod Deus Zelotes est, & peccata patrum in filios potenter ulciscens: nec quidem a nostræ misericordiæ finibus duximus excludendum; ut si qui paternæ hæresis non sequaces latentem patrum perfidiam revelaverint; quacumque reatus illorum animadversione plectantur, prædictæ punitioni non subjaceat innocentia filiorum.

IX. Adhæc notum fieri volumus, fratres Prædicatores & Minores, pro fidei negotio in partibus Imperii nostri contra hæreticos deputatos: cæteros quoque, qui ad hæreticos judicandos accesserint, nisi aliqui eorum ab Imperio fuerint præscripti, eundo, morando, & redeundo sub nostri Imperii speciali defensione receptos, & quos apud omnes sub ope, ac recommendatione fidelium Imperii esse volumus inoffensos: universitati vestræ mandantes, quatenus quocumque, & apud quemcunque vestrum pervenerint, benigne recipiatis eosdem, & personas eorum ab incursu hæreticorum eis insidiantium conservantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negotiis exequendis. Hæreticos vero, quos & ipsi vobis ostenderint, in jurisdictione vestra singuli capientes diligenti custodia detinere, donec post Ecclesiasticæ damnationis judicium pœnam subeant, quam merentur; sciturí, quod in ipsius executione negotii gratum Deo & laudabile nobis obsequium conferetis, si ad expellendam de partibus nostri Imperii novam & insolitam hæreticæ pravitatis infamiam, opem & operam una cum eisdem fratribus præstiteritis efficacem. Et si quis exinde foret negligens vel remissus ac etiam inutilis, coram Deo & in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere. *Datum Paduæ XXII. Februarii, XII. Indict.*

Goldastus loco citato. pag. 293. 294.

Indict. XII. currebat in Februario anni 1224. qui erat quartus Imperii Friderici II.

CONSTITUTIO II.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR AUGUSTUS, HIERUSALEM ET SICILIÆ REX, DILECTIS PRINCIPIBUS SUIS, VENERABILIBUS ARCHI-EPISCOPIS, ET EPISCOPIS, ALIISQUE PRÆLATIS ECCLESIARUM, DUCIBUS, MARCHIONIBUS, COMITIBUS, BARONIBUS, POTESTATIBUS, SCULTETIS, BURGRAVIIS, ADVOCATIS, JUDICIBUS, MINISTERIALIBUS, OFFICIALIBUS, ET OMNIBUS PER TOTUM IMPERIUM CONSTITUTIS, PRÆSENTES LITTERAS INSPECTURIS, FIDELIBUS SUIS, GRATIAM SUAM ET OMNE BONUM.

I. INconsutilem tunicam Dei nostri diffuere conantur hæretici & vocabuli vicio sævientes, quod significationem divisionis denuntiat, in ipsius indivisibilis fidei unitate nituntur inducere sectionem, & oves a Petri custodia, cui pascendæ a pastore bono sunt creditæ, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinsecus, eo usque mansuetudinem prætendentes ovium, quousque ovile possint subintrare Dominicum, quod post ipsorum interitum desiderant demoliri: hi sunt angeli pessimi; hi pravitatum sunt filii, a patre nequitiæ & fraudis auctore ad simplices animas destinati: hi colubri, qui columbas decipiunt: hi serpentes, qui latenter videntur inserpere, & sub mellis dulcedine virus evomere, ut vitæ cibum se simulent ministrare: a cauda feriunt, & mortis poculum velut quoddam dirissimum venenum immiscent. Horum sectæ vete-

ribus, vel ne in publicum prodeant, non ſunt notatæ nominibus; vel (quod eſt forte nephandius) non (*a*) contentæ, ut velut ab Arrio Arriani, vel a Neſtore Neſtoriani, aut a ſimilibus ſimiles nuncupentur: ſed in exemplum Martyrum, qui pro fide Catholica Martyrum ſubierunt, *Patarenos* ſe nominant, velut expoſitos paſſioni.

II. Hujuſmodi vero miſeri Patareni, a quibus abeſt ſancta credulitas divinitatis æternæ, ſub uno contextu nequitiæ inſimul tres offendunt, Deum videlicet, proximos, & ſe ipſos. Deum, dum Dei fidem, & (*b*) conſilium non cognoſcunt: decipiunt proximos, dum ipſis ſub ſpecie ſpiritualis alimoniæ, hæreticæ pravitatis oblectamenta miniſtrant: crudelius etiam ſæviunt in ſe ipſos, dum poſt animarum diſpendium, corpora denique ſeveræ mortis illecebris, quam per agnitionem veram & veræ fidei firmitatem poſſent evadere, vitæ prodigi, & necis improvidi ſectatores, involvunt, & quod eſt ipſo dicto duriſſimum, ſuperſtites etiam non terrentur exemplo.

III. Contra tales, Deo, ſibi & hominibus ſic infeſtos continere non poſſumus motus noſtros, quin debitæ ultionis in eos gladium exeramus; tanto ipſos inſtantius perſequentes, quanto in evidentiorem deluſionem Fidei Chriſtianæ prope Romanam Eccleſiam, quæ caput omnium Eccleſiarum judicatur, ſuperſtitionis ſuæ ſcelera latius exercere dinoſcuntur, adeo quod ab Italiæ finibus, præſertim a partibus Lombardiæ, in quibus certo perpendimus ipſorum nequiciam latius abundare, jamque uſque ad Regnum noſtrum Siciliæ ſuæ perfidiæ rivulos derivarunt.

IV. Quod acerbiſſimum reputantes, ſtatuimus in primis, ut crimen hæreſeos & damnatæ ſectæ cujuslibet, quocumque cenſeantur nomine ſectatores, *prout veteribus legibus eſt indictum* inter publica crimina numerentur, immo crimine læſæ Majeſtatis noſtræ debet ab omnibus horribilius judicari, quod in Divinæ Majeſtatis injuriam noſcitur attemptatum, quamvis in recti judicii poteſtate alterum alteri non excellat. Nam ſicuti perduellionis crimen perſonas adimit damnatorum, & bona, & damnat poſt obitum memoriam defunctorum; ſic & in prædicto crimine, quo Patareni notantur, per omnia volumus obſervari, ut ipſorum nequicia, qui quia Dominum non ſequuntur, in tenebris ambulant, detegatur. Nemine etiam deferente, inveſtigari volumus diligenter hujuſmodi ſcelerum patratores, & per officiales noſtros ſicut & alios malefactores inquiri, ac in vinculis detineri inquiſitione notatos: & ſi levis ſuperſtitionis argumento (*c*) tangantur, a viris Eccleſiaſticis & Prælatis examinari jubemus. Per quos, ſi inventi fuerint a Fide Catholica ſaltem in articulo deviare, ac per ipſos paſtorali more commoniti, tenebroſi diaboli relictis inſidiis noluerint agnoſcere Deum lucis, ſed in erroris concepta (*d*) inſtantia perſeverent, præſentis noſtræ legis edicto (*e*) damnatos, mortem pati Patarenos alioſque hæreticos, quocumque nomine cenſeantur, decernimus, ut (quod affectant) vivi in conſpectu hominum comburantur, flammarum commiſſi judicio animarum incendia patiantur. Nec dolemus, quod in hoc ipſorum ſatisfacimus voluntati, ex quo pœnam ſolummodo, nec fructum alium conſequuntur erroris: volumus tamen, quod apud nos pro talibus nemo intervenire præſumat. Quod ſi fecerit, in ipſum noſtræ indignationis aculeos non immerito convertemus. Datum Paduæ XXII. Februarii. XII. Indictione.

Goldaſtus Loc. citato: pag. 294.

CONSTITUTIO III.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS &c.

PAtarenorum complices & receptatores, ſeu quocumque modo fautores, qui ut alios a pœna poſſint eximere, de ſe velut improvidi non formidant, publicatis omnibus bonis eorum relegandos in perpetuum eſſe cenſemus, & ipſorum filii ad honores aliquos nullatenus admittantur. Si tamen aliquis fauto-

(*a*) *al.* conceptæ
(*b*) *MS.* filium
(*c*) *al.* legantur.
(*d*) *MS.* triſtitia
(*e*) *MS.* dampnandos fore decernimus Patar.

fautorum hujusmodi detexerit aliquem Patarenum, de cujus perfidia manifeste probatur & liquet, in fidei præmium, quam agnovit, famæ pristinæ imperiali clementia restitutionis beneficium in integrum consequatur.

Incipiunt Capitula Constitutionis contra Patarenos edita per Dominum Fredericum, Illustrem Virum, Romanorum Imperatorem semper Augustum, Hierusalem & Siciliæ Regem.

I. Patarenos, Speronistas, Leonistas, Arnaldistas, Circumcisos, Passaginos, Joseppinos, (f) Carracenses, Albanenses, Franciscos, (g) Bennaroles, Comistas, Waldenses, (h) Burgaros, (i) Commimellos, (k) Barrinos & Ortholinos, cum illis de Aqua nigra, Pauperes de Lugduno, & omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus, censentes, ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur, ita quod filii eorum ad successiones pervenire non possint, cum (l) longe sit gravius, æternam, quam temporalem offendere Majestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad mandatum Ecclesiæ juxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, tanquam infames & banniti ab omnibus habeantur, ita, quod si sic banniti per annum permanserint, ex tunc eos, sicut hæreticos condemnamus.

II. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut (m) Potestates & Consules, seu Rectores, quibuscunque fungantur officiis, pro defensione fidei præstent publice juramentum, quod de terris suæ (n) ditioni subjectis, universos hæreticos, ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita, quod amodo, quandocumque quis fuerit in perpetuam potestatem vel temporalem assumptus, hoc teneatur juramento firmare capitulum: alioquin neque pro Potestatibus, neque pro Consulibus seu consimilibus habeantur, eorumque sententias ex tunc decernimus inutiles & inanes. Si vero Dominus temporalis, requisitus, & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica pravitate, post annum a tempore monitionis elapsum terram ipsius exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis absque ulla contradictione possideant, & in fidei puritate conservent, salvo jure Domini temporalis, dummodo super his nullum præstet obstaculum, neque aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege servata contra eos, qui (o) non habent Dominos temporales principales.

III. Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum bannimus: statuentes, ut si, postquam quilibet talium fuerit fidelium excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum; ex tunc ipso jure sit factus infamis, & ad publica officia seu consilia, vel ad tractatus aliquos eligendos hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hæreditatis alicujus successionem accedat. Nullus ei præterea super quocumque negocio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat roboris firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus (p) notitiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio autem fuerit, instrumenta confecta per manum ipsius, nullius penitus sint momenti.

IV. Adjicimus insuper, quod hæreticus per hæreticum convinci possit: & quod domus Patarenorum, receptatorum, defensorum & fautorum, sive ubi docuerint, sive ubi aliis manus imposuerint, destruantur, nullo tempore reparandæ. Datum Paduæ XXII. Februarii, XII. Indictione. (q)

(f) *al.* Garatenses. (g) *al.* Bagnarolos. (h) *al.* Roncarolos.
(i) *al.* Cummunellos. (k) *al.* Varinos. (l) *C. Vergentis. de hæret.*
(m) *Concil. Biterrense cap.* 32. (n) *al.* jurisdictioni.
(o) *abest negativa in MS.* (p) *al.* audientiam.
(q) Indictio XII. currebat in Februario anni 1224. ad quam diem & annum *Goldastus* refert Constitutiones *IV.* Friderici II. datas *Paduæ* contra hæreticos Gazaros, Patarenos, eorum sectatores, fautores. *Tomo I. Constitut. Imper.* 1615. *Francofurti impress.*

Raynaldus Odoricus in Annalib. Ecclesiasticis ad annum 1220. asserit ex Vaticano archæo, ex Epistola Honorii III, ex Richardo a S. Germano anno 1220. die 22. Novembris Romæ in ipso die Coronationis suæ Fridericum II. edidisse Edictum contra Hæreticos, & omnes Episcopos cum Papa accensis & extinctis candelis hæreticos excommunicâsse.

Authentica: de *Statutis & Consuetudinibus* edita post *Lib. IV. Feudorum in Corpore juris civilis*, Refert Edictum Friderici II. contra Hæreticos N. V. VI. VII. VIII. sed sine Consule & die: sine loci ullius mentione.

Privilegium pro Libertate Ecclesiastica Germanicis Ecclesiis concessum.

FRIDERICUS *II. Rex anno* 1212. *Moguntiæ denuo electus est Germaniæ Rex. Anno* 1220. *in Curia Francofurtensi VI. Kalendas Maji Episcopis & Proceribus Germaniæ amplissimam immunitatem dat:*

1. *Spolia Ecclesiasticorum defunctorum non Fisco Regio, sed hæredi defuncti, vel successori relinquenda.*
2. *Nulla telonia nec novæ monetæ contra jura Ecclesiæ erigenda.*
3. *Servi fugitivi a nemine recipiendi.*
4. *Omnis damnificatio Ecclesiæ interdicitur.*
5. *Feuda nulli Principi Ecclesiastico subtrahenda.*
6. *Excommunicati vitandi, contumaces proscribendi.*
7. *Nullum opus novum in fundo Ecclesiæ a quovis construendum.*
8. *Officialium Cæsaris jurisdictio restringitur.*

Omnia perpetuo privilegio.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

FRIDERICUS II. DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS, ET REX SICILIÆ.

DIgna recolentes animadversione, quanta efficacia & fide dilecti fideles nostri Principes Ecclesiastici nobis hactenus exstiterunt ad culmen Imperii nos promovendo, promotos in Christo firmando, & demum filium nostrum Henricum Regem sibi & Dominum benevole ac concorditer eligendo; censuimus eos, per quos promoti sumus, semper promovendos; & per quos firmati sumus una cum Episcoporum Ecclesiis semper fore nostra defensione contra noxia quæque firmandos. Igitur quia in eorum gravamina quædam consuetudines, & ut verius dicamus, abusiones, ex longa perturbatione Imperii, quæ per gratiam Dei nunc quievit, & quiescit, inoleverant in novis teloniis, & monetis, quæ se invicem ex similitudinibus imaginum destruere consueverant; In guerris Advocatorum, & aliis malis, quorum non est numerus, statutis quibusdam, eisdem abusionibus obviamus.

I. Primo promittentes deinceps, quod nunquam in morte cujuscunque Principis Ecclesiastici reliquias suas Fisco vendicabimus; inhibentes etiam, ne laicus quisquam aliquo prætextu sibi eas vendicet, sed cedant successori, si antecessor intestatus decesserit, cujus testamentum, si quid inde fecerit, volumus esse ratum. Si quis vero contra hanc constitutionem reliquias sibi vendicare præsumpserit, proscriptus & exlex habeatur, & feudo sive beneficio, si quod habeat, permaneat destitutus.

II. Item nova telonia & novas monetas ipsorum territoriis sive jurisdictionibus eis inconsultis seu nolentibus statuemus de cætero, sed antiqua telonia & jura monetarum eorum Ecclesiis concessa, inconvulsa & firma conservabimus &

& tuebimur, nec ipsi ea infringemus, nec ab aliis lædi permittemus modis aliquibus, utpote monetæ turbari, & vilificari solent similitudinibus imaginum, quod penitus prohibemus.

III. Item homines quocunque genere servitutis ipsis attinentes, quacunque causa se ab eorum obsequiis alienarunt, in nostris civitatibus non recipiemus, in eorum præjudicium, & idem ab ipsis inter se, eisque a laicis omnibus universaliter volumus observari.

IV. Item statuimus, ne quis Ecclesiam aliquam in bonis suis damnificet occasione Advocati eorundem bonorum; sed si damnificaverit, damnum in duplo restituet, & centum marcas argenti Cameræ nostræ solvet.

V. Item si aliquis eorum Vasallum suum, qui forte eum offendit, jure feodali convenerit, & sic feodum evicerit, illum suis usibus tuebimur; & si ipse feodum de bona & liberali sua voluntate nobis conferre voluerit, recipiemus amore vel odio non obstante. Quocunque autem modo sive etiam ex morte infeodati, Principi Ecclesiastico feodum aliquod vacare contigerit, illud auctoritate propria, immo violentia nullatenus invademus, nisi de bona voluntate, liberalique concessione sua potuerimus obtinere, sed cum effectu suis usibus studebimus defensare.

VI. Item sicut justum est, excommunicatos eorum, dum tamen ab ipsis viva voce vel per litteras eorum, vel per honestos nuncios fide dignos nobis denuntiati fuerint, vitabimus, & nisi prius absolvantur, non concedemus eis personam standi in judicio. Sic distinguentes, quod excommunicatio non eximat eos a respondendo impetentibus, sed sine Advocatis, perimat autem, si [a] jus eis & potestatem ferendi sententias & testimonia & alios impetendi. Et quia gladius materialis constitutus est in subsidium gladii spiritualis excommunicationum, si excommunicatos in ea ultra sex septimanas perstitisse, prædictorum modorum aliquo nobis constiterit, nostra proscriptio subsequatur, non revocanda, nisi prius excommunicatio revocetur. Sic utique aliisque modis omnibus justo videlicet, & efficaci judicio, ipsis prodesse atque præesse firmiter compromisimus, & ipsi vice versa fide data promiserunt, quod contra omnem hominem, qui tali nostro judicio ipsis exhibendo violenter restiterit, nobis pro viribus suis efficaciter assistent.

VII. Item statuimus, ut nulla ædificia, castra videlicet, seu civitates in fundis Ecclesiarum, vel occasione Advocatiæ, vel alio quoquo prætextu construantur, & siquæ forte sint constructa contra voluntatem eorum, quibus fundi attinent, diruantur Regia potestate.

VIII. Item inhibemus ad imitationem avi nostri felicis memoriæ Imperatoris Friderici, ne quis Officialium nostrorum in civitatibus eorundem Principum jurisdictionem aliquam sive in teloniis, sive in monetis, seu aliis officiis quibuscunque sibi vendicet, nisi per octo dies ante curiam nostram ibidem publice indictam, & per octo dies post eam finitam. Nec etiam per eosdem dies in aliquo excedere præsumant jurisdictionem Principis & consuetudines civitatis. Quotiescunque autem ad aliquam civitatem eorum accesserimus, sine nomine publicæ curiæ, nihil in ea juris habeant, sed Principes & Dominus ejus in ea plena gaudeat potestate. Sane quanto fidem ampliorem prædictorum Principum circa nos intelleximus, tanto excellentius eorum profectibus semper intendemus prospicere; & quoniam acta hominum oblivio inimica memoriæ per longam temporum evolutionem sepelire solet, diligentia vigilantiori adhibita hæc nostræ gratiæ beneficia Ecclesiis impensa perpetuari volumus: statuentes, ut hæredes nostri & successores in Imperio ea rata conservent, & exequantur, & faciant in subsidium Ecclesiarum a laicis universaliter observari. Et ut futuris innotescant, & a præsentium non excidant memoria sive notitia, ea fecimus huic paginæ annotari & paginam sub notatione nominum eorum, qui interfuerunt, Principum videlicet, & sigilli nostri munimine insigniri. Testes hi sunt: Sifridus Moguntinensis Archi-Episcopus, Theodericus Trevirensis Archi-Episcopus, Engelbertus Coloniensis Archi-Episcopus, Albertus Magdeburgensis Archi-Episcopus, Hugo Leodiensis Episcopus, Otto Trajectensis Episcopus, Engelbertus Bambergensis Episcopus, Conradus

[a] si *fors omittendum.*

radus Ratisbonenſis Epiſcopus, Hertwicus Egesdedienſis Epiſcopus, Theodericus Monaſterienſis Epiſcopus, Henricus Wormenſis Epiſcopus, Engelhardus Newenburgenſis Epiſcopus, Henricus Baſilienſis Epiſcopus, & alii quamplures. Signum Domini Friderici ſecundi Romanorum Regis invictiſſimi, & Regis Siciliæ, Ego Conradus Metenſis & Spirenſis Epiſcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, vice Domini Sifridi Moguntinenſis Sedis Archi-Epiſcopi, & totius Germaniæ Archi-Cancellarii, recognovi. Acta fuerunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCXX. Indictione nona, (a) regnante D. Friderico ſecundo Romanorum Rege & Siciliæ glorioſiſſimo, Anno Regni ejus in Germania VIII. Sicilia vero XXIV. Datum apud Franckford. 6. Kalend. Maji.

Ex Archivio Metropolitanæ Colonienſis Eccleſiæ.

Gelenius in vita S. Engelberti pag. 202. *edita* 1633.

(a) Anno 1220. currebat Indictio VIII. uſque ad Septembrem, conſequens eſt hic erratum eſſe.
Goldaſtus Tomo I. Conſtitutionum Imperialium profert duo Edicta Friderici II. pro Immunitate Eccleſiaſtica, alterum datum Romæ, 1220. in die Coronationis.
Datum alterum in Germania apud Egram de 1213.
3tium in Caſtris apud S. Leonem VIII. Kal. Octobris, Indict. VIIII. ergo 1220.

Edictum Imperatoris Friderici II. quo omnibus detentoribus poſſeſſionum Comitatus MATHILDIS (a) *Comitiſſæ, ad Sedem Apoſtolicam pertinentis, reſtitutionem ſub pœna mille marcharum injungit, contra Filios vero Comitum* ALBERTI DE CASALOD, ET NERISII *Caſtrum Gonzagæ ad dictum Comitatum ſpectans detinentes, nec, prout mandatum fuit, Pontificis Capellanis tradentes ſententiam Banni promulgat. Datum in Caſtris apud S. Leonem* VIII. *Kalend. Octobr. & publicatum apud Spm. Lambert. pridie Kalend. Menſis ejuſdem. Anno Domini MCCXX. Indict. IX.*

FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS, ET REX SICILIÆ.

PEr præſens ſcriptum notum facimus univerſis tam præſentibus quam futuris, quod cum ad reſignationem Comitatus, terræ & poderis quondam Comitiſſæ Mathildis faciendam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ venerabili Matri noſtræ, ad quam pertinet pleno jure, Serenitas noſtra contra quoslibet detentores ſpeciale mandatum dederit, ac etiam generale tam per litteras, quam per dilectum fidelem Conradum, venerabilem Metenſem & Spirenſem Epiſcopum, Cancellarium noſtrum, ſub pœna mille marcharum argenti, & dictus Cancellarius Caſtrum Gonzag. cum pertinentiis ſuis, quod eſt de Comitatu Comitiſſæ prædictæ, invenerit occupatum a filiis Comitum Alberti de Caſalod. & Neriſii, quibus ſub pœna prædicta injunxerit reſignandum, & eidem ſuper hoc parere contempſerint, ad non modicam injuriam Regiæ Majeſtatis; propter quod ſine alia citatione in metum aliorum, præter pœnam prædictam, animadvertendum erat in eos: tamen ut Excellentia noſtra potius ad veniam, quam ad vindictam pronior videretur, laboravimus per ipſorum amicos & conſanguineos, cum citati non comparuerint coram nobis; ut ſine metu pœnæ nobis reſignarent caſtrum ipſum, & mandatum

(a) Confer hoc Tomo noſtro pag. 518. Innocentii II. Papæ conceſſionem Allodii Mathildis Comitiſſæ factam Lothario II. & Richezæ Auguſtæ ejus conjugi, & poſt eos filiæ eorum & Henrico Bavariæ Duci genero Lotharii, anno 1133. VI. Idus Junii.

datum noſtrum contempſerint in hac parte, de conſilio venerabilium Principum noſtrorum, Patriarchæ Aquilenſis, Epiſcoporum Tridentini, Briſſinenſis, Vicentini, Paduani, Feltrenſis, Mantuani, Cremonenſis, Bergamenſis, Laudenſis, Parmenſis, Aſtenſis, & Taurinenſis, taliter contra eos ducimus procedendum: confirmantes primo, quod factum eſt contra eos de banno & pœna injuncta per Cancellarium memoratum, & ex nunc perſonas ipſorum ponimus ſub perpetuo banno Imperii, & etiam bona eorum jubemus, ubicumque fuerint, confiſcari, ſine aliqua ſpe remiſſionis, ſeu revocationis, ſi uſque ad diem Dominicum proxime venturum, dictum caſtrum cum omnibus pertinentiis detentis ab eis, non reſignaverint in manus Alatrini & Raynaldi Capellanorum Domini Papæ, vel eorum alterius, vel in noſtras, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ reſignandum. Quod ſi non fecerint, quicumque de bonis ipſorum detinent, vel ex tunc occupaverint, ſive quocunque alio modo acquiſierint, libere poſſideant, & auctoritate noſtra detineant. Et ſuper hoc præcipimus Cremonenſibus, Parmenſibus, Reginenſibus, Mutinenſibus, Bononienſibus, & generaliter omnibus aliis fidelibus noſtris, ut memoratis nobilibus, & aliis adjutoribus, fautoribus, & detentoribus memorati caſtri faciant vivam guerram, firmiter inhibentes Mantuanis, Veronenſibus, Ferrarienſibus, Briſſienſibus, & omnibus aliis fidelibus noſtris ſub obtentu fidelitatis & gratiæ noſtræ communitati cuilibet prædictarum ſub pœna mille marcharum: Marchionibus, Comitibus, Baronibus ſub pœna ducentarum marcharum: Militibus centum, & aliis inferioribus quinquaginta, quod eis nullum præſtent auxilium, conſilium, adjutorium, vel favorem: & tam de caſtro prædicto, quam de aliis caſtris, ſcilicet Pepugnag. Bonden. & Bonden. nec non de toto ipſo Comitatu, Podere, ac terris Comitiſſæ prædictæ, dictos Capellanos nomine Romanæ Eccleſiæ inveſtimus, & eos conſtituimus poſſeſſores, & mandavimus de caſtris prædictis per venerabilem Epiſcopum Taurinenſem, Vicarium noſtrum, in corporalem poſſeſſionem induci; præcipientes tam militibus & habitatoribus caſtrorum ipſorum, quam omnibus aliis Vaſſallis de ipſo Comitatu, ſeu terris, & Poderis Comitiſſæ præfatæ, quos omnes ad præſens abſolvimus ab omni juramento, quo nobis tenentur ratione terrarum ipſarum, ad dictis nuntiis Domini Papæ, vel alteri eorum, ſeu cuilibet alii, ab Eccleſia Romana miſſo, abjuratis aliis juramentis contrariis, iſtis præſtent fidelitatis nomine Romanæ Eccleſiæ juramentum. Quod ſi non fecerint; ſciant ſe ex nunc omnibus bonis Comitatus, Poderis, ſive terrarum ab eisdem poſſeſſis hac noſtra ſententia in perpetuum fore privatos, & milites, & habitatores iſtius caſtri Gonzagæ deſuper ponimus in perpetuo banno noſtro. Præterea injungimus firmiter & mandamus Poteſtatibus, Conſulibus, ſeu Rectoribus civitatum ſub pœna mille marcharum ſine difficultate ac mora reſtituant & abſolvant omnes homines de Comitatu & terris prædictis ab omni juramento, diſtrictu & obligationibus, quibus ratione alicujus jurisdictionis, quam hactenus exercuerunt in eos, tenentur eisdem, & removeant Conſules, Rectores, Bajulos, & ſi quos Officiales poſuerunt in eis, & extrahant quoſcunque poſuerunt in banno de terris ipſis ſub obtentu fidelitatis & gratiæ noſtræ; ipſis nihilominus injungentes, & dictis Capellanis vel eorum alteri, ſeu cuilibet alii, ad hoc a ſancta Romana Eccleſia deſtinato, ad retinendam poſſeſſionem terrarum, quas habent, & recuperandam, quam non habent, præſtent auxilium, conſilium & favorem. Verum, quia ipſi filii dictorum Comitum noſtram contempſerunt ſententiam & mandatum, prædictum caſtrum infra terminum ſibi datum nequaquam, ut ſuperius legitur, reſignantes, noſtram promulgatam ſententiam contra ipſos & omnes alios detentores Comitatus prædicti Poderis, ſeu etiam terrarum, in noſtra publica Curia publicari fecimus, & ut firma ſemper & inconvulſa permaneat, Majeſtatis noſtræ ſigillo juſſimus communiri. Principes autem Imperii & Prælati, & Nobiles Italiæ, quibus præſentibus hæc omnia acta ſunt, ſunt hi: Patriarcha Aquilenſis, Conradus Metenſis & Spirenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, & totius Italiæ Legatus, Epiſcopus Pitavienſis, Syfredus Auguſtenſis Epiſcopus, Albertus Tridentinus Epiſcopus,

ſcopus, Bertholdus Briſſinenſis Epiſcopus, Abbas Augenſis, Ludowicus Dux Bavariæ, & Comes Palatinus Rheni, Anſelmus Mariſcalcus Imperii, & Guarnerius de Bollandia Seneſcalcus; Epiſcopus Taurinenſis & Italiæ Vicarius, F. Papienſis Epiſcopus, O. Laudenſis Epiſcopus, M. Mutinenſis Epiſcopus, Henricus Bononienſis Epiſcopus, Azo Marchio Eſtenſis, Matthæus de Corrigia Poteſtas Papienſis, Niger Marianus Poteſtas Parmenſis, Birrita Poteſtas Reginenſis, Ægidius Poteſtas Mutinenſis, Tiſus de Campo S. Petri, & alii plures. Datum in caſtris apud S. Leonem VIII. Kalend. Octobr. & publicatum apud Spm. Lambert. pridie Kalend. menſis ejuſdem, anno Domini Milleſimo CCXX. Indict. IX.

Stephan. Baluzii Miſcella. Lib. I. pag. 448.
Dumont Corps Diplomatique du Droit des gens Tomo I. N. CCC. pag. 161.

SYNODUS PROVINCIALIS COLONIENSIS

ANNO CHRISTI MCCXXII. HONORII III. PAPÆ VI. FRIDERICI II. REGIS V.

Metropolitanus Colonienſis arguit Hugonem Leodienſem, Suffraganeum ſuum, quod Judæi filiam, factam Catholicam & Monialem, non tueretur, ſed vexaret.

HOc tempore puella quædam Hebrea per cultum Deiparæ mirabiliter ad Fidem Chriſtianam, & ad Virginitatis propoſitum inducta eſt. *Narratque Thomas Cantipratanus & Cæſarius Heiſterbacenſis*, quod cum baptizata ſub nomine Catharinæ velum virginitatis accepiſſet in *Parco Dominarum* Cœnobio, Ord. Ciſtercienſ. haud procul Lovanio, parenteſque illam inde extrahere conarentur, authoritate præmuniti Hugonis Epiſcopi Leodienſis, quem pecuniis corruperant; puella non acquievit illorum deſiderio: ſed conſtanter vitæ inſtituto adhæſit. *Anno præterito*, inquit Cæſarius, *accuſatus fuit idem Epiſcopus Leodienſis pro eadem cauſa coram Domino Engelberto Archi-Epiſcopo Coloniæ in SYNODO ejus, & præceptum fuit ei, ne de cætero moleſtaret ſupradictum Cœnobium pro puella baptizata.*

Cæſarius Lib. II. Miraculorum C. XXVI.
Thom. Cantiprat. Lib. II. Cap. XXIX.
Gelenius in Hiſt. S. Engelberti. Lib. I. pag. 88. *Synodum a S. Engelberto MCC. XXII. coactam meminit.*

SYNODUS PADERBORNENSIS

ANNO CHRISTI MCCXXIV. HONORII III. PAPÆ VIII. FRIDERICI II. REG. VII. IMP. V.

OLiverius Epiſcopus Paderbornenſis a majori & ſaniore parte Capituli Paderbornenſis, contra Henricum per Abbatem Abdinghovianum, & Canonicos Buſtorffienſes perperam electum, in Paderbornenſis Eccleſiæ poſſeſſionem ſolemni plauſu introductus fuit, decreto & prævio examine cauſæ Commiſſariorum Apoſtolicorum Abbatis Heiſterbacenſis, & Præpoſiti ac Decani Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſ., quibus acceſſit conſenſus Conradi, Apoſtolicæ Sedis Legati, nuper in Germaniam miſſi.

Hic Epiſcopus Oliverius, facundiſſimus totius Germaniæ Orator, & celeberrimus ſuæ ætatis Theologus, non tantum populum Evangelii præconio docuit, non tantum cruce ſignatos plurimos acquiſivit: ſed & Synodo Cleri congregatâ, ſuperiorum Synodorum decreta (*inde ab anno* 777. *vide Tomi I. noſtri pag.* 238.) & laudabiles conſuetudines ſacrorum ac temporum in unum codicem (*a*) collegit, ut in omnium manibus eſſent, & facile memoria comprehenderentur.

Gobelinus Coſmodrom. ætat. VI. cap. 64.
Eiſengrein in Catalogo Teſtium veritatis.
Schatenus Annal. Paderbornenſ. Lib. IX. pag. 1003.

Hujus

Hujus Synodi statuta ab Oliverio collecta, injuriâ temporum ad manus suas non pervenisse, conqueritur *Schatenus.*

(*a*) Liber hic *Regula* vocabatur, qui liber Ecclesiæ Paderbornensis tum potius innovatus, quam conditus fuit: in eo ponitur ordinatio septimanæ Paschalis, & ibi ponitur dies Sanctorum Prothi & Hyacinthi. *Hæc adnotatio Gobelini Personæ*, Officialis Paderbornensis, qui hunc librum legisse & vidisse videtur, sua ætate adhuc superstitem. Obiit post 1418.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

ANNO CHRISTI MCCXXIV. HONORII III. PAPÆ VIII. FRIDERICI II. REGIS VII. IMP. V.

SUMMA. Fridericus Episc. acceptat & ratificat donationem factam Ecclesiæ in Meringe ab Ludovico Landgravio Thuringiæ.

FRIDERICUS, (*a*) DEI GRATIA, HALBERSTADENSIS EPISCOPUS, OMNIBUS CHRISTI FIDELIBUS HANC PAGINAM AUDITURIS SALUTEM IN DOMINO.

Litteras dilecti fidelis nostri Illustrissimi *Principis, Domini Ludovici Thuringie Landgravii, Comitis Palatini Saxon.* super donatione Parrochialis *Ecclesiæ in Meringe*, quam ipse novelle plantationi ejusdem villæ feliciter erogavit, *in plena Synodo* nostra recepimus inter hæc verba: "Venerabili in Christo Domino suo, Friderico "Halberstadensi Episcopo, *Luduvicus Dei "gratia Thuringie Landgravius, Saxon. Co- "mes Palatin.* promptus ad omnia debite fi- "delitatis obsequia. Vestra sciat sanctitas, "*quod Ecclesiam S. Stephani in Meringe*, cum "septem mansis & quatuor areis ad ædifi- "cationem claustri contulimus, quod in "*honorem Beatæ Virginis in eodem loco funda- "tum.* Rogamus igitur studiose, quatenus "Dei intuitu & nostri obsequii respectu "hanc nostram donationem auctoritate "Episcopali dignemini roborare." Nos igitur factum tanti Principis commendantes in Domino, & justis ejus petitionibus benevolum prebentes assensum, felicem donationem ipsius *predicte novelle plantationi* in Nomine Domini confirmamus, sub interminatione anathematis districtius inhibentes, ne quis in ipsam injuriosus præsumat existere, vel molestus: si quis autem præsumpserit, indignationem Dei omnipotentis & nostri anathematis vinculum se noverit incidisse. Actum Halberstadt, per sententiam *in generali Synodo* nostra præsentibus Clericis & Laicis infinitis, VIII. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno quinto decimo.

Beckmanni Historia Anhaltina pag. 404.

(*a*) Fridericus II. Comes de Kirchberg, sedit ab 1209. ad 1236. ergo annus XV. Pontificatus ejus annus Christi MCCXXIV. *Lentzen Diplomatica Historia Halberstadensis.*

SYNODUS HILDESHEIMENSIS II.

ANNO CHRISTI MCCXXIV. HONORII III. PAPÆ VIII. FRIDERICI II. REG. VII. IMP. V.

PRÆSIDE CONRADO, PORTUENSI EPISCOPO, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, CELEBRATA,

In qua Henricus, Novi-Operis Goslariæ Præpositus, ob Hæresis crimen, iterato condemnatus, solemniter degradatur.

CONRADUS, MISERATIONE DIVINA, PORTUENSIS ET SANCTÆ RUFFINÆ EPISCOPUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, OMNIBUS PRÆSENTES LITERAS INSPECTURIS, SALUTEM IN CHRISTO JESU.

Licet doctrinis variis & diversis hostes fidei lacerare studeant Christi Tunicam inconsutilem, tamen remanet indivisa; nam *portæ inferni* adversus fidem

dem Ecclesiæ non possunt *prævalere*, ipso Christo ad Patrem orante, ut non *deficiat fides Petri*. Sed quamvis hæc remaneat sine macula atque ruga, labem tamen in ea ponere nisus fuit *Henricus*, perfidus olim Præpositus (*a*) Novi-operis in Goslaria: sed incidit in laqueum, quem paravit. Cum autem a longis temporibus super hæresi fuerit infamatus, & tam a venerabili in Christo *Conrado* (*b*) Hildensemensi Episcopo, quam a prædecessoribus suis monitus sæpius, correctionem recipere noluisset, quum ejus infamiam non posset dictus Episcopus ulterius pertransire, de ipsius hæresi inquisitionem diligentem fecit tam in Ecclesia, in qua ipse Henricus Præpositurae officium exercebat, quam in *plena Synodo*, & tum ex juramentis monialium, quibus præerat, tum ex confessionibus ipsius *in plena Synodo habitis*, fuit de hæresi manifeste convictus: quare ab officio, beneficioque suspensus fuit, & carcerali custodiæ mancipatus.

Nos autem, in Alemannia Legationis fungentes officio, cum ejus infamiam audissemus, & recepissemus literas a Domino Papa, ut coram nobis examinaretur Henricus sæpius nominatus; in Hildensemensi Ecclesia, Prælatis & Clero ipsius Episcopatus præsentibus, ipsum de carcere extrahi, & coram nobis in plena *Synodo* præsentari fecimus; qui, cum examinaretur, aperte confessus fuit: *Spiritum Sanctum esse Patrem Filii*, & *quod major Domina esset in cœlis beata Virgine*; & in scriptis suis invenimus eum aperte *matrimonium reprobare*, & *quod diabolus vellet redire ad gratiam*. Super his habito consilio dicti Episcopi Hildensemensis & . . . . *Sifridi* quondam Episcopi Hildensemensis, & aliorum plurium Prælatorum & Jurisperitorum, qui præsentes erant, ipsum Henricum præsentem, tanquam Hæreticum condemnavimus, & degradavimus ab officio & beneficio, & adhibentes solemnitatem degradationis, eidem abstulimus Sacerdotalia indumenta, & alia, quibus ordinati in Ecclesia utuntur, & ne de nostra sententia possit inposterum aliqua dubietas suboriri, præsentem cartam fecimus nostri sigilli munimine roborari.

Actum in *Ecclesia Hildensemensi*, Anno Domini MCCXXIV. XI. Kalend. Novembris.

Cl. Joannes Georgius ab Eckhart communicavit Cl. Schannato.

(*a*) Monasterium Novi-operis intra Diœcesin Hildesheimensem, erat Monasterium Monialium Ordinis Cisterciensis, quarum Præpositus erat Henricus Minneke, Monachus ex eodem ordine.

(*b*) Conradus, e Reysenbergiorum familia natus, antea Decanus Spirensis, Scholasticus Moguntinus, & Honorii Papæ Pœnitentiarius, olim in studio Parisiensi enutritus & Magister renuntiatus, electus fuit a Clero Hildesiensi anno 1221.

Cl. Heineccius in Tomo I. Scriptorum Germaniæ edidit *Antiquitates Goslarienses* & Lib. II. ad annum 1222. fatetur; quod Henricus Præpositus de Goslaria, cognomine Menneke a Conrado Hildensheimensi Episcopo, de hæresi Manichæorum convictus, depositus ab officio Præposituræ, & in diutino carcere detentus fuit. Ad quam labem hæreseos abstergendam nil speciale pro hujus Præpositi Apologia proferre scit, sed tegit eum generali calumnia, quod *multi boni viri hæreseos* accusati fuerint, & zelo imprudenti damnati ad ignem. Igitur Præpositus Goslariensis fuit vir bonus, minime hæreticus, sed solo zelo imprudenti duorum Episcoporum & Legati Apostolici depositus? nam ad ignem damnatum non lego.

Provoco ad omnes historiarum peritos, an hoc effugium Heineccii valeat palliare Hæresin Henrici, qui ter examinatus, hæreses ipsi objectas confessus est non generatim, sed specialibus erroribus propositis, deinde in ejusdem scriptis alii errores deprehensi. Idem scribunt omnes auctores coævi, idem testatur duplex Synodus Hildesiensis.



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA WORMATIENSIS

AB HENRICO, EX COMITIBUS SARÆPONT., EPISCOPO WORMATIENSI HABITA,

Anno Christi MCCXXIV. Honorii III. Papæ VIII. Friderici II. Reg. VII. Imp. V.

SUMMA. Possessio Sylvæ Hegenebe, Schonaugiensi Cœnobio, adversus impetitores integre adjudicatur, tum & prædium quoddam a Canonicis S. Andreæ Wormat. recenter acquisitum, iisdem confirmatur.

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS.

HEINRICUS, DEI GRATIA, WORMATIENSIS EPISCOPUS.

CONquestus est coram nobis *Berchtoldus* Schonaugiensis Abbas, quod Relicta *Marcolfi* de *Kircheim* militis, sylvam, quæ dicitur *Hegenebe*, soleret exscindere, & aliis auctoritatem exscindendi præstare contra prohibitionem forestarii, deputati ex parte Monasterii ad custodiendam ipsam sylvam; cumque super hoc memoratus Abbas sibi justitiam fieri postularet, *Arnoldus* de *Agleisterbusen*, dictæ Relictæ filius, ad defendendam matrem coram nobis admissus, loco matris respondit: ad injuriam matris non esse extendendam hujusmodi succisionem, sed hoc jure hæreditario a suis progenitoribus esse in ipsam derivatum, & sic jure suo uti. Econtra dicebat Abbas: quod cum justo titulo dicta sylva ad suum Monasterium pervenerit, & liberam & indominicatam hucusque habuerit, confirmatione Imperatoris *Henrici* magnifice accedente, nec non Episcopi, & Ecclesiæ Wormat. in cujus Territorio sita est, ipsum cœnobium hactenus prohibuerit usum, vel usumfructum omni homini, exceptis Cunrado, & Heinrico de Kircheim, fratribus, merito petebat dictam matronam a sua molestatione compesci.

Igitur, cum de possessione inter partes quæstio verteretur, nos, ex more, quæsivimus in sententia, quis cui præferri deberet, visumque assidentibus ac astantibus, ipsum debere præferri, qui superior esset in possessione, & hactenus sine vitio possedisset nec vi, nec clam, nec precario. Hoc itaque probandum utraque pars obtulit, petitis & obtentis legitimis induciis. Receptis igitur utriusque partis Testibus, & attestationibus sollemniter publicatis, & aliis tam publicis, quam privatis documentis ex parte Abbatis introductis, cognovimus plenarie fuisse probatum, quod jus proprietatis & possessionis ad prædictum Monasterium integre & communiter pertineret.

Nos itaque Prælatorum nostrorum, & aliorum prudentum virorum usi consilio, præfatam sylvam, cum omni jure Monasterio sæpedicto adjudicavimus, iteratæ Matronæ, dictoque procuratori, & suis hæredibus, in publica *Synodo* nostra, sententialiter perpetuum silentium imponentes. Ne autem super hac re contra Monasterium Schonaugiense cavillatio iterate resurgat, & quæstio rationabiliter sopita in ambiguum deducatur, præsens scriptum ei in testimonium fieri fecimus, sigilli nostri munimine roboratum.

Testes sunt: de *Clingenmunstere*, & de *Frankenthal*, Abbates.

Nibelungus, majoris Ecclesiæ Præpositus.
Heinricus, Decanus.
Swigerus, Cantor.
Stephanus, Nuhusensis Præpositus.
Dietherus, Wimpinensis Præpositus.
Arnoldus de *Selbolt*.
Jacobus Paletius, Canonici maj. Ecclesiæ Wormat.
Bertholdus, Decanus S. Pauli.
Laici: *Bertholdus*, Vice-Dominus.

Eberhardus de *Moro*, & frater suus.
Gerhardus, Militellus.
Conradus Vulpecula &c.

Actum *Wormatiæ*, in sollemni *Synodo*. Anno Dom. MCCXXIV. V. Kalend. Septembris.

Ex Archæo Monasterii Schonaugiensis apud administrationem Heidelbergensem descripsit Cl. Schannat.

II.

HEINRICUS, DEI GRATIA, WORMATIENSIS EPISCOPUS.

UNiversis præsens scriptum intuentibus innotescat: quod *Jutta* de *Smalvelt*, functa autoritate mariti sui *Cunradi*, ægrotantis, & ob hoc venire nequeuntis, una cum filiis & fratribus suis, vendidit Ecclesiæ S. Andreæ XL. jugera campestria, & quartale; si quid superest cedat eidem, & pratum quod XVIII. viri vix metire valent, pro LXX. libris Wormat. idemque allodium, quod in terminis Wormatiæ & Pffphelinkum situm dinoscitur, coram nobis in publica *Synodo*, Canonicis præscriptæ Ecclesiæ tradidit. *Synodali* itaque justitia dictante inhibemus: ne quis in eisdem bonis, ausu temerario, eos molestare præsumat, quod si quis attemptaverit, indignationem Dei Omnipotentis, & beatorum Petri, & Pauli Apost. & Andreæ, & nostram se noverit incurrisse.

Actum *Wormatiæ*, in *Synodo*. Anno Domini MCCXXIV.

Ex Archivio Ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ Wormatiensis descripsit Cl. Schannat. b. m.

MAGDEBURGENSE CONCILIUM

Anno Christi MCCXXV. Honorii III. Papæ IX. Friderici II. Reg. VIII. Imp. VI.

SUMMA. Conradus, Legatus Apostolicus, & quatuor Episcopi, componunt dissidium inter duas Abbatissas Quiedlinburgenses Sophiam (a) *& Bertradem.* (b)

CUm nos *Conradus*, Portuensis & sanctæ Ruffinæ Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Legationis officio fungeremur, quod causam, quæ inter Dominam *Sophiam* ex una parte, & Dominam *Bertradem*, Conventum, Vasallos, & Ministeriales & cives, super Abbatia Quedelinburgensi & aliis variis causis ex altera vertebatur, de consilio Venerabilium fratrum nostrorum, scilicet Magdeburgensis Archi-Episcopi, Merseburgensis, & Hildensemensis Episcoporum, & quorundam proborum hominum taliter duximus complanandas.

I. Sit plena concordia inter Abbatissam & Conventum, Vasallos, *Ministeriales, Prælatos, Clerum & cives* de omnibus injuriis illatis, quæ contingunt erectionem vel castri destructionem.

II. Quod etiam Abbatissa renuntiabit querelæ & damnis, quæ ei sunt irrogata ab aliquo prædictorum.

III. Quod omnia debita electæ & Ecclesiæ ad omnes statutos terminos solvet eadem Abbatissa, quocumque modo contracta sint & expensa. Hoc autem intelligimus de debitis, quæ contracta sunt post electionem ejus.

IV. Quod Comes de *Anebold* & alii Vasalli omnia feuda sua retineant, quæ prius habuerunt: similiter ipsa electa & sorores, Clerici & ministeriales.

V. Quod omnes tam ipsa electa, quam sorores, Prælati & Clerici Abbatissæ reverentiam exhibeant debitam & honorem.

VI. Quod Comes *Hoyerus* advocatiam

(*a*) Sophia ex matre Danici Regii sanguinis nata.

(*b*) Bertradis von Croseck prima est Abbatissa non ex Principe domo nata; at propter Abbatissæ officium vocatur a Rudolpho *Princeps*.

tiam suam retineat cum omni jure & honore: & si homines Advocatiæ in aliquo servierint advocato de libera voluntate, de hoc non impetantur ab Abbatissa. Item advocatiam ipsam & omnia feuda, quæ habet Comes ab Abbatissa Quedlinburgensi, concedat eadem Abbatissa Comiti *Ottoni*, taliter, quod vulgo *Geding* vocatur, & cessabunt omnes offensæ inter Comitem Hoyerum & Abbatissam & suos, quæcumque ante ejectionem vel post emerserunt.

VII. Quod resignationem bonorum in *Cruppelrod*, quam fecit Comes Hoyerus, & donationem, quam fecit Electa Beato Wicberto, Abbatissa ratas habebit, imo dabit.

VIII. Quod ministeriales ea jura quæ habuerunt usque ad tempus Abbatissæ, retineant.

IX. Quod possessiones, quas obligavit Electa, & de rebus Præpositurae suæ, vel Ecclesiæ quoque maneant apud eos, quibus sunt obligatæ, donec redimantur ab Abbatissa prædicta.

X. Quod Clerici, quos Electa investivit, retineant de gratia Domini Legati beneficia, quæ Electa contulit eis, nisi forte Electa privaverit aliquos suis beneficiis in odium Abbatissæ.

XI. *Concessiones omnium feudorum secularium* factas ab electa & alia facta, si quæ fecit electa, rata habebuntur ab Abbatissa, tam in eorum ministerialibus, quam Vasallis. Allodium in *Ballersleve* dictæ Ecclesiæ ad suos usus volumus assignari, si Præposituram, quam nunc tenet, voluerit retinere; si autem Præpositurae renuntiare voluerit, non habebit allodium jam dictum, sed totum prædium quod *Sman* vocatur cum omni jure suo & pertinentiis omnibus. Quod si prædium *in Sman* obligatum est, illud redimat Domina Abbatissa infra terminum competentem, & tunc in isto casu Præposituram reservamus.

XII. Volumus, ut Bernardus *Mor* & *Otto* pincerna, uterque ipsorum tres mansos obtineat in *Gera*, quos D. Sophia illis porrexit in feudo, sed postmodum abstulit ipsis eosdem.

XIII. Ordinamus, ut privilegia & ornatus Ecclesiæ reponantur in sacrario, vel in loco, ubi consueverunt reponi custodienda ab his, qui consueverunt custodire.

XIV. Ordinamus, ut Prælati Ecclesiarum obediant eidem secundum probabilem consuetudinem usque ad ejus tempora observatam.

XV. Volumus, ne bona & liberos reditus Abbatiæ cuiquam conferat in feudo, vel aliquo modo alienet *sine consensu Capituli sui.*

XVI. Volumus, ne *Borgardum de Wulfferbuttle* & *Cæsarium* (c) familiares habeat, & volumus, ut ipsorum devitet colloquia, & a suis consilia ipsorum separet, nec in procuratione victus, & aliorum foveat eosdem.

XVII. Volumus, ne castrum Quidelingeburg incastelletur, ne destruat munitiones & muros civitatis, factos post abscessum ejus, vel ante, nec etiam Burgenses civitatis in ædificatione & in aliis munitionibus construendis impediat.

XVIII. Volumus, ut monetarios & alios omnes officiatos in sua conventione usque ad statutum terminum permanere patiatur.

XIX. Volumus, ne Prælatos sibi subditos indebita hospitalitate molestet aut gravet.

XX. Si aliquis, vel aliqui de conventu, vel de Vasallis, vel ministerialibus, vel de civibus asserant, quod Abbatissa de prædictis aliquid non servaverit, damus super hoc *Inquisitores* Præpositum Sanctæ Mariæ, Præpositum *Wildebrandum* Magdeburg., Præpositum *Meinhardum* Halberstad.; Magistrum *Arnoldum* Scholasticum in Magdeburg; ut cum vocati fuerint in anno, semel veniant ad locum, & super præmisso, vel præmissis inquirant diligentius veritatem sine strepitu judiciorum. Et si Abbatissa inventa fuerit de prædictis articulis aliquem non servasse, nisi satisfaciat, antequam recedant de loco, ipso jure cadat a dignitate Abbatiæ, & Conventus statim alteram Abbatissam eligere teneatur. Quod si non omnes his exequendis poterint interesse, tres eorum, vel etiam duo ea nihilominus exequantur, quibus adjungimus Dominum Archi-Episc. Magdeburgensem; ut ipsos forsitan discordantes, auctoritate nostra faciat concordare, alioquin illis discordantibus, quod duo ipsorum cum eo dixe-

(c) Cæsarius erat Capitaneus Imperialis.

dixerint, obfervetur, quibus volumus, ut Abbatiffa ibidem provideat in expenfis. Quod fi forte contigerit aliquem illorum transfretare, vel alias proficifci, vel debitum carnis exfolvere, cum confilio proficifcentis, reliqui perfonam ad hoc ftudeant eligere, quæ careat omni fuperftitione.

Hæc omnia juravit fe fervaturam Abbatiffa Sophia, juravit autem *in noftra Præfentia & Epifcoporum prædictorum*, & aliorum proborum virorum & nobilium & prudentum. Datum Magdeburg Anno Domin. Incarnat. MCCXXV. VI. Kalend. Octob.

Kettnerus Antiquitates Quedlinburgenfes pag. 250, *atteftans multa figilla ex hoc diplomate pendere.*

CONCILIUM GERMANICUM

Anno Chrifti MCCXXV. Honorii III. Papæ IX. Friderici II. Regis VIII. Imp. VI.

SUB PRÆSIDIO CONRADI, EPISCOPI CARDINALIS PORTUENSIS, ET SANCTÆ RUFINÆ, SEDISQUE APOSTOLICÆ LEGATI,

Contra Simoniacos & concubinarios Clericos celebratum, IV. Idus Decembris.

TITULI CAPITULORUM.

I. De Continentia Clericorum.
II. De pœnis concubinariorum Clericorum.
III. De fcortatoribus Clericis ruralibus per Archi-Diaconos corrigendis.
IV. Quam pœnam Judex Ecclefiafticus, aliquem præpropere excommunicans, incurrat.
V. Clericos fructus præbendarum fuarum concubinis & fpuriis fuis relinquere non poffe.
VI. De Clericis excommunicatis vel fufpenfis Divina celebrantibus.
VII. De Clericis coram excommunicatis celebrantibus.
VIII. De publicandis excommunicatis per Epifcopos.
IX. De patronis laicis Clericos ad Ecclefias fimoniace præfentantibus.
X. De Clericis fimoniace præfentatis.
XI. De Epifcopis & Archi-Diaconis Clericos fimoniace præfentatos inftituentibus.
XII. De Ecclefiis non per mercenarios, fed Paftores, feu faltem Vicarios perpetuos regendis.
XIII. De committentibus inceftum cum Sanctimonialibus, & Canonicis, & de ejufmodi facris Virginibus pollutis.
XIV. De his conftitutionibus Conciliaribus publicandis.

STATUTA CONCILII.

CONRADUS, MISERATIONE DIVINA, PORTUENSIS ET S. RUFINÆ EPISCOPUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS, AD QUOS PRÆSENS SCRIPTUM PERVENERIT, SALUTEM IN CHRISTO JESU.

I. De Continentia Clericorum.

Licet multa fuper continentia Clericorum, fanctorum Patrum hactenus emanaverint inftituta: quia tamen adhuc nonnulli Clerici lumbos fuos cingulo continentiæ, ut accipimus, non præ-

Synodum hanc a Conrado Legato Apoftolico Coloniæ celebratam fuiffe, fcribit *Bzovius in Annalibus ad annum* 1225. *N.* 4. *nullo tefte producto.* Sed qui primi ediderunt, Collector Conciliorum Ecclefiæ Colonienfis, anno 1554. editorum, Surius & Binius *in fuis Concilior. Collectionibus, Germanicum Concilium* vocant, quos fecutus eft editor Collectionis Regiæ maximæ Conciliorum, & Hardouinus, & alii.

Surius non dubitat hujus Synodi Canones, ad omnes Germaniæ Ecclefiarum Epifcopos

præcingunt, in animæ suæ periculum, & scandalum plurimorum: non attendentes, quoniam scriptum est: *Sancti estote* (a) *quoniam ego Sanctus sum Deus vester:* nos, qui nunc demum circa horam undecimam missi sumus, ut nocua de vinea Domini Sabaoth, ex officio nobis injuncto, quantum ipse dederit, exstirpemus; quia zelus nos comedit domus ejus, hujus sacri approbatione Concilii duximus statuendum. Præcipimus igitur, ut Clerici continenter & caste vivere studeant universi, & maxime in ordinibus sacris constituti, quatenus in conspectu Dei Omnipotentis puro corde & mundo corpore valeant ministrare.

II. De pœnis Concubinariorum Clericorum.

Si quis autem Clericorum deinceps fuerit deprehensus incontinentiæ vitio laborare detinendo publice concubinam: nisi post admonitionem canonicam illam a se prorsus expulerit, ex tunc tam beneficio, quam & officio spolietur. Si vero nec sic fœtorem suæ libidinis curaverit evitare, quia crescente contumacia crescere debet & pœna, anathematis sententia feriatur. Qui vero obscœnis voluptatibus inhiantes, Concubinas usque ad hæc tempora publice tenuerunt, ne delictum præteritum transeat impunitum, eos sub pœnitentiam duximus redigendos: ut: si canonici fuerint, quadraginta diebus in Claustris suis in quadragesimali cibo jejunent. Si autem hæc agere contempserint, Præpositis & Decanis & Capitulis Ecclesiarum sub anathemate prohibemus, ne præbendarum fructus eis ministrent, nec ad chorum vel ad consortium capituli eos admittant, nisi incepta dicta pœnitentia & peracta, & præstito juramento, quod eas ulterius non resumant. Qui vero remotas resumere præsumpserint, decrevimus eos beneficiis esse privatos: ut illi, ad quorum collationem eorum beneficia pertinent, ea idoneis personis assignent intra tempus in generali Concilio comprehensum: alioquin proximus superior ex tunc ea studeat assignare. Si vero Decani vel alii eorum confratres; excessum eorum scientes, dissimulare præsumpserint, eos denuntiamus excommunicationis vinculo subjacere.

III. De Scortatoribus Clericis ruralibus per Archi-Diaconos corrigendis.

De Clericis ruralibus Concubinariis expressus rigor superius observetur: quorum Archi-Diaconi, si eos in iniquitatibus voluerint confovere, vel eorum dissimulare excessus, sciant ab officio se suspensos, & si in suspensione permanserint, eos præcipimus per Episcopos suos a dignitatibus removeri: quæ dignitates per eosdem Episcopos vel alios, ad quos earum spectat collatio, personis idoneis assignentur.

IV. Quam pœnam judex Ecclesiasticus, aliquem præpropere excommunicans incurrat.

Quantæ temeritatis & præsumptionis existat, quod, qui servare debent canonicas sanctiones, in quibus aperte continetur, quod nullus aliquem sine rationabili causa excommunicare præsumat, eas frangere non formidant: plures non amore justitiæ, sed livore odii, vel favore adversariorum, excommunicationis vinculo innodatos, nullus prorsus ignorat. Quare firmiter prohibemus, ne in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari admonitio, promulgare præsumat: & si Prælatus contra hoc fecerit, & admonitus errorem suum non revocaverit, per mensem ab ingressu Ecclesiæ sit exclusus.

V. Clericos fructus præbendarum suarum concubinis & spuriis suis relinquere non posse.

Ad abolendam de domo Domini consuetudinem, vel potius corruptelam seu temeritatem, qua Clerici (qui signum prudentiæ debent ostendere Laicis, quibus positi sunt in exemplum) in argumentum finalis suæ impœnitentiæ, fructus præbendarum suarum concubinis vel spuriis suis legant in ultima voluntate

pos & Archi-Diaconos missos fuisse: unde & Coloniensis Ecclesiæ Conciliorum Collectionibus præmittuntur.
Demum verosimilius est, eam Moguntiæ celebratam fuisse, & præter XIV. Canones causam S. Engelberti in eadem agitatam fuisse.

(a) Levit. XI, 44.

luntate: contra eos rigor Ecclesiasticus exerceri debet. Quare sub anathemate prohibemus, ne de cetero Clerici gratia testandi abutentes, cum de rebus Ecclesiæ nullum possint condere testamentum, fructus beneficiorum Ecclesiasticorum spuriis suis vel concubinis suis dimittant. Qui vero contra hanc inhibitionem venire præsumpserint, in signum suæ perditionis Ecclesiastica careant sepulura: & quibus taliter fructus legantur, eis careant ipso jure. Qui autem testamentum tale manutenere voluerint, & per quorum manus personis illis fructus præbendæ fuerint ministrati, ipso facto sciant se excommunicationis vinculo innodatos: & quamdiu fructus hujusmodi contra hanc institutionem ministrati fuerint, Ecclesia ipsa sit sub interdicto posita.

VI. De Clericis excommunicatis vel suspensis Divina celebrantibus.

Cum scriptum sit in lege veteri, quod quicumque non obtemperasset Sacerdotibus, aut extra positus lapidaretur a populo, aut gladio cervice supposita expiaret cruore contemptum; & in primitiva Ecclesia inobedientes cuncti de Ecclesia rabido (*b*) ore dœmonum traherentur: multi nomine Sacerdotes, censuram Ecclesiasticam contemnentes, excommunicati vel suspensi a Prælatis ipsorum, exigentibus culpis suis, & immemores, quod Episcopis & Prælatis clavium Regni Cœlestis collata sit potestas, attrectare sibi interdicta mysteria non verentur: contra quos rigorem Ecclesiasticum volumus exerceri. Statuimus igitur, ut tales sine spe restitutionis, ab officiis & beneficiis deponantur, & infames & intestabiles sint, & de cetero ad beneficia Ecclesiastica nullatenus admittantur: nisi per pœnitentiam approbatam & (*c*) conversionem laudabilem, Sedis Apostolicæ gratiam meruerint obtinere.

VII. De Clericis coram excommunicatis celebrantibus.

Præterea sunt nonnulli qui crassam prætendentes ignorantiam (quæ cum non excuset a culpa, nec eos a pœna poterit excusare) coram his Divina celebrare præsumunt, qui excommunicationis vinculo sunt innodati: dicentes, quod eis excommunicatio nec per litteras, nec per nuntios fuerit denominata: cum ipsi excommunicati impediant sæpe, nec possit ad eos denuntiatio vel citatio pervenire, vel malitiose se occultent. Et cum talis sit merito contumax censendus, statuimus, ut postquam tales excommunicati fuerint, & in vicinis locis publice denuntiati, Sacerdos qui coram eis celebraverit, simili pœna puniatur.

VIII. De publicandis excommunicatis per Episcopos.

Si Episcopus aliquem excommunicaverit certa de causa, denuntiet vicinis Episcopis per suas patentes litteras, ut excommunicatum denuntiari faciant, & evitari: & tunc sine difficultate aliqua vicini Episcopi excommunicatum faciant publice denuntiari, & in Diœcesibus suis arctius evitari. Si vero Episcopi fuerint negligentes, excommunicatis scienter communicaverint, tamdiu cathedralium Ecclesiarum Canonici eis non communicent, quamdiu huic salubri sanctioni contempserint obedire.

IX. De Patronis Laicis Clericos ad Ecclesias Simoniace præsentantibus.

Quoniam in quibusdam locis Alemanniæ fundatores Ecclesiarum, vel hæredes ipsorum, potestate, in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur, partem decimam, vel aliarum obventionum Ecclesiasticarum, in quibus jus obtinent patronatus, sibi retinentes ex pacto, repræsentant Clericos ad easdem: huic vulneri cancroso & simoniaco censuræ ferrum apponimus: decernentes, ut ex quo constiterit patronum hujusmodi flagitium perpetrasse, anathemate feriatur, & ejus terra supponatur Ecclesiastico interdicto, donec Ecclesiam liberam cum suo jure dimittat: salvo jure patronatus, quod eis de misericordia reservamus, qui possunt per juris excusari ignorantiam.

X. De Clericis Simoniace præsentatis.

Qui vero cæca cupiditate ducti taliter a Patronis præsentationem receperint, officio, beneficioque priventur; nec ad beneficium vel actus Ecclesiasticos admittantur, nisi cum eis per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum.

XI.

(*a*) *forte:* ori Dœmonum traderentur. (*b*) conversationem.

XI. De Episcopis & Archi-Diaconis Clericos Simoniace præsentatos instituentibus.

Episcopi vero & Archi-Diaconi, qui talibus scienter curam animarum commiserint, ab institutione & collatione perpetuo sint suspensi. Statuimus etiam quod nullus Clericus ad curam animarum ab Episcopo vel Archi-Diacono admittatur, nisi prius juraverit, quod nullam in adeptione beneficii, ad cujus curam præsentatur, commiserit simoniam.

XII. De Ecclesiis non per mercenarios, sed pastores, seu saltem vicarios perpetuos regendis.

Quia enormis quædam consuetudo in quibusdam Alemaniæ partibus contra Canonicas sanctiones invaluit, ut ponantur in Ecclesiis conductitii Sacerdotes vicarii temporales: ne id fiat de cætero, auctoritate legationis, qua fungimur, omnibus modis inhibemus. Sed cum vicarius poni debet & potest, perpetuo instituatur, idque assensu & auctoritate Diœcesani & Archi-Diaconi loci illius: nec Episcopus vel Archi-Diaconus talem instituat, nisi ei de bonis Ecclesiæ coram eo tantum fuerit assignatum, unde jura Episcopi & Archi-Diaconi possit persolvere, & congruam & sufficientem sustentationem habere.

XIII. De committentibus incestum cum sanctimonialibus & canonicis, & de ejusmodi sacris virginibus pollutis

Licet contra nefandos insidiatores Sacrarum Virginum pudicitiæ pœnæ gravissimæ sint institutæ tam Canonicæ quam Legales: quidam tamen relaxatis voluptatum habenis, in lacum miseriæ, & in lutum fœcis se immergunt, ut salutis æternæ coronam, honestatis normam, earumque pudicitiam interpellare præsumant. Contra quos nervum rigoris apponimus statuentes, ut quicumque pudicitiam sanctimonialium, cujuscumque habitus, ausu sacrilego sollicitare præsumpserit: ab officio, si Clericus fuerit; si Laicus, a perceptione corporis Domini noverit se suspensum. Qui vero (c) Sacrilegium vel temerarium carnis commercium cum talibus habuerit, ipso facto excommunicationis sententia se noverit innodatum. Sanctimonialis vero seu canonica, quæ hujusmodi crimen flagitiosum perpetraverit ulterius ad officium aliquod in Monasterio nullatenus admittatur: sed in signum iniquitatis suæ, ultima tam in claustro maneat, quam in choro.

XIV. De his constitutionibus Conciliaribus publicandis.


Quoniam memoria hominum dilabitur, cum tempore dilabente, ne quis ex nostrarum constitutionum ignorantia velamen inposterum excusationis assumat; in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis districte præcipimus: ut Archi-Episcopi, Episcopi, Archi-Diaconi & Decani, in suo singuli Concilio annis singulis celebrando eas publicari faciant & servari, pœnam transgressoribus infligendo. Quas etiam Abbates & alii Ecclesiarum & Monasteriorum Prælati conscribi faciant, & in suis Capitulis frequentibus publicari, ut tam ab ipsis quam a suis subditis inviolabiliter observentur.

Acta sunt hæc anno MCCXXV. IV. Idus Decembris.

Post Surium, Binium, Collectionem Regiam, Hardouin. Tom. VII. Concil. pag. 137.

(c) *forte* sacrilegum.

Eodem in Concilio *Patribus congregatis oblatum est Corpus S. Engelberti Coloniensis Archi-Episcopi, recens cæsi a Friderico Isemburgensi Comite cognato suo, adversus quem Essendiensis Ecclesiæ jura tuebatur. Fridericus a Legato & Concilio excommunicatus est:* ut refert *CÆSARIUS in vita S. ENGELBERTI Lib. II. Cap. XIII.*



CONCILIUM MOGUNTINUM

ANNO CHRISTI MCCXXV. HONORII III. PAPÆ IX.
FRIDERICI II. REGIS VIII. IMP. VI.

§. I. Præconium S. Engelberti Episcopi & Martyris.
§. II. Excommunicatio Friderici & adjutorum.
§. III. Causa fratrum Friderici examinanda, rejecta ad Concilium Leodiense.

In eo Corpus S. Engelberti recenter occisi (a) *e celebri Curia Norimbergensi, hic etiam in medium profertur.* (*Moguntiæ*) *ubi*

I. DOminus *Conradus Portuensis* Episcopus & Legatus, *in Adventu Domini* Concilium celebravit. Ibi ejus præcepto congregati erant diversarum Urbium Episcopi & Abbates multi. Is ob necem Præsulis multum consternatus in sermone suo multis eum in eodem Concilio præconiis extulit, Martyrem prædicans, & cœteris Episcopis, qui bonis Ecclesiarum suarum cognatos & nepotulos suos infeudant, vel dum ea diripiunt, dissimulant, exemplum eum statuens.

II. In eodem Concilio ab illo totius Germaniæ Legato Conrado, *Fridericus* Comes etiam Spirituali gladio punitus est, cum enim eum excommunicaret cum universis Ecclesiarum Prælatis illic congregatis, præcepit per omnes Provincias Legationis suæ, id est, Moguntinensem, Coloniensem, Trevirensem, Bremensem, & Magdeburgensem in omnibus Ecclesiis per omnes Dominicas cum extinctione candelarum eum excommunicari, nec eum solum, sed etiam omnes ejus adjutores, a quibus vel quorum consilio occisus est Præsul; itemque omnes, qui reos necis ejus foverent, vel eis communicarent.

III. Exhibitæ quoque in eodem Concilio sunt Conrado Legato literæ Theodorici Monasteriensis Episcopi & Engelberti Electi Osnabrugensis, (*b*) Germanorum fratrum Friderici (*ab Isenbug Parricidæ*) quorum prior de sacrilegio se excusavit, *paratum* se dicens *Canonice se purgare*, alter Episcopum ordinari se petiit, respondit Legatus se proniorem ad parcendum, quam ad puniendum, modo se excusare possint, diemque eis præfinit quo se purgarent in Concilio Leodiensi.

Cæsarius in vita S. Engelberti Archiepisc. Coloniens. c. XIII. suppletus ex Chronico Emmonis & Menconis Abbatum Werumensium, edito ab Abbate Stivagiensi inter sacræ antiquitatis monumenta pag. 426.

In Concilio Moguntiæ Priores Ecclesiæ Coloniensis pileum Engelberti Archi-episcopi Coloniensis VI. feria, die Beati Willebrordi, a Fretherico occisi, primo ter gladio incisum & sanguine respersum, deinde Camisiam cum Wambicio, quasi recenter tincto, ejulantes & cantantes: *Videtis Jacob vestimenta &c.* inferebant. Et ipse Cardinalis flens cum omni multitudine subjunxit: *Fera pessima.* Deinde a Ministerialibus Ecclesiæ Coloniensis accusati sunt, principaliter Episcopus Monasteriensis, & Fratres, & Comites multi. Monasteriensis autem, quasi moræ impatiens, diem & locum petiit ad se de objectis expurgandum. Præfixus est ergo ei dies Purificationis beatæ Virginis, & pro loco civitas Leodiensis.

Chronicon Emmonis Werumensis Abbatis, editum ab Illmo Stivagiensi inter Monumenta sacræ antiquitatis pag. 426.

[*a*] Occisus VII. Id. Novembr. anno MCCXXV. (*b*) Brunonis Osnabr. Episc. *Bucelino.*

CONCILIUM LEODIENSE

ANNO CHRISTI MCCXXVI. HONORII III. PAPÆ X.
FRIDERICI II. REG. IX. IMP. VII.

SUMMA. Duorum Episcoporum fratrum Friderici, qui S. Engelbertum occiderat: causa examinatur & in hoc Concilio succumbit: attamen exitus hujus Concilii varie a variis narratur.

POst finitum Moguntiæ in Adventu Domini anni MCCXXV. Concilium Theodericus

ricus de Isenburg, frater Fritherici Comitis de Isenburg, colligit expensas, & invitavit Priores Ecclesiæ Cathedralis suæ Monasteriensis, nec non & Priores totius Episcopatus, videlicet Abbates, Præpositos, Priores, & Decanos. Invitavit quoque Episcopos Bremensem Gerardum, Verdensem Isonem, Comitem de Welpa, qui eam Ecclesiam annis 26. administravit; Mindensem Conradum, Trajectensem Ottonem II, Bernardi Comitis Lippiensis filium. Et occurrit in Comitatum suum Mindensis, cum fratre suo Osnabrugensi.

Aderant & Abbates Frisiæ Sancti Bernardi, Floridi horti, & de Doccum. Et profecta est omnis multitudo VI. Kal. Februarii MCCXXVI. proxima feria post conversionem S. Pauli. Et solutum est gelu forte, & tendebant versus Austrum. Euronothus & Africus flatibus & imbribus valde homines & jumenta fatigarunt. Primo igitur die fessi venerunt ad Lippiam, secundo Duzburch, tertio Nussiam, quarto Ruram, quinto Aquisgranum, sexto videlicet in Purificationis vigilia Leodium. Die igitur Dominico, mane facto, in equis pompatice ibant ad Ecclesiam beati Lamberti Cathedralem, & exspectantibus Episcopis, & omnibus, post horam Primæ venit Vicarius quidam, & officium Missæ cœpit legere sine cantu. Ecclesia namque Coloniensis pro signo mœstitiæ solemnitatem cantandi prohibuerat, donec ultio fieret condigna pro scelere: & totus Clerus, quasi in triduo ante Pascha, in habitu lugubri & voce submissa horas reddebat. Cardinalis interim misso Episcopo Hildesemense proposuit, si placeret Dominis Episcopis differri Capitulum in feriam sequentem, & placuit. Aderant ibi, ut fama fuit, Episcopi IX, Comites plurimi & multitudo infinita. Die sequente ascenderunt Episcopi cum Comitatu suo aulam Episcopalem, in medium videlicet cœnaculum, & moram fecit Cardinalis, & fluctuabat plebs avida novitatis, & implebat Domum. Episcopi quoque plurimi exspectabant. Sed pro signo cunei Episcopalis, Cathedra Pontificalis super capita manu ferebatur. Accessit tandem Cardinalis, & semel, & secundo data indulgentia urgebat populum descendere, & descendit paulatim. Tandem placuit excommunicare remanentes, & in negotio illo alienos; & tunc timentes dederunt locum. Et facto silentio post prælibationem paucorum verborum Domini Cardinalis, surrexit Scholasticus Domini Osnaburgensis Olricus, & pulchre peroravit pro electo Ecclesiæ suæ captando benevolentiam, elidendo malam præsumptionem, exhibendo contra inimicorum confictionem, justam satisfactionem. Surrexerunt & Ministeriales Coloniensis Ecclesiæ, & Comes Gelrensis contra Monasteriensem. Contrà Ministeriales Monasteriensis pro Monasteriensi; & facto tumultu dilata est causa. Die vero proxima finxit se Cardinalis iturum extra civitatem, & recessit populus de aula & Clerus: sed clam rediens cum Episcopis intravit, & clausa janua dedit audientiam, & adjudicata est eis expurgatio per Episcopos. Et subtraxerunt se Episcopi, & territi defecerunt, & subsecuta est ab officio, suspensio & beneficio: & appositi sunt pro custodia spiritualium & temporalium Diœcesis Monasteriensis, Episcopus Patherbornensis, & Comes Gelrensis. Septimo igitur Martii profecti sunt Romam & pridie Kalend. Maji innotuit rumor depositionis eorum: videlicet Monasteriensis & Osnaburgensis electi fratris sui. Monasteriensis autem post brevi defunctus est, & frater gratiam Domini Papæ invenit.

Chronicon Emonis & Menconis Abbatum Werumensium, editum ab Hugone Stivagiensi Abbate, inter sacræ antiquitatis monumenta pag. 486. 487.

Theodoricus Comes de Isenburch nobilis ad Ruram Westphalicam castri, frater erat Fritherici Comitis de Isenburch ad Ruram, & Novi-pontis castri, Nienbrugge, ad Lippiam ædificati, demum Brunonis Osnabrugensis Episcopi. Hic Theodoricus anno 1222. Monasterium Marienfeld consecravit. Anno 1225. die Mariæ Magdalenæ primum lapidem jecit Cathedralis suæ Ecclesiæ, eamque ditavit, & auxit novem Ecclesiis, quæ censum Matrici Monasteriensi solverent. Obiit 1231. Magdeburgi sepultus. *Hobbelingen Historia Diœcesis Monasteriensis. Crantzius Lib. VIII. Metropol. Cap. V.*

Bruno Osnabrugensis, & frater, Monasteriensis Episcopus, velut complices, & ad minus conscii accusantur apud Summum Pontificem, & ut fertur, etiam convincuntur,

deponunturque, sed gratia assecuta restituuntur. Octo solis annis fertur Bruno Ecclesiæ Osnabrugensi præfuisse, quos impendit rebus Ecclesiæ salutaribus; plura facturus, si longior illi fuisset Pontificatus. *Krantzius Lib. VII. Metropol. Cap. XLIII.*

Albericus Monachus trium Fontium: unam alteramve circumstantiam Actorum in Concilio hoc Leodiensi addit:

ANno MCCXXVI. in crastino Purificationis, Dominus Cardinalis & Legatus apud Leodium habuit Concilium contra Monasteriensem Episcopum, & Osnaburgensem electum, qui erant fratres Friderici interfectoris Archi-Episcopi. Ibi probatum est contra eos, quod fratrem jam ubique excommunicatum de substantia sua & de militibus suis juvissent contra Ecclesiam & contra Imperium, & quod unus eorum dixit fratri *verbum*, unde magis commovit eum in necem Archi-Episcopi. Quid multa? Suspensi ab officiis, Episcopus etiam suspensus a beneficiis, Romam ire compulsi, depositi sunt, & alii in locum eorum fuerunt instituti. Idem Cardinalis Domnus Conradus & Subdelegatus ejus ab eo institutus Domnus Abbas Conrardus de Bebinhusen multa millia hominum Nobilium & ignobilium pro via Hierosolymitana cruce signaverunt.

Albericus Monachus trium Fontium. In Chronico, edente Leibnitio Tom. II. in accessionibus historicis pag. 519. *hæc de eodem Concilio Leodiensi habet.*

Cæsarius Heisterbacensis coævus & in Provincia Coloniensi scribens, paulo aliter factum Concilii Leodiensis refert:

LEodium cum venissent, Nobilibus conductum eis ex mandato Cardinalis Legati præstantibus, & non se Canonice cum septem Episcopis purgare hi duo Episcopi possent; Primoribus Coloniensibus, multisque aliis eos accusantibus, Legatus ex consensu Episcoporum plurimorum, qui præsentes aderant, ad Dominum Papam illos transmisit. Cui etiam inter cætera scripsit: Examini vestro dirigimus hos duos Episcopos, graviter de nece Engelberti infamatos.

CONCILIUM TREVIRENSE
PROVINCIALE CELEBRATUM
Anno Christi MCCXXVII. Honorii III. Papæ XI. Friderici II. Regis XI. Imp. VIII.
CANONES XVII.

Incipiunt Statuta Concilii Trevirensis.

PRecipimus firmiter & districte quatenus omnes Sacerdotes de cætero jejuni nigris capis & rotundis vel superpelliciis & stolis (*a*) Synodum intrent & tam eundo quam redeundo ita honeste in hospiciis suis se habeant, ne scilicet status Clericorum vertatur in contemptum. Item precipimus firmiter sub pœna suspensionis, ut unusquisque Sacerdos penes se habeat *Statuta Concilii Treverensis*, & *Præcepta Synodalia*, & singulis mensibus legant vel sibi legi faciant, & librum, in quo continentur, ad Synodum secum deferant & in manibus suis teneant ibidem.

I. *De Baptismo & ejus speciebus.*

Baptismus cum reverentia & honore celebretur in aqua communi sub hac forma. Ego Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & Laici doceantur a Sacerdotibus suis sic baptizare, etiam mulieres, ut sciant in articulo necessitatis. Et distincte proferantur, id est cum quadam magna discretione omnia verba in baptismo maxime

(*a*) In jejunio enim debet fieri & oratione.

me prædicta, in quibus tota vis Sacramenti consistit. Et Gallici Sacerdotes in Romano doceant Laicos, quomodo debeant baptizare parvos pueros suos in necessitate. Etiam Pater & Mater dicendo cum intentione baptizandi: *Je te baptoi en nomine Patre & do Fis, & do Sainte Esperit.* Theutonici vero dicant: *Ich duffen dich, in deme Name des Vaders, inde des Sonnes, inde des heiligen Geistes.* Et semper interroget Sacerdos laicum, cum in necessitate baptizavit, quid dixerit? aut quæ fecerit, aut quæ egerit? & si invenerit cum discretione baptizasse, & formam verborum observasse, & intentionem baptizandi habuisse, approbet factum & faciat sibi deferri puerum, & non baptizet eum: sed chrismate inungat eum & dicat illa verba, quæ dici solent. Sin autem, rebaptizet eum. Ad levandum puerum de fonte tres vel quatuor admittantur, quod amplius est a malo est, *& non plures.* (*b*)

II. *Sequitur de Confirmatione & Inunctione.*

Moneant Sacerdotes populum sibi subditum frequentare ad confirmationem, quia in hoc Sacramento datur Spiritus Sanctus ad corroborationem fidei per Sanctam Trinitatem & quod pueri adulti accedentes ad confirmationem prius pure confiteantur. Item ad Sacramentum extremæ unctionis moneant Sacerdotes populum sibi subditum, quia est medicina corporis & animæ & pluries potest iterari, quando contingit pluries lethaliter id est mortaliter egrotare. Sed baptismus, etiam confirmatis pluries non potest iterari, & Sacerdotes exhibentes devote exhibeant, & ipsa verba extremæ unctionis proprio ore proferantur, nihil inde exigentes ab infirmis. (*c*)

III. *Sequitur de Eucharistia.*

Sacramentum Eucharistiæ ad minus semel in anno suscipiant Laici prius contriti & pure confessi suo proprio Sacerdoti vel viris litteratis habentibus authoritatem delegatam, & habentibus licentiam a Sacerdote loci, ubi volunt & debent audire confessionem, si qui autem obmiserint sine licentia suorum propriorum Sacerdotum, illi nobis vel officiali nostro denuncientur super hoc ut justum fuerit corrigendi, corpus Domini cum campanula & lucerna & luminibus honorifice & decenter portetur infirmis, (*d*) item doceantur Laici a Sacerdotibus genua flectere, pectus pungere, manus jungere, dum Sacramentum Eucharistiæ sic portatur ad infirmos, si aliqua negligentia contigerit in hoc Sacramento, videlicet obmittendo effundendo, spargendo vel evomendo jussa Canonum observentur. Item Sacerdotes moneant populum sibi subditum, ut inducant eum ad sequendum corpus Domini devote sine clamore cum contigerit sic portari, item hostia ante transubstantiationis verba non elevetur *ad populum,* (*e*) item Sacerdos quando in necessitate oportet eum duas missas celebrare, si ad primam missam post consumptum sanguinem ablutionem sumpserit, jejunus non est ad secundam missam, nec ei licebit celebrare secundam missam; tamen illa ablutio tradatur alicui homini existenti bonæ vitæ & honestæ & continenti personæ, & non detur cuilibet rudi & indiscreto rustico existenti. Sacerdos quando ipse celebrat missam, sumat ipsemet corpus Domini, & alteri non det ad sumendum, nec pro infirmis sumat, quia nullo modo fieri debet; qui autem contra fecerit, pœna gravi *graviter* punietur; quia plus peccat dimittendo quam sumendo; item Sacerdos qui celebrat missam debet conficere corpus Christi & canonem legere: alias peccat mortaliter, quia facit populum adorare panem simplicem, quod est idololatria; item nullus Sacerdos celebret missam cum hostia consecrata aliquo modo, quia gravissime peccaret & gravissime puniretur; Item nullus Sacerdos det hostias non

(*b*) Pro Baptismo nihil omnino exigatur, sed si quid offertur, gratis accipiatur, fontes, chrisma, & sacrum oleum sub sera custodiantur propter sortilegia.

[*c*] Nullus Sacerdos confirmare aut consecrare virgines presumat, solius est enim Episcopi confirmare, virgines consecrare, Ecclesias dedicare, Ordines dare.

(*d*) Dicentes VII. Psalmos Pœnitentiales cum Letania eundo & redeundo, & si via longa fuerit, addant XV. gradus, & alias orationes S. Mariæ, & debitum solvant infirmo.

[*e*] Ut videri possit a populo, ne panem adoret.

[*f*] Horas Beatæ Virginis dicant devote non surgendo & calceando. Nullus Sacerdos Missas, quas injunxerit, celebret, nec tricenarium, nec annuale.

non consecratas parvulis & aliis hominibus pro corpore Christi: quia nullo modo fieri debet; Item nullus Sacerdos det corpus Domini parvulis vel infirmo quia *corpus Domini* (f) *non* cibum non valent retinere; item nullus Sacerdos propter occulta peccata mortalia, quod scit per confessionem, debet negare corpus Domini alicui publice: peccat enim graviter quilibet Sacerdos faciens hoc quod facere non debet; item ex relatione multorum audivimus quod quidam Sacerdotes sunt qui in Pascha Domini licentiant suos subditos ad communicandum non confessos in mortalibus peccatis ut propter Pascha Domini non confiteantur, eo quod ipsi Sacerdotes nimis tarde inceperunt audire confessiones suorum subditorum & ideo non possunt eos audire quod ne de cætero fiat, sub pœna suspensionis & excommunicationis firmiter præcipimus & districte inhibemus.

IV. *In quo loco confessio sit audienda.*

Sacerdotes confessiones suorum subditorum recipiant in loco patulo (g) & Sacerdotes non absolvant confitentes nisi pœnitentiam promittentes; item Sacerdotes remittant ad nos vel nostrum Primarium peccata graviora scilicet homicidia, sacrilegia, & maxime de corpore Domini nostri Jesu Christi, de Chrismate & de Oleo Sancto, de aqua Baptismi, & perjuria & falsa testimonia & peccata quæ sunt contra naturam, symoniam, incestum Monialium, consanguineorum, & deflorationem Virginum, veneficia, injectores manuum in parentes, vota fracta, incendiarios, usurarios, etiam & illos qui parvulos pueros suos opprimunt, etiam in illos qui pueros suos sine baptismo permittunt; item nullus Sacerdos presumat absolvere aliquem existentem reum in casibus pertinentibus ad Dominum vel ejus legatos nisi cautione idonea vel satisfactione precedente vel in articulo mortis. Primus casus est de illo qui verberat Clericum vel Religiosum, secundus casus est de illo, qui incendit Ecclesiam & est denunciatus excommunicatus ab Episcopo, tertius casus est de illo, cum quis frangit Ecclesiam, & similiter est denunciatus excommunicatus ab Episcopo. Quartus casus est de illo, qui scienter & sponte communicat excommunicato a Domino Papa, & eos recipit in officiis Divinis. Quintus casus est de illo, qui falsificat litteras Domini Papæ. Sextus casus est de illo, qui communicat aliter excommunicato a Domino Papa in termine scienter impendendo ei consilium auxilium vel favorem; item nullus Sacerdos absolvat aliquem a sententia excommunicationis (h) vulsa in eum authoritate superioris, nisi in articulo mortis; item præcipimus firmiter & districte ut Sacerdotes in casibus perplexis id est dubitariis & erroneis remittant subditos suos ad peritiores se, qui habent authoritatem super hæc delegatam; item nullus Sacerdos revelet confessionem directe vel indirecte, nutu verbo vel signo; generaliter vel specialiter: alioquin in degradatione honoris sui gravissime & indefinenter punietur; item in usura, rapina, fraude acquisitis, caveant sibi Sacerdotes ne injungant pœnitentias, vel Missarum, vel elemosynarum, vel hujusmodi prius quam ablata reddiderint; vel de reddendo cautionem præstiterint. Si habeant unde restituant; item nullus Sacerdos ex cupiditate sua injungat in confessione Missas, nec septenale, nec trienale, nec annale, & pro vivis nullum fiat tricenarium, nec annale; item in confessione non requirat Sacerdos nomina personarum, cum quibus peccaverint confitentes, sed circumstantias tantummodo & qualitates, quæ notantur in hoc versu: *quis*, *quid*, *ubi*, *per quos*, *quoties*, *cur*, *quomodo*, *quando*; item Sacerdotes cauti sint in interrogationibus de peccatis, ne simplicibus detur occasio faciendi, quod prius nesciverunt; item nullus Sacerdos non sibi subditum recipere præsumat in confessione, ligare vel absolvere; nisi de licentia nostra vel Presbyteri sui, & ex causa rationabili & honesta; item Sacerdos in casibus in quibus absolvere possunt, iis verbis utantur in absolutionibus suis: authoritate, qua fun-

(f) *forte* non *redundat.*

(g) Extra Ecclesiam confessiones non audiant, nisi in infirmitate, aut magna necessitate. Sacerdos audiendo confessionem vultum humilem habeat & inclinatum ad terram, nec faciem confitentis respiciat, & maxime multifaria debitæ honestatis compatienter audiat, quæ dicenda fuerint in spiritu lenitatis, & ut integraliter confiteatur, persuadeat.

(h) *forte* lata.

fungor, ego te abſolvo a vinculo excommunicationis, & reſtituo te unitati Eccleſiæ Sanctæ in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Item inhibemus firmiter & diſtricte, ne aliquis Sacerdos ſcribat peccata confitentium in litteris apertis ſed tantummodo clauſis.

V. *Sequitur de Matrimonio & ejus ſpeciebus.*

Matrimonium cum honore & reverentia & in facie (non enim riſu & jocoſe, ne contemnatur) Eccleſiæ celebretur, item præcipimus diſtricte ut, antequam matrimonium contrahatur, fiant edicta in Eccleſiis tribus diebus Dominicis & feſtivis, quod tales volunt contrahere; ſi aliquis ſcit impedimentum notum, ſcilicet conſanguinitatem, affinitatem, compatrinitatem & hujuſmodi dicat; & ſi nullum impedimentum invenerit Sacerdos nec in populo nec a contrahentibus, conjungat eos ſub debita forma verborum & proſequatur officium nuptiarum, ſicut ſcriptum eſt *in libris ordinarii*; item clandeſtina matrimonia prohibemus Sacerdotibus, ne aliquo modo ab eis fiant; item nulla perſona ignota recipiatur ab aliquo Sacerdote ad contrahendum matrimonium ſine littera Epiſcopi ſui, vel Officialis, vel perſonæ authenticæ, cui fides ſit adhibenda; item prohibemus firmiter & diſtricte, ne Laici, quicunque ſint, authoritate ſua ſine Sacerdote aliquos matrimonialiter audeant conjungere, quod ſi fecerint tam ipſis, quam eis in hoc aliquo modo conſentientes uſque ad dignam ſatisfactionem excommunicentur, & alias pœna gravi puniantur, & hos diebus Dominicis præcipimus per Presbyteros ſubditis ſuis denunciari & intimari. In matrimonio autem celebrando obſervetur hæc forma verborum; ut dicat vir mulieri: *Accipio te in meam uxorem*; mulier autem econtrario viro dicat: *Accipio te in meum maritum*, & hæc verba ſint de præſenti, & non de futuro. Verba autem hæc in ſponſalibus obſerventur: accipiam te in meam uxorem; accipiam te in meum maritum, ita ut ſint verba de futuro, & non de præſenti; item præcipimus ut pro benedictionibus nuptiarum ſicut nec pro aliis Sacramentis conferendis nullus Sacerdos aliquid exigere audeat vel præſumat; item cum libera debent eſſe matrimonia, inhibemus, ne quis conſanguineus, affinis, vel alius poteſtatem habens ſuper volentes matrimonio conjugi, recipiat quocunque colore quæſito aliquam pecuniam pro matrimonio contrahendo, vel contrahendo impediendo.

VI. *De Eccleſiis & ad eas pertinentibus.*

Item munda ſerventur vaſa miniſterii & veſtes & pallæ Altaris, ampullæ chriſmatis non ſint vitreæ, ſed de aliquo metallo maxime de a ſtagna (a) & diligenter diſcernant Sacerdotes, in quo vaſe ſit chriſma, in quo vaſe ſit oleum ſanctum, in quo vaſe ſit oleum infirmorum; item præcipimus, ut illi qui tenentur ornare Eccleſias, in coopertura videlicet, in libris, in veſtimentis & aliis neceſſariis ad Eccleſias pertinentibus, eas exornent & faciant hoc, quod tenentur; ita quod exinde non poſſint redargui, ſed ut magis debeant, & poſſint ab aliis commendari; Sacerdotes ſui Presbyteri habeant hoſtias decentes & non putridas, vel muſcidas in mundo vaſe; item quando corporalia lavanda ſunt, primo ponantur a Sacerdotibus in aqua, & poſtea tradantur alicui religioſæ perſonæ ad lavandum; item præcipimus firmiter & diſtricte, ut aqua baptiſmi oleum ſanctum, chriſma, oleum infirmorum, corpus Domini, diligenter & ſub firma cuſtodia & ſera cuſtodiantur, & in tali vaſe, quod cum ipſo Sacramento non valeat leviter apportari, quicunque autem Sacerdotes in hoc negligentes fuerint, graviſſime punientur; item Sacerdotes non dimittant altaria, ita parva, ut in eis cum timore celebrare oporteat; item Sacerdotes firmiter præcipiant ſubditis ſuis, ut cimeteria eorum firmiter ſerentur, ne pecora & alia animalia intrent; item nullus Eccleſiam audeat obligare pro debitis alienis, alioquin nihil valeat, & ſic ſit ſuſpenſus ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium; idem dicimus de monacho pro laici debitis obligato; item nullus Sacerdos portionem ab antiquo aſſignatam audeat minuere, ſeu Eccleſiam conſtituere cenſualem; item non permittant Sacerdotes ludos Theatrales fieri in Eccleſia, & alios ludos inhoneſtos; item Eccleſia debet reconciliari ſi conjuges vel alii in Eccleſia commiſceantur, idem dicimus de cimeterio; Item

(a) forte *de ſtanno.*

item pro ſimplici fornicatione ; item pro adulteris , & homicidis ; item pro effuſione ſanguinis violenta ibi facta ; item nullus in odium alterius altaria denudet, vel crucifixum deponat, vel ſpineis coronis circumdet, vel pro vivis cantet miſſam pro defunctis, vel nomine eorum quos odit, feretrum cum exequio mortuorum in Eccleſia ponatur, ut citius moriantur, quia graviſſime puniretur & deponeretur ; item nullus Sacerdos permittat ſibi ad Altare fœminam miniſtrare ; item campanariæ non vendantur, ſed gratis alicui honeſtæ perſonæ concedantur ; item inhibemus, ne fontes, arbores , aut etiam aliæ creaturæ quæcunque ſint, vel etiam oſſa mortuorum in muris inventa, de quibus nec Sacra Scriptura loquitur, nec aliqua veritatis apparent argumenta, aliquatenus ab aliquibus adorentur, quia idololatria eſt & etiam ritus gentilitatis ; item præcipimus, ut feſtum Sanctæ Catharinæ virginis , & martyris ſolemniter celebretis, & faciatis a veſtris ſubditis devote celebrari ; item feſtum Sanctæ Eliſabeth.

VII. *Sequitur de Canonicis & Beneficiatis.*

Item præcipimus, ut omnes faciant ſe ordinari , ſcilicet alii in Subdiaconos , alii in Diaconos , alii in Sacerdotes ſecundum quod nobis, Decano, & ſuo capitulo viſum fuerit expedire ; item tales caveant diligenter ne ab eis (*) matrimonium crucifixi male expendatur ; item monemus omnes & ſingulos, habentes beneficia curam animarum habentia, ut, ſecundum quod conſtitutum eſt in Concilio Lugdunenſi, infra annum ſe faciant in Presbyteros ordinari, & reſidentiam faciant perſonalem, alioquin contra ipſos, quodcunque debuerimus, procedemus, & de ipſis beneficiis ordinabimus, prout ad noſtrum officium pertinebit ; item inhibemus omnibus perſonis Eccleſiaſticis ſub pœna ſuſpenſionis, quam in contra facientes ferimus , nequis præſentet vel præſentatos admittat , ad beneficia curam animarum habentia, manifeſtum vel notabilem patientes in ætate defectum . . . . *Hic reperiuntur in Codice duæ paginæ in 8vo vacuæ* . . . .

VIII. *Sequitur de Decanis.*

Item præcipimus firmiter & diſtricte ut omnes Decani Collegiorum , & Chriſtianitatis , in ſuis capitulis legi faciant *Statuta Concilii Trevirenſis, & Statuta Synodalia,* & ad obſervationem omnes moveant , & efficaciter introducant; item præcipimus, quod Decani accuſent vel deferant nobis vel Officiali noſtro omnes Sacerdotes & Clericos, luſores, & tabernarios , fornicatores manifeſtos, & celebratores clandeſtinorum matrimoniorum & uſurarios & negotiatores: ſimiliter alii Clerici de Decanis hoc idem facere teneantur ; item nullus Sacerdos celebret miſſam ſine matutinis, & horis dictis debitis, & in mortali peccato exiſtens, & ſuſpenſus officio ſuo, & communicans excommunicato non abſolutus ; item præcipimus firmiter & diſtricte, nequis Sacerdos quacunque occaſione aliquid exigat pro ſepultura, aut pro aliquo Eccleſiaſtico Sacramento , ſed piæ conſuetudines obſerventur ; item moneant Sacerdotes populum ſibi ſubditum ad confeſſionem puram & integram faciendam proprio Sacerdoti ſuo, vel viris litteratis habentibus authoritatem ſuper hoc delegatam ; item præcipimus ſervare jejunia conſueta, & Sacerdotes doceant populum ſibi ſubditum, quæ ſunt peccata mortalia in communi & quæ ſolita ſunt fieri. Sicut : furtum, uſura, rapina, venditio ad novum, vel emptio; blaſphemiæ, fornicatio, operari in diebus feſtivis, & aliorum inobedientia Divinorum mandatorum , mala decimatio , falſum judicium, malum externum , ſacrilegium , homicidium , incendium , & violentia , error in fide, fictio, Ypocriſis , & invidia , ira , gula , acedia , ſuperbia , ſimonia , & hujuſmodi. De talibus vero in articulis fidei & de decem præceptis , Sacerdotes ſubditos ſuos inſtruant, & alias illitterati & inexperti Sacerdotes nullatenus populo ſibi ſubdito prædicare præſumant , ne contingat eos fieri magiſtros erroris, qui nunquam fuerint diſcipuli veritatis , ſed cum ab aliis viris litteratis ſubditis ſuis contigerit prædicari , verbum Dei devote audiant & diſciplinate, & inde propter ſcandalum hominum non recedant ; & nullatenus verbum Dei, quod pro ſuorum fit ſalute ſubditorum, impedire audeant , ſed in omnibus promoveant , in quodcunque poſſunt ; item præcipimus firmiter & diſtricte, ut viros religioſos, ſcilicet fratres Prædicatorum & Minores

(*) patrimonium

nores, cum ad vos venerint, benigne recipiatis, & caritative pertractetis, & plebes vobis subditas ad hoc inducatis, ut ab ipsis verbum Dei audiant, & alias eorum consiliis sanis acquiescant, diligenter & fideliter moneatis. Alios vero cujuscunque ordinis vel status cujuscunque sine nostris litteris ad prædicandum vel confessiones audiendas, seu pœnitentias, indulgentias injungendas nullatenus recipere præsumatis. Item præcipimus firmiter & districte Sacerdotibus, ne prædicare permittant aliquos illiteratos, videlicet Begardos vel conversos vel alios cujuscunque ordinis sint, etiam extra Ecclesiam, videlicet in vicis, vel in plateis: etiam Sacerdotes Parochianis suis præcipiant, ne tales audiant propter hæreses & errores quos seminant in populo, similiter & quæstionarii prædicatores formam prædicandi in generali Concilio Lugdunensi promulgatam extendentes, & falsa veris intromiscentes, de falsitate interposita etiam coram populo redarguantur, & quia quæstionarii hujusmodi per litteras falsas aut revocatas, super quibus deliberare non sciunt simplices Sacerdotes, quæstum faciunt; districte præcipimus, & firmiter inhibemus, ut nullus deinceps sine litteris nostris vel Officialis nostri aliquatenus recipiatur, item inhibemus districte, ne quis Sacerdos mulieres suspectas in domo suo habeat, & Decani nostri nuncient nobis de Sacerdotibus illis, quos sciunt habere focarios, negociatores aut usurarios: alioquin & ipsi Decani ab officio sint suspensi. Item præcipimus quod Sacerdotes vestes decenter longas & non viridis aut rubei coloris gerant, & cingulum habeant contectum super pellicia vel capas habeant rotundas, & deferant ad Ecclesiam (b) ona superfluis maxime nodis aureis vel argenteis in vestibus suis; & in capuciis suis nec in se nec in equis suis ad aliquam vanitatem pertinentibus non utantur: tonsuram clericalem Sacerdotes portent & bonorum morum honestatem digna conversatione protendant; item tripudia & choreas & hujusmodi ludos sæculares in cimiteriis & in Ecclesiis fieri non permittant, alioquin a Divinis per triduum ipso facto noverint se suspensos: a talibus ergo tripudiis & hujusmodi ludis sæcularibus & choreis sub pœna suspensionis se ipsos Sacerdotes abstrahere omnino præcipimus firmiter & districte; item præcipimus ut Sacerdotes scribant omnes reditus Ecclesiarum suarum in missalibus suis; item Sacerdotes nunquam exponant aliquid de ornamentis Ecclesiasticis, nec aliquid religiosi audeant exponere judæis sine nostra licentia speciali; item prohibemus, ne vicarii perpetui ponant inter cennarios, alioquin constituens & constitutus uterque ab officio suo suspensus denunciabitur; item præcipimus districte, ut nullus Sacerdos præsumat habere plures Ecclesias Parochiales cum effectu, non prius habita nobiscum dispensatione: item præcipimus quod ad omnes Sacerdotes curati sigilla sua infra unum mensem sibi fieri procurent; item præcipimus quod nullus quasi Presbyter deserviat cum patre suo Presbytero, nec post patrem immediate; item faciles sint ad audiendas confessiones pauperum & ad conferendum Sacramenta nihil ab eis exigentes; item caveant sibi Sacerdotes sub privatione honoris sui, ne sollicitent aliquam personam in confessione, quod & verbis fieri prohibemus, contrarium facientes excommunicamus; item præcipimus, quod Sacerdotes suspensi, excommunicati, simoniaci, stocorii, fornicatores cum suspensi sint, quo ad se & quo ad alios celebrare non præsumant, non prius habita dispensatione; item præcipimus quod Sacerdotes illiterati non conferant cum judeis coram Laicis, & Sacerdotes præcipiant omnibus subditis suis ne aliquam potationem vel medicinam ab eis sumant; item caveant sibi omnes Sacerdotes ut filios suos vel filias suas non permittant contrahere cum illis, quos baptizaverunt, quia non staret matrimonium, item Sacerdotes non prohibeant mulieribus, si statim post partum volunt reconciliari Ecclesiæ, quia possunt, non tamen debent commisceri viris.

IX. *De Sacerdotibus & Clericis.*

Item præcipimus etiam districte, ut omnes Sacerdotes habeant breviaria sua in quibus possint horas suas legere quando sunt itinere; item nullus Sacerdos celebrare missam præsumat sine Clerico secundante; Item Sacerdotes ante prandium suum cibum benedicant, & postea omnes Sacerdotes gratias agant, & seden-

(b) hiatus in MS.

ſedentes in menſa pias collationes habeant, utiles & honeſtas : item nullus Sacerdos celebret de die duas miſſas niſi in caſibus conceſſis, videlicet in Nativitate Domini poteſt dicere tres miſſas ; item Sacerdos in aliis diebus poteſt unam miſſam celebrare pro defunctis & aliquam de die, ſi neceſſe fuerit propter neceſſitatem peregrinorum, hoſpitum, & infirmorum vel forte nuptiarum ; item nullus Sacerdos vel Prælatus vaſa Eccleſiæ vel ornamenta, vel cortinas ad uſus ſæculares convertat vel ad convivia concedat ; item nullus Presbyter arma ferat vel Clericus ; item nullus ſacerdos candens ferrum benedicat ; item nullus Sacerdos injungat infirmos oleo benedicto; item nulli Sacerdotes duellis, Torneamentis, furum ſuſpendiis, & judicio ſanguinis, & etiam Clerici non interſint ; item ſolemnia jejunia ab Eccleſia inſtituta diligenter obſervent omnes Sacerdotes, & faciant a ſubditis obſervari ; item præcipimus ut omnes Sacerdotes ignoti aut extranei, ſine noſtra aut ejus, qui a nobis ſuper hoc poteſtatem habeat, licentia præſumant in noſtra diœceſi celebrare ; item præcipimus ut omnes Sacerdotes non permittant Trutannos & alios vagos ſcolares aut goliardos cantare verſus ſuper *Sanctus & Agnus Dei*, aut alias in miſſis vel in Divinis officiis: quia ex hoc Sacerdos in canone quamplurimum impeditur & ſcandalizantur homines audientes ; item inhibemus ſub pœna excommunicationis, quam in contra facientes ferimus, ne quis ſæculari quacunque præditus poteſtate juriſdictionem Eccleſiaſticam impedire vel perturbare præſumat, & quod Presbyteri dictos contra facientes diebus Dominicis denuntient ſic ligatos; item præcipimus omnes illos qui abſolutionem a ſententia excommunicationis in eos lata vel revocationem ejuſdem per vim vel metum extorquent, excommunicatos ſingulis diebus Dominicis & feſtivis nunciari & quod abſolutio hujuſmodi ſeu revocatio nullam penitus obtineat firmitatem ; item monemus omnes Clericos qui concubinarias ſuas manifeſte detinent ut infra XV. dies ab earum converſatione omnes deſiſtant eaſque a ſe rejiciant & expellant, nec eas vel alias recipiant ſub pœna excommunicationis quam in iis ſcriptis ferimus in contra facientes.

X. *Sequitur de uſuris.*

Item præcipimus diſtricte ut omnes uſurarii reſtituant, quæque ultra ſortem perceperunt ſub pœna contra eos in Lateranenſi Concilio edita, quæ talis eſt. Statuimus ut omnes uſurarii manifeſti nec ad communionem admittantur Altaris, nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato diſceſſerint, accipient ſepulturam, ſed nec oblationes eorum quaſcunque accipiat: qui autem acceperit aut Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, & quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatisfaciat, ab officii ſui executione ſit ſuſpenſus ; item præcipimus diſtricte, ne in mutuo ultra ſortem aliquid exigant ; & ne propter moram ſolutionis aliquid petant ; ne etiam propter inducias ſua mercimonia carius vendant, & ne pecuniam ſuam ad cauwercinos . . vel judæos ponant propter lucrum & ne ex pacto procurent ſibi fieri remunerationes, quia non excuſantur apud Deum ; item præcipimus ut ſorte deducta reddant pignora, & remittant, item diſtricte præcipimus ne nomine tutelæ vel præcautionis vel timore Domini ſui aliqui committant uſuras; quia ſicut non ſuo ita nec alieno nomine debet quis fenus id eſt duplicem uſuram exercere ; item præcipimus ne ea intentione mutuent pecuniam ſuam ante meſſem vel vindemias recepturi in meſſe vel vindemiis bladum vel vinum pro multo minori pretio, quam valeat in tempore bladum vel vinum emant illicite paciſcendo ante meſſem vel vindemias ad exponendum ſive expendendum in domibus tantum & non ad vendendum ; item inhibemus Sacerdotibus & Clericis beneficiatis, ne tempore meſſis vel vindemiarum emant vilius bladum vel vinum a pauperibus ut poſtea carius vendant ; item omnes vicioſos contractus aliunde, ſive in locatione ſive ſegetibus in campis ad emendis in futurum, ne fiant ſecundum æſtimationem aliquorum peritorum firmiter inhibemus ; item nullus ſcienter emat rapinam, quia tenetur ad reſtitutionem.

XI. *Sequitur de nobilioribus Advocatis.*

Item monemus & ſub Divinæ ultionis pœna præcipimus, ut nobiles & Domini terræ homines ſuos permittant dies feſtos celebrare & non compellant eos

eos arare nec alias eis angarias festivis diebus imponant ; item præcipimus districte, ut se circa se cavercinos, & alios usurarios ita habeant, ut in generali Concilio est statum ; item Dominis terræ præcipimus aut judæis suis, ut eos cogant sub aliqua pœna ut non intromittant se de aliqua medicina, nec aliquam potionem dent Christianis ; item cum de consuetudine sit approbata, & tam diu observata, quod non extat memoria tam religiosi quam Clerici injuriantes vel molestatores suos coram judicibus Ecclesiasticis in causam traxerint, & nonnulli nobiles *vel* Barones Ballivi, præpositi, villici, & alii Laici potestatem sæcularem habentes Treverensis Diœcesis, tam Religiosos quam Clericos coram se litigare compellant & non patiantur eos suum prosequi jus coram judicibus Ecclesiasticis ; præcipimus universis & singulis Presbyteris quatenus in Ecclesiis vestris prædictas personas moneatis, ut ab hujusmodi tam Religiosorum quam Clericorum molestatione desistant, nos enim prædictas personas quæ jam post dictam monitionem Religiosos & Clericos coram se compulerint litigare, excommunicationis vinculo innodamus, & præcipimus, eos singulis diebus Dominicis & festivis excommunicatos publice denunciari, item cum hodie causæ non debeant agitari nisi in civitatibus vel locis magnis & solemnibus, ubi possit haberi copia juris peritorum, inhibemus ne causæ ex jurisdictione ordinaria descendentes, ab aliquo vicario, Rectore, & Decano Christianitatis inter subditos audiantur, nisi vel de plano, vel de consensu partium, partes suas vel compositionem amicabilem interponant ; maxime cum in negotiis diffiniendis duo, ut sacrorum canonum testatur auctoritas, sententia videlicet, & potestas necessario requirantur, item moneantur Laici a Sacerdotibus suis, ut in omni juramento tria observent, alioquin sunt perjuri videlicet: veritatem, judicium, & justitiam ; quia si aliquid istorum trium defecerit, perjurium dicitur: veritas enim debet esse in conscientia, hoc est ut firmiter sciat sic esse vel non esse; alias si credit tantum, non debet de scientia & de credulitate jurare propter quod omnes committunt perjurium, qui ita jurant esse vel non esse, quibus firmiter non constat de facto ; item judicium debet esse, judicium discreta deliberatio, id est, ut etiam non juret verum nisi propter necessitatem vel utilitatem ; item justitia debet esse, ut id quod juratur sit licitum & honestum ; item non excusatur a perjurio qui compulsus sciens perjurat: quia ambo sunt perjuri, scilicet præcipiens, & faciens ; item moneantur Laici ne proni sint ad jurandum, & pro modica causa ; item præcipimus omnibus Sacerdotibus, ut mala juramenta impediant in quomodo possunt ; item in omnibus diebus Dominicis & festivis moneant Sacerdotes suos subditos, ne juvent aliquem jurare ratione consanguinitatis, timoris, pecuniæ, vel amoris, quia omnes taliter jurantes nisi firmiter sciant & constet eis de facto, perjuri sunt; cum videlicet jurant ita esse vel non esse quod ignorant ; item diligenter intimetur omnibus Laicis a Sacerdotibus suis quam graviter illi delinquunt, qui perjurium committunt.

XII. *Sequitur de Religiosis.*

Item statuimus imprimis, ut Monasteria ordinum Sanctorum, videlicet Benedicti, Augustini ad observationem Regulæ & Ordinis sui reformentur ; item nulli monacho vel moniali duo officia in Monasterio assignentur, nisi de providentia Abbatis & de consensu Capituli propter evidentem necessitatem vel utilitatem Monasterii, & nisi aliter Abbas & Conventus judicaverit esse ordinandum ; item præcipimus districte, ut omnes novitii post annos discretionis vel probationis statim faciant Professionem suam in manu Abbatis.

XIII. *Sequitur de Paupertate voluntaria, & communi vita.*

Item præcipimus districte, ut omnes monachi & moniales omnibus proprietatibus suis mobilibus & immobilibus, quas hactenus habuerunt, sine difficultate renuncient, & omnia in communes usus Monasterii redigantur, qui vero renuntiare renuerint, excommunicentur, quod si nec sic resipuerint per Abbatem aut Abbatissam, aut si non possunt, per nos restringantur. Item quæcunque monachi aut moniales in morte habuisse proprium deprehensi fuerint, Ecclesiastica sepultu-

 ra,

ra; (a) si qui vero talium hactenus in cimeterio fratrum hactenus sepulti fuerint, ejiciantur; item præcipimus, ne monachi denarios, quos in Missis vel privatis recipiunt, vel publicis in sacrificiis, sibi reservare præsumant, sed Abbati, vel cui ipse præcipit, assignentur in communes usus expendendi. De denariis anniversariorum vel tricesimorum, & omnium quæ ad manus eorum devolvuntur, nemo sibi quidcunque appropriare præsumat, nec per monachos, nec per moniales dividantur, de cætero, sicut hactenus per abusionem fieri consuevit, si (b) in communes usus omnia redigantur; item præbendæ, quæ per abusionem hactenus divisæ fuerant, in communitatem redigantur. Nulli ergo omnino pro victu denarii assignentur, si de communi salario sive cellario pascantur; item monachis, & monialibus, vel conversis curtes, vel allodia pro certa pensione de cætero nullatenus assignentur, si quæ vero assignata sunt, statim omnino revocentur.

XIV. *Sequitur de Dormitorio & Refectorio.*

Item Abbates cum Monachis, Abbatissæ cum Monialibus dormiant in Dormitorio communi, & omnes tam monachi, quam moniales in dormitorio communi dormiant; nisi illi qui ægrotant, & nusquam utantur coopertoriis in lectis de pannis coloratis vel etiam cortinis; item præcipimus districte Abbatibus & Abbatissis, ut suis subditis tam in victu quam in vestitu secundum uniuscujusque Monasterii possibilitatem necessaria administrent, panis vero & vinum, & alia necessaria dentur fratribus in communi ad sufficientem necessitatem, nec alicui aliquid specialiter assignetur, & quod unicuique in ejusmodi superfuerit, iterum ejusmodi communitati reservetur vel pauperibus distribuatur, & hospitalia Pauperum in omnibus Monasteriis *reserventur*, restaurentur, & eis consueti reditus assignentur; item inhibemus districte, ne monachi vel moniales habeant servos vel ancillas spirituales, nisi forsitan in talibus constituti sint officiis, quod eis omnino carere non possint, & tunc de conscientia Prælatorum suorum eos assumant, si quis autem alias tales personas retinere præsumpserit, expelli eos de Monasteriis per Prælatos præcipimus.

XV. *Sequitur de castitate & alia vitæ honestate.*

Item præcipimus, quod quicunque Monachus vel Monialis in lapsum carnis ceciderit, de quo erit manifestum, ad nullam deinceps dignitatem vel officium possit assumi in Monasterio, nisi per emendationem manifestam, & honestam conversationem suam per Sedem Apostolicam, vel ejus Legatum, vel loci ordinarium, secum meruerit dispensari; item præcipimus, quod si quis Abbas vel Monachus in officio positus in vitium carnis lapsus fuerit, de quo fuerit manifestum ab officio moveatur in continenti, & in pœna sui criminis de cœtero stet ultimus in choro, vocem in capitulo non habeat, ad aliquam Monasterii ordinationem non veniat, nisi propter manifestam emendationem providentia Abbatis eum de consilio conventus duxerit admittendum. Ad Abbatem vero vel officium aliquod nunquam eligatur deinceps; nisi ut dictum est per Sedem Apostolicam vel ejus legatum vel loci ordinarium secum meruerit dispensari; idem circa Abbatissas & Moniales & Canonicas Regulares districte præcipimus observari; item præcipimus districte & firmiter omnibus Abbatibus, ut prohibeant suos subditos a mulierum suspecta familiaritate, & ne aliunde aliquis eorum ubicunque solus cum sola sedere vel stare præsumat aliquatenus. Item ludos chorearum, alearum, schacorum, taxillorum, annulorum, Monachis & Monialibus interdicimus omnino; & ne infra septa sui claustri, vel ipsum claustrum tabernas ipmas (c) ubi vel alibi intrare, ibi sedere, bibere, vel ludere aliquis audeat firmiter inhibemus.

XVI. *Sequitur de vestiaria & procuratione vestimentorum honestate.*

Item præcipimus districte, ut Abbates & Monachi, Abbatissæ & Moniales, nec mantella, nec surchotos portent de cætero, nec habeant pannos de nigra bruneta, nec de moreto, sed quanto possit haberi melioris pretii, prout regula præcipit; cucullas autem habeant cum amplis capuciis & latis, & quando equitant, cappis utantur nigris & clausis non clamidibus. Item statuimus, ut habeant Abbatissæ & Moniales habitum decentem & Religiosum, sorchotas autem laucas & tunicas nullo modo habeant; item ut dictum

(a) *supple* priventur: (b) *forte* sed, *loco* si. (c) sic *MS.*

dictum est, mantella de Bruneta, nigra, sive mureta & pellicea de vario, & alias exquisitas & sumptuosas pelles districte omnibus inhibemus; item non habeant moniales manicas strictas vel consuricias, nec habeant monilia, nec fibulas, nec annulos aureos vel argenteos, nec aurifrigia, nec cingulos sericos, nec aliquem sæcularem ornatum; item Abbatissæ & Moniales, quando eas egredi contingit, non utantur habitu sæculari, nec habeant ...sellas deauratas aut phaleratas, aut frena deaurata, sed modeste incedant & religiose; item superpellicia habeant & religiose formata, non crispata nec nimis longa.

XVII. *Sequitur de porta & fenestra.*

Item præcipimus, ut Abbates ostia claustrorum suorum claudant, & portas, nec egredi permittant aliquos Monachorum sine socio & sine causa legitima & rationabili necessitate; qui autem propria temeritate egredi præsumpserit, hoc ipso careat, videlicet quod vocem in Capitulo non habeat, & locum tenebit ultimum in Choro, donec per nos vel Officialem nostrum fuerit revestitus. Item claves claustri sint semper apud Priorem, nec, sicut dictum est, aliquis sine licentia exire audeat, vel aliquam mulierem cujuscunque sit conditionis vel dignitatis, introducere præsumat sine Abbatis licentia speciali, introducta tamen cum licentia non interius nec comedat ullo modo. Item claves semper habeant Abbatissæ super se, & si eas contingat quandoque abesse, committant eas Priorissæ; item prohibemus, ne Monialibus de cætero detur licentia egrediendi de Monasterio, etiam causa visitandi Parentes vel amicos, nisi forsitan inevitabilis urgeat necessitas, ut puta fames, vel incendium, vel aliud hujusmodi, & tunc quanto citius potest fieri, revertantur. Item in quolibet Monasterio ordinetur Monialis Deum timens, discreta pudicitiæ, & religionis amatrix, quam fenestrariam vocant, quæ diligenter custodiat fenestram, quam sonante Completorio firmiter feret, nulli datura locum ibi amplius fabulandi usque mane post dictam primam & Capitulo celebrato; item statuimus & districte præcipimus, ut nulla Monialis supervenientibus amicis vel parentibus loqui audeat sine licentia Abbatissæ vel Priorissæ, quæ statim ad fenestram locuturæ jungat sociam honestam & maturam, & nihil omnino sine licentia fenestrariæ loquatur; quod si Moniales facere præsumpserint, graviter punientur. Omnia, quæ de Monachis dicta sunt, a Canonicis Regularibus præcipimus in omnibus firmiter & districte observari. *Expliciunt.*

Expliciunt Statuta & Præcepta Synodalia Concilii Trevirensis.

Celebratum est hoc Concilium in Ecclesia Stæ Matris MARIÆ majoris Treveris, a Venerabili Domino Trevirensi Archi-Episcopo, præsentibus Provincialibus Episcopis & Provinciæ Prælatis. Anno Dni MCCXXVII. Kal. Martii. *Explicit.*

Ex codice MS. Pergameno Abbatiæ Benedictinæ S. Matthiæ prope Treveros.

Communicavit plurimum Rev. D. Dh'amu ejusdem Abbatiæ Professus.

Gesta Treverorum edita ab Illmo Hontbemio Prodromi Treverici pag. 796. hujus Synodi non meminere.

SYNODUS HILDESHEIMENSIS
Anno Christi MCCXXX. Gregorii IX. Papæ IV. Friderici II. Reg. XIII. Imp. XI.

SUMMA. *Conradus Episcopus dimidiam Decimam in Brunnen resignatam, Ecclesiæ S. Godehardi confert.*

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS.

CONRADUS, (*a*) DEI GRATIA, HILDESHEIMENSIS EPISCOPUS &c.

QUoniam in brevi tempore humana & labitur & transit memoria; idcirco de his, quæ coram nobis geruntur, ne oblivione intercidant, publica

lica fieri permittimus instumenta. Ad memoriam itaque futurorum cupimus pervenire, quod Dominus *B.* dictus de *Gandershcim*, miles, Hæredum suorum *C.* & *L.* & *Juttæ*, voluntarium habens consensum, dimidiam decimam in Brunen, quam a nobis in Feodo tenuit, LXX. libris receptis ab Ecclesia Sancti Godehardi in Hildesheim, ejusque Abbate *Ludolpho*, in manus nostras juxta villam in Hetwic, cum hæredibus jam expressis, coram viris idoneis tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, Domino *R.* majore Præposito, *H.* custode &c. & coram toto Clero, *in generali nostra Synodo*, resignavit; nos vero resignatione facta, pro Deo, & animæ nostræ remedio, favore Religionis, obtentu singularis erga nos devotionis, jam dicto contulimus Conventui, in proprietatem & beneficium eidem assignando &c.

Datum.

Ex codice MS. Bibliothecæ Moguntinæ Sæculi XIII.

(*a*) Conradus de Reysenberg, ex Decano Spirensi, & Canonico Moguntino, creatur Episcopus Hildesiensis circa 1221, plurimis extructis Cœnobiis & Clero reformato celebratur. Resignat Cathedram anno 1245.

GREGORII IX. Responsio ad Synodalem Quæstionem Bertholdi, Argentinensis Episcopi, ANNO MCCXXX. SCRIPTA.

SUMMA. Infans Hebræus a patre converso Baptismo traditus, in patris, non in matris hebrææ potestate educandus est.

GREGORIUS IX. (*a*) SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI ..... ARGENTINENSI EPISCOPO, (*b*) SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

EX litteris tuis accepimus, perlatam fuisse *ad Synodum tuam* hujusmodi quæstionem. " Quod quidam videlicet " de Judaicæ coecitatis errore, ad Christum, lumen verum, & viam veritatis adductus, uxore sua in Judaismo relictâ, in judicio postulavit instanter, ut eorum filius quadriennis assignaretur eidem, ad fidem Catholicam, quam ipse susceperat, perducendus: asserens, quod favore Religionis Christianæ, & quia puer infra discretionis annos erat, potius ipsum & fidem suam, quam matrem & ejus errorem sequi deberet. Ad quod illa respondit: quod cum puer adhuc infans existat, propter quod magis materno indiget solatio, quam paterno, sibique ante partum onerosus, dolorosus in partu, ac post partum laboriosus fuisse noscatur: ac ex hoc legitima conjunctio maris & fœminæ magis matrimonium, quam patrimonium nuncupetur; dictus puer apud matrem convenientius remanere, quam apud patrem, ad fidem Christianam de novo perductum transire debebat, aut saltim neutrius sequi, prius quam ad legitimam ætatem perveniat. Hinc inde multis aliis allegatis: tu autem prædicto puero medio tempore in tua potestate retento, quid tibi faciendum sit, in hoc casu nos consulere voluisti; cum vero filius in patris potestate consistat, cujus sequitur familiam, & non matris, & in tali ætate quis non debeat apud illas remanere personas, de quibus possit esse suspitio, quod saluti vel vitæ insidiantur illius, & pueri post triennium apud patrem non suspectum ali debeant, & morari, materque pueri, si eum remanere contigerit apud ipsam, facile illum posset adducere ad infidelitatis errorem, fraternitati tuæ in favorem maxime Christianæ fidei respondemus, patri eundem puerum assignandum.

Dat. Perusii XVII. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno III.

Ex codice MS. Vaticano N. 6198. descripsit Schannatus.

(*a*) Gregorius IX. sedit ab A. MCCXXVII. 19. Martii ad MCCXLI. 21. Augusti.
(*b*) Bertholdus, e Duce Teccensi, Episcopus Argentinensis fuit ab A. MCCXXVII. ad MCCXLIV.

CON-

CONCILIUM HERBIPOLENSE

Anno Chriſti MCCXXX. Gregorii IX. Papæ IV. Friderici II. Regis XIII. Imp. XI.

Ab Ottone Legato indictum, interventu literarum Ducis Saxoniæ, & ob cauſas Germanis Epiſcopis minus probatas omittitur.

ANNO MCCXXX. Otto Cardinalis a Daciæ partibus Coloniam veniens, inde recedens, apud *Herbipolim* Concilium Provinciale indicit, ſed renitentibus Principibus laicis, & paucis Eccleſiarum Prælatis venientibus, iratus receſſit.

Chron. Godefridi Monachi Pantaleonitæ edente Frebero.

Dux Saxoniæ contra Ottonem (*Legatum Herbipoli Concilium celebraturum*) mittit has Literas cum Baronibus, Venerabilibus Dominis Archi-Epiſcopis & Epiſcopis Alemanniæ, ac aliarum Eccleſiarum Prælatis:

ALBERTUS, DEI GRATIA, DUX SAXONIÆ, HENRICUS FRATER EJUS, COMES ASCANIÆ, CUM ALIIS NOBILIBUS, PER SAXONIAM CONSTITUTIS, PROMTUM IN OMNIBUS FAMULATUM.

„ INtelleximus, quod Cardinalis tam in partibus Saxoniæ, quam in aliis Imperii partibus præbendas dare diſpoſuit, inſuper alias ſervitutes ac oppreſſiones Eccleſiis noſtris inducere meditatur. Propter quod, ſi vultis evadere jugum perpetuæ ſervitutis pro legis (*forte legibus vel privilegiis*) Patrum conſervandis, & quia poſſeſſiones & ſancta in manus externas tradebantur, Maccabæi, quorum feſtum ſolemnizat Eccleſia, bella Domini ſtrenue pugnaverunt. Veriſſime dignitas Clericalis majori hodie ſubjaceat ſervituti, quam tempore Pharaonis, qui notitiam non habebat Divinæ Legis. Nam cum tempore famis poſſeſſiones omnium menſæ ſuæ deſervirent, res tamen Sacerdotum a talibus erant immunes, quinimo de publicis horreis eis eleemoſynam præberi mandavit. An neſcitis, quod eſtis inter Epiſcopos aliarum terrarum ſingulari privilegio decorati, cum non tantum Epiſcopi, ſed *& Principes & Domini ſitis?* Quare ergo vos trahi permittitis ad tam remota loca contra Conſtitutiones hactenus approbatas?

Et quædam alia ſignificata ſunt, per quæ Archi-Epiſcopi & Epiſcopi habito cum Rege conſilio inſtiterunt, quod totum illud Concilium remanſit.

Chronicon Alberici, Monachi trium Fontium, ad annum 1231. *ex editione Leibnitii in acceſſion. Hiſtoricis T. II. p.* 539.

Otto, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano, miſſus fuit a Domino Papa Gregorio IX. anno MCCXXX. ad ſubmittendum & conciliandum animos Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, & Baronum terræ Domino Papæ in diſpoſitionem (*lege* depoſitionem) Regis Alemanniæ Henrici, filii Imperatoris Friderici II, a Domino Papa excommunicati, & ad electionem alterius, qui repertus fuiſſet idoneus. Sed inter factum & dictum multa frequenter impedimenta occurrunt.

Albericus idem ad annum 1230.

Hoc eodem anno MCCXXX. Otto Legatus S. A. fuit in Dacia, & diſſenſionem, quæ in electione Rignienſis (*lege* Rigenſis) Epiſcopi emerſerat in Livonia, perfecte determinavit. Itaque illum, qui eligebatur ex parte Bremenſis Capituli, caſſavit, & Nicolaum de Medeborc (*lege* Magdeburgo) Canonice electum conſecravit.

Item Albericus in Chronico.

SYNODUS HUJENSIS

ANNO CHRISTI MCCXXX. GREGORII IX. PAPÆ IV.
FRIDERICI II. REG. XIII. IMP. XI.

APud Hujum in Pentecostes octavis Joannes Leodiensis Episcopus in Ecclesia novi Monasterii suam celebravit Generalem Synodum.

Albericus Monach. in Chron. ad h. a. 1230. *Ægidius anno* 1229. *Hujensem hanc Synodum adscribit, sed eum uno anno aberrare, notat Foulon.*

SYNODUS LEODIENSIS

Anno Christi MCCXXXI. Gregorii IX. Papæ V. Friderici II. Regis XIV. Imp. XII.

SUMMA. *Ottonis Legati sententia de restituenda communione, vel æqualitate omnium beneficiorum, non acceptata.*

PEragrata superiore Germania, Leodium descendit Otto, Cardinalis Diaconus S. Nicolai in carcere Tulliano, subinde Portuensis Episcopus, IV. Kalendas Februarias, quo Dominica Sexagesimæ (*a*) celebrabatur, canebaturque in Missæ sacrificio: *Commovisti Domine terram & conturbasti eam.* Qui versus multis male ominatus, & turbas portendisse visus est. Nam ubi Nuntius Pontificius Joannem Apianum Principem Leodiensem in fœdus cum Pontifice Romano Gregorio IX. pertraxisset, ad alia se consilia convertit sane ardua & inaudita. Ecclesiastica omnia, quæ ubicunque essent, bona (*b*) in æquas distribui portiones volebat, easque singulis e Clero ita assignari, ut sublato omni discrimine, nemo tenuiori, meliori nemo sorte frueretur. Nam divitiis iidem fere cæteros antecellunt, qui dignitate, auctoritateve. Quare, ubi nullis rationibus a sententia Nuntium abduxerunt, ad Præsidem Aquensem (*c*) confugiunt, quem sibi non paulo æquiorem sperabant: quandoquidem infractis hac occasione Pontificiis partibus, amplissimam civitatem in officio Cæsari retenturus videretur. Nihil in hac re negligendum censuit Præses, omnique relicta mora Leodium advolavit. Non sustinuit in ejus conspectum venire Nuntius, auditaque adventus fama; mox urbe se proripuit. Fugienti socium se adjunxit Episcopus, valde consternatus animo. Trepidam adeo fugam cum admiratione, nec sine risu cives aspiciebant. Visi sunt fugientibus insultare; imo in fugam agere. Quo facto severe Nuntius sacra omnia Leodiis inhibuit, (*d*) solo baptismate pueris abluendis permisso.

Fisen Historiæ Leodiensis Lib. XIII. p. 496. *ad annum* 1231.
Foulon Historiæ Leodiensis Tom. I. p. 333.

(*a*) Septuagesimæ scripsit Ægidius in hoc facto recensendo: sed errorem corrigit Foulon: sequenti enim Sexagesimæ canitur *Commovisti*.

(*b*) Annis abhinc XXVII. facta fuerat partitio bonorum Ecclesiasticorum in singulos Canonicos: cum ante communis mensæ, dormitorii, & vestiariæ rei administratio penes Decanum & Præpositum fuisset. *Foulon.*

[*c*] Præses Cæsaris Friderici II. urbi Aquensi impositus.

(*d*) Idem Cardinalis Otto cum transacto tempore exiret portam civitatis Leodiensis; quidam de mandato Regis, ut dicitur, ipsum interficere voluerunt. Unde & crimen illud, quod unus vel duo ribaldi attentabant, Cardinalis in totam civitatem retorsit, & hac occasione ipsa civitas fere per annum gravi interdicto subjacuit. *Albericus Mon. ad h. a.*

Godefridus Pantaleonita hunc Ottonis adventum Leodium adscribit anno 1228. cum ex Ægidio aureæ vallis Monacho certum sit, ante annum 1231. non advenisse Leodium. *Foulon.*

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA
TREVIRENSIS,
Anno Chrifti MCCXXXI. Gregorii IX. Papæ V. Friderici II. Reg. XIV. Imp. XII.
A THEODORICO II. ARCHI-EPISCOPO CELEBRATA,
Adverfus enafcentes undique Hærefes.

ANNO Domini MCCXXXI. in ipfa civitate Treviri, tres effe fcholas Hæreticorum deprehenfum. Et plures erant eorum fectæ, & multi eorum inftructi erant Scripturis Sanctis, quas habebant in theutonicum translatas. Et alii quidem Baptifma iterabant; alii corpus Domini non credebant; alii corpus Domini a malis Sacerdotibus non poffe confici dicebant; alii corpus Domini indifferenter a viro, & muliere, ordinato, in fcutella & calice, & ubique locorum, poffe confici dicebant; alii Confirmationem & Unctionem fuperfluam judicabant; alii fummo Pontifici, Clero, & Religioni derogabant; alii defunctis fuffragia Ecclefiæ prodeffe negabant; alii matres proprias, confanguinitatem, quæ ibi erat, XVIII. denariis redimentes, in conjugium fumebant; alii pallidum hominem ante, & cattum retro ofculabantur; alii, dies omnes æquipendentes feriari, & jejunare nolebant, unde & diebus feftivis operabantur, & in Parafceve carnes manducabant.

Super his *Theodoricus* (*a*) Archi-Epifcopus *Synodum* tenuit, & quia invenit effe inter illos, qui haberent Epifcopum, quem cognominaffent fecundum fuum nomen, *Theodoricum*, & idem alibi feciffent de Epifcopis aliorum locorum; itemque haberent communiter Papam, nomine *Gregorium*; (*b*) ut fi interrogarentur de fide, eam fidem fe habere dicerent, quam habet Papa, & ille, & ille Epifcopus, eos nominatim nominantes, & fuos intendentes; hoc Archi-Epifcopus publice enuntiavit.

In eadem Synodo, tres hæretici exufti funt, & una mulier Luckhardis, quæ incredibili lamentatione lugebat Luciferum de Cœlo injufte extrufum, quem volebat denuo relocare in Cœlum.

Item, in eadem Synodo Archi-Epifcopus excommunicavit falfatores Monetarum, tam jubentes, quam facientes.

Hæc ex codice MS. vetufto Cœnobii Tholegenfis defcripta Praga ad me mifit Celfiffimus Pragenfis.

Plane concordant Gefta Treverorum Illuftriffimi Hontbemii Prodromi Volumine II. pag. 796.

Ex Martene Tomo IV. veterum Monumentorum pag. 244.

Browerus Lib. XV. Annal. Treverenfium eandem Synodum recenfet.

(*a*) Theodoricus II. ex Comitibus de Weda, Archi-Epifcopus Treverenfis electus anno MCCXII. obiit MCCXLII. 28. Martii.

Præter hanc Synodum, duas alias celebravit:

Unam MCCXXVII, quam nos nunc Primum e tenebris erutam edidimus.

Tertiam anno MCCXXXVIII, quam & Illmus Honthemius in Hiftoria Diplomatica ediderat.

(*b*) Sedem Pontificiam tunc obtinebat Gregorius IX.

Epiſtola Gregorii IX. Pont. ad Theodoricum

Archi-Epiſcopum Trevirenſem, de Hæreticis examinandis, ſecundum formam Concilii generalis, ac deinde emendandis, vel puniendis.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI ARCHI-EPISCOPO TREVIRENSI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

DOlemus, & vehementi commotione turbamur, quod Teutonia, quæ, ſicut hortus Spiritualium voluptatum Catholicæ viriditate Fidei, & operum pietate redolere conſuevit hactenus & vigere, nunc apparet plena ſentibus & fœdata ſordibus vitiorum; & niſi Dominus reliquiſſet in ea benedictionis ſemen, viros ſinceros, fidem Zelantes, negotium correctionis ipſius eſſet ambiguum, & forſitan deſperandum. Nunc vero, ſicut in veritate comperimus, Tu, & alii Eccleſiarum Prælati tollentes ſeſinam ad dolorem ejus, ac cum Evangelico Samaritano, vinum & oleum infundentes vulneribus, vigilanter inſtatis, ſi forte ſit ſanitas.

Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica Scripta diſtricte mandamus, atque præcipimus; quatenus aſſumptis tecum viris religioſis, & Deum timentibus, ac in jure peritis, in examinatione, atque dampnatione & reconciliatione, ſecundum formam Concilii Generalis, & ſtatuta, nuper a nobis edita, procedas attentius, proviſurus, ut ſic puniatur temeritas perverſorum, quod innocentiæ puritas non lædatur. Univerſis auctoritate noſtra mandantes, quibus hoc negotium fidei commiſſum eſt, ut ſecundum formam ac ſtatuta præſcripta procedere non poſtponant, contradictores per cenſuras coercendo.

Dat. Anagniæ, XII. Kal. Novembris.

Ex codice MS. Abbatiæ Tholegienſis deſcriptam communicavit mihi Celſiſſimus Pragenſis Archi-Epiſcopus, Operis noſtri Mecænas.

Friderici II. Imperatoris Auguſti Conſtitutio

de libertate conceſſa gentibus, ad Catholicæ Fidei unitatem converſis.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS &c. REGIBUS, DUCIBUS, PRINCIPIBUS, MARCHIONIBUS, ET UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS, IMPERIO ROMANO SUBJECTIS, GRATIAM SUAM ET OMNE BONUM.

I. AD hoc ſummi diſpenſatione conſilii (*a*) Principalis obtinuimus Monarchiam dignitatis, & Imperii Romani ſuſcepimus diadema; ut, etſi ad alia extrinſeca debita ſollicitudo nos provocat, ad ea tamen, quæ libertatis Eccleſiaſticæ ſtatum, & incrementum Catholicæ Fidei promoverent, tanto ſpecialius intendamus, quanto gratius in hoc Chriſto impertimur (*b*) obſequium, a quo fides noſtra cepit exordium, & per quem Imperialis gratiæ recognoſcimus unctionem.

II. Hinc eſt igitur, quod per præſens ſcriptum notum fieri volumus univerſis præſentem paginam inſpecturis, ad noſtram nuper ex veridica fidelium inſinuatione notitiam perveniſſe, quod quædam gentes in ſeptemtrionalibus partibus conſtitutæ, videlicet in Livonia, Eſcovia (*c*) Pruſſia, Semigalia & in aliis Provinciis convicinis, inſpirante Divina gratia cœlitus, & eo, qui ubi vult, ſpirat, expulſa de cordibus eorum ſuperſtitionis caligine, cor carneum induentes, ab infidelitatis errore diſcedere cupiunt, &

(*a*) *al.* præ aliis Principibus.
(*b*) *al.* inde Chriſto impartitur.
(*c*) *MS.* Pracia.

& ad veri Dei cultum, & Catholicæ fidei unitatem accedere sunt parati, ob illius tantum (sicut dicitur) id facere differentes timorem, ne post susceptionem fidei per Principes orbis libertates eorum ad servitutis onera deducantur. Cumque penitus censeamus indignum, & cunctis Christi cultoribus abhorrendum, ut libertas, quæ per se res favorabilis est, privilegium, & favorem, quæ per fidem meretur, amittat; ea omnia prævenienda duximus de gratia speciali. Et ecce, quod universos & singulos eorum, ad susceptionem Catholicæ fidei venientes, post susceptam fidem, cum omnibus bonis eorum, sub nostra & Imperii protectione, & speciali defensione suscepimus & præsentis scripti auctoritate plenam eis, & hæredibus eorum intuitu susceptæ fidei, concedimus & confirmamus perpetuo libertatem: nec non omnes immunitates, quibus uti consueverunt, priusquam converterentur ad fidem.

III. Eximimus insuper eos etiam a servitute & jurisdictione Regum, Ducum & Principum, Comitum & cæterorum Magnatum, præsenti sancientes edicto, ut non nisi Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ ac Romano Imperio, quemadmodum alii liberi homines Imperii teneantur.

IV. Nullusque eos contra præsentis protectionis, defensionis, concessionis, & confirmationis nostræ paginam impetere, molestare, offendere, vel eorum quietem turbare præsumat. Quod qui præsumpserit, indignationem nostram & Imperii se noverit graviter incursurum.

V. Quare universitatem vestram hortando & rogando monemus, attentius hortantes, quatenus prædictas gentes, accedentes ad fidem, ob illius amorem, cujus intuitu & inspiratione ducuntur, qui eas denuo ad se vocat, benigne protegere, fovere, ac tueri potenter ab incursibus malignorum, & ob reverentiam Imperii commendatas habere velitis, ut universos & singulos possimus exinde merito commendare . . . . . .
Deest data & subscriptio.

Goldastus Tomo II. Constitutionum Imperialium pag. 77. non indicato fonte.

Canonizatio Virgilii, Saltzburgensis Episc. post factam relationem a Commissariis Prælatis Germaniæ de veritate Miraculorum, anno 1230. a Papa constitutis.

GREGORIUS PAPA IX. UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS, AD QUOS LITERE ISTE PERVENERINT.

Sicut fiale auree, quas vidit Joannes plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, in conspectu Altissimi, ad abolendam nostrorum criminum corruptelam odorem suavitatis emittunt; ita saluti nostre credimus plurimum expedire, si eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipsorum merita solempnibus recolendo preconiis, quorum in cœlis speramus intercessionibus assiduis adjuvari. Sane de conversatione vite & meritis beati Virgilii, quondam Saltzburgensis (*a*) Archi-Episcopi, atque de ipsius virtutibus & miraculorum insigniis, cui Dominus tantam contulit gratiam, ut ad dandam scientiam prime stole immortalitatis ipsius & experimentum evidens de secunda, sepulchrum ejus tot & tantis daret coruscare miraculis, quod ejus inter alios Sanctos non invocari suffragia est indignum, per depositiones testium super hoc

Virgilius, Episcopus Salisburgensis, obiit anno 784. *judice Hansizio Tom. II. German. Sacra pag.* 96. Corpus Sancti elevatum fuit 1181: Miraculis cum inclaresceret, Gregorius IX. anno 1230. Episcopo Brixinensi, & nonnullis Abbatibus Ord. Cistercii mandatum dedit inquirendæ veritatis Miraculorum.

Ea relatione anno 1233. Romam perlata, Papa de consilio fratrum & Prælatorum Sanctum pronuntiat Anno VII. Pontificatus, 1233.

[*a*] *lege:* Episcopi.

hoc receptorum certiores effecti, ac attendentes, esse conveniens, ut sic ei auctoritate Apostolica dignus honor exhibeatur in terris, sicut claris signis, & evidentibus argumentis apparet honoratus in celis; ipsum, qui corporaliter dissolutus cum Christo esse meruit in cœlestibus, ne illius honori debito & glorie detrahere quodammodo videremur, si glorificatum a Domino permitteremus ulterius humana devotione privari, de fratrum nostrorum, & Prelatorum, qui tunc erant apud Sedem Apostolicam constituti, consilio Sanctorum cathalogo duximus adscribendum. Statuentes, ut V. Kal. Decembris, videlicet quo carnis ergastulo absolutus ad cœlestia regna pervenit, ab universali Ecclesia natalicia ejus devote ac sollempniter celebrentur. Quocirca universos vos rogamus, monemus, & hortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus die prædicto in commemoratione ipsius Domino assurgatis in laudes, ejus patrocinia humiliter implorantes, ut annua sollempnitate memoriam recolentes ipsius, ejus suffragantibus meritis spiritualium consequamini gratiam gaudiorum. Nos autem cupientes sepulchrum tanti Confessoris, qui miraculorum fulgoribus illustrat Ecclesiam generalem, congruis honoribus frequentari; omnibus vere penitentibus & confessis, illud in festivitate ipsius usque ad octavum diem annis singulis cum reverentia visitantibus, de Omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus aucthoritate confisi, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani XIV. Kal. Julii anno septimo.

Præsens sumptum ex originali in Archivo Secreto Vaticano asservato extractum & collationatum concordat, salva semper &c. ideo subscripsi, meoque munivi sigillo. Romæ 30. Julii 1701.

(*L. S.*) THOMAS DE JULIIS Vice-Præf. ejusdem Archivi & Proto-Notarius. Apostolicus.

Hansiz Tom. II. German. sacræ pag. 335.

SYNODUS LEODIENSIS

ANNO CHRISTI MCCXXXIII.

Die *Martis post Dominicam Trinitatis*, quædam mala per fulmen & tonitruum facta sunt, & sequenti die, hoc est, *feria quarta Calend. Junii* apud Leodium, *Joanne* (*a*) ejusdem civitatis Episcopo Generalem Synodum in Ecclesia S. Lamberti, celebranti, præsentibus universis totius Episcopatus Ecclesiarum Prælatis, ceciderunt lapides glaciei magnitudinis miræ & maximæ super prædictam Ecclesiam. Fuerunt, qui dixerunt grossitudinem istorum lapidum ad modum ovorum columbarum fuisse.

Albericus Mon. trium Fontium in Chronico ad hunc annum.

(*a*) Joannes Apianus Episcopus Leodiensis.
Primam Synodum in Novo-Monasteriensi ad Huum templo celebravit anno MCXXX.
Foullon in Historia Leodiensi, qui de hac Synodo tribus annis posteriore nil meminit.

CONCILIUM MOGUNTINUM

Anno Christi MCCXXXIII. Gregorii IX. Papæ VII. Friderici II. Reg. XVI.

SUMMA. *Præmissa narratione grassantis Hæresis per Germaniam & severissimæ inquisitionis,*

II. Subjungitur Epistola Moguntini ad Papam de hac inquisitione.

III.

III. Epiſtola Papæ ad Henricum Regem de Hæreticis graſſantibus.
IV. Concilii Moguntini Acta varia.

PEr Alemanniam vero facta eſt tanta hæreticorum combuſtio, quod non poſſit numerus comprehendi, & dictum eſt de quodam, quod non potuit comburi, donec allatum eſt ante ignem corpus Domini. Ultra Coloniam fuit quædam Synagoga hæreticorum, ubi reſponſum dabat imago Luciferi: ſed ubi Catholicus Clerus (*Clericus*) advenit, & pixidem cum Corpore Domini de ſinu protulit, peſtifera imago corruit. Item quod quædam ſpecialis amica Luciferi ad ignem deducta ſublata eſt a Dœmonibus, & non comparuit, & in hunc modum multa dicta & facta ſunt, & multi nobiles accuſati ſunt, & multi, ut dicebatur, injuſte dehoneſtati, & hac de cauſa congregatum eſt *Concilium Moguntinum* in præſentia Regis & Archi-Epiſcoporum & Principum:

Tertio die poſt Concilium interfectus eſt Magiſter Conradus de Marborg (in die Abdon & Sennes &) cum eo duo Minores.

Deinde diligenti facta inquiſitione ſuper iſta peſtifera ſecta Luciferianorum, & ſuper prædictis, Archi-Epiſcopus Moguntinus, & frater Bernardus de ordine Prædicatorum, quondam Pœnitentiarius Domini Papæ, reſcripſerunt Domino Papæ in hæc verba:

Epiſtola Archi-Epiſcopi Moguntini ad Papam Gregorium IX.

QUod Magiſter Conradus contra pauperum Lugdunenſium aſtutias zelo fidei armatus nefandam hæreſim Manichæorum, filiam olim abſconditam, ita putavit ex toto deprehendere, ſi teſtes, qui ſe confitebantur aliquantulum criminis eorum conſcios & participes, in illorum abſentia reciperentur, & dictis illorum ſimpliciter crederetur; ita ut ſemel accuſato talis daretur optio, aut ſponte confiteri & vivere; aut innocentiam jurare, & ſtatim comburi. Et ecce falſos teſtes ab hæreticis, ut credimus, ſubornatos adduxit inimicus, quædam fœmina vaga Alaidis, annorum viginti caſu veniens peregrinam (*Pigniam*) (*a*) finxit ſe hæreticam, illius ſectæ fuiſſe ſuum virum apud Cruneborch concrematum, & ſe velle cremari innuens a latere: quod ſi Eccleſia verbis ſuis credendum decerneret, hæreticos abſconditos & fautores eorum manifeſtaret. Hæc miſſa eſt a Magiſtro *Conrado*, qui nimis ei credidit, & ipſa primo apud Clavelt villam; de qua oriunda fuit, cognatos, & notos, & affines, qui eam exhæredare videbantur, fecit comburi; ſubornato etiam quodam *Amfrido*, quem modo fecimus in vinculis detineri, qui confeſſus eſt, quod multos innocentes alios ad ignem, alios ad tonſuram, per teſtimonium ſuum congerit (*b*), Magiſtro Conrado judicium fulminante. Et horum accuſatio paulatim cœpit aſcendere *a ruſticis ad burgenſes honorabiles, & eorum uxores, inde ad caſtellanos & nobiles, & in fine ad Comites prope & longe poſitos.* Et Magiſter nulli, quantum vis altæ perſonæ locum dedit legitimæ defenſionis, nec etiam confiteri proprio Sacerdoti, ſed accuſatum oportuit confiteri, ſe hæreticum eſſe, *buffonem tactum*, pallidum virum, & hujusmodi monſtra diſſitentiæ pacis in oſculo ſalutaſſe. Taliter quidam Catholici abjudicati maluerunt innocenter cremari & ſalvari, quam mentiri de crimine turpiſſimo, cujus non erant conſcii, & ſuplicium promereri; quibus ipſe Magiſter Martyrium promittebat: alii infirmi potius elegerunt mentiri, quam comburi, quibus tamen oportuit ſcolas nominare, & reſpondebant: *Neſcio, quem accuſem: dicite mihi nomina, de quibus ſuſpicionem habetis.* Cumque proponeretur de Comite Seinenſi? de Comite Aneberg? (F. Heuneberg) de Comitiſſa de Lotz, reſpondebat evadere volens: *illi ita rei ſunt, ut ego, & illi in ſcolis fuerunt, ut ibi ego fui*, & ſic frater fratrem, uxor virum, Dominus ſervum accuſavit. Alii dabant pretia ton-

(*a*) *forte:* Pingviam, Bingen infra Moguntiam.

(*b*) *forte:* coegerit.

tonsoratis, ut docerent modum evadendi, & facta est confusio a sæculis inaudita. Ego Archi-Episcopus Magistrum Conradum primo solus, postea cum duobus Archi-Episcopis, Coloniensi & Trevirensi monui, ut moderatius & discretius in tanto negotio se gereret, qui non acquievit; sed tandem contra nostram monitionem *crucem publice prædicavit* Maguntiæ. Quo viso quidam ex illis interfecerunt eum prope Marburg.

Tandem congregati apud Franckenvort (*a*) cum Archi-Episcopis & Episcopis usque ad XXV. multis Imperii Principibus. . . . .

Deinde Dominica *Lætare Jerusalem* apud Moguntiam examinavimus Comitem Seinensem, & alios, de quibus habita est quæstio, & restituimus eos famæ & possessionibus. Mendacibus pro perjurio injuncta est pœnitentia septennalis. Eos, qui innocentes accusaverant, ad pedes Domini Papæ transmisimus. Qui Magistrum Conradum occiderant, excommunicati sunt. De pueris scolaribus, qui cum aliis ad ignem concurrerunt, inquisitio si sint irregulares: De innocenter mortuis quæritur consilium Domini Papæ. Quid ad hoc Dominus Papa rescripserit, nondum scitur: nisi quod pœniteat eum satis, quod tantam dicto Magistro Conrado potestatem permiserit, unde talis confusio emerserit.

Albericus Monachus trium Fontium in Chronico, edito a Leibnitio Tomo II. accessionum Historicarum pag. 543. 544. 545.

(*a*) Albericus hic confundit Chronologiam. Conventus Francofurti est habitus 1234. in Februario: Moguntinus anno 1233. mense Julio.

Subjungo Epistolam Papæ Gregorii ad Friderici (a) *Filium Henricum Regem, de Hæreticis in Germania grassantibus, corrigendis, sanandis, puniendis.*

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTO FILIO NOBILI VIRO HENRICO, CARISSIMI IN CHRISTO FILII NOSTRI, FREDERICI ROMANORUM IMPERATORIS, ILLUSTRIS SEMPER AUGUSTI, JERUSALEM ET SICILIÆ REGIS, FILIO. S. A. B.

VOx in (b) *Rama audita est, ploratus multus & ululatus.* Rachael plorat, videlicet pia mater Ecclesia, filios, quos diabolus mactat & perdit: quasi consolationem non recipit, quia filii more vipereo matris viscera lacerantes, ipsam interimere maluerunt. Nam multitudo dolorum urgentium, quibus, ut parturiens mater ipsa circumdatur, vociferari eam, & dicere: Ventrem meum doleo, cum Propheta compellit. Cum enim *omnis* [c] *creatura usque adhuc ingemiscat* secundum Apostolum, *& parturiat*; genitricis Ecclesiæ sacer uterus viscerum suorum dolore turbatur, quæ feri singularis morsibus discerpitur. Ille siquidem coluber tortuosus, quem obstetricante manu Domini de cavernis propriis, carnalibus scilicet hominum cordibus eductum legimus, & contra eos pugnat extrinsecus, in quibus intrinsecus jam non regnat, & quorum dominium intus perdidit; bella molitur foras, novam persecutionem Ecclesiæ Christi, immo verius sponso Christo per ministros suos operarios iniquitatis instaurat. Ipse enim, qui *a principio in veritate non stetit*, sed mutare in mendacium nititur veritatem, ut latius suæ fraudis virus effundere (*d*), perdere pugnantes animas elaborat, ne fœtus fidei, quam ex amore Divino conceperant, ad partum valeant consummati operis pervenire. Unde nos, qui (*e*) causam tenemur fœcunditatis ejus habere, quasi secantis perfidiæ mucrone conscindimur; dum in suis visceribus hæreticorum scindentium ejus uterum venenatis sagittis novi erroris & confusionis appetimur inauditæ; totusque in amaritudine funditur spiritus. Effusum est in terra jecur nostrum, turbata est anima nostra valde, ac impletus est doloribus venter noster. Defecerunt præ lacrymis oculi nostri, & super

(*a*) *forte* hæc est Responsoria ad Moguntini Archi-Episcopi delationem, scriptam ad hunc Pontificem. (*b*) Jerem. XXXI, 15. Matth. II, 18.
(*c*) Roman. VIII. 22. (*d*) *forte:* effunderet. (*e*) *lege:* curam

ſuper tam nefandis abominationibus contremuerunt renes, omnia viſcera ſunt commota: reprimere lacrymas & continere ſuſpiria non valemus. Sicut enim litteræ Venerabilium Fratrum noſtrorum Archi-Epiſcopi Moguntini & Epiſcopi Hildeſenſis, ac dilecti filii noſtri (d) Magiſtri Coraudi de Marburch, Prædicatoris verbi Dei, grandi mœrore plenæ, & immenſo dolore non vacuæ nobis exhibitæ continebant, inter diverſas hæreſum ſpecies, quæ peccatis exigentibus Alemanniam infecerunt, una ſicut deteſtabilior cæteris, ſic & generalior univerſis, quæ non ſolum referentibus, ſed etiam audientibus eſt horrori, in nobilibus membris Eccleſiæ ac valde potentibus jam erupit. Hæc enim eſt omni diſſona rationi, omni pietati contraria, omni cordi odibilis, cœleſtium omnium & terreſtrium inimica, contra quam non ſolos homines ratione utentes, verum etiam ratione carentia, cum hæc peſtis eorum excedat inſaniam, immo & ipſa clementia debent inſurgere & armari. Hujus peſtis initia talia perferuntur.

I. Nam dum novitius in ea quisquam recipitur, & prædictorum primitus ſcholas intrat; apparet ei quædam ſpecies ranæ, quam bufonem conſueverunt aliqui nominare. Hanc quidam a poſterioribus, & quidam in ore damnabiliter oſculantes; linguam beſtiæ infra ora ſua recipiunt & ſalivam. Hæc apparet interdum in debita quantitate, & quandoque in modum anſeris vel anatis; plerumque etiam furni quantitatem aſſumit.

II. Deinde novitio procedenti occurrit miri palloris homo nigerrimos habens oculos, adeo extenuatus & macer, quod conſumtis carnibus ſola cutis relicta videtur oſſibus ſupraducta. Hunc novitius oſculatur; & ſentit frigidum ſicut glaciem; & poſt oſculum Catholicæ Fidei memoria evaneſcit de ipſius corde totaliter.

III. Ad convivium poſtmodum diſcumbentibus & ſurgentibus completo ipſo convivio, per quamdam ſtatuam, quæ in ſcholis hujus eſſe ſolet, deſcendit retrorſum ad modum canis mediocris catus, niger retorta cauda; quem poſterioribus primo novitius, poſt Magiſter, deinde per ordinem ſinguli oſculantur, qui tamen digni ſunt & perfecti. Imperfecti vero, qui ſe dignos non reputant, pacem recipiunt a Magiſtro, & cæteris ſingulis per loca ſua poſitis, dictisque quibuſdam carminibus, verſus catum capitibus inclinatis, per ſe nobis dicit Magiſter & proximo. *Quis hæc percipit?* Reſpondente ac dicente tertio: *Summus Magiſter?* Quartus ait: *Nos obedire debemus.*

IV. Et his ita peractis extinguuntur candelæ, & proceditur ad fœdiſſimum opus luxuriæ, nulla diſcretione habita inter extraneas & propinquas.

V. Quod ſi forte virilis ſexûs ſuperſunt aliqui ultra numerum mulierum; *tamdiu poſſeſſiones ignominiæ in deſideriis ſuis invicem exardeſcentes maſculi in maſculos turpitudinem operantur. Similiter fœminæ immutant naturalem uſum in eum, qui eſt contra naturam*, hoc ipſum inter ſe damnabiliter facientes.

VI. Completo vero tam nefandiſſimo ſcelere, & candelis iterum reaccenſis, ſinguliſque in ſuo ordine conſtitutis, de obſcuro ſcholarum angulo, quo non carent perditiſſimi homines; quidam homo procedit a renibus ſurſum fulgens, & ſole clarior, ſicut dicunt, & deorſum inſipidus ſit catus, cujus fulgor illuminat totum locum. Tunc Magiſter excerpens quid de veſte novitii, fulgido illi dicit: *Magiſter hoc mihi datum do tibi.* Illo fulgido reſpondente: *Bene mihi ſervivſti; pluries & melius ſervies, tuæ committo cuſtodiæ, quod dediſti.* Et his dictis protinus evaneſcit. Corpus etiam Domini ſingulis annis in Paſcha de manu recipiunt Sacerdotis, & illud ad domos ſuas ore portantes, in latrinam projiciunt in contumeliam Redemptoris. Ad hæc infeliciſſimi omnium miſerorum gubernantem cœleſtia pollutis labiis blaſphemantes, aſſerunt delirando cœlorum Dominum violenter, contra juſtitiam & doloſe Luciferum in inferos detruſiſſe. In hunc credunt etiam miſeri, & ipſum affirmant cœleſtium conditorem, & adhuc

(d) De eo vide in vita S. Eliſabethæ, Regis Hungarorum filiæ, apud Surium 19. Novemb.

huc ad ſuam gloriam, præcipitato Domino, rediturum, per quem, cum eodem; & non ante ipſum ſe ſperant æternam beatitudinem habituros. Omnia Deo placita non agenda fatentur, & potius agenda, quæ odit. Proh dolor! quis umquam audivit talia? Quis tam nefaria cogitare, quis tantam non poterit abominari perfidiam? Quis tantæ perfidiæ poterit non iraſci? Quis contra hujus proditionis & perditionis filios poterit non accendi? Ubi zelus Moyſi, qui una die idololatrarum viginti tria millia interfecit? Ubi eſt zelus Phinees, qui Judæum cum Madianitide uno pugione confodit? Ubi eſt zelus Eliæ, qui quadringentos quinquaginta Prophetas ad torrentem Ciſon gladio interemit? Ubi eſt Mathatiæ zelus, cujus furor ſecundum legis judicium adeo eſt accenſus, ut inſiliens trucidaret Judæum immolantem idolis ſuper aram? Ubi eſt auctoritas Petri, qui & Ananiam & Saphiram pro eo, quod *Spiritui Sancto mentiri non timuerint*, exarſit? Certe, ſi contra tales terra conſurgeret, & iniquitates ipſorum cœli ſydera revelarent, & manifeſtarent eorum ſcelera toti mundo, ut non ſolum homines, ſed etiam ipſa elementa conjurarent in eorum excidium, & ruinam, ipſoſque delerent de terræ facie, non parcentes ſexui vel ætati, ut eſſent cunctis gentibus in opprobrium ſempiternum, ultio de ipſis ſumi non poſſet ſufficiens ſive digna. Cæterum licet magna ſit horum peſtilentium contritio velut mare, ſcientes tamen, *quod non eſt abbreviata manus Domini*, ut ſalvare non poſſit, & excoquere ad purum ſcoriam eorundem, & omne ſtannum auferre, compatiendo ex intimo cordis ſuper conſtrictione eorum pervalida, ne nobis valeat imputari, quod eam circumligare correctionum faſciis neglexerimus, & manſuetudinis oleo confovere: ac ſperantes quoque quod ille, qui etiam iratus non deſinit miſereri, non ſemper continebit ſuæ pietatis viſcera ſuper eos, ſed de illorum manu transferet calicem iræ ſuæ; circa correctionem illorum prævidimus laborandum. Quia vero in ore dictorum Archi-Epiſcopi, & *Magiſtri Conradi non eſt verbum Dei alligatum*, qui in eo infundente gratiæ ſuæ imbrem, *qui dat omnibus affluenter*, potentes ſunt opere ac ſermone; ipſos rogandos, ac monendos duximus in Domino, ac hortandos, in remiſſionem eis peccaminum injungentes; ut ſumant reſinam ad mitigandum dolorem, & vulnera ipſorum ſananda. Accedant Angeli pacis ad exhibendam eorum plagæ medullam, & ad correctionem diligenti ſollicitudine, ac ſollicita diligentia elaborent. Quod ſi forte, ut ferrum per monitionem eorum extrahatur de vulnere, non fuerit eis deſuper datum, & ipſorum computruerint adeo cicatrices, quod plaga ipſa quaſi penitus deſperata noluerint ad ſinum matris Eccleſiæ prona mente redire; tantam ac talem cautionem de converſione ſua ac perſeverantia exponentes, quod de recidivo ipſorum perfidorum de cetero nullatenus ſit verendum: quia in tam grandi & gravi morbo recurrendum eſt ad validiora remedia, ubi medicamenta levia non profuerunt; & apponendum ferrum & ignis vulneribus, quæ fomentorum non ſentiunt medicinam, putridis carnibus, ne partem ſinceram attrahant, amputatis; advocent contra eos receptatores, defenſores, & ipſorum ſpiritualis & materialis gladii præſtantem. *Videtur hic aliquid deeſſe.*

Martene Anecdotorum Tom. I. p. 950.

Redeamus ad Concilium Moguntinum habitum forte, in vim Pontificiæ Epiſtolæ.

IGitur ſupra memorati ſanctæ Catholicæ fidei zelatores, acerrime hæreticis inſiſtentes, cum ruſticanorum hominum utriusque ſexus innumeram multitudinem, tum contundendo, perdiverſa loca poſſum dediſſet, appoſuerunt & divites impetere atque magnates. Inter quos dum *Comitem Henricum de Seyna* aggrederentur, mirum, quod Comes ille, qui magnæ crudelitatis eſſe dicebatur, litteras citatorias ſibi *a Magiſtro Conrado* transmiſſas cum æquanimitate ſuſcepit, ſtatimque ad *conſilium Cleri*, *& religioſorum* tutus (e) convolavit, Regis quoque & Epiſcoporum. Quid plura? Factus eſt Conventus Epiſcoporum ac Principum cum Rege Henrico apud Moguntiam, *in feſto S. Jacobi*,

(e) *Eccard. legit* totus.

Jacobi, ubi, Comite comparente, & Magiſtro Conrado in cauſa deficiente, accuſatoribus & teſtibus reſilientibus, aliis ſe coactos, vel circumventos, in Comitem mala dixiſſe ſe fatentibus, aliis de odioſa præſumtione (*f*) notatis, Rex alium diem ad ventilandam altius cauſam edici voluit. Comite autem inſtantius petente, ut ad finem cauſæ tenderetur, Archi-Epiſcopus Treverenſis dixit ad Comitem: *Dominus meus Rex vult, quod cauſa iſta differatur*; & ad populum: *Denuntio vobis, quod Comes Seynenſis hic recedit pro homine Catholico, & inconvicto.* Magiſter Conradus (*g*) ſubmurmurando ait: *Si convictus eſſet, alia ratio eſt.* A quo conventu cum Magiſter Conradus ſumto Regis & Epiſcopi Moguntini conductu recederet, reverſurus, in ſua, in via interemtus eſt, una cum ſocio ſuo Gerardo quodam.

Manſi Tom. II. Supplem. p. 994.

Geſta Treverorum, edita ab Eckharto Tom. II. Corporis Hiſtorici Germanicæ: ſed pleniora ab Illuſtriſſimo Hontbemio in Volumine II. Prodromi Hiſtoriæ Treviricæ.

Godefridus Pantaleonita Colonienſis, qui Comitem Suevienſem nominat, ſed Seynenſis legunt alii.

Chronicon S. Petri Erfurdienſe apud Menckenium Tomo III. Scriptor. Saxoniæ hoc addit:

In Concilio Moguntino hoc anno (*b*) III. Idus Martii a Sigefrido celebrato, Epiſcopum habuiſſe conſilium cum ſuis Canonicis de debitis prædeceſſoris ſui Romæ jam dudum contractis; & mandavit omnium redditnum Eccleſiaſticorum in tota Diœceſi Moguntina viceſimam partem eſſe colligendam, ſimul promittens, ſe nunquam a Clero ſuo diebus vitæ ſuæ, quidquam plus petiturum.

Concilii Moguntini deſcriptionem breviorem ſupra dedimus ex Alberici Chronic.

(*f*) ac odio præſumtive *legit Eckhartus.*

(*g*) Magiſtrum Conradum de Marburg Inquiſitorem non fuiſſe ex ordine Prædicatorum, oſtendunt *Eckart* & *Quetif in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*, nec fuit ex ordine Minorum: nam *Waddingus* ejus non meminit. *Tritbemius* ſcripſit eum fuiſſe ex ordine Prædicatorum. *Golſcherus* auctor Geſtorum Treverenſium videtur errorem ei tribuere: is non erravit circa fidem, ſed erravit in modo acerbiore inquirendi in hæreticos & punitionis facili ac præcipiti judicio.

Tritbemii in Chronico Sponheimenſi relatio de morte Conradi, diverſa eſt ab aliorum relatione:

Cernens ergo ſe contra Comitem Seynenſem prævalere non poſſe, confuſus & odio multorum expoſitus *a Maguntia* verſus Marpurg ire ſtatuit, ſalvumque conductum tam Regis, quam Archi-Epiſcopi Moguntini, quoniam timebat inſidias, accepit: cumque veniſſet non procul a Marpurg, a quibusdam Nobilibus fuit occiſus, qui, cum veniam & miſericordiam cum lacrymis & ſuſpiriis poſtulaſſet, exauditus non fuit. . . Sepultus eſt juxta S. Eliſabeth.

(*b*) Cum Concilium Moguntinum præſente Magiſtro Conrado de Marburch fuerit celebratum VIII. Kal. Auguſti, *teſte Chronographo Erfordienſi*. ſeu 25. Julii. Conradus de Marpurg fuerit occiſus II. Kal. Auguſti die Ss. Abdon & Sennen: ut Albericus ſcripſit: oportet hoc Concilium, in quo tranſactio facta de extinguendo Romano debito a Sigefrido Imo anteceſſore contracto, aliud eſſe, & ſemeſtri prius hoc ſecundo.



CONVENTUS FRANCOFORDIENSIS
Anno Chriſti MCCXXXIV. Gregorii IX. Papæ VIII. Friderici II. Regis XVII.

SUMMA. Plenior expurgatio Comitis Seinenſis, idem diffamatoribus ſuis rogatu Epiſcopi Hildeſienſis ignoſcit.

POſt *hæc in Purificatione Sanctæ Mariæ factus eſt iterum Conventus*, & curia ſolemnis apud *Frankinvort coram* Rege, XXV. circiter Epiſcopis, Abbatibus & Prioribus diverſorum ordinum, & Clericis & Principibus innumeris congregatis, ubi adducta in medium cauſa Comitis, Comite præſente, pro fide & innocentia Comitis Sacramenta præſtantibus Epiſcopis, Prælatis Abbatibus, majoribus & minoribus fratribus, Clericis & Monachis, Principibus quoque, Laicis & Baronibus univerſis, Comes glorioſiſſime expurgatus eſt. Tunc Conrado Epiſcopo Hildensheimenſi, *qui ex parte Domini Papæ* ibi aderat, Comitem rogante; pro amore Dei Omnipotentis, & pro reverentia Regis præſentis, atque Epiſcoporum & Principum, ac totius illius conventus, ac pro hoc, quod Deus ipſum glorioſiſſime abſolverat ab infamia ſibi impacta; infamatoribus ſuis lachrymans, & cordi ſuo vim magnam faciens indulſit. A quo conventu dum Magiſter Conradus *ſpreto* (a) *Regis & Epiſcopi Moguntini conductu recederet*, reverſurus in ſua: in via interemptus eſt una cum ſocio ſuo Gerardo quodam. Delatus autem Marburch ſepultus eſt, juxta Beatæ Elizabet viduæ, uxoris quondam Lantgravii tumulum, quæ ante paucos annos defuncta & ibidem tumulata plurimis miraculis fuerat glorificata. Ex hinc procelloſa illa perſecutio ceſſavit, & periculoſiſſima tempora, quibus a diebus Conſtantii Imperatoris hæretici, & Juliani Apoſtatæ nulla alia fuere ſimilia, ſereniori ſpirare cœperunt clementia; & fuit Comes ille Seynenſis murus pro domo Domini, ne in ulteriora progrederetur rabies importuna & lippa, noxios quoque & innoxios abſorptura, Epiſcopos ac Principes, & Religioſos, & Catholicos quosque æque ut Ruſticos & hæreticos pervaſura.

Golſcheri Geſta Treverenſia, Illmi Hontbemii Prodromi Hiſtoriæ Diplomaticæ Trevericæ Volum. II.

(a) Trithemius narrat ſalvum conductum a Rege & Archi-Epiſcopo Moguntino petiiſſe & accepiſſe, & nihilominus interfectum fuiſſe. *in Chronico Sponheimenſi* ad 1134.

IDEM CONVENTUS IN FRANCKENEVURT
PROLIXIUS DESCRIPTUS.

I. Præmittuntur ea, quæ anno 1233. poſt Concilium Moguntinum ſecuta ſunt.

II. In Concilio Francofordienſe examinatur modus procedendi contra Hæreticos, M. Conradi de Marburg, variæ ſententiæ.

III. Comes de Seyna Canonico judicio abſolvitur, uti & reliqui perperam accuſati.

POſt hæc autem II. Kal. Decembris. Hi quos Magiſter Conradus, bonæ memoriæ, pro hæreticis totonderat, fere quinquaginta viri, omnes pari animo ſine qualibet contradictione ſubjecerunt ſe, ac omnia ſua tam ſpirituali, quam ſeculari poteſtati; ſex enim ex ipſis, qui occaſioni ſupradicti Cunradi interfuerunt

erunt ; quantum ad causam hæreseos, Ecclesiastico, quantum vero ad causam interfectionis, sæculari se judicio similiter spontanee tradiderunt, præsentandos etiam ipsos publico examini in Curia solenni Franckenvurt in Purificatione celebranda, proponentes firmiter omnes eos, qui pro hæreticis tonsi, postmodum confessi sunt injuriam sibi factam.

Anno Domini MCCXXXIV. Rex Heinricus Curiam solennem Franckenevurt in Purificatione celebravit, multis ibidem Principibus & Episcopis (*a*) congregatis ac multorum ordinum fratribus, scilicet *Cistercienfibus*, *Prædicatoribus*, atque *Minoribus*, & cœteris religiosis personis : itaque multis consiliis super fidei negotio præhabitis, tandem de litteris D. Papæ (*b*) nuper ad curiam delatis, disceptatio non modica fuit : siquidem plerisque per Teutoniam Prælatis ac Clericis, seu etiam Laicis, Magistri Cunradi visitandi hæreticos seu examinandi forma displicuerat, videlicet ut aliquis infamatus ab hæresi, publico examini præsentaretur, & confessus errorem ac reverti volens tonderetur, suam vero Innocentiam fide juratoria defendens, postea convictus per hæreticum, cremaretur. Quapropter post Concilium anno præterito Moguntiæ celebratum, Rex, & Moguntinus, ac Trevirensis Archi-Episcopi, Cunradum Scholasticum Spirensem ad curiam Romanam destinantes, Domini Papæ consilium super hujusmodi forma sciscitati sunt. Super quibus Papa valde turbatus, & a Cardinalibus, quibus negocium per jam dictum Conradum Scholasticum innotuerat, inductus, Magistri Cunradi de Marburc formam novis litteris irritam judicaverat. Sed antequam nuncius Conradi, redeundi licentiam assumptis litteris accepisset, ecce quidam ordinis Prædicatorum Torso agnomine, veniens, mortem Magistri Cunradi de Marburc Papæ nuntiavit : quo audito Papa nimis conturbatus, litteras contra formam Magistri Conradi nuper scriptas, discerpens, Regis nuncium beneficiis Ecclesiasticis privare disponebat, sed per Cardinalium & Prædicatorum interventum adjutus, acceptis aliis supradictis litteris reversus est; nunc itaque ad supradicta revertamur.

Igitur Rex in Conventu Principum Hildenesheimensem Episcopum (*c*) accusare cœpit, pro eo, quod supra hæreticos populum *cruce signavit* (*d*), qui se probabiliter excusans, exhortatione competenti facta pro crucis negocio, omnibus poscentibus se . . . . . . constanter exsolvebat, ac cum fratre Ottone Ordinis Prædicatorum, partem Magistri Cunradi defuncti diligenter tuebatur ; tandem absente Rege, & Laicis personis, soli Episcopi cum cæteris quibusdam Prælatis in loco speciali, de fidei negociis tractare cœperunt. Cumque multa contra defuncti Cunradi partem, & aliqua pro ipso fuissent allegata, unus ex Prælatis in hæc prorupit verba dicens : Magistrum Cunradum de Marburc dignum fore extumulandum, ac velut hæreticum concremandum. Post hæc autem intervenientibus illis infamatis, qui anno præterito, ut supradictum est, se Ecclesiæ examini dediderant, atque crucem ante se ferentibus, insuper de defuncti Cunradi factis, clamosis vocibus miserabiliter querelantibus, tantus subito cœpit oriri tumultus & turbatio, ut hi, qui ex parte Magistri Cunradi exstiterant, se manus adversariorum desperarent evadere. Deinde feria II. Rex cum omnibus Principibus ac Prælatis, qui aderant, civitatem egrediens, in campo præsedit judicio, ibique Comes de Seyne, se cum

(*a*) XXV. Episcopos Francofurti interfuisse, narrant *Gesta Treverorum apud Hontbemium Tom. II. Prodromi.*

(*b*) Gregorii IX. Henrico Regi scriptis, supra allegatis anno 1233.

(*c*) Cunradus XXVIII. Hildenesheimensis Ecclesiæ Episcopus, qui postquam Parisiis in Divina pagina rexerat Cathedram, & crucem contra Albigenses prædicaverat, assumptus fuit ad Regimen Ecclesiæ Hildesheimensis anno 1227, obiit 1249. XV. Kal. Januarii. *Chronicon Hildesheimense apud Leibnitz. Tomo I. Script. Brunswicens.*

(*d*) Conradus Hildesiensis crucem prædicavit contra Hæreticos Germaniam infestantes per Thuringiam & Saxoniam anno 1233.

VIII. Episcopis & XII. Grisei (*e*) ordinis Abbatibus, ac totidem Minoribus fratribus, & tribus Prædicatoribus, ac etiam nigrorum (*f*) Abbatibus, & Clericis, seu nobilibus Laicis personis non paucis, publice & confidenter expurgavit: idemque Comes de Solmis cum suis fecit, obortis lacrymis publice fatendo, se tantum mortis metu hæresim fuisse professum: & quoniam legitimi accusatores non aderant, ad infamiæ expurgationem admitti jure debuerant.

Chronicon Erfordiense editum a Schannato Collectione prima Vindemiæ Literariæ pag. 93, 94.

(*e*) *id est:* Cistercienfibus. (*f*) Benedictinorum.

Constitutiones Regis & Principum Alemanniæ apud civitatem Franckenvoert.

ANNO CHRISTI MCCXXXIV. III. IDUS FEBRUARII.

I. IMprimis, omnibus Imperii fidelium ne in *reisa publica* procedant, omnibus modis inhibemus.

Ad hæc universis potestatem judiciariam habentibus, authoritate Regia præcipimus, quatenus ad reprimendam hæreticorum perfidiam toto nisu solenniter intendant, ac injusti persecutione judicii præferant æquitatem, & ut in judicando justitiæ diligentiæ formam omnibus præferamus. Ecce in manus Principum promisimus, quod in quolibet mense, ubicumque in Imperio fuerimus, quatuor diebus ad minus, personaliter volumus judicio publico præsidere, quod etiam a quolibet judice fieri volumus, temporibus ad hoc secundum consuetudinem constitutis. Quod si Princeps facere neglexerit, & de hoc convictus fuerit, ut exiget juris ordo, Domino Regi centum libras auri in pondere *Karoli*, persolvet; Comes vero, vel alius nobilis, judicium habens, si non judicaverit secundum provinciarum consuetudinem, Domino Regi, sicut dictum est, centum marcas argenti componet.

II. *Item* si quis alium læserit vel guerram ei moverit absque præcedente querimonia, si Princeps exstiterit, centum marcas auri Regiæ cameræ præsentabit, si vero Comes vel nobilis, vel alia persona exstiterit, centum marcas argenti componet.

III. *Item* statuimus, quod si quis Treugas datas violaverit, si cum ipso in cujus manum Treugæ fuerint compromissæ & cum duobus aliis *Synodalibus* hominibus Treugas violentas (*a*) esse convincere potuerit, & testari, Treugarum violator, ideo manum perdat.

IV. *Item* si quis fide data promiserit aliquid, & convictus fuerit cum tribus *Synodalibus hominibus*, eum fidem non servasse, continuo proscribatur, nec a proscriptione poterit absolvi, nisi dupliciter persolvat, quod promiserat, & pro quo fidem dederat, & judicet jus suum.

V. *Item* si quis de Principibus aut Comitibus, vel Nobilibus pro delicto judicii pœnam ter protulerit constitutum, (*b*) postmodum judicio, quod habuit, est privandus.

VI. Præterea statuimus, ut sententia proscriptionis tantum in locis publicis promulgetur, nec proscripti aliquatenus absolvantur, nisi præcedente sufficienti cautione fidejussoria: quod, si quidem judex non fecerit, ablata in integrum restituat damnum passo, quod etiam promittimus nos facturos.

VII. *Item* Monetas falsas & injustas, ac injusta telonia, quæ a tempore Domini *Frederici Imperatoris proavi* nostri, atque (*c*) consensu & conniventia Principum sunt statuta, per sententiam cassamus, ac præcipimus amoveri, & nos thelonia nostra noviter instituta penitus amovemus, transgressores manu potenti extento brachio coercendo, Principesque Curiæ præsentes *Ecclesiastici* & *mundani* fide data efficaciter in nostras promiserunt, quod ad reprimendam transgressorum proterviam, & ad justa judicia prosequenda fideli nobis auxilio assistant.

VIII. *Item* statuimus, ut nullus in perso-

(*a*) *forte* violatas. (*b*) *forte* constitutam, *notat Leibnitz.*
(*c*) *lege* absque.

persona, vel in rebus alicui damnum inferat, nisi prius ei, cui damnum inferre voluerit, trium dierum & noctium spatio *diffidaverit*, & tunc uterque pacem ab altero per prædictum terminum habebit, alioquin per sententiam proscribatur.

IX. Raisam, quæ Keiniszuche (*d*) dicitur, si quis commiserit, proscribatur.

X. *Item* præcipimus, quod nullus conductum alicui præbeat, nisi forte conductum a nobis, & ab Imperio jure possideat feodali.

XI. *Item* in omnibus civitatibus, oppidis, munitionibus, villis & aliis locis Regni nostri, jurisdictiones Archi-Episcoporum, Episcoporum, Archi-Diaconorum & sententias eorum præcipimus firmiter observari.

XII. *Item* omnia Privilegia a Patre nostro Imperatore, & a nobis tam Principibus, quam nobilibus indulta, per omnia volumus esse salva.

Albericus Monachus trium Fontium in Chronico, edito a Leibnitio Accessionum Historicarum. Tom. II. pag. 548.

Leges in Curia Franconofurtensi latæ sunt duntaxat Politicæ, excepto §. XI. & XII, quæ respiciunt Ecclesiam, & Ecclesiæ Germanicæ Principes, qui sunt Episcopi.

(*d*) *lege* Königszuch, Profectio Regia.

Stedingi, hostes Ecclesiæ, ab Episcopis accusati, & convicti, prædicatâ cruce jussu Papæ Gregorii IX. per Archi-Episcopum Bremensem bello impetuntur, cæduntur ad VI. millia: resipiscunt, jussu Papæ absolvuntur per Archi-Episcopum & Capitulum Bremense.

ANno MCCXXXIII. Gerardus Archiepiscopus Bremensis, auctoritate Apostolicâ per suam Provinciam crucem prædicabat, & exercitum colligebat, multis crucem accipientibus contra Stedingos.

Historia anonyma Archiep. Bremensium edita a Lindenbrogio pag. 97. *editionis Hamburg.* 1706.

Anno Domini MCCXXXIII. Crux contra Stedingos ubique *auctoritate Apostolica* prædicatur, & a multis accipitur. Orientalis Stedingia a peregrinis, occisis Stedingorum plurimis, devastatur. Burchardus Comes de Aldenburg, a Stedingis pene cum CC. prosternitur peregrinis, relinquens post se hæredem Heinricum Bogenarium. Dominus de Brunswich Bremensi Ecclesiæ contrarius, Cometiam Stadensem interea populatur.

Anno Domini MCCXXXIV. Heinricus Dux Brabantiæ, & Florentius Comes Hollandiæ, Bremæ existentes, contra Stedingos viriliter se accinxerunt, tanquam contra inimicos manifestos Ecclesiæ. Nam sicut probatum est super eos, & per *Mindensem*, *Lubicensem*, *Ratisburgensem* Episcopos, Papæ auribus intimatum, ipsi doctrinâ matris Ecclesia penitus vilipensâ, ipsius libertatem conculcaverunt, nulli parcentes sexui vel ætati. Quæsierunt responsa Dœmonum, simulacra fecerunt cerea, consulentes etiam in suis spurciciis erroneas Pythonissas, & quod deterius est omnibus, viaticum salutis æternæ horribilius, quam deceat exprimi, pertractantes. Clericos etiam & religiosos impie lacerantes, cruciabant omni genere tormentorum. Nec propria eis sufficit perditio, sed omnes, quos poterant, & maxime rusticos, in foveam suæ perfidiæ secum trahere nitebantur. Sicut Lucifer lucis æternæ destitutus lumine, caducâ superbiâ procurante, cœlo contineri nequiens, eo quod perpetuæ cæcitatis tenebras incurrisset, cum sit perditus, & minister perditionis effectus, ne ademptas sibi delicias sempiternas possit conditionis humanæ dignitas adipisci (quia solent miseri prosperitate felicium cruciari) illam in profundam perfidiæ ab altitudine fidei dejicere nititur, ut secum in lacum suæ miseriæ deducatur, existimans, per hoc suæ damnationis cumulum minorari; cum soleat afflictis quoddam

dam afferre ſolatium grata miſeris ſocietas miſerorum. Ita miſeri miſerabiles Stedingi ponentes ſibi omnino Deum contrarium, ſuis perſuaſionibus & malis exemplis graviter infecerunt populum Chriſtianum, ita ut infinita ruſticorum multitudo, tam in remotis, quam in vicinis Provinciis conſtituta, verbotenus eos defenderet, & ſi ſe opportunitas obtuliſſet, prompto animo proterviæ eorum auxilium attuliſſet. Sed Deus miſericordiarum Dominus ſuis fidelibus inſpiravit, ut ad *prædicationem crucis* ſe viriliter accingerent, ad exterminium tam reprobæ nationis, illa gaudentes indulgentia, illoque privilegio, quæ accedentibus in terræ ſanctæ ſubſidium conceduntur. Itaque Bremenſis Archi-Epiſcopus (*a*), Dux memoratus, & Comes, peregrinorumque non modica multitudo VI. Kal. Julii die Sabbati proceſſerunt unanimiter contra ipſos, tanquam Divinæ potentiæ & patientiæ abuſores, parati occumbere, vel ipſos cum eorum nefandis operibus, ad honorem & JESU Chriſti & Eccleſiæ, penitus abolere. Illi econverſo, tanquam ferinis uberibus enutriti, ad hoc crudelius ſæviebant, & in ſuo *Aſmodet* ponentes fiduciam, non diffidebant, ſe poſſe reſiſtere potenti brachio Domini Zebaoth, & tantæ multitudini ſignatorum. Et mira & miſeranda pertinacia obſtinati, non ceſſabant adhuc claves Eccleſiæ ſceleſtis labiis turpiter blaſphemare. Boleke de Bardenflete, Tammo de Hunthorpe, Thedmarus de Aggere, & alii peſſimi maleſuadæ eorum, ut vitam & patriam defenderent, ipſos fortiter hortabantur, dicentes, quod ipſos aut oporteret occumbere, aut ficut canes rabidos inſanire. Tranſierunt autem medio tempore peregrini Othmundam fluvium, pontem de navibus facientes, & cum tranſierant, ſapienter ſuas acies ordinabant. Stedingi, ut amentes effecti, ac quadam inſania ventilati, non timuerunt ſignatorum multitudinem, nec ſpiritualem, nec materialem gladii poteſtatem; ſed ordinata quidem acie, inordinata autem mente, tanquam furibundi canes proceſſerunt obviam peregrinis. Dux Brabantiæ, & Comes Hollandiæ primo congreſſu peſtilentes illos ſuper agrum Oldeneſche, ubi convenerant, viriliter invaſerunt, ſed ipſi ſummo conamine ſe defenderunt. Statim Comes de Clivo cum ſuis a latere irruens ſuper illos, ipſorum aciem diſſipavit. Clericus, qui eminus aſtans, rei exitum exſpectabat, *Media Vita*, & alia miſerationis carmina, cum mœrore cecinit, & pro crucis victoria ſupplicavit. Nec mora, illi inſipientes & maligni evanuerunt in cognitionibus ſuis, quia ab exercitu Domini opprimuntur, haſtis perfoſſi, gladiis percuſſi, equorum pedibus conculcati. Et ita manus Domini invaluit ſuper eos, ut in brevi ſpacio eorum VI. millia interierint. Plurimi ex eis fugæ præſidium poſtulantes, in proxima fovea & in Wiſera ſe ſubmerſerunt: ſi qui evaſerunt, ſub cœli ventis quatuor ſunt diſperſi. Sic pertinacia eorum facta eſt coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum.

Alberti Abbatis Stadenſis Chronicon coævi & conterranei Scriptoris, editum a Schiltero Tomo uno Script. German. P. II. pag. 306. 307.

Anonymi Hiſtoria Archi-Epiſcoporum Bremenſium pag. 70. *edita a Lindenbrogio concordat cum Stadenſis Chronico.*

Procerum cruce ſignatorum contra Stedingos nomina hæc adnotavit Schatenus:

Henricus Dux Brabantiæ, Florentius Comes Hollandiæ, Otto Gelriæ, Theodoricus Cliviæ, Henricus Oldenburgi, Wilhelmus Juliæ, Adolphus Marchiæ, Theodoricus Limburgi Comites: univerſus exercitus ad XL. M.

Schatenus Annal. Paderbornenſ. Lib. XI. ad annum 1234.

FINIS

(*a*) Gerardus II. ex Comitibus de Lippia, Paderbornenſis Præpoſitus, Bremenſis Archi-Epiſcopus eligitur, & a Patre ſuo, Bernardo, primum Comite, poſt Abbate, demum Livoniæ Epiſcopo, & a fratre Ottone Ultrajectenſi Epiſcopo, conſecratur anno 1228. Raro in Hiſtoria Eccleſiaſtica exemplo. Alterum fratrem habebat Bernardum Epiſcopum Paderbornenſem. Idem Patruum habuit Gerhardum I. Archi-Epiſc. Bremenſem.

FINIS STADINGORUM.

Poſt mortem Conradi de Marpurg 30. Auguſti 1233. & Curiam Francofortenſem 1234. 2. Februarii.

Dux Brabantiæ, & Comes Hollandiæ, & Comes de Cleve, contra Stadingos Cruce ſunt ſignati, & Dux Brabantiæ cum multis Nobilibus in potentia virtutis ſuæ pertranſiit. Comes vero Hollandiæ cum valido navali exercitu ad Weſaram appropinquavit. Hi omnes ad quadraginta millia computati ſunt, & terram Stadingorum tertia die poſt *Urbani* potenter intraverunt.

Quibus Stadingi viriliter ex adverſo occurrentes, commiſerunt cum eis prælium, & pæne amplius, quam quatuor millia ex eis interfecti ſunt; & Comes Henricus de Aldenborch cum paucis peregrinis ibi cecidit, & terra Stadingorum incendiis & deprædationibus totaliter conſumpta fuit.

Talem igitur finem Stadingi ſortiti ſunt, qui plus quam XXXIII. annis Deo & Prælatis ſuis inobedientes extiterunt, qui tandem ex vindicta Domini gladiis contriti cadebant.

Anonymus Saxo. Hiſtoria Impp. edit. a Menckenio Tomo III. Script. German. p. 124.

Chronicon Erfordiæ Schannati, relatum Collectione I. Vindemiæ Literariæ, refert hanc cædem Stadingorum ad 1232. *anachroniſmo manifeſto.*

Joannis Otthonis Catalogus Archiepp. Bremenſium ait: 44. annis Stedingos Eccleſiæ repugnaſſe; ſed poſt cladem a Duce Brabantiæ acceptam, cæſis in ea 6. millibus Stadingorum, præter ſubmerſos Viſurgi, quieviſſe, & Eccleſiæ paruiſſe.

Tomo III. Scriptor. German. Menckenii pag. 793.

GREGORII IX. Papæ Epiſtola ad Epiſcopos Saxoniæ, Paderbornenſem, Hildeſemenſem, Verdenſem, Monaſterienſem, & Oſſenburgenſem, ut aſſiſtant conſilio & auxilio Epiſcopis Bremenſi, Raceburgenſi, Mindenſi, Lubecenſi, qui crucem prædicaverant contra Stedingos.

DE DISTRICTIONE STEDINGORUM.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS FRATRIBUS, PADERBURNENSI, (*a*) HILDESEMENSI, (*b*) VERDENSI, (*c*) MONASTERIENSI, (*d*) ET OSNABURGENSI (*e*) EPISCOPIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Clamante ad nos dudum Bremenſi Eccleſia contra perfidiam hæreticorum, qui Stedingi vocati, fideles populos Regionis illius ferali more lacerant & extinguunt, nos venerabilibus fratribus noſtris, *Raceburgenſi* (f), *Mindenſi*, (g) & *Lubecenſi* (h) Epiſcopis, quibus prædicationis officium eſt in Diœceſibus veſtris ab Apoſtolica Sede commiſſum, mandavimus, quod per eaſdem Diœceſes peccatorum veniam fidelibus pollicendo, ipſos contra præfatos hæreticos concitarent; ut per eorum auxilium illi, auctore Deo, ad gratiam converſionis accelerent, vel in confuſionis foveam deducantur. Ut ergo dicti Epiſcopi plenius & efficacius valeant, quod mandavimus, adimplere; fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, cum agatur fidei negocium, quod cunctis debet eſſe fidelibus & Prælatis præcipue ſpeciale, in eodem negotio dictis Epiſcopis efficaciter adſiſtatis, impendentes eis utile conſilium, & auxilium opportunum. Datum Anagniæ XIV. Kal. Februar. Pontificatus noſtri anno VI.

Grego-

(*a*) Bernardo (*b*) Conrado (*c*) Gregorio
(*d*) Godeſcalco (*e*) Engelberto (*f*) Petro
(*g*) Conrado (*h*) Bertholdo

Gregorii epiſtola ad Capitulum Bremenſe.

De reconciliatione Eccleſiarum in terra Stedingorum.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTIS FILIIS CAPITULO BREMENSI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

DEvotis veſtris precibus inclinati præſentium vobis auctoritate concedimus, ut cum in cœmiteriis Eccleſiarum terræ Stedingorum multa, ut aſſeritis, hæreticorum & excommunicatorum corpora ſint ſepulta, quæ non poſſunt a fidelium corporibus ſeparari, faciatis de novo præfatas reconciliari Eccleſias, & dicta cœmiteria benedici. Datum Peruſii IV. Kal. Decemb. Pontificatus noſtri (*i*) anno VIII.

(*i*) Annus VIII. Pontificatus ejusdem coincidit noſtro 1235.

Ejusdem Papæ epiſtola ad Archi-Epiſcopum, & Capitulum Bremenſe.

De abſolutione excommunicationis Stedingorum.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI ARCHI-EPISCOPO, ET DILECTIS FILIIS, CAPITULO BREMENSI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

EX parte univerſitatis Stedingorum, in Bremenſi Diœceſi exiſtentium, fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cum ſuper eo, quod vobis inobedientes, & rebelles diutius extiterunt, veſtris cupiant parere mandatis, faceremus, excommunicationis ſententiam, qua propter hoc tenentur adſtricti, miſericorditer relaxari. Cum igitur pulſantibus ad Eccleſiæ januam non ſit minime gratia deneganda, præſentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ab eis ſufficienti cautione recepta, quod vobis de præteritis congruam ſatisfactionem impendant, ac Eccleſiæ & veſtris in poſterum pareant præciſe mandatis, injuncto ſibi, quod de jure fuerit injungendum, ſententiam ipſam juxta formam Eccleſiæ relaxetis. Datum Peruſii XII. Kalend. Sept. Pontificatus noſtri [*k*] IX.

Privilegia Archi-Eccleſiæ Hammaburgenſis, impreſſa inter Scriptores rerum Septentrionalium, Lindenbrogii pag. 171. 172. *edition. Hamburg.* 1706.

(*k*) Annus IX. Gregorii Noni coincidit noſtro 1236.

Gregorii IX. epiſtola, qua graviter ab iis peccatum declarat, qui de hæreſi a Legato Apoſtolico damnatos, inconſulta ſede Apoſtolica abſolverunt.

ARCHI-EPISCOPO SALISBURGENSI, ET EPISCOPO HILDESHEIMENSI, ET ABBATI DE BUCH, CISTERCIENSIS ORDINIS, MISNENSIS DIŒCESIS.

VIneæ Domini cultores, licet immeriti, conſtituti, juſte in deſiderio gerimus, ut illius latitudinem gratitudinis fructu ſemper venuſtam exiſtere procuremus: turbationem non modicam lubeuntes; ſi forte aliquæ plantarum, quæ in illa evidentibus exiſtunt indiciis grandiores, ſint ſterilitate notabiles, vel nocivorum productione fructuum diſplicentes. Sane dudum mirantes audivimus, & referimus conturbati, quod cum olim (*a*) poſt obitum

[*a*] Conradus de Marburg occiſus fuit 30. Julii 1233: & hæc Epiſtola Gregorii IX. ſcripta eſt anno Pontificatus ejus nono, qui coincidit, a die 19. Martii Anno 1236: Hinc infert Coſſartius Conciliabulum Moguntinum ante 1236. fuiſſe habitum; quem titu-

tum recolendæ memoriæ Magiſtri Conradi de Marpurg, Prædicatoris verbi Dei, de quibusdam, quos infectos labe pravitatis hæreticæ tenebat aſſertio, plurimarum oriretur materia quæſtionum: quibusdam proponentibus, quod proceſſus contra illos per eundem Magiſtrum habitus, iniquitatis maculam habuiſſet; aliis vero referentibus ex adverſo, quod pius exſtitiſſet, & providus, & incremento Catholicæ fidei plurimum opportunus: ad dubitationes hujusmodi declarandas, certi locus & terminus ſunt præfixi. Demum congregato *Concilio*, ad quod plures Eccleſiarum Prælati & Principes ſæculares, ac alii, quorum præſentia tanto competebat negotio, convenerunt; exſurgente nullo pro tuitione fidei, quæ ſaltem a præſentibus ſub nulla debebat negligentia præteriri: memorati infecti, ut dicitur, rationis inconſulto ſpeculo, quod potiſſime in talibus haberi debebat præ oculis, ſunt abſolutionis beneficium aſſecuti. Illi vero perditionis filii, qui dicti Magiſtri ſanguinem innoxium effunderunt, (*b*) omiſſis prolatione ſententiæ, inflictione pœnæ, quæ contra ipſos pro exceſſu tam deteſtabili, & digno non brevibus deplorari lacrymationibus, debebantur, ac ſatisfactione aliqua non recepta, ſunt ad præſentiam noſtram pro abſolutionis obtinendæ gratia deſtinati.

Et infra: Quia igitur rationabile eſt, cauſam fidei quibuslibet anteferri, quæ potiſſime Summi Pontificis examini competebat: avertentes a debita nobis reverentia faciem, præſumpſerunt aliqui terminare, quaſi aucthoritatis præmiſſæ neſcii, vel ab ejuſdem intellectu perſpicuo peregrini. Quo conſilio iidem ad transgreſſionem mandatorum Domini proceſſerunt? Quo jure, quod eſt in canonica ſanctione præcipuum, ab ipſis tam notabiliter exſtitit prætermiſſum? Numquid facultas eis aberat Sedem Apoſtolicam conſulendi? cum & locorum longinquitas, vel anfractus itineris, aut tremenda elatio pelagi ſævientis, pro qua cœli claviger non expavit, quin Salvatori diceret, ut ſibi, quod per aquas ad eum procederet, imperaret, nullum ipſis afferret obſtaculum; nunciorumque penuria nullum excuſationis tribueret fulcimentum. Numquid illorum memoria, capacitasque non habebat, quod ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus fundamentis ſuper petram poſitis, quiſque cedit impetus tempeſtatis, in ambiguis & fluctuoſis quæſtionibus, per quas imminet naufragium fidei, ſi non contingat eaſdem proſpere terminari, ſit aſſidue revertendum? Præſertim cum dictus Claviger, cujus arbitrio orbis univerſitas ſolvitur & ligatur, cujusque judicium a conditione juſtitiæ confirmatur, audire meruerit: *Ego* (*c*) *pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*: Cum etiam dubium non exſiſtat, quod qui *ſecum*

titulum non probo: nam cum Pontifex locum Concilii non exprimat, nec ad Moguntinum ſcribat, cur Moguntiæ potius, quam alibi ſcribitur, id Conciliabulum agitatum? Hoc primum.

2do. In Concilio Francofordienſi anni 1234. Interfectores Conradi de Marburg fuere excommunicati: ab Hæreſi abſoluti ii, qui per canonicum numerum teſtium probati fuerunt, nullius hæreſeos rei unquam fuiſſe.

De cætero nec in Moguntino anni 1233., nec in Francofordienſi anni 1234. de hæreſi prolixe tractatum; ſed ſolum inquiſitum de modo inquirendi & damnandi, quo uſus fuit Conradus de Marburg, qui modus a Godefrido Colonienſi, & anonymo Chronographo Erfordienſi, item a Golſchero Scriptore Geſtorum Treverenſium, ab Alberico Monacho trium Fontium in Chronico acerbe improbatur & cenſuratur, qualem cenſuram quoque eidem impingit Trithemius.

3tio. *Stedingi*, quos Hardouinus *Stigandos* in titulo prætenſi hujus Conciliabuli, & Godefridus Colonienſis *Stagingos* vocat: videntur diverſos errores foviſſe ab iis, in quos Conradus de Marburg inquiſierat: Nam horum errores valde fœdi, Albigenſibus & Manichæis erroribus affines erant.

Stadingenſium error proprius fuit inobedientia contra Archiepiſc. Bremenſem, cui decimas denegabant: poſt licentiâ creſcente tempore ſchiſmatis, & ipſi alios nefandos errores adjunxerunt: raro enim ſchiſma aut inchoatur, aut longo tempore continuatur ſine errore hæretico.

(*b*) *lege*: effuderunt. (*c*) Luc. 22.

secum non colligit, spargit; & nemo umquam sub diluvio sæculi, non in arca positus confirmatur.

Sed quid ad ista studio exaggerationis intendimus? Cur quæstionum cumulis immoramur? Porro, nedum provectis & prudentibus, sed parvulis & ignaris potest esse liquidum, quod de præmissis multum sit devotionis & obedientiæ prætermissum: præsertim cum litterarum nostrarum series, per quas mandavimus, ut processus contra hujusmodi pestilentes, secundum formam Concilii Generalis, & nuper a nobis edita, haberetur, mandati transgressoribus excusationis suffragium non acquirat: quia cum post processum habitum auctoritate Apostolica ipsos, si criminosi, vel immunes a macula hæreticæ pravitatis existerent, dubietas immineret; ad examen nostrum omni erat occasione postposita properandum.

Nos igitur etsi hactenus ista dissimulationi dederimus; super eisdem tamen imposterum, prout expedire viderimus (*d*) Domino procedemus. Interim autem homines miseros, qui humanitatis affectu, & miserationis effectu, Christum prodendo, Domini se reddiderant modis omnibus alienos, sine condigna nolentes provisione remittere: præsentium vobis auctoritate committimus, ut circa ipsos, Dominum habentes præ oculis, juxta formam, quam vobis sub bulla nostra interclusam mittimus, auctoritate nostra, omni contradictione & appellatione cessantibus, procedatis; præsentes in primo colloquio generali, in quo charissimum filium nostrum Fridericum Imperatorem Romanum, ac alios Principes Ecclesiasticos, & mundanos adesse contigerit, publicari & exponi solemniter facientes.

Datum Perusii XI. Kal. Aug. Pontificatus nostri ANNO IX.

Gregorii Papæ IX. epistola altera ad eosdem.

De indicenda Conradi Marpurgensis interfectoribus pœnitentia.

CUm interfectores bonæ memoriæ Magistri Conradi de Marpurg Prædicatoris verbi Dei, ad Sedem Apostolicam accessissent, ejus misericordiam & salutis suæ consilium implorantes: nos eis injunximus, ut in subsidium transeant terræ sanctæ. Quocirca præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus post receptam ab eis sufficientem & idoneam cautionem, quod in passagio Martii proximi futuri, vel alio proximo sequenti, ad partes se transferant Transmarinas, eisdem inter alia sub debito præstiti juramenti, ut per omnes majores Ecclesias Regionis illius, ubi tam execrabile facinus commiserunt, si secure poterunt, vadant nudi & discalceati, braccis duntaxat retentis, fune vel corrigia ad collum ligata, virgas in manibus deferentes: & ab omnibus Presbyteris illarum Ecclesiarum, Psalmum pœnitentialem dicentibus, ante fores earundem, quando major aderit populi multitudo, se faciant verberari, suum publice confitendo peccatum: iisque peractis, absolutionis beneficium impendatis eisdem, non obstante, quod absoluti fuisse ab aliis referuntur. Præsertim cum pro tantæ immanitatis excessu absolvi nequierint, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali. Præterea si illi, quorum ope, consilio, vel assensu, tantum facinus est commissum, ad mandatum vestrum redierint, pro tanto excessu satisfactionem condignam humiliter impensuri; eos ad absolutionis gratiam admittatis. Alioqui sceleratos hujusmodi, & prædictos, publice candelis accensis, alienos ab Ecclesia, ipso jure, atque á fidelium consortio pronuntietis. Ceterum tam eos, quam descendentes ab ipsis recta linea, ad nullos honores, dignitates, ordines (*e*) admittantur.

Datum Perusii XI. Kal. Augusti anno nono.

Manrique Tomo IV. Annal. Cisterciens. ad annum 1235. *utramque hanc Gregorii IX. Epistolam refert.*

(*d*) *forte:* adjuvante Domino.

(*e*) *forte:* admittatis.

Hæ Gregorii Litteræ datæ sunt anno Gregorii nono, qui in annum Christi MCCXXXVI. incidit.

Hardouin.

Hardouinus in summa præmissa his literis Gregorii narrat in Conciliabulo a Gregorio IX. damnato, absolutos fuisse *Stigandos* hæreticos, & interfectores Conradi de Marpurg missos ad Sedem Apostolicam nulla pœna inflicta. *Tomo VII. Concil. pag. 242.*

CONVENTUS MARPURGI
IN HASSIA, IMPER. EPISCOPP. ET PRINCIPUM.
Anno Christi MCCXXXVI. Gregorii IX. Papæ IX. Friderici II. Reg. XIX. Imp. XVII.

SUMMA. Translatio Corporis S. Elisabethæ, Landgraviæ Thuringiæ, Regis Hungariæ Filiæ, Viduæ Ludovici VI. Hassiæ Landgravii, mortuæ MCCXXXI. die 19. Novembris in Ptochodochio Marpurgensi a se ædificato, canonizatæ (a) *Perusii Kal. Junii MCCXXXVI. a Gregorio IX., anno Pontificatus nono.*

GRegorius IX. post brevem relationem, vitæ, virtutum, & miraculorum patratorum per idoneos testes facta certitudine, de consilio Patriarcharum, Archi-Episcoporum, Episcoporum, & Prælatorum Perusii præsentium, *S. Elisabetham* adscribit Sanctorum Catalogo. II. Diem XIII. Kalendas Decembris, quo obiit, mandat omnibus Archi-Episcopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, ad quos hæ literæ pervenerint, festum solemniter celebrandum. III. Ad sepulturam S. Elisabethæ accessuris die festo, & usque ad octavas relaxat unum annum & quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia.

Hoc eodem anno facta est Translatio S. Elisabethæ (*b*) *Kalendis Maji* Marpurgi, procurante fratre Conrado Teutonici ordinis & ipso Landgravio nato, præsente Imperatore Friderico II, Archi-Episcopo Moguntino Sigefrido Eppenstanio, Coloniensi (Conrado) Bremensi (Hartwico) nec non aliis plurimis templorum, cœnobiorumque Prioribus, effosso tumulo ossa levata sunt, gratissimo odore e tumulo egresso, omnium nares afflatu, & animos gaudio replente. Imposita mox ossa capsæ plumbeæ, sigillis Episcoporum obsignatæ, per medium populi, inenarrabili desiderio præstolantis, magnificentissima pompa circumferuntur, ad 12000. hominum confluxisse Marpurgum hoc die, scribit *Brunnerus pag.* 699. Postridie patefacta capsa comperiuntur (visu mirabile) benignissimæ miseratricis ossa præter naturam non parum olei exsudasse, guttatimque sub oculis omni ex parte ejectare, quo perlitis quorumvis infirmorum artubus optata pro voto sanitas tam velociter, quam feliciter conferebatur.

Jacobus Montanus Cap. 30. citatus, apud Serarium Moguntiacarum rerum Lib. V. pag. 836. edition. antiquæ.

(*a*) Bulla Canonizationis extat Tomo I. Bullarii Romani, à Cherubino, Cassinensi Monacho, editi.

(*b*) Cum Bulla sit data Kalendis Julii anni noni Gregorii IX, hic vero cadat in annum 1236., Translatio autem non videatur facta ab Archi-Episcopo Moguntino ante Romanam Canonizationem, hinc Chronicographus Hassiæ, a Pistorio laudatus, videtur errasse in die, & pro Kalendis Maji, forte Kalendæ Octobris alteriusve mensis posterioris ad Bullam ponendus.

A Cæsare Friderico coronam auream valoris 450. floren. aureorum capiti S. Elisabethæ fuisse impositam, scribit *Winckelmannus in Historia Germanica Hassiæ Tomo I. pag. 423.*

CONCILIUM TREVIRENSE
Anno Christi MCCXXXVIII. Gregorii IX. Papæ XI. Friderici II. Reg. XXI. Imp. XIX.

Anno Domini MCCXXXVIII. in festo Beati Matthæi Apostoli in civitate Trevirensi, in Ecclesia majori celebratum est Concilium, residentibus Domino Theodorico Trevirorum Archi-Episcopo, & Reverendis in Christo Patribus Rodulfo Virdunensi, Johanne Metensi, Rogero Tullensi Episcopis; & hæc (a) *Statuta Concilii.*

CANONES.

I. QUoniam (b) crescente malitia perversorum hominum, adversus spirituales nequitias, Sanctorum Patrum *Canones* ad reprimendas quorumdam insolentias non sufficiunt, novis morbis nova medicamenta præparamus, necessitate eorum compulsi. Itaque præcipimus, religiosorum locorum incendiarios, & eorum receptatores, singulis diebus Dominicis excommunicatos nuntiari per omnes Conventuales Ecclesias, & per Parochias, Monasteria Monachorum & Monialium. Cum autem ipsi incendiarii post publicationem absolvi non possint, nisi a Papa; nos, expensis eorum, & laboribus parcere volentes, statuimus, ut ante denuntiationem hoc ipsis denuntietur: videlicet, quod, nisi satis fecerint (c) ante publicationem, eos oporteat ad Papam laborare, ut sic territi ad satisfactionem facilius inducantur. Idem de violatoribus & fractoribus Ecclesiarum (d) statuimus.

II. Quam frequenter præcipimus, quod, si quis ad locum (e) aliquam prædam locorum Ecclesiasticorum, vel personarum Ecclesiasticarum, vel personas eorum duxerit, per totam illam Parochiam cessetur a divinis, dum ibi præda, & prædo, & prædæ emtor fuerit. Si autem in ipsa Parochia conventus fuerit, clausis januis, & exclusis ipsius Parochiæ Parochianis, Divina ibi celebrentur submissa voce; ita quod foris audiri non possint. Si quis autem Parochianorum decesserit, sepeliatur in atrio sine officio Missæ, & cum sola tantum commendatione, exceptis prædone, emtore, receptatore, vel fautoribus eorumdem; vel si consumta fuerit præda, sententiæ prædictæ serventur, si de præmissis constiterit, vel (f) evidentiam facti, vel per juramentum, (g) quod his spoliati, si honesta fuerit persona: si quis (h) autem circa hæc emerserit, in judicio (i) judicis relinquatur. Sacerdotes locorum, quibus de præmissis constiterit, statim sententias prædictas observent, & faciant observari. Adjicimus, quod si raptor rerum sacrorum locorum, vel Patrum Ecclesiasticorum, ammonitus non satisfecerit, excommunicetur; & si Dominum habet superiorem, ille moneatur, ut raptorem ad satisfactionem compellat, ut infra mensem a tempore monitionis sibi factæ satisfaciat; quod si satisfacere contemserit, ex tunc terra ejus Ecclesiastico supponatur interdicto; prius tamen interdicta terra raptoris, si quam habet.

III. (k) Quod diximus de raptore, hoc extendi volumus ad eum, qui procurat, quod rapina fiat. Si raptor excommunicatus fuerit, vel terra ejus interdicta ab Ordinario unius Diœcesis; Ordinarii, qui super hoc fuerint requisiti, in suis Diœ-

(a) Sunt ipsius Concilii Constituta. *Cl. Honthemius* has & *sequentes* variantes Lectiones habet a *Martenii* exemplari.
(b) Quum
(c) ante publicationem. *omissum.*
(d) vel Monasterium *addit Martene.*
(e) aliquem. *Hontheim.*
(f) per evidentiam
(g) Sacramentum spoliati, si &c. *Honthemius.*
(h) quid autem circa hæc quæstionis.
(i) judicio nostro.
(k) Numeri Capitulorum *omissi in Honthemio.*

Diœcesibus eumdem raptorem denuntient, & vitari faciant: terram, si quam habet, nihilominus supponentes interdicto. Idem (l) de captivatoribus & captoribus Clericorum.

IV. Si locus interdictus fuerit propter excessum Domini, ejusdem loci homines non admittantur ad Divina in locis tam vicinis, quam externis, ne rumpi possit nervus disciplinæ Ecclesiasticæ; & si quis tales admittit scienter conventus, quot diebus in hoc peccaverit, tot septimanis celebret januis clausis sine pulsatione campanarum, voce submissa, (m) & alias (n) graviori animadversione puniendus, si istud neglexerit observare. Si vero Pastor, aut Vicarius personas loci interdicti (o) admiserit, suspendatur. Simili pœna involvi volumus admittentes (p) quemcunque excommunicatum ad Divina.

V. Item statuimus, ut captivatores Clericorum, adjutores & defensores eorum, excommunicati in continenti nuntientur. Si autem a die denuntiationis captivatum cum satisfactione infra triduum non restituerint, terra ipsorum supponatur interdicto, si autem a tempore interdicti intra mensem non receperint, (q) Principales eorum Domini, qui potestatem habent eos coercendi, ab ordinariis suis moneantur, ut captivatores & detentores ad eorum restitutionem inducantur, & compellant in continenti; alioquin ipsi Domini excommunicentur. Et si sententia excommunicationis non (r) sufficit circa eos, ipsorum terra supponatur interdicto.

VI. Si quis Laicus alicui Ecclesiasticæ personæ minas intulerit de proprio corpore, & admonitus a judice ordinario, eum assecurare noluerit, nec de ipsa recipere rationem; per excommunicationis & interdicti sententias (s) compellatur.

VII. Item statuimus, quod si Clericus celebraverit in loco interdicto, vel ipse interdictus, vel excommunicatus Divina celebrare præsumpserit, & amonitus a Prælato suo non destiterit, per Episcopum loci capiatur, arctæ custodiæ & pœnitentiæ deputandus.

VIII. Idem fiat de qualibet persona religiosa taliter (t) administrante, & in sua pertinacia persistente.

IX. Omnem negotiationem Clericis inhibemus, beneficiatis, vel in sacris ordinibus constitutis.

X. Sacerdotum vestis suprema talaris & clausa sit, & quando ad Divina accedunt, camisia, id est, rocheto induantur.

XI. Quando ad infirmos vadunt cum Eucharistia, similiter camisiam habeant, vel superpellicium, vel (u) cappam choralem, & si necesse fuerit, cooperiant se cappa pluviali non manicata, tamen ipsam deponant, cum venerint ad infirmum.

XII. Argenteas fibulas, & deauratas corrigias Sacerdotibus inhibemus; nullam cordam, vel nodum in tunica, vel supertunicali habeant, (x) nisi solum in cappa.

XIII. Clerici tam honeste se gerant in tonsura & corona, ne propter hoc ipsos severitate debita puniamus; & Clericus, qui non servaverit statuta circa tonsuram & habitum, in causis minime audiatur.

XIV. Tabernas Clericis inhibemus omnino, nisi in peregrinatione, & in itinere id fiat necessitatis causa.

XV. In simplicibus tunicis, vel supertunicalibus Sacerdotes non compareant in Ecclesiis, judiciis, & plateis.

XVI. Campanarii sine camisia (z) in superiori non serviant in Ecclesia, vel alias in Divinis.

XVII. Circa Clericos (a) habentes manifestam cohabitationem cum mulieribus, statuimus, quod non admittantur ad ordinationem Ecclesiæ, nec valeat electio ab ipsis, vel de ipsis celebrata.

XVIII. Quicunque Clericus manifeste mulieribus cohabitans suum fuerit executus officium, ad curiam transmittatur cum literis ordinarii sui, rei seriem continentibus, (b) sana tamen potesta-

(l) demandamus (m) & aliis exclusis (n) alias *omissum*.
(o) scienter (p) scientes (q) resipuerint (r) non proficit
(s) ad adsecurationem ejus & rationem de ipsa recipiendam, (t) celebrante
(u) vestem choralem vel cappam choralem, (x) non solum in Lapa, *Hontheim*.
(z) superiori in Ecclesia non serviant, (a) postmodum (b) salva

te ordinarii, si quam habet in hoc casu.

XIX. Ecclesiæ Pastoralis Pastor, vel Vicarius habens redditus octo marcarum, scholarem habeat secum servientem in Divinis.

XX. Clerici ludos alearum, (c) & deciorum, & globorum devitent, & ad hoc per (d) subtractionem beneficii compellantur.

XXI. Sacerdotes cappas non habeant manicatas. Nullus Presbyter sine caligis, sive æstivalibus celebrare Divina præsumat.

XXII. Cum statutum sit, ut Clerici, ministri vel baillivi, vel justitiarii Laicorum auxilium ab Ecclesia, si capti fuerint, non habeant; adjicimus, quod si prius admonitus non cessaverit, Ecclesiasticis beneficiis (e) spolietur.

XXIII. Presbyteri, seu personæ ecclesiasticæ, qui mandatum (f) exequuntur alicujus sententiæ a suis Prælatis, si negligentes inventi fuerint, in exequendis; (g) per quos mandatum receperint, tenentur ad interesse, secundum boni viri æstimationem coram judice faciendam: si vero pro observatione mandatorum ipsorum damnum passi fuerint (h) nec relaxetur sententia, antequam de damnis datis satisfaciat; & si prius relaxata fuerit, nihilominus satisfaciat (i) de pœnis.

XXIV. Si Clericus observans sententiam propter damnum sibi propter hoc illatum, sustentationem non habeat, ab ordinario ei provideatur; nec relaxetur sententia, antequam expensæ refundantur, quæ in provisione (k) presbyteri sunt impensæ.

XXV. Suspensi, seu Clerici excommunicati celebrantes, a Domino Papa, tantum absolvantur; cum (l) eo, cui (m) talis hactenus fuerit facilis absolutio, disciplina sit Ecclesiastica (n) vilipendenda.

XXVI. Cum alias institutum sit, quod Vicariis competens portio debeat assignari; adjicimus, ut si iidem Vicarii minorem acceperint, & acceptaverint portionem, nihilominus actionem habeant ad petendam competentem, cum hoc inductum sit (o) personæ non in favorem; sed in favorem totius Ordinis Clericalis.

XXVII. Sicut sæpe præcipimus, sic iterum præcipientes innovamus, ut corpus Domini, sanctum Oleum infirmorum, & fores sacri Baptismatis, sub diligenti sint custodia, & clausura cum sacra Eucharistia; nec eant (p) ad infirmum sine lumine & campana.

XXVIII. Item præcipimus, ut corpus Domini post quindenam non servetur, sed in fine quindenæ, si tamdiu servatum fuerit, sumatur a Sacerdote (q) cum oblatione.

XXIX. Cum secundum Apostolum, *qui* (r) *non laborat, non manducet;* Prælatis Ecclesiarum conventualium præcipimus, ut per (s) subtractionem beneficii compellant subditos suos ad frequentationem chori, & residentiam, (t) qua tenenrur.

XXX. In Parochialibus Ecclesiis pulsentur (u) horæ Canonicæ, & de villis (x) cum adjacentibus, & capellis attinentibus compellantur homines Dominicis diebus & solemnibus ad Missam venire ad matricem Ecclesiam; ne honor matricis Ecclesiæ depereat per capellas: nisi forte remota sit capella, & ei provisum sit in beneficio, ut in eo valeat, & soleat, & debeat ministrare Sacerdos.

XXXI. Ut hæreticæ pestilentiæ, quæ radices jam mittit (y) in provincia Trevirensi, omni sollicitudine occurramus; omnibus Archi-Diaconis, Pastoribus, & Vicariis, nec non & aliis tam Clericis quam laicis, nostræ jurisdictioni subjectis, in virtute S. obedientiæ præcipimus, ut ubicumque inveniantur doctores hujus sceleris, vel auditores ipsorum, ad Episcopi (z) audientiam, ne oves Domini suis superstitionibus inficiant,

(c) vel deteriorum. Decius pro talis, vel taxillis, vel aliis lusoriis. *Cangius.*
(d) frustrationem (e) spoliantur
(f) aut excommunicationem alicujus sententiæ a suis receperint Prælatis; *Honthemius.*
(g) illi, pro quo mandatum receperunt (h) non relaxetur
(i) ei de damno (k) Clerici (l) ex eo
(m) quod talis (n) vilipensa (o) non in favorem personæ
(p) cum sacra Eucharistia (q) in Missa ante ablutionem
(r) II. ad Thessal. III, 10. *Si quis non vult operari, nec manducet.*
(s) frustrationem (t) ad quam (u) & cantentur
(x) circa jacentibus (y) mittunt (z) perducant

ficiant, & corrumpant, denuntientur: & ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis excommunicentur hæretici, auditores, receptatores, fautores, & illi, qui eos non accuſant, (a) cum ſciunt.

XXXII. Decimæ non in domibus, ſicut conſuevit hactenus, ſed in agris, vineis, pratis, & in locis aliis, ex quibus proveniunt, perſolvantur, nullis (b) deditis expenſis circa rem hujusmodi decimandam. Conſuetudinem illam, ſecundum quam non decima, ſed undecima, vel duodecima pars ſolvitur, pro decima, in annona, vel in rebus aliis, quanticumque temporis ſit, improbamus.

XXXIII. De cauſis matrimonialibus nullus Paſtor, Vicarius, vel Decanus [c] rurales cognoſcere præſumat.

XXXIV. Uſurarii manifeſti, vel convicti, poſt hujus ſtatuti publicationem pœnis coerceantur, quæ a jure infliguntur eisdem, ut videlicet non admittantur ad Communionem altaris, nec ad Chriſtianam ſepulturam, nec eorum oblationes [d] ſuſcipiantur, dum fuerint in hoc [e] peccato. Uſurarios cenſemus ſub pignore mutuantes, & ultra ſortem percepta in ſortem minime computantes.

XXXV. Cum adulteri & adulteræ, & alia enormia committentes, pecuniaria pœna perſoluta, minus timeant [f] reclinare; ſtatuimus, ut de cætero [g] conjuncti publicam pœnitentiam agant: mulieres infra Parochiam portantes Cyphum [h] in ſcapula & baculum in manu, in habito & cypho per omnia tales, quales eſſe conſueverunt peragentes carinas. [i] Viri autem infra Parochiam vel extra pœnitentiam agant modo præſcripto. Et hoc fieri procurent Epiſcopi, vel eorum Officiales, ſi ea Archi-Diaconi vel ſubditi neglexerint procurari. [k]

XXXVI. Cum plures excommunicati ſententiam vilipendant; ſtatuimus, quod ſi excommunicatus in ſua pertinacia ſex ſeptimanas perſiſtat, ſtatim recepto mandato excommunicatoris ordinarii per litteras ipſius, quas ad probationem faciendam ſufficere volumus; in hoc caſu excommunicatus per ſuperiorem ſuum ad unitatem Eccleſiæ compellatur redire; alioquin idem ſuperior poſt ammonitionem ſententia (l) percellatur.

XXXVII. Conjurationes, quæ fiunt per inſpectationem (m) ignis, vel gladii, ſeu alio quovis modo, cum ſint penitus reprobatæ, ſtatuimus, ut ſi Clericus in talibus deliquiſſe inveniatur, ſuſpendatur, manens in ea ſuſpenſione uſque ad ſatisfactionem condignam; ſi vero laicus, excommunicetur.

XXXVIII. Statuimus, ne habitu (n) Monachorum, vel regularium Canonicorum cujuscunque ordinis mulieres pernoctent.

XXXIX. Si quis Monachus, vel Monialis proprium habuerit, vel in vitium carnis lapſus fuerit, & fuerit hoc manifeſtum; in pœnam ſui criminis ſtet ultimus in choro, vocem non habeat in capitulo, non ad aliquam ordinationem in capitulo vel extra admittatur, nec valeat electio ab ipſo facta, vel de ipſo.

XL. Illos autem cenſemus proprietarios, quibus aſſignantur curtes, vel allodia, pro certa penſione: qua ſoluta, de reſiduo tamquam de proprio ſuo faciunt voluntatem.

XLI. Item præcipimus, ut Abbates & Monachi obſervent regulæ ſuæ ſtatuta; alioquin, quicumque transgreſſores per Diœceſanos ſuos animadverſione debita puniantur.

XLII. Item inhibemus, ne alicui Monacho, non profeſſo, adminiſtratio aliqua

(a) cum ſciunt *omiſſ.* (b) deductis (c) rurales, *non habet Martene.*
(d) recipiant (e) puncto (f) recidivare
(g) convicti, vel confeſſi.
(h) Cyphus, idem quod Scyphus, ait *Cangius*, quem forte palam geſtabant mulieres ex meretricio manifeſto reſipiſcentes vel convictæ, ut eo indicio, quid jam fuerint, demonſtrarent. Nam Scyphum gerebat in manu meretrix illa Apocalypſis. *MANSI.*
(i) Caringa, ſeu quadraginta dierum jejunium rigidum ajebant magnorum criminum rei publice pœnitentes. *MANSI.*
(k) procurare (l) excommunicationis (m) unguis
(n) *forte*: in aditu, nempe in loco ab iis frequentato.

aliqua in suo Monasterio concedatur, nec ad aliquam ordinationem admittatur. Abbas suus eos, qui professi non sunt, si administrationem aliquam habuerint, amoveat ab administratione usque ad quindenam; alioquin se suspensum sciat.

XLII. Cum novo avaritiæ genere quidam in nostris Diœcesibus laborantes indebitas faciant fabricari monetas; universis Presbyteris eorumdem locorum præcipimus; quatenus quam cito perceperint istud, ibi statim cessent a Divinis, (o) quousque de tali injuria ad mandatum Ecclesiæ fuerit satisfactum.

XLIV. Item præcipimus singulis diebus Dominicis & festivis denuntiari excommunicatos, facientes falsam monetam, vel mandantes, vel procurantes, ut fiat. Item utentes scienter falsa moneta, vel indebita moneta.

XLV. Annum Domini gratiæ (p) propter multas ejus abusiones revocamus: volumus tamen, ut bonæ consuetudines, ante ipsum in præbendis Clericorum decedentium observatæ, in suo vigore maneant & persistant.

Ex Martene veter. Monument. Tom. VII. pag. 126.

(o) nec ipsa aliquatenus resumantur, antequam de tali.
(p) Ita vocabantur fructus beneficiales unius anni, qui beneficiato post ejus obitum obveniebant, eosque ad arbitrium legabat.

Illmus Honthemius eandem Synodum refert *Tomo I. Historiæ Diplomaticæ Treverensis a pag.* 720. cujus variantes adscripsimus. Sed omisit Illmus Capitula XXXVIII, XXXIX, XL, XLI, XLII, quæ Martenius in suo MS. invenit, quod plenius nactus est.

Browerus Lib. XV. Annalium Treverensium hujus Provincialis Synodi meminit, & mense Septembri, die S. Matthæo solemni celebratam adnotavit. Addens, acta hujus Synodi esse in omnium manibus.

FRIDERICI II. Imperatoris Augusti
APOLOGIA,
Publice contra Capitula Gregorii *Papæ IX. proposita, & per Episcopos suos rescripta.*

SANCTISSIMO PATRI IN CHRISTO, GREGORIO, DEI GRATIA, SUMMO PONTIFICI, SUI DEVOTI HERBIPOLENSIS, WORMACIENSIS, VERCELLENSIS, ET PARMENSIS, EPISCOPI, HUMILEM SUI COMMENDATIONEM ET REVERENTIAM TAM DEBITAM, QUAM DEVOTAM.

CUm omni reverentia & devotione recipimus (a) literas Apostolicæ Sanctitatis, per quas missi fuimus, admonere Dominum nostrum Romanum

Anno 1239. Dominica Palmarum multis Cardinalibus præsentibus, Papa Gregorius IX. Fridericum Imperatorem solemniter excommunicavit, allegatis causis, nempe: damnis gravissimis Romanæ & variis Ecclesiis, tum libertati Ecclesiasticæ illatis: utrum autem Fridericus de Catholica fide recte sentiat, super hoc suo loco & tempore se processurum declarat.

Excommunicationem cum causis recitat *Matthæus Paris ad hunc annum pag. mihi* 486. Cum hæc sententia excommunicationis non solum ad Germaniæ Episcopos Imperatori insinuanda, verum & ad Angliæ, aliarum Ecclesiarum Episcopos promulganda mitteretur, *teste Matthæo Paris in Historia Anglorum, pag.* 490. Imperator per Episcopos suos Herbipolensem, Wormaciensem, Vercellensem & Parmensem, hanc *Apologiam* Papæ remisit, qua ad singula capita accusationis Pontificiæ in sententia expressa singillatim respondet. Similes literas Imperator ad Cardinales, ad Senatum Romanum, ad Regem Angliæ, aliosque Principes scripsit. Quibus respondit Gregorius PP. literis scriptis ad Cantuariensem, aliosque Episcopos. *Apud Matthæum Paris pag.* 506.

(a) recepimus. *Matthæus Paris edition. Londinensis.*

num Principem, super quibusdam capitibus, quæ missa sunt eisdem litteris interclusa. Nos autem ex obedientiæ debito, qua tenemur ad tantum debitum, hæsitantes tamen, si monita nostra patienter acciperet, reverenter & devote pervenimus, & expositis singulis, quæ capitula continebant, ac vestrarum habita per eum copia literarum, faciente Domino, qui gerit ac dirigit, quo voluerit, corda Regum, in admirabili devotione, & insperata humilitate se monitis nostris pronum exhibuit, inclinata Imperialis audientia dignitatis. Ita quod nobis existentibus coram eo, præsentibus quoque venerabilibus Panormitanensi, Messanensi Archi-Episcopis, Cremonensi, Laudensi, Navariensi, & Mutinensi, Episcopis, & Abbate S. Vincentii; convocatis etiam quampluribus ex fratribus ordinis Prædicatorum, Minorum, respondit ad singula, quæ proposuimus, seriatim, prout in sequentibus distincte ac plenarie continetur, sicut Dominationi vestræ responsionem ipsius juxta seriem capitulorum, expositam secundum Apostolicam jussionem sub sibi (*b*) testimonio, tenore præsentium declaramus.

I. Propositio Ecclesiæ.

Montis Regalis Cephaludensis, Cathaniensis & Squillatensis Ecclesiæ, Millitensis, (*c*) S. Eufemiæ terræ majoris, & S. Joannis in Lamis, Monasteria, sunt spoliata fere omnibus bonis suis. Item omnes fere Cathedrales & aliæ Ecclesiæ ac Monasteria sunt per iniquam inquisitionem fere omnibus hominibus suis spoliata.

Responsio Imperialis.

Super gravaminibus Ecclesiarum, quæ indeterminate ponuntur, quædam ignoranter commissa, corrigi jussa sunt sine more (*d*) dispendio, quædam vero jam correcta, sicut est in evidenti, de fideli & industrio nuncio nostro ad hoc specialiter destinato, videlicet Magistro Willielmo de Tocto Notario nostro, qui etiam jussus est transire per Romanam Curiam, & consulto venerabili Messanensi Archi-Episcopo, juxta consilium suum procedere ad revocationem eorum, quæ inveniret notabiliter facta. Sic quod in ingressu Regni, circa fines illos invenit quædam, quæ tenebantur per quosdam de familia Imperiali; quibus non pepercit, sed eos statim destituit, restituens destitutos: cum tamen habuerit in mandatis, quod ab Imperiali fisco etiam revocaret, si qua invenerit illicite deprehensa. Sic, quod fama eorum, quæ gesserat, perveniente ad Curiam Romanam, Dominus Papa dicitur approbasse mittentis providentiam, & diligentiam missi. Qui, cum Regnum in diversas provincias sit divisum, nondum potuit omnes peragrasse, ut quæ corrigenda invenerit, corrigantur.

Item de Ecclesia Montis Regalis, respondet, quod nullum gravamen habuit per Dominum Imperatorem, nisi velit notari de Saracenis, qui (*f*) occupaverant bona Ecclesiæ per bellum, qui nec Dominum Imperatorem nec Ecclesiam recognoscebant; nec in aliquo pro posse suo pepercerunt, immo destruxerant & deprædati fuerant eam usque ad muros Ecclesiæ, & alicui de Sicilia non parcebant, ita, ut in partibus illis nullus vel rarus Christicola remansisset. Hos revera fatetur Dominus Imperator exterminasse de Sicilia cum multis laboribus & expensis; si reputant in hoc gravamen Ecclesiæ, alias nescit, quod unquam gravasset illam, nec vult gravare.

Item idem dicit de Ecclesia Cephalensi, nisi forte tangatur de castro Cephalensi, quod vult munitissimam arcem supra mare, & stantem in Marchia Saracenorum, tenuerunt semper Reges Siciliæ, & bonæ memoriæ Innocentius Papa mandavit Legato suo, tunc temporis pro servitio nostro in Sicilia existenti; ut (*g*) velut reciperet ab Episcopo, ad cujus manus per turbationem venerat, & non de jure, & quod legatur tempore pueritiæ nostræ, faceret teneri & custodiri pro nobis, nec Episcopo, nec præsenti restituitur, nec de jure restitui debet, quia non habet jus in re: & alias, quod falsarius, homicida, proditor, & schismaticus publico testimonio comprobatur.

(*b*) fido, *loco* sibi. (*c*) Milletensis. (*d*) moræ.
(*f*) occupaverunt. (*g*) illud.

batur. Quare, si etiam haberet jus in re (quod absit) restitui non tenetur.

(*b*) Item de Cathanensi Ecclesia, nisi forte tangatur de hominibus (*i*) Demanii Domini Imperatoris, qui temporibus belli, propter locum securum, & fertilem, se Cathaniam contulerunt. Hos fatetur Imperator, se ad demania sua revocasse secundum formam generalis constitutionis Regni, per quam etiam Comites & Barones, & omnes de Regno homines de demaniis revocant, ubicunque eos invenerint, sive in terris Ecclesiarum, sive in civitatibus ipsius Imperatoris: nihilominus tamen super his forma statuta est, & meta temporis posita ad requisitionem summi Pontificis, acceptata, prout constat ex literis testimonialibus Patriarchæ Antiochensis, & Panormitanensis & Messanensis Archiepiscoporum.

Item, quod cum Ecclesia (*k*) Miletensis & sanctæ Eufemiæ cum Abbate & Monachis terræ majoris permutatio congrua facta sit de voluntate Prælatorum ipsorum & Conventuum, secundum formam juris, & ipsi hodie res tenent, & possident permutatas. Tassale vero S. Severii, quod non erat in totum Abbatis terræ majoris Aconensis, ibi quædam jura habebat, quæ tenebat in feudum ab ipso Imperatore, per judicium fuit juste destructum; quia homines illius loci tempore perturbationis occiderunt Paulum de Longothan, Bajulum Imperatoris, & armenta Imperialia (*l*) direpserunt: & nihilominus (ut dictum est) permutatio data est Abbati, & conventui pro parte sua, & hodie tenent.

Locus Lamæ cinctus est per sententiam ab Abbate S. Joannis Rotundi, qui de eo velut de re feudali potuit & debuit, secundum jus civile & Canonicum, in Imperiali curia conveniri.

II. Propositio Ecclesiæ.

Templarii & Hospitalarii bonis mobilibus, & immobilibus spoliati, juxta tenorem pacis non sunt integre restituti.

Responsio Imperialis.

A Templariis & Hospitalariis verum est, quod per judicium, & per antiquam constitutionem Regni Siciliæ, revocata sunt feudalia, & Burgasatica, quæ habuerant per concessionem invasorum Regni, quibus equos, arma, victualia & vinum, & omnia necessaria ministrabant abunde, quando infestabant Imperatorem, & Imperatori, tunc Regi pupillo & destituto, omne omnino subsidium denegabant. Alia tamen feudalia & Burgesatica dimissa sunt eis, qualitercunque ea adquisierunt, & tenuerunt ante mortem Regis Wilhelmi secundi, seu de quibus haberent concessionem alicujus antecessorum suorum. Nonnulla vero Burgasatica, quæ emerunt, revocata sunt ab eis, secundum formam antiquæ constitutionis Regni Siciliæ, quod nihil potest eis sine consensu Principis de Burgasaticis inter vivos concedi, vel in ultima voluntate legari, quin post annum, mensem, septimanam, & diem aliis Burgensibus sæcularibus vendere & concedere teneantur, & hoc propterea fuit ab antiquo statutum, quia si libere eis & perpetuo Burgasatica liceret emere, sive accipere, modico tempore totum Regnum Siciliæ (quod inter Regiones mundi sibi habilius reputarent) emerent, & adquirerent. Et hæc eadem constitutio obtinet ultra mare.

III. Propositio Ecclesiæ.

Item, quod non permittitur (*m*) Cathedrales, & alias vacantes Ecclesias ordinari, & hac occasione periclitatur libertas Ecclesiæ, perit fides, quia non est, qui proponat verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente Pastore.

Responsio Imperialis.

Cathedrales & alias vacantes Ecclesias Dominus Imperator libenter vult & desiderat ordinari, salvis privilegiis & dignitatibus, quæ prædecessores sui Reges usque ad sua tempora habuerunt, & quibus ipse modestius, quam prædecessores sui hactenus usi sunt, nec contra ordinationem Ecclesiarum unquam fuit.

IV. Propositio Ecclesiæ.

De talliis & exactionibus, (*n*) contra formam pacis Ecclesiis & Monasteriis extorquentur.

Responsio Imperialis.

Talliæ & collectæ Clericis & personis

(*b*) Idem. (*i*) Dominii (*k*) Milletensis.
(*l*) diripuerunt. (*m*) non permittit. (*n*) quæ.

sonis Ecclesiasticis, non pro Ecclesiasticis rebus, sed pro feudalibus & patrimonialibus imponuntur, secundum quod est jus commune, & obtinet ubique per orbem.

V. Propositio Ecclesiæ.

De hoc, quod Prælati non audent procedere contra usurarios, occasione constitutionis Imperialis.

Responsio Imperialis.

Apparet generalis & nova constitutio contra usurarios edita per Imperatorem, per quam (p) omnibus bonis eorum publice condemnantur, & lecta est coram Prælatis, per quam etiam non (q) interdicitur Prælatis audacia procedendi.

VI. Propositio Ecclesiæ.

Quod Clerici capiuntur, incarcerantur, proscribuntur.

Responsio Imperialis.

De captis & incarceratis nihil novit, nisi quod per officiales Imperatoris aliqui capti sunt, assignandi juxta qualitatem excessuum judicio Prælatorum. De proscriptis vero novit, quod objecto quibusdam crimine læsæ Majestatis, aliqui de regno sunt proscripti. Novit etiam de occisis, quod propter impunitatem Clericorum & Monachorum Venusina Ecclesia gemit obitum Prælati sui a suo Monacho interfecti: & in Ecclesia S. Vincentii Monachus Monachum interfecit, nec est inde aliqua vindicta sive pœna Canonica subsecuta.

VII. Propositio Ecclesiæ.

De Ecclesiis Domino consecratis, quæ prophanantur & destruuntur.

Responsio Imperialis.

Nihil omnino scitur, nisi forte dicatur de Ecclesia Luceriæ, quæ propter diutinam vetustatem per se dicitur corruisse, & quam Imperator, nedum quod reædificari permittat, imo paratus est, ad honorem Dei & Ecclesiæ, de suo pro reædificatione ejusdem Episcopum congrue adjuvare.

VIII. Propositio Ecclesiæ.

Quod non permittit reparari Soranam Ecclesiam.

Responsio Imperialis.

Soranam Ecclesiam solam ædificari permittit: sed civitatem non, ad minus diebus suis, quæ judicio est destructa.

IX. Propositio Ecclesiæ.

Quod contra tenorem pacis hi, qui adhæserunt Ecclesiæ tempore turbationis, bonis omnibus spoliati exulare coguntur.

Responsio Imperialis.

Adhærentes Domino Papæ tempore turbationis contra Dominum Imperatorum, secure in Regno morantur, nisi forte, qui officia & jurisdictiones exercuerunt, metu ponendi rationem, vel aliqui, ne caussis civilibus, vel criminalibus conveniantur, morantur extra regnum: de quibus vult Dominus Imperator, quod secure redeant, (r) & sibi & aliis conquerentibus, non tamen de eo vel ejus occasione, quod Ecclesiæ adhæserunt, velint facere rationem. Sed cum de forma pacis tractatur, recordatur, quod Dominus Papa contra eam, contra opinionem fere omnem fratrum, detinet civitatem Castellæ, pro qua detinenda, in præjudicium Imperii, recepit pecuniam existente Domino Imperatore pro servitio ejus contra Romanos, & expendente proinde ultra centum millia marcarum argenti: adeo quod magnum commodum inde est Ecclesia consecuta, tam de terra Romanis ablata, & sibi restituta, quam de libertate Ecclesiastica, reformata in urbe, occasione servitii supradicti.

X. Propositio Ecclesiæ.

De nepote Regis Tunicii, quem non permisit venire ad Apostolicam Sedem, ad suscipiendum Baptismi Sacramentum, sed captivum detinet.

Responsio Imperialis.

Quod nepos Regis (s) Tunicacii, non ut baptizaretur, sed ut aufugeret mortem, quam præminabatur patruus suus, de Barbaria fugit in Siciliam. Non tenetur captivus, sed liber per Apuliam vadit, & diligenter quæsitus, si baptisari velit, omnino negat. Si tamen vult baptisari Dominus Imperator acceptat & gaudet, prout super hoc respondit alias Panormitanensi & Messanensi Archi-episcopis.

 XI.

(p) in. (q) interciditur.
(r) si sibi *pro* &.
(s) Tunicii.

XI. Propositio Ecclesiæ.

De Petro Saraceno, fideli Ecclesiæ, quem tenet captivum in injuriam Ecclesiæ: & fratre (t) Jordano, qui tenetur captivus.

Responsio Imperialis.

Petrus Saracenus, tanquam inimicus Domini Imperatoris, & detractor ejus tam in urbe, quam alibi, captus est per eum. Item non in negocium Regis Anglorum venit, sed tantum litteras ipsius attulit, ut si forte caperetur, capto parceremus, attentius supplicantes. Quibus non obtemperavimus, quia Rex nescivit, quas mihi paravit insidias.

De fratre Jordane, quod ipsum nec (u) cepi nec capi mandavit, quamvis eum in sermonibus diffamaverat, sed quia videtur a quibusdam fidelibus suis, qui norunt mores, & versutias ejusdem fratris, quod status & mora ejus, si fieret in Marchia Tervisii, & Lombardia, suspecta forent & nociva Domino Imperatori, præstita satisdatione, quod in Marchia & Lombardia remanere vel morari non debeat, ipsum liberari mandabat, & assignari eum jussisset Domino Messanensi Archi-Episcopo, si dictum fratrem in prædictum modum super se recipere voluisset.

XII. Propositio Ecclesiæ.

De eo, quod ipse seditionem movit in urbe contra Ecclesiam, per quam intendebat Romanum Pontificem & fratres suos a sua sede repellere, & contra privilegia, dignitates, & honores Apostolicæ Sedis, libertatem Ecclesiasticam. (x)

Responsio Imperialis.

Seditio mota in urbe contra Ecclesiam per Dominum Imperatorem, negatur, sed cum ipse habeat fideles suos in urbe, sicut prædecessores sui, tam Romani Principes, quam Reges Siciliæ soliti sunt habere, quia Senatores aliquando electi per potentiam adversariorum, eos offendere contendebant, adstabat defensioni eorum, sicut astaret quoties in similibus expediret. Cessante vero causa, videlicet, quod alius Senator communiter electus fuit, cessavit turbatio supradicta, prout constat de rei evidenti, ex testimonio Panormitanensis & Messanensis Archi-Episcoporum.

XIII. Propositio Ecclesiæ.

De eo, quod mandavit quibusdam fidelibus suis, ut Episcopus Prænestinus Apostolicæ Sedis Legatus destineretur. (y)

Responsio Imperialis.

Super mandato detentionis Episcopi Prænestini respondit, quod nunquam mandavit, nec etiam id somniavit Dominus Imperator, quanquam de eo id juste facere potuisset, tanquam de inimico sui. (z) Qui licet missus per Dominum Papam, tanquam vir religiosus, tamen de mandato Domini Papæ (ut ipse dixit) Lombardiam pro magna parte contra Dominum Imperatorem callide & perniciose subvertit, & Lombardos contra ipsum, in quantum potuit, animavit.

XIV. Propositio Ecclesiæ.

Quod per eum impeditur negocium terræ sanctæ, occasione discordiæ, quam habet cum quibusdam Lombardis: cum parata sit Ecclesia dare opem & operam efficacem, ut sibi, & honori Imperii super his, quæ commissa sunt contra eum a Lombardis, congrue satisfiat, & Lombardi etiam ad hoc ipsum sint præparati. Moneatur super his omnibus, & responsum ejus significetur nobis.

Responsio Imperialis.

Super negocio Lombardiæ dixit Dominus Imperator, quod illud multotiens commisit Ecclesiæ, nec inde est aliquod commodum assecutus, nisi quod prima vice condemnati sunt Lombardi, in quadringentis militibus, quos Dominus Papa tali modo fecit ei solvi, quod ipsos contra ipsum Imperatorem misit in regnum. Secunda vice condemnati sunt in quingentis militibus, quos non Imperator, (a) contra quem commissa erat injuria, sed sub protectione, & ad requisitionem Domini Papæ & Ecclesiæ, quæ offensa non erat, ultra mare transmitti pronunciavit, quod etiam nunquam factum fuit. Tertia vice ad requisitionem Cardinalium, scilicet quondam Episcopi Sabinensis, & Magistri Petri de Capua,

(t) Jordane. (u) cepit. (x) conculcare.
(y) detineretur. (z) suo. (a) Imperatori

Capua, plene ficut Dominus Papa dictavit, commiffum fuit dictum negocium Ecclefiæ, nec unquam poftea de hoc fuit verbum, nifi quando Dominus Papa novit, quod Imperator, poftquam ei totiens erat illufum, defendere cum exercitu a Germania in Italiam fe parabat, & tunc inftanter petiit denuo negocium fibi committi: & Dominus Imperator, licet in eadem commiffione naufragium fæpe expertus fuiffet; voluit tamen fibi committere ad certum diem & fub conditione, quod ad honorem fuum, & commodum Imperii firmaretur. Quam conditionem Dominus Papa, prout per literas fuas conftat, admittere noluit, quanquam ad præfens per literas fuas dicat, quod Ecclefia negocium ipfum, falvo jure & honore Imperii, fuiffet diffinire parata. Et ex hoc patet: quod literæ ipfæ fibi invicem manifeftiffime contradicant.

Et ne prætendatur, quod in præjudicium terræ fanctæ velit Dominus Imperator jura Imperii in Italiam reftaurare: qualiter Dominus Imperator negocium terræ fanctæ affumpferit, nec duxerit negligendum, apparet per litteras fuas refponfales Regibus orbis, & cruce fignatis in Francia fcriptas, qui ipfum in Dominum & Rectorem exercitus elegerunt, per quos etiam refpondit infuper eisdem, quod negocium ipfum de confilio Ecclefiæ tractare volebat.

Denique tamen fuper omnibus gravaminibus Ecclefiarum corrigendis, Notarius Domini Imperatoris in fpecialem nuncium, ficut fuperius eft propofitum, eft transmiffus.

Addidit præterea Imperialis refponfio, quod id, quod enormius eft, & in admirationem, & ftuporem omnium audientium verti debet, poft receffum fupra memoratorum Parnormitanenfis & Meffanenfis Archi-Epifcoporum, quibus Dominus Papa Ecclefiæ gratiam pro Domino Imperatore promifit, & quod voluit unum & idem effe cum eo, Domino Imperatore, prout decuit, non modice hoc attemptante, poftquam fufficienter fuerat eis ad quædam Capitula miffa per eos, refponfum, prout in eorum atteftatione confiftit, poft tergum & in confufionem eorundem Archi-Epifcoporum, eis omnino nefcientibus, miffæ funt iftæ litteræ & capitula interclufa Prælatis, quæ licet fpeciem admonitionis contineant, fugillationem tamen Imperialis famæ continent manifefte.

Ultimo generale verbum refpondit & propofuit Dominus Imperator, quod cum ipfe diu fuerit abfens a Regno, & Regni ftatum ignoret, quicquid unquam in gravamine Ecclefiarum factum eft, quod remaneat emendandum, integre & fine difficultate aliqua id emendari mandabit. Et nihilominus propter univerfale bonum, quod ex unione inter ipfum & Ecclefiam provenit, paratus eft omnem prorfus fecuritatem, quæ Ecclefiam & ipfum Imperium deceat, præftare Ecclefiæ, quod ad honorem & exaltationem fidei Chriftianæ, & ad honorem & libertatem Ecclefiafticam confervandam, fit unum & idem cum Ecclefia, viribus & potentia fua ad hoc ex toto converfis.

Datum &c. . . . .

Goldaftus Tomo II. Conftitutionum Imperialium pag. 78. 79. *&c.*

Ex Matthæo Paris, cum cujus editione Londinenfi Goldaftinam contuli, & variantes adfcripfi.

SYNODUS MOGUNTINA

Anno Chrifti MCCXXXIX. Gregorii IX. Papæ XII. Friderici II. Reg. XXII.

§. I. *Invitatoria Encyclica Archi-Epifcopi Moguntini.*
§. II. *Excufatoria Conradi, Hildefienfis Suffraganei, ad Sigefridum.*
§. III. *Acta Synodi & perfonæ præfentes.*
§. IV. *Dedicatio Metropolitanæ Moguntinæ poft Synodum.*

§. I.

§. I. *Sigifridi Encyclica ad Suffraganeos suæ Provinciæ invitatoria ad Synodum Provincialem.*

SIGIFRIDUS, DEI GRATIA, SANCTÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPUS.

LIcet ex Præcepto sacrorum Canonum teneamur annis singulis Provinciale Concilium celebrare; usque nunc in quantum potuimus, Fratrum & Coepiscoporum nostrorum laboribus & expensis pepercimus in hac parte. Verum, quia multa ad nostram audientiam pervenerunt, quæ limam correctionis reposcunt, & quæ conniventibus oculis pertransire non possumus, nec debemus, nec audemus, ne subditorum sanguis de nostris manibus requiratur; Fraternitati vestræ de nostra arce Metropolitana precipimus districte, quod ad Provincialem Synodum, quam apud Maguntiam anno præsenti, auctore Domino, *prima die Julii* celebrare decrevimus, omni difficultate postposita venire curetis, efficacius inducentes, & si necesse fuerit Ecclesiastica districtione cogentes Prælatos vestræ Diœcesis universos, ut ad eandem Synodum, sicut tenentur, accedere non omittant: Rogamus insuper caritatem vestram attente, quia vestra vobiscum Pontificalia faciatis deferri, ut nobis *in Dedicatione nostræ Ecclesiæ* quam statim, celebrato Concilio, vita comite, celebrare proponimus, assistatis, & consecrationem eandem per vestram faciatis Diœcesim sollempniter publicari, Vestros subditos in Domino exhortantes, ut ad ipsius consecrationis sollemnia devote concurrant, largifluas indulgentias recepturi.

Datum Moguntiæ.

Ex codice MS. Bibliothecæ Metropolitanæ Moguntinæ descripsit Cl. Schannat.

§. II. *Excusatoria Conradi, Hildesiensis Suffraganei, ad Metropolitam Moguntiæ.*

Noveritis, quod ad diem Concilii à vobis indicti venire non possumus, infirmitate detenti, licet firmum habuerimus propositum veniendi: quocirca Vestram Clementiam exhortatam esse volumus, quatenus excusationem nostram super hoc Vobis & Sancto Concilio per Magistrum Meinhardum Scholasticum Ecclesiæ nostræ porrectam, cum mansuetudine admittatis; de ægritudine autem nostra vobis fidem idem faciet juramento in animam meam, si forte super hac causa juramentum ab ipso duxeritis exigendum.

Ex codice MS. Bibliothecæ Metropolitanæ Moguntinæ descripsit Cl. Schannatus.

§. III. *Acta Synodi & personæ præsentes.*

Anno MCCXXXIX. VI. Nonas Julii civitate Moguntina celebratum est Concilium, præsente Conrado Rege, Imperatoris Friderici II. filio, ac ejusdem Sedis Archi-Episcopo Sigifrido cum novem Episcopis. In hoc Concilio Episcopus Eistatensis (a) querelando miserabiles exhibuit literas; in quibus continebatur, quoniam sui ministeriales ac cives Eistatenses, jam fere per annum in excommunicatione manentes, diabolica, atque hæretica præsumptione ipsum Episcopum cum Clero sibi favente, crudeliter expellendo abjecissent, & laicas personas in Episcopum, ac Præpositum & Decanum elegissent, ac ejusdem Matricis Ecclesiæ sacristiam infringendo spoliaverint: & ipsorum errorem Magnates & potentes quidam foventes, pernitiose in malitia confortaverint, ac qualiter suos fautores, si decesserint, cum musicis instrumentis ad sepulturam conducendo, lætanter sepeliant.

Anonymi Chronicon Erfordiense.

Editum a Schannato Collectione primâ Vindemiæ Literariæ pag. 99.

§. IV. *Dedicatio Metropolitanæ Moguntinæ.*

Anno MCCXXXIX. Major Ecclesia Moguntinensis, de novo reparata per Siphridum Archiep. Moguntinum cum magna solemnitate consecratur. . . . In qua Dedicatione tanta multitudo populorum convenerat; ut omnes non civitas ipsa, non campus caperet, sed trans Rhenum apud Castellam & in Insulis stationes fieri oporteret.

Serarius ex Trithemio, & Chronico minore MS. Lib. V. rerum Moguntiac. p. 837.

Refor-

(a) Fridericus a Parsberg, eruditionis & prudentiæ laude illustris gubernavit Ecclesiam Eystettensem ab anno 1237. ad 1246. *Teste Bucelino Germaniæ Sacræ Parte I.*

Reformatio & Visitatio Diœcesis Naumburgensis.

ANNO CHRISTI MCCXXXIX.

EOdem tempore, anno videlicet Domini MCCXXXIX. Engelhardus Episcopus noster ex mandato Summi Pontificis, & Archi-Episcopi nostri *Alberti*, fecit Reformationem sive Institutionem novam suæ Diœcesis Monasteriorum, & præcipue in cantu & celebratione Divini cultus, & hoc propter abusiones, quæ in Ecclesiis inoleverant, multas, confecitque desuper Privilegium, quod ita incipit: *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Engelhardus, Dei gratia, Nuenburgensis Episcopus, dilectis in Christo Fratribus, Abbati & Conventui in Puzowe, salutem in salutis Authore* &c. *Nostis siquidem, quam districte VISITATIONEM Diœcesium nostrarum Domino Archi-Episcopo & Nobis, Dominus Papa suis Literis injunxerit, cominans desidibus, pigros excitans & contestans singulos &c. Data Puzowe VIII. Id. Septemb. Indict. II. Pontificatus vero Nostri anno XXIII. feliciter. Amen.*

Paulus Langius in Chronico Citizensi ad hunc ann. apud Pistorium.

Sed idem *in Chronico Naumbergensi* edito *a Menckenio Tom. II. pag.* 158. hujus Visitationis non meminit.

Anno MCCXXXIX. omnia Monasteria in tota Diœcesi sua ex Mandato Papæ, in disciplina, cantu, & celebratione cultûs Divini accurate reformat, omnes abusus amputando.

Paullini in Actis Episcoporum Nuenburgens. pag. 138.

SYNODUS BAMBERGENSIS

ANNO CHRISTI MCCXLII. ROMANA SEDE VACANTE. FRIDERICI II. REG. XXV. IMP. XXIII.

SUMMA. *Henricus electus Bambergensium Episcopus, impetrata nondum Confirmatione, ob aditum ad Pontificem bello interclusum, indicto Conventu Ecclesiæ Bambergensi providet.*

... ETsi vero Pontificia ejus Confirmatio per triennium ferme protraheretur, quod propter assidua bella, & seditiones Italiam prementes, omnes ad Sedem Apostolicam interclusi essent aditus; ne tamen laboranti jam pridem Ecclesiæ deesset, sed, quam deberet, opem adferret, Conventum eam in rem indixit, & quid opus esset facto, decrevit.

Hoffmannus Annalium Bambergens. Lib. IV. de Henrico Schimidelfeld Episc. Bambergensi.

CONCILIUM PROVINCIALE MOGUNTINUM

Anno Christi MCCXLIII. Innocentii IV. Papæ I. Friderici II. Regis XXVI. Imp. XXIII.

SUMMA. *§. I. Definitur proëdria Eystatensis Episcopi supra Suffraganeos. §. II. Dedicatio Ecclesiæ majoris Monasterii Moguntiæ.*

ANno Domini MCCXLIII. VII. Kal. Julii, cum Concilium in Ecclesia Maguntina esset indictum, & cum p. m. Syffridus ejusdem Ecclesiæ Archi-Episcopus, tunc temporis in die Concilii ad Concilium cum Coepiscopis suis considere vellet, ut indictum Concilium turbaretur Domini Episcopi Hildenshei-

mensis, & D. Warburnensis, (a) & D. Wormacensis jus Domini Episcopi Eystetensis (b) & suæ Ecclesiæ, ut supra notatum est, quilibet eorum pro se & sua Ecclesia, quod primus esse deberet post Moguntinum, proponebant, & super hoc sibi fieri justitiam postulabant: Dominus vero Eystensis Episcopus Fridericus nomine, dictus de Parsperg, & Juris peritus, cum audiret dictos Episcopos jus Ecclesiæ suæ, & eis alienum impetere, & tanquam rem suam petere, ipse ut homo providus & literatus, Pontificalibus indutus & vestitus, jus Ecclesiæ suæ laudabiliter defendebat, & testes, quos ad probandam intentionem suam induxit, taliter jurati deposuerunt.

Duo Præpositi, & unus Decanus, quorum quilibet se circa centum annos esse dicebat, sic dixerunt, & concordaverunt in omnibus supra notatis adjicientes, quod quando Maguntinus vellet præsidere Concilio, quod ab una parte Monasterii sedes deberet esse, quæ caperet, nisi duas Personas, Maguntinum, & Eystetensem Episcopum, ex alia vero parte Domini Episcopi, ejusdem sedis Suffraganei deberent sedere per ordinem, & si Dominus Maguntinus medio tempore inciperet ægrotare, Dominus Eystetensis dicto Concilio deberet præsidere, & tractare ea, quæ tractanda, & decidere, & Concilium consummare, & quod tunc non de propriis, cum eandem Ecclesiam sibi regeret, sed de Bonis Ecclesiæ Maguntinæ deberet procurari, & in reditu, donec ad villam, quæ vocatur Perglen, quæ attinet Ecclesiæ Eystetensi, ibi de propriis deberet sustentari.

Dixerunt etiam, quando Dominus Eystetensis vocaretur venire Magunciam, sive esset in Cena Domini, sive in aliis Festivitatibus, & Dominus Maguntinus qualicunque de causa non posset exequi officium suum, & Dominus Eystetensis ratione juris sui & suæ Ecclesiæ, quod ex antiquo sibi in Ecclesia Maguntina scitur esse concessum, ad exercendum ibi Divinum Officium & in Diœcesi, si necesse esset, ad Ecclesias consecrandas vocaretur, quod Procuratores Domini Maguntini deberent occurrere Domino Eystetensi apud villam, quæ dicitur Perglen, quæ ad Ecclesiam Eystetensem spectare dinoscitur, & cum in sero vixisset ibi de propriis, de mane Procuratores Ecclesiæ Maguntinensis deberent, ex tunc procurare de rebus Ecclesiæ Maguntinæ Dominum Eystetensem cum XXXVI. Equitatibus ibi, & veniendo Magunciam, & ibi commorando & redeundo domum iterum, donec ad villam Perglen, ibi tunc primum de propriis deberet sustentari, dixerunt; & quando taliter vocatus D. Eystetensis veniret Maguntiam, quod ex tunc a Canonicis Majoris Ecclesiæ suscipi & recipi deberet processionaliter.

Cum vero testes prænotati in hunc modum jurati deposuissent, & per omnia concordassent, D. Eystetensis sub forma judicii justitiam sibi & suæ Ecclesiæ fieri petivit & instanter, præmissis tamen allegacionibus suis & probationibus, hoc de jure fieri debere; Dominus vero Moguntinus de (c) Concilio DD. Episcoporum & Capituli sui, intentionem D. Episcopi Eystetensis pro se & suo Capitulo sufficienter esse probatam *interloquendo* pronuntiavit, & talem prærogativam, super qua vertebatur quæstio, Domino Eystetensi Episcopo, suisque successoribus, prout rite probatum fuerat, sentencionando adjudicavit: Dominus vero Eystetensis de (d) secunda hora Concilii ad renovationem sui juris cum Domino Maguntino in una sede, secundum quod testes deposuerunt, Concilio laudabiliter præsedit, & loco Domini Maguntini ea, quæ ibi tractabantur, in publico lucidissime diffinivit, & die tertia, quia Dominus Maguntinus Officium personaliter exequi non poterat, Monasterium in majori Ecclesia Maguntina, (e) omnibus qui erant, Episcopis sibi cooperantibus, & Rege Conrado præsente, gloriosissime dedicavit.

Testes omnium præcedentium sunt

(a) Paderburnensis.
(b) Friderici II. hoc nomine, qui teste *Bruschio* vir erat jurisperitus, eximie doctus, & sapientissimus, natus ex nobili gente de Parsberg. Sedit annos novem, defunctus anno MCCXLVI. IV. Kal. Junii in ordine Præsulum Eystettensium XXXII. *Gretser. Tomo X. pag. 856. in Catalogo Episcopor. Eystettensium.*
(c) consilio. (d) *lego* die secunda.

sunt hi: Dominus Episcopus Herbipolensis, Dominus Argentinensis, Dominus Babenbergensis, Dominus Spirensis, Dominus Wormacensis, Dominus Barbrunnensis, Dominus Halberstadensis, & alii quamplures Prælati, Clerici & Laici.

Ulricus de Hazenstein Præpositus Herridiensis, Conradus Comes de Castell, Otto de Ponte, Hermannus de Thanhausen, Canonici Eystetenses. Henricus Notarius Canonicus Herridiensis, & Ministeriales Ecclesiæ, Conradus Junior Dapifer, Cuno de Lapide, & alii quamplures simili modo interfuerunt.

Acta sunt hæc Regnante Domino Papa Innocentio Quarto, & Imperatore Friderico, & Filio suo Rege Conrado Regnantibus, qui Imperator per eundem Papam Innocentium post hæc apud Lugdunum, justicia exigente est destitutus. Anno MCCXLIII. VII. Kal. Julii.

Ex Libro Episcopali Eystettensis Ecclesiæ descripsit Cl. D. Joannes Georgius Joannis.

Gretserus Epitomen hujus Synodi scripsit Lib. I. Observationum in Philippi Eystettensis Episcopi Commentarium Cap. XV. pag. 773. Tomo X. noviss. editionis.

(e) Majorem Ecclesiam Moguntinam a Sigefrido III. reparatam & consecratam fuisse anno 1239, scribit *Tritbemius* ad diem IV. Nonas Julii, & huic Dedicationis solemnitati Suffraganeos omnes Episcopos interfuisse, scribit *Latomus in Catalogo Archiepp.* An autem *Monasterium in majori Ecclesia* sit distinctum a majori Ecclesia, non habeo dicere.

Quo jure Bernardus Paderbornensis proëdriam in Conciliis Provincialibus, aliisque congressibus prætenderit præ Eystadensi; forte an jure Consecrationis, quod ante Eystadensem fuit Episcopus consecratus? nam Hincmarus Rhemensis observavit, antiquiores consecratione in Conciliis præcessisse eos, qui post ordinati fuissent: non sane jure antiquitatis aliove titulo: Schatenus ignorat.

Annal. Paderborn. Lib. XI. pag. 41. Tomo II. ad h. a.

Quam varius fuerit sessionis in Conciliis Provincialibus Moguntinæ, ordo inter Suffraganeos ejus XII, patet ex variis schematibus hujus ordinis, descriptis a *Serario Lib. I. rerum Moguntiacarum Cap. 23.* quos omnes recudit *Gretserus Lib. I. Observationum jam citato.*

In Concilio Africano, credo Carthaginensi anni CCCCII. definitum, ut ordinatione priores Episcopi sedeant in Synodis ante eos, qui posteriores ordinatione Episcopali sunt: id a Patribus & a Majoribus servatum fuisse, salvo jure Primatum Numidiæ, & Mauritaniæ. *Conc. Africanum Tit. LIII. Tomo I. pag. 218.*

CONCILIUM PROVINCIALE FRITZLARIÆ

A SIGIFRIDO III, MOGUNTINO ARCHI-EPISCOPO, CELEBRATUM, Anno Christi MCCXLVI. Innocentii IV. Papæ III. Friderici II. Reg. XXIX. Imp. XXVII.

CANONES XIV.

ANno MCCXLVI. Sigifridus III. Epsteinius, Archi-Episcopus Moguntinus, inter tantos Reipublicæ Germanicæ motus (ob Fridericum II. Imp. & Filium ejus ab Innocentio IV. anno MCCXLV. Lugduni excommunicatos, 2do. ob Henricum Landgravium Thuringiæ apud Herbipolim electum Regem, sed anno MCCXLVI. Ulmæ ictu sagittæ interfectum, ob Wilhelmum Hollandiæ, Seelandiæ, & Frisiæ Dominum anno MCCXLVI. coronatum) officii sui memor magnâ constantiâ erga Innocentium IV. Ecclesiam suam tutatus est, & Provincialem Synodum convocavit *Fritzlariæ*, & quidquid ad Cleri commodum facere potuit, non omisit

Latomus in Catalogo Archiep. Moguntiæ. Menkenius Tomo III. Scriptor. German. p. 518. ad ann. 1246. contra MS. codic.

I. *De Baptismo.*

Baptismus cum summa reverentia celebretur, maxime in distinctione & prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus consistit, his scilicet verbis: *Ego Baptiso te, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Sacerdotes etiam doceant tam mares, quam fœminas in necessitate parvulos Baptisare eadem forma in suo idiomate, & quod Patres, & Matres, infantes proprios, si summa necessitas exigat, poterunt Baptisare, & si Sacerdotes super hoc diligentius inquirentes, debitam formam servatam in Baptismate invenerint, quod factum est, approbent, supplentes circa Baptisatum quoad unctionem olei in pectore, & in scapulis, & crismate in vertice, quod a laicis est omissum; si autem in Baptismate debitam formam non invenerint observatam, non differant pueros baptisare.

II. *De Custodia Eucharistiæ.*

Statuimus: ut in cunctis Ecclesiis, Baptismus, Chrisma, & Eucharistia sub fideli custodia, clavibus adhibitis, conservetur, ne possit ad illa temeraria manus extendi; pallæ quoque Altaris, vasa, corporalia, & vestimenta Ministrorum, munda & nitida conserventur: nimis enim videtur absurdum in sacris Sacerdotes negligere, quæ dedecorent etiam in prophanis.

III. *De consecratione Ecclesiæ.*

Ecclesiam, aut Cimiterium, per sanguinis aut seminis humani effusionem, aut per excommunicati corporis tumulationem, violatum sive pollutum, per alium quam per Episcopum reconciliari non potest, cum ea, quæ sunt Episcopalis ordinis, non nisi ab Episcopo valeant emendari.

IV. *De Pœnitentia.*

In confessionibus audiendis maximam adhibeant diligentiam Sacerdotes, ita ut a pœnitente usitata peccata & communia sigillatim; inusitata vero tantum per quasdam circumlocutiones caute perquirant, ne inexpertis detur materia, quod ante nescirent, perpetrandi. Caveant autem omnino Sacerdos ne verbo, aut signo, aut alio modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentum consilio indiguerit, illud absque omni expressione personæ caute perquirat, quoniam, qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum. Verum, quia quidam confessores, etsi personam confitentis non exprimant, circumlocutionibus tamen confitentium, & peccati circumstantiis sub quadam generalitate indiscrete publicant confitentem; statuimus igitur, ut nullus Sacerdos expressa religione, conditione, seu statu alicujus, peccatum recitet confitentis; immo nec peccati qualitas, locus, seu vicinia perpetrati facinoris specificetur ullo modo, cum ex hujusmodi circumlocutionum indiciis, auditoris industria personam interdum eliciat peccatoris, & ex specificatione peccati humana fragilitas ad perpetrandum similia forsitan provocetur.

Prohibemus etiam, ne quis Sacerdos ab uno sibi confitente de aliorum peccatis, nominibus expressis, inquirat, & ne Missas, quas pœnitentibus procurandas injunxerit, celebrare præsumat, & ne pro iis fiat aliquod Tricenarium, vel annuale.

Et quia plerumque infirmus sua confiteri peccata, propter multorum præsentiam, erubescit; id a Sacerdotibus præcipimus districtissime observari, ut prius familiariter & secrete audiat confessionem infirmi, si mortis periculum non obsistat; & postea ad eum deferat cum devotione, habitu, & reverentia condecentibus Eucharistiam salutarem.

Sunt autem tria peccata, quæ in satisfactionibus injungendis sunt Domino Apostolico reservanda, scilicet: in Clericos, vel quoscumque Religiosos injectio manuum violenta, Ecclesiarum, vel Religiosorum locorum incendia, & simonia in ordine perpetrata.

Insuper; quia in pœnitentiis injungendis quidam casus frequenter emergunt; qui etiam dispensationem Episcopalem requirunt; in illis casibus ad Episcopum, vel suos pœnitentiarios habeatur recursus, sive occulti fuerint, sive etiam manifesti. Statuitur itaque, quod Sacerdotes, in satisfactionibus injungendis, majora pœnitentiariis Episcopi reservent, utpote: homicidia; sacrilegia; incen-

incendia; peccata contra naturam; concubitus personarum conventualium, præsertim in sacris ordinibus constitutorum; incestus, videlicet cum consanguinea vel affine, compatre vel commatre, vel, cum ea, quæ votum castitatis emisit; injectio manuum in parentes; oppressiones parvulorum per negligentias parentum, in igne, in aqua, natos amittentium; veneficia; perjuria solemnia; fidei fractiones; votorum transgressores, simoniam; adulteria; hæreses; apostasias; maleficia eorum, qui maleficiunt conjuges ut non possint coire, vel qui procurant sterilitatem mulierum, vel abortum; Falsarios, qui sigilla, litteras, vel monetam falsificant, falsa instrumenta conficientes; falsum testimonium reddentes, blasphematores Dei, & Sanctorum; sortilegos, ac majori excommunicatione in hujusmodi peccatis vel similibus detentos, mittant Sacerdotes ad Episcopos, vel eorum pœnitentiarios, absolvendos, nec absolvant, præterquam in mortis periculo, absque loci Episcopi licentia speciali, declarantes: quod illi, quibus hoc committitur, potestatem non haberent illud aliis personis committendi.

V. *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.*

Cum beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferri debeant, quidam Ecclesiarum Patroni, personis idoneis prætermissis, tales ad ea præsentant, qui portione aliqua debent esse contenti, reliquum suis usibus totaliter applicando; unde, ad hujusmodi mali perniciem exstirpandam statuimus: quod si tales Clerici se de portione debita spoliari videntes ad suum Episcopum querelam non detulerint, auctoritate hujus Concilii sint ipso jure suspensi, & nihilominus eisdem Ecclesiis spolientur per Episcopum, & Presbytero idoneo provideatur de ipsis; si vero ad superiorem super hoc detulerint questionem, ipse patronum per censuram Ecclesiasticam ab hujusmodi molestatione compescat, adjicientes nihilominus: quod si in hoc pertinax patronus exstiterit, ad præsentationem talis Ecclesiæ de cætero nullatenus admittatur.

VI. *De concessione Prebendæ.*

Statuitur: quod nullus in Canonicum eligi debet, beneficio non vacante, nisi justa necessitas, vel utilitas Ecclesiæ id requirat, & tunc unus tantum, & non plures assumi debent; si qui autem contra hoc statutum præsumpserint quod factum est, ipso jure non teneat; & Episcopus tot prebendas conferre potestatem habeat, quot personæ fuerint sic assumptæ.

VII. *De institutionibus.*

Statuimus: ut nullus Clericus ad curam animarum ab Episcopo, vel suo Vicario admittatur, nisi prius juraverit, quod nullam in acceptione beneficii, ad cujus curam est præsentatus, commiserit simoniam, quodque bona ejusdem beneficii non velit alienare, sed alienata pro posse etiam recuperare.

VIII. *De Parochiis.*

Valde gravis, & clamorosa querela nostris auribus inculcatur, quod nonnulli suis juribus & finibus non contenti, Parochianos alienos præsumunt recipere temere ad Divina, contra Canonicas sanctiones, & cum dictorum Parochianorum judices non existant, nec ligandi nec solvendi in eos habeant potestatem, se tamen judices faciendo in foro spirituali periculose absolvunt & ligant pro suæ libitu voluntatis, sicque illud salutiferum peregrinationis viaticum, quod non proficit, nisi prius à criminum labe mundatis, in animarum suarum & eorum, qui id non dijudicantes indiscrete recipiunt, perniciem conferre non verentur; sicque dicti eorum Sacerdotes, qui curam recipiendo eorum, suam pro ipsis animam obligarunt, dum sibi taliter subtrahuntur, statum ignorantes ipsorum, non possunt, quod in eis ægrotum est, sanare, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum, & sic dum curationis necessariæ non adhibentur remedia, invalescentibus morbis, usque ad interemptionem læsio dilatatur, unde Sacerdotes nullam possunt de sic pereuntibus animabus superno judici reddere rationem. Nos, Sanctorum Patrum, qui Ecclesiæ Sancti Dei, & personis Ecclesiasticis, terminos, quos non licet transgredi, posuerunt, statuta considerantes: hujus sacri Concilii approbatione, universis Sacerdotibus tam Religiosis, quam sæcularibus cujuscumque ordinis, conditionis, seu status existant, in civitate, Diœcesi, vel

vel Provincia Moguntina degentibus, sub debito juramenti, quod Episcopo in receptione Sacerdotii præstiterunt, ac sub interminatione Divini judicii firmiter inhibemus: ne quis alienum Parochianum, cujus cura per Episcopum, vel loci Archi-Diaconum, seu ejus super eo Vicarium alteri est commissa, præsumat, excepta necessitatis causa, quæ legem non habet, ad confessionem recipere, vel ei aliquod Ecclesiasticum Sacramentum porrigere, nisi petita desuper & obtenta licentia proprii Sacerdotis; cum certi & indubitati juris existat, talem a tali, crimine solvi non posse aliquatenus vel ligari; & ex hoc ordine Ecclesiæ per majores & sanctos Patres per Divinam providentiam institutum confundi; quod per universos Plebanos singulis diebus Dominicis, & festivis, coram suis plebibus præcipimus publicari.

IX. *De Vicariis.*

Statuimus: ut Rectores Ecclesiarum sufficientem assignent portionem ipsis vicariis de bonis Ecclesiarum Parochialium suarum, ut de eis congruam sustentationem habere, & jura Episcopalia, & Archi-Diaconalia persolvere, ac alia onera incumbentia valeant supportare; alioquin hujus sacri Concilii autoritate decernimus dictos Rectores, huic statuto non parentes, dictis Ecclesiis spoliandos.

Volumus insuper, quod ipsi Vicarii passim singulis annis mutari non debeant ad voluntatem ipsorum Rectorum, qui hoc propter turpem questum facere satagunt; sed tunc demum, cum ipsi Rectores, actu Sacerdotes existentes, in ipsis Ecclesiis per se deservire volunt, vel aliàs ipsi Vicarii ex causis legitimis merito sunt removendi.

X. *De Clericis peregrinis.*

Peregrini, & ignoti Clerici nullo modo recipiantur ad ordines vel officium, nisi litteris Episcoporum suorum commendatitiis & dimissoriis sint muniti.

XI. *De Cohabitatoribus.*

Ad abolendam de domo Domini consuetudinem, vel potius corruptelam, seu temeritatem, quâ Clerici, qui signum pudicitiæ ostendere deberent laicis, quibus sunt positi in exemplum, in argumentum suæ finalis impudicitiæ fructus prebendarum suarum concubinis & spuriis legant in ultima voluntate, contra quos rigor Ecclesiasticus debet exerceri; Quare sub anathematis vinculo prohibemus: ne de cætero Clerici, gratiæ anni (a) abutentes, cum de rebus Ecclesiæ nullum possint condere testamentum, fructus beneficiorum Ecclesiasticorum spuriis, vel concubinis dimittant: qui vero contra hanc inhibitionem venire præsumpserint, in signum suæ perditionis, Ecclesiastica careant sepultura, & quibus taliter fructus legantur, careant ipso jure: qui autem testamentum tale, post mortem defuncti, manutenere volunt, & per quorum manus personis illis fructus prebendæ fuerint ministrati, excommunicationis mucrone percellantur.

XII. *De Clerico excommunicato.*

Cum scriptum sit in lege Domini, quod quicumque non obtemperasset Sacerdotibus, is extra castra positus lapidabatur a populo, aut, gladio cervice subjecta, expiabat contemptum, & in primitiva Ecclesia inobedientes ejecti de Ecclesia rapido ore dæmonum trahebantur; multi, nomine Sacerdotes, censuram Ecclesiæ contemnentes, excommunicati, vel suspensi a Prælatis suis, exigentibus eorum culpis, & immemores, quod Episcopis, & Prælatis clavium cœlorum sit collata potestas, attemptare sibi interdicta ministeria non verentur; contra quos volumus rigorem Ecclesiasticum exercere. Statuimus igitur, ut tales sine spe restitutionis ab officiis deponantur, & infames ac detestabiles facti, de cætero ad beneficia Ecclesiastica nullatenus admittantur; nisi per pœnitentiam approbatam, & conversationem laudabilem Sedis Apostolicæ meruerint gratiam obtinere.

XIII. *De his, quæ vi metusve causa fiunt.*

Quia Clerici, & Religiosi nonnuli, non attendentes, quantum sit obedientiæ bonum, quod victimis antefertur, & quod peccatum est ariolandi, nolle acquiescere, & scelus idolatriæ, obedire non velle; amissionem rerum suarum, & corporis vanum metum allegant frequenter, ne cogantur mandatum exequi Prælatorum, qui cum prosperitatis tempore multa dona receperint, & laute

(a) *forte:* annis.

te vixerint de patrimonio crucifixi, imminente Ecclesiæ necessitatis articulo, pro honore illius adversitates sustinere detrectant, qui cum foret summe dives, ad obediendum Deo Patri, pro salute nostra onus subiit voluntariæ paupertatis, ex quo propter contemptum clavium Ecclesiæ, nervus Ecclesiasticæ disciplinæ dissolvitur, & animas miserabiliter periclitari contingit; sacra hujus Concilii præhabita deliberatione, statuimus: ut nulla rerum perditio, aut metus corporis, nisi legitime probatus, subditi inobedientiam, mandatum Prælati non exequentis seu exequi non curantis, valeat excusare, adeo quod si metus corporis, non simplici proprio juramento, sed legitimis coram eo, a quo mandatum subditus recepit, ostensus fuerit documentis, nihilominus loco cedat, ne notam transgressionis incurrere videatur; in his autem, quæ in non faciendo consistunt, utpote dum mandatur *non communicare excommunicatis*, *non celebrare coram interdictis*, ac alia ejusmodi, nullus omnino nec rerum nec corporum, quocumque modo probatus metus excuset, cum pro nullo metu quis debeat peccatum mortale committere, quod ex inobedientia insurgere, Sanctorum Patrum auctoritatibus comprobatur.

XIV. *De crimine falsi.*

Quia plerique Falsarii, literis Apostolicis, & aliorum Prælatorum Testimoniis, asserunt se munitos; hoc igitur decrevit sanctum Concilium statuendum: ne tales, qualicumque scripta deferant, a Clericis, vel a quibuscumque personis Ecclesiasticis recipiantur in Ecclesiis, vel in domo, nisi prius ipsorum litteræ per Diœcesanum ipsum, si ejus copia possit haberi, alioquin per capitulum Ecclesiæ Cathedralis examinatæ fuerint diligenter, & nisi ipsius Episcopi, vel Capituli litteris testimonialibus sint muniti, & hoc ideo, quod per Sacerdotes simplices non potest de facili litterarum veritas vel falsitas indagari; sane, quæcumque persona contra hanc formam tales receperit, ipso jure, ab officio & beneficio per triennium sit suspensa, alia pœna nihilominus juxta superioris arbitrium punienda.

Illud quoque, præsentis autoritate Concilii, huic Capitulo duximus annectendum, ut si tales sine dictis litteris testimonialibus petitiones suas præsumpserint promovere, plebani civitatum & villarum, & alii ad quos venerint, eos cum rebus eorum per sæculare judicium. . . . . *Reliqua desunt.*

Hæc Schannatus descripsit, sed unde, non addidit.

Huius Synodi hoc anno a Metropolita Moguntino Vritslariæ coactæ, meminit *Chronicon anonymi Erfordiense:* nullis actis adjectis. " Post Conventum Cleri & populi celebratum in villa Wimaria, III. Kalendas Junii in Vritzlaria Concilium faciens, confirmavit denuntiationem jam factam Friderici Imperatoris in Concilio Lugdunensi cum sibi rebellibus Erphordiensibus excommunicati.

Schannat. Vindemiæ Literariæ Parte I. pag. 100.

Menckenius Tomo III. Scriptor. Germaniæ in Chronico jam Petrino Erfordiensi edito, pæne iisdem verbis.

Epistola Synodalis Sigifridi, Archi-Episcopi Moguntini, Erfordiæ.

A. C. MCCXLIV. Kal. Aprilis. Innocentii IV. PP. I. Friderici II. Regis XXVII.

SIGIFRIDUS, DEI GRATIA, SANCTÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPUS, &c. UNIVERSIS ABBATIBUS, ARCHI-DIACONIS &c. PER DIŒCESIN, AC PROVINCIAM NOSTRAS MOGUNT. CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

NOveritis nos Litteras Domini Papæ habere in hæc verba:

INNO-

INNOCENTIUS (a) EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI ARCHI-EPISCOPO MOGUNTINO.

" EX parte tua, Frater Episcope, fuit " propositum coram nobis, quod " licet Thuringorum, & Hassorum na- " tiones, ab antiquo semper malitiose " præ aliis inobedientes, tibi fuerint & " rebelles, post mortem tamen claræ " memoriæ *Henrici*, (b) Romanorum " Regis illustris, cum non sit, qui eos " valeat cohercere, in tantum prævaluit " malicia eorundem, quod nec Deum " timentes, nec hominem reverentes, " in libertatem Ecclesiasticam tyrannide " degrassantur, ausu diabolico Ecclesias " per incendia devastant, Clericos spo- " liant & captivant, & tamdiu affligunt " corporum cruciatibus, donec perso- " nas suas redimere per pecuniam com- " pelluntur, propter quod Clerici metu " & periculo antedicto non audeant, nisi " in locis munitis se recipere ad manen- " dum, contingit plurimorum locorum " Ecclesias desolatas relinqui, & curam " animarum negligi. Quare Tu, Præ- " decessoris tui inhærens vestigiis, *in Pro- " vinciali tua Synodo*, de Suffraganeorum " tuorum consilio & assensu, pro refræ- " nanda dictorum maleficorum rabie, " statuisti, ut omnia loca, ad quæ deve- " nerint spolia Clericorum, & ubi Cle- " rici tenentur captivi, aut in quibus " spoliatores receptaculum obtinent, si " moniti resipisci non curarent, interdi- " cto subjaceant, donec passis injuriam " satisfactio congrua præbeatur. Sed " quia quidam Nobiles ejusdem Diœce- " sis asserunt sibi ab Apostolica Sede " concessum, ut in personas vel terram " eorum, excommunicationis vel inter- " dicti sententiæ, absque speciali man- " dato nequeant promulgari, per idem " statutum, occasione hujusmodi, in " nullo vel modico Clerici relevantur. " Quare, nobis humiliter supplicasti, ut " salubre hoc remedium adhibere pa- " terna sollicitudine curaremus. No- " lentes igitur, ut hac occasione, præ- " dicto statuto valeat derogari, Univer- " sitati vestræ per Apostolica scripta " mandamus: quatinus statutum ipsum, " non obstantibus præfatis indulgentiis, " faciatis auctoritate nostra inviolabiliter " observari, contradictores quoscunque " per censuras Ecclesiasticas coercendo. " Cæterum, ad prædictorum malefico- " rum maliciam evincendam, statuendi " in tua Provincia, ut filii eorum, qui " Clericos, quos captivaverunt, nisi ex- " torta ab eis pecunia, vel resignatione " beneficii, aut aliqua parte proventu- " um, non dimittunt, ad Clericatum & " Beneficia Ecclesiastica de cætero nulla- " tenus admittantur; quod si jam ad " Clericatum sunt admissi, ad Prælatu- " ram, tum ad alias dignitates non ascen- " dant, plenam, Frater Episcope, tibi au- " ctoritate præsentium, concedimus fa- " cultatem.

" Datum *Lugduni*, Pontificatus nostri " anno II. (c)

HUjus igitur auctoritate mandati, universitati vestræ mandamus, in virtute obedientiæ præcipiendo districte, quatenus ab executione mandatorum, si quæ vobis contra spoliatores, incendiarios, vel alios malefactores Ecclesiarum & Clericorum per Nos, Archi-Diaconos, & alios vestros judices contigerit destinari, occasione hujusmodi indulgentiarum, vos nullatenus subducatis. Ad hæc, quoniam auctoritate concessionis, quæ in præscriptis Papalibus literis continetur, per Provinciam nostram duxerimus statuendum, ut Filii eorum, qui Clericos, quos captivarunt, nisi extorta pecunia, vel resignatione beneficii, aut aliqua parte proventuum, non dimittunt, ad Clericatum & Beneficia Ecclesiastica de cætero nullatenus admittantur, & si ad ea jam forsitan sunt admissi; ad dignitates Ecclesiasticas tamen non ascendant, mandamus: quatenus in omnibus Ecclesiis terminorum vestrorum, in quibus ordines celebrari contigerit, sollicite caveatur, ne ad eos, quis talium admittatur; Archi-Diaconi quoque ad beneficia curam habentia animarum instituere, & Canonici in Fratres ipsos recipere non præsumant; scituri, quia omnes, qui contravenerint, excommunicationis sententia innodamus.

Cæte-

(a) Innocentius IV. Papa obiit 7. Decembris 1254.
(b) Henricus VI. Imp. obiit 28. Septembris 1197.
(c) Innocentius IV. electus fuit Pontifex anno 1243. 28. Junii, ergo anno 1244. 28. Junii incipit secundus annus ejus Pontificatus.

Cæterum; quoniam Conſtitutioni prædictæ, auctoritate ordinariâ, propter malitiam præſentis temporis, aliam adjunximus, ſtatuentes: ne filiæ malefactorum hujusmodi ad Cœnobia & Collegia Monialium admittantur; mandamus Abbatiſſis, Præpoſitis, & Conventibus eorundem noſtræ Diœceſis, ut in receptione talium ſic ſint cauti, ut ſimilem, quam jam tulimus, excommunicationis ſententiam, non incurrant.

Datum *Erfordiæ*, anno Domini MCCXLIV. Kalend. Aprilis. Pontificatus noſtri anno XVIII.

SYNODUS FRISINGENSIS

Anno Chriſti MCCXLVIII. Innocentii IV. Papæ V. Friderici II. Regis XXXI. Imp. XXIX.

SUMMA. *Abbatis Tegernſeenſis Perchtoldi ob culpas examinatas depoſitio canonica, & novi electi confirmatio.*

ANNO MCCXLII. *Perchtoldus Snek* electus in Abbatem Tegernſee fuit: ejus electionem ut non Canonicam, utpote interventu laicorum peractam, improbavit *Conradus* Friſingenſis Epiſcopus; quo reclamante & renitente, Confirmationem, illo etiam invito, & Benedictionem Abbatialem recepit a Metropolitano Eberhardo Saltzburgenſi Archi-Epiſcopo. Verum inordinatum novi hujus Abbatis Regimen & Tyrannica facta, cum adverſum illum novam Friſingenſi Epiſcopo anſam querelæ præberent;

Tam Perchtoldum ſæpe dictum, quem hæc notârat infamia, quam etiam clamitantes cujusque conditionis, ſive Eccleſiaſticæ, ſive ſæcularis ad ſuam vocavit præſentiam, *primo, & ſecundo*; *tertio* iterum illum ad ſuam Matricem Eccleſiam evocavit; certo ſibi peremptorio termino præſtituto: ad quos terminos obſtinatus ſe ceſſavit pertinaciter præſentare.

Cæterum prælibatus Epiſcopus proſpiciens hunc profundo malorum incorrigibiliter ſe merſiſſe, ac Monaſterium Tegernſee pene irreparabiliter ob innumeram ejus Perchtoldi graſſationis malitiam jam ruiſſe, conſulto malens ipſum ob ſua criminum peccamina interire, quam ſua ex horum diſſimulatione famâ neglectâ, dictum Monaſterium diſpendium tantum ſubire, implorato cœlitus auxilio, exquirendam horum, quæ fama detulerat, veritatem vigil cœpit indagare: & ejusdem abſentiâ ſpretâ, quæ ſua *ſecundum jura* compenſabatur contumacia, *juxta doctrinam Canonum ac Statuta Conciliorum*, Virorum honoratorum, qui mores, & vitam dicti Perchtoldi, utpote ſibi converſantes, habuêre notam, teſtimonium cepit *Juratorium*; aſt hoc ex more publicato non minus, imo magis, quam fama detulerat, heu! reperit in illo reatus.

Ex qua re zelo accenſus Divino, *totius ſuæ Diœceſis Cleri, tam Prælatorum, quam ſubditorum, communicato conſilio* in eundem Perchtoldum ſententiam tulit *Deſtitutionis*, tam ipſum Conventum ab obedientia, quam Miniſteriales ab obſequenti, quam Vaſallos a fidelitatis obſervantia penitus abſolvens; obiit poſtea prædictus Perchtoldus III. Kal. Septemb.

His itaque peractis, dictus Dominus Conradus, Epiſcopus, dedit Conventui, ſibi præficere Paſtorem per *legitimam electionem*, ſeu Canonicam poſtulationem, liberam facultatem: qui nimirum invocato Dei Numine, in virum, quem ſuæ multiplicia virtutis exornabant merita, quemque præteritæ regularis obſervantiæ commendabant inſignia, puta, *Udalricum de Parterhauſen* dictum, Abbatem in *Sewun* ſuo præficiendum Monaſterio, eundem poſtulantes, oculos direxerunt. At ipſe Epiſcopus eorundem juſta conſiderans deſideria, his votis rite annuens, cum eisdem ab Electo Saltzburgenſi, ſive ipſius Capitulo, quorum, vel cujus poſtulatum intereſt concedere, ſuppliciter requiſivit.

Actum ſuprafatis præſentibus tam Prælatis, quam ſubditis, anno Domini MCCXLVIII. XVI. Kal. Auguſti in matrice Eccleſia Friſingenſi. In quo anno VII.

VII. Kal. Decembr. locum fere deſolatum R. Abbas Udalricus de Parterhauſen, hujus nominis ſecundus, reperiens, victualibus omnibus pene conſumptis, utenſilibus domûs omnino diſſipatis, ac obligatis prædiis, & apud Creditores tam Chriſtianos, quam Judæos calicibus, caſulis, cappis, thuribulis repoſitis, charitatem in fratres, hoſpites & peregrinos, a die introitus ſui exercere nunquam prætermiſit.

Petzius Tomo III. Theſauri anecdotorum. Anonymi Chronicon Cœnobii Tegernſeenſis pag. 526.

Epiſtola Innocentii IV. Papæ ad Epiſcopos Verinenſem & Raceburgenſem.

Innocentius IV. committit Epiſcopis Verinenſi & Razeburgenſi inquiſitionem erigendæ Metropolis aut Lubecæ, aut Camini.

INNOCENTIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS IN CHRISTO FRATRIBUS VERINENSIS, ET RACEBURGENSIS ECCLESIARUM EPISCOPIS.

CUm Venerabili Fratri noſtro Archi-Epiſcopo Livoniæ, Eſtoniæ & Pruſciæ, Lubecenſem Eccleſiam duximus committendam, præſentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, an expediat eandem, vel Caminenſem Eccleſiam in Metropoliticam erigere, veritatem diligentius inquiratis, Nobis, quod inveneritis, fideliter reſcripturi.

Datum Lugduni IV. Non. Septemb. Anno Pontificatus noſtri V.

Ex codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ No. 7183. deſcripſit Cl. Schannat. b. m.

Annus V. Pontificatus Innocentii inchoabatur 28. Junii 1248.

SYNODUS ULTRAJECTINA

Anno Chriſti MCCXLIX. Innocentii IV. Papæ VI. Friderici II. Reg. XXXII. Imp. XXX.

SUMMA. Wilhelmus Romanorum Rex, Petrus Caputius Cardinalis, Conradus Coloniæ Archi-Epiſcopus, & Metropolita, inquirunt in mores Goeſwini de Amſtel, Ultrajectini electi circa 1246, ultro abdicantis mitram.

WIlhelmus Romanorum Rex, Petrus Caputius Cardinalis Portuenſis, & Conradus Metropolita Colonienſis convenere Ultrajecti ad Synodum: in qua facta inquiſitione in mores Goeswini electi Ultrajectini, ipſe ultro renuntiavit oneri & honori. Cauſas affert Heda has, primam, quod cum eſſet vir manſuetus & ſimplex; ineptus videretur ad tantæ dignitatis munus ſupportandum: Alteram, quod minus gratus eſſet Wilhelmo Regi propter gentiles ſuos Amſtelios.

Heusden Batavia ſacra Part. I. pag. 161. Heda Hiſtoria Epiſcopor. Trajectenſ. pag. 341.

SYNO-

SYNODUS MILDORFFII

IN ARCHI-EPISCOPATU SALISBURGENSI, Anno Christi MCCXLIX. Innocentii IV. Papæ VI. Friderici II. Reg. XXXII. Imp. XXX.

SUMMA. *Philippus, electus Salisburgi Archi-Episcopus, Concilium ex mandato Papæ apud Muldorff celebravit de Othone Bavaro Papæ conciliando, & a Friderici II. partibus abstrahendo.*

SYnodo in Muldorff interfuit Philippus electus Salisburgensis, Frisingensis, Ratisbonensis, & Sekowiensis Episcopi cum aliquantis Prælatis. Ubi Dux Bavariæ Otto citatus tam per intentatam sententiam excommunicationis, quam gladio materiali ad Romanam Ecclesiam redire, & ei contra Dominum Fridericum Regem compelli debebat, quod tamen aliâ quadam formâ treugarum est intermissum.

Otto recusavit hanc mutationem. *Prima* causa fuit, quia cum impulsu Episcoporum ad Friderici II. partes transierit, nunc eundem deserere ab Episcopis cogeretur. *Altera* causa: Se Episcoporum auspiciis affinitate junctum Imperatori; qui nunc illi ea vincula abrumpi velint? *Tertia:* Non cadere in constantiam Bavariæ Ducis ejusmodi instabilitatem. *Quarta:* Wilhelmum Hollandum nunquam a se electum, nec probatum, nec ejus se ambire amicitiam.

Juravit tamen se contra Ecclesiam in nullo processisse, nec deinceps contra eam processurum. Quapropter treugæ vel induciæ eidem Duci datæ fuere usque ad Kalendas Maji: quas Pontifex prorogavit ad festum Assumptæ Dominæ, literis scriptis ad Albertum Ratisbonensem Episcopum, cui mandabat, ut, si intra illud spatium non rediret ad Ecclesiæ unitatem, eum authoritate Apostolica gratiis omnibus & indulgentiis a Papa Gregorio concessis privaret.

Baluzius Epistolam Papæ recitat Miscellan. Lib. VII. pag. 456.

Hansitz. Tomo II. German. sacræ p. 346.

Chronographus Salisburgensis ab Hansizio laudatus.

Adlzreiter Annal. Bojorum Part. I. Lib. XXIV. ad hunc ann.

Brunnerus Annal. Bojorum Parte III. Lib. IV.

STATUTA DOMINI PETRI,

Albanensis Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati, super diversis Ordinationibus, Ecclesiæ (Leodiensis.)

PETRUS, MISERATIONE DIVINA ALBANENSIS EPISCOPUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, UNIVERSIS PRÆSENTES LITERAS INSPECTURIS, SALUTEM IN DOMINO.

NOveritis, quod Nos nuper *Capitulum Sancti Lamberti* Leodiense, juxta officii nostri debitum visitantes, multa quæ correctione indigebant, invenimus: ad quorum reformationem, hæc, quæ sequuntur, duximus ordinanda. *In primis* siquidem ordinamus & statuimus, Canonicos majores, nec non *Sancti Materni*, & *parvæ mensæ Capellanos*, *Vicarios*, & *quoslibet Clericos*, ejusdem Ecclesiæ chorum frequentantes, tonsuram habere rotundam, & coronam decentem, ac honestum habitum, præsertim in Ecclesia, ambitu Ecclesiæ, & in claustro. Qui habitus talis erit, superpellicium & cappam nigram choralem a festo omni-

um Sanctorum usque ad Pascha: & a Pascha usque ad festum omnium Sanctorum, superpellicium sine cappa habebunt, nisi debilitas aut infirmitas aliquem super hoc excusaret: & tunc causâ necessitatis, possent in æstate cappas in choro portare, exceptis diebus Dominicis & festivis, quibus sit omnibus habitus uniformis. Qui vero pro necessitate prædictis diebus Dominicis & festivis esse non poterunt sine cappa, in Secretario Ecclesiæ, vel in aliquo loco prope Altare poterunt audire Divina, dum tamen ab illis, qui erunt in choro, directe non videantur aperte. Chorum autem intrantes, versus Altare reverenter inclinent, & post modum versus sedem Episcopi, si Episcopus præsens erit, & in chori exitu fiat idem. Qui in prædictis offenderit, per Decanum ejiciatur de choro, nec recipiatur ulterius, donec tonsuram & habitum assumat honestum. Nullus etiam ad horas post *Gloria* primi Psalmi, & ad Missam post *Epistolam*, chorum intrare præsumat: Qui transgressus fuerit, per Decanum ejiciatur de choro, qui si jussionem Decani exinde exire noluerit, si major Canonicus est, aut Sancti Materni, vel parvæ mensæ, illius horæ, ad quam temere se injecit, & alterius, quæ sequetur, distributionibus, sit ipso jure privatus, cæteris Decani arbitrio puniundus. Canonici vero in Leodio existentes, distributiones quasi vilipendentes, qui ad horas non vadunt, tantum de suo solvant, quantum acciperent, si accederent ad horas. In choro existentes, honeste se habeant, nec confabulentur ad invicem, nec discurrant per Ecclesiam, aut loquantur aliquibus in Ecclesia, dum cantatur in choro, nec chorum exeant usque ad finem, nisi ex causa honesta, vel necessaria exeant, statim ad officium reversuri. Qui vero ante finem horarum chorum exiverit, nisi statim reversus fuerit, illius horæ distributiones amittat, nisi ex honesta causa, reverti ad chorum omiserit, Decani in exitu petita licentia & obtenta, vel saltem illius, qui post Decanum major erit in Choro, si Decanus forsan absens esset. Quilibet in choro stet, vel sedeat juxta suum ordinem, paratus facere servicium Ecclesiæ, prout in matricula, vel tabula scribitur. Matriculam vero seu tabulam, per cantorem, vel aliquem deputatum ab ipso hoc modo conscribi mandamus: videlicet, quod singulis diebus sabbati, in matricula, seu tabula scribatur quis Epistolam, quis Evangelium, quis Missam, quis *Graduale*, quis *Invitatorium*, cum *Venite*, per totam cantare debeat septimanam, nisi forte aliqua superveniente festivitate solemni, Tabulam die præcedenti oporteret mutare, & ibi majorum personarum nomina ad officium scriberentur. Eadem etiam matricula seu tabula continebit, quis turribulum, quis candelabra, deferre debebunt. Præterea diebus singulis in eadem matricula seu tabula scribetur ante horam primæ, qui in crastino responsoria cantare debeant, & qui legere lectiones. Et hæc matricula sive tabula, statim post primam recitetur in capitulo, ut quilibet scire possit, quid facere teneatur. Quilibet insuper Canonicus residens, sive Sacerdos sit, sive Diaconus, sive Subdiaconus, suam in suo ordine faciat septimanam, & legat, & cantet, prout in matricula conscribetur, & sive per se, vel per canonicum faciat, nisi forte, urgente necessitate non posset quis ad supplendum vices suas canonicum invenire. In quo casu Canonici Sancti Materni & parvæ mensæ, vices eorum supplere poterunt, cum sint ad supplementum necessitatis assumpti, proviso tamen, quod per prædictos Canonicos sancti Materni & parvæ mensæ, diebus festivis ad majus Altare nullatenus serviatur. Sane quicumque in matricula seu tabula scriptus maurantiam fecerit, si Sacerdos fuerit, duodecim Denarios, si Diaconus sex Denarios, si Subdiaconus quatuor Denarios solvere teneatur, & nihilominus Missæ distributiones amittat. Quicumque vero in aliis horis maurantiam fecerit, pro qualibet solvat duos Denarios, & nihilominus sibi horæ illius distributio subtrahatur; proviso, quod pœnæ istæ nulli penitus remittantur. Sed, quæcumque exinde provenerint, distributori sine diminutione tradantur. Statuimus præterea, ut omnes Canonici tam habentes personatum, quam non habentes, nec non & Canonici Sancti Materni & parvæ mensæ, Capellani quoque & Vicarium, (*) Ecclesiam ad horas nocturnas & Diurnas frequentent, & qui horæ non interfuerit, suam distributio-

(*) *forte:* Vicarii.

butionem amittat: Qui autem consueti fuerint non venire ad matutinas præcipue, Missam & Vesperas, præter hoc, quod distributiones amittent; tantum, quantum amiserint, dent Decano, per manus ipsius erogandum pauperibus. Canonici insuper diebus singulis, statim post Primam, ad *Prætiosa* juxta morem intrent capitulum, & si aliquid emerserit corrigendum, vel tractandum de negotiis Ecclesiæ, si potest fieri, fiet statim. Cæterum, cum male soleant, sicut intelleximus, ad capitulum convenire, præcipimus, quod bis in septimana fiat capitulum speciale, videlicet feria secunda & sexta feria, ad quod omnes nisi justo impedimento detenti, teneantur venire. Secunda feria principaliter tractabuntur temporalia: videlicet qualiter eorum bona administranda sint & secularia negotia pertractanda. Sexta vero feria, de Spiritualibus principaliter tractabitur, videlicet quomodo serviatur Ecclesiæ, & ut culpæ, quæ per septimanam correctæ non sunt, debito modo corrigantur. Qui autem ad capitulum dictis diebus convenient, usque ad finem capituli non recedant. Et ut ad veniendum ad capitulum facilius inducantur, præcipimus, ut illi, qui illuc convenerint, & usque ad finem perseveraverint. . . . . percipiant duos nummos. Recedentes autem ante finem capituli nihil omnino habebunt, nisi ex justa causa Decanus eis licentiam daret. Sane venientes ad capitulum, pacifice se habeant, nec clament, nec turbent capitulum, nec inter se fabulentur, sed ad expedienda omnia negotia, & aliarum Ecclesiarum, quæ ad eos recurrere duxerint, diligenter intendant. Unusquisque respondeat in suo ordine, nec respondentem alius interrumpat, sed ab aliis pacifice audiatur. Siquis vero fuerit assuetus turbare capitulum seu clamare, vel impedire alios expeditionem negotiorum communium intendentem: nisi monitus a Decano steterit, & statim emendaverit, illo die distributionibus horarum, & refectorii sit ipso jure privatus. Qui si eas temeritate propria accipere præsumpserit, pœna contra illos, qui præbendas suas vel sociorum suorum violenter accipiunt, per nos edita, contra ipsum servetur. Luminaria decentia sint in Ecclesia, ita quod in Missa, vesperis, & matutinis sint ante Altare grossi cerei pro illis candelis quæ ponuntur. Præterea cum in magnis Ecclesiis (diebus valde solemnibus dumtaxat exceptis) Missa mortuorum semper debeat celebrari, ordinamus & præcipimus, ut sicut solet de more fieri in mortuorum anniversariis, ita fiat. Et nihilominus diebus aliis, quibus non erit anniversarium, semper cantetur Missa pro defunctis, exceptis diebus solemnibus, quemadmodum est prædictum. Sane ille Sacerdos, qui hebdomadam suam facit ad majus Altare, in sequenti septimana, Missam de mortuis celebrabit, vel procurabit per alium. Hæ autem Missæ, quæ cantabuntur, diebus quibus non erit anniversarium, & si conventuales non sint, tamen celebrabuntur in aliquo Altari de Ecclesia, quod ad hoc præcipimus principaliter deputari. Neminem autem debet gravare hoc, cum omnia a mortuis habeamus, & ad orandum pro mortuis, simus principaliter deputati. Item præcipimus, quod sex prebendæ Sacerdotales non dentur de cætero nisi Presbyteris, vel saltem Diaconis, aut Subdiaconis, qui per intervalla aliqua possint infra annum ad Sacerdotium promoveri: nec dentur nisi personis honestis, quæ sint de legitimo matrimonio, & quæ sciant competenter legere & cantare, nec aliter, quam diximus, conferantur. Isti autem jurabunt continuam residentiam, & Sacerdotis officium exercentes, suas ad majus Altare in propriis personis faciant septimanas, nec habebunt Vicarios, sed si aliquis ex iis, urgente necessitate fuerit impeditus, vices suas supplere poterit per aliquem de amicis, dummodo sit Canonicus, qui supplebit, vel si Canonicus haberi non possit, per alium, qui possit ad majus Altare cantare, vel alium, qui tenetur aliorum supplere defectum. Contra istam nostram constitutionem seu ordinationem gratia nulli fiat, etiam per quamcumque Domini Papæ, vel ejus Legatorum indulgentiam, nisi Dominus Papa ad plenum certificatus de penuria Sacerdotum in Leodiensi Ecclesia, plenam de hac nostra, & bonæ memoriæ Domini Guidonis (*a*) Penestini Episcopi, quondam Apo-

(*a*) *lege:* Prænestini.

Apoſtolicæ Sedis Legati conſtitutione fecerit mentionem. Nec Capitulum teneatur aliquem ad dictas præbendas recipere, niſi ſit boni teſtimonii. & de legitimo natus matrimonio, & qui ſciat ſaltem, ut dictum eſt, competenter legere & cantare. Quod ſi Archi-Epiſcopi, vel Epiſcopi, ſeu aliqui Prælati majoris Colonienſis Eccleſiæ Sacerdotes, Leodienſis Eccleſiæ ſint Canonici, & præbendas habeant in eadem, Vicarios pro ſe ſtatuere non poterunt, niſi boni teſtimonii viros, & qui ſint etiam Sacerdotes, qui præſentabuntur Decano & Capitulo prima vice: quibus decedentibus vel cedentibus, per Decanum & Capitulum loco cedentium vel decedentium alii honeſti & idonei ſtatuantur. Hi ſimiliter Vicarii, perpetuo in Eccleſia reſidebunt, & ſuas ſeptimanas facient ad majus Altare, præterquam in diebus ſolemnibus, quibus per unum de majoribus Canonicis, Decanus ſecundum ordinem matriculæ, Miſſam præcipiet celebrari. Cæterum cum Leodienſis Eccleſia copiam habuerit Sacerdotum Canonicorum, memorati Vicarii, Miſſas pro defunctis celebrabunt, vel deputabuntur ad aliud, prout Decano & Capitulo viſum fuerit expedire: Vicarii (*b*) tamen Imperatoris exceptis, qui ſemper ad majus Altare in ſeptimanis ſuis cantabunt, ut ſuperius expreſſum eſt. Ad hoc Canonici Sancti Materni & parvæ menſæ, qui ad ſupplendum aliorum defectum ſtatuti ſunt, parati ſint ſemper ſupplere defectus, & ordinetur infra menſem per Decanum, & quatuor ſeniores de capitulo, quod prædicti Canonici groſſum præbendarum ſuarum percipiant ſicut ſolent, & illud quidem (*c*) habent ultra groſſam præbendæ, illis, qui interfuerint horis dividatur, ut ſic per eos horæ melius frequententur. Epiſcopus ſemper certam præbendam habeat, quam nulli tempore ſuo conferat, in qua ſucceſſor ejus ſuccedat; & tam ſede vacante, quam non vacante, Vicarii ejuſdem Epiſcopi, fructus groſſæ præbendæ integre percipiant, ſicut ſolent, nec Abbatias, quæ ſuæ Capellaniæ ſunt, alicui, niſi Canonico majoris Eccleſia conferre præſumat. Item Epiſcopus de Canonicis reſidentibus in majori Eccleſia quatuor habere poterit ſocios, dummodo illi quatuor, reſidentiam fecerint primi anni. Item cum in Leodienſi Eccleſia, penuria ſit Subdiaconorum, & Diaconorum Canonicorum, & nimis indecens videatur, quod tantus in tanta Eccleſia defectus ſit, quod non poſſit ad majus Altare per Canonicos deſerviri, ordinamus & ſtatuimus quod ad præſens ſex Canonici ad Subdiaconatum, & ſex ad Diaconatum, per Decanum & capitulum in noſtra præſentia eligantur. Alioquin Nos eligemus eoſdem, quos ad ſuſcipiendum dictos ordines, per ſubtractionem beneficii compellimus. Provideatur autem in poſterum, ne prædictis cedentibus vel decedentibus, ſeu ad majores ordines promotis in prædicta Eccleſia quantum ad prædictos ordines ſit defectus. Sed cedente vel decedente aliquo, ſeu ad majorem ordinem promoto, ſi Diaconus fuerit qui ceſſit, vel deceſſit, aut ad majorem ordinem promotus eſt, antiquior Canonicus in minoribus ordinibus conſtitutus, vel infra ſecundum ordinem matriculæ, compellatur Subdiaconatum recipere in primis ordinibus tunc inſtantibus, & hoc per ſubtractionem diſtributionum refectorii, & horarum, quibus a tempore ſtatuto niſi tunc promotus fuerit, privatus ſit ipſo jure. Quæ pœna nulli remittatur omnino. Et hoc idem ſervetur, cum aliquem de prædictis ſex Diaconis contingerit (*d*) cedere vel decedere, aut (*e*) majorem ordinem promoveri. Videlicet antiquior Subdiaconus in primis ordinibus Diaconum recipiat. Alioquin prædictis diſtributionibus refectorii & horarum ſit ipſo jure privatus. Et hoc intelligimus debere fieri, niſi ille, qui ordinatus eſt, rationabile impedimentum prætenderit, & legitime probaverit coram Decano, & duobus Senioribus de Eccleſia, a Decano eligendis, in quo caſu ad probandum dictum impedimentum ſufficere dicimus proprium juramentum. Quo impedimento probato, ut dictum eſt, ſi caſus ſit indiſpenſabilis, antiquior poſt eum loco illius ad dictum ordinem compellatur. Si vero impedimentum probatum per diſpenſationis gratiam amoveri poſſet, ille, qui impedimentum probaverit, infra competentem terminum ei per Decanum præfigendum diſpenſationem ſibi pro poſſe ſuo tenebitur procu-

(*b*) *forte*: Vicariis. (*c*) *adde*: quod. (*d*) *lege* contigerit *vel* contingeret.
(*e*) *adde*: ad.

procurare, quam si infra dictum terminum non procuraverit, ex tunc ipso jure, supradictis distributionibus sit privatus, donec dispensatione obtenta ordinem susceperit, (*f*) quod de obtinenda dicta dispensatione fecerit posse suum. Ordinamus præterea, quod in crastino festi Sancti Lamberti fiat semper Capitulum generale, ad quod omnes conveniant, & si non possit illo die, quod agendum est, expediri, continuetur, prout opus fuerit ad dies continuos subsequentes, & quod fiet in illo capitulo, quantum ad Canonicos majores, Sancti Materni & parvæ mensæ, firmum & stabile permanebit. Legatur ibi annis singulis hæc nostra ordinatio, & servetur, reformentur spiritualia, & de censuris, seu obedientiis, & de eorum valore diligens computatio audiatur. Obedientiæ etiam concedantur ibidem, si aliquæ tunc fuerint concedendæ: aliis autem temporibus obedientiæ nulli dentur, nisi in Capitulo certa die ad hoc specialiter assignata, quæ a die assignationis spatium ad minus quindecim dierum contineat, ad quod etiam Canonici; qui sunt in Civitate & Diœcesi convocentur. Sane obedientiæ nulli concedantur ad vitam, nec dentur Canonico etiam nisi ad tres annos tantum, nisi aliquibus de obedientiis remotis, & inter nationes perversas positis ex causa evidentissima, utili & necessaria, consideratis personarum meritis, per quas dictæ obedientiæ melius regi possint, capitulum aliter duxerit disponendum. Jurabit autem Canonicus, præbendam recipiens, nihil omnino de obedientia alienare, nihil infeudare, nihil (*g*) emphiteosum ultra tempus suum dare: & quod visitabit obedientiam bis in anno ad minus, custodiet & defendet suis sumptibus, nisi de feudo, vel proprietate sibi evidens quæstio moveretur. Jurabit etiam, & dabit fidejussores idoneos & bene justitiabiles, quod censum solvet diebus statutis, & si in ejus solutione defecerit, non admittatur in choro vel capitulo, & ei subtrahantur distributiones refectorii & horarum, donec per eum vel fidejussores ejus fuerit exinde capitulo satisfactum plenarie, & hæc remissio nulli fiat. Jurabit insuper Canonicus, quod obedientiam sic receptam in manu sua tenebit; nec concedet aliis: & quod in supradicto capitulo generali in scriptis referret capitulo valorem redditum & proventuum sic receptæ obedientiæ, & redditus ubi, & in quibus existunt. Dicet etiam per juramentum suum in prædicto capitulo, quantum habuerit inde lucrum. Porro quidquid lucratus fuerit, suum erit, & si amiserit, quibuscumque modis, amittat: nihilominus integre solvet censum. Si vero esset guerra communis, sive pestilentia, vel alius casus excipiendus, habeatur respectus lucri & damni, sicut jura volunt, & hæ obedientiæ, plus offerenti concedantur, si offerens sit, providus in solvendo, nisi forte multo minus debito offeratur. In quo casu, ne vilescat obedientia, capitulum ad manus suas eam retinere poterit, si viderit expedire: aliter autem quam sub prædicta cautela obedientiæ dictæ, nullatenus concedantur. Et cum aliquis obedientiam in morte vel in vita resignaverit, debet eam reddere liberam & absolutam. Item ordinamus, ut annuatim in prædicto capitulo generali tres claves sigilli committantur tribus de capitulo fide dignis, ad hoc per capitulum eligendis hoc modo: Sacerdotes Canonici ad hoc eligent unum Canonicum Sacerdotem, Diaconi unum Diaconum, & Subdiaconi unum Subdiaconum. Quartam vero clavem servavit Decanus, nisi ipse & capitulum in unam personam conveniant, cui dictæ clavis custodia committatur, & singulis annis personæ mutentur. Jurabunt autem, qui dictas claves custodient, quod circa prædictarum clavium custodiam, fraudem aliquam non committant, unde Ecclesia possit lædi. Nec super contractibus, concessione obedientiarum, mutuis contrahendis, seu aliis negotiis, quæ fiunt ad tempus, aliquas litteras sigillabunt absque consensu capituli, vel saltem majoris & sanioris partis ejusdem. Litteras autem super locationibus & pensionibus, nunquam pro alio sigillabunt, absque consensu Decani & totius capituli, vel majoris & sanioris partis: & omnes litteræ sigillandæ legentur in capitulo hora debita, præsentibus Canonicis, qui tunc sunt in Ecclesia, residentibus. Litteræ vero alienationem perpetu-

(*f*) *adde*: ad cujus receptionem tenetur: & hoc non fiat, nisi in Capitulo publice præstiterit juramentum,

(*g*) per emphyteusin.

ptuam continentes nunquam sigillentur, nisi de consensu superioris Decani & totius capituli, & solemnitatibus, quas jura requirunt. Prædicti autem de clavibus ipsis facient copiam, cum opus fuerit bona fide, & si de civitate aliquis ex eis recesserit, clavem suam alicui Canonico de suo ordine cum consilio Decani committat. Ordinamus præterea, ut omnes libri Ecclesiæ redigantur in scriptis, & eorum nomina singulis annis in supradicto generali capitulo recitentur, & hoc idem fiat de ornamentis Ecclesiæ & thesauro, proviso, ut & libri ordinatione Ecclesiæ & thesaurus semel in anno, capitulo, vel aliquibus deputatis a capitulo ostendantur, & feriatur excommunicationis sententia per Decanum auctoritate nostra in omnes illos qui habent aliquid de Thesauro, libris, ornamentis, cartis, seu privilegiis Ecclesiæ, nisi restituant infra mensem nec de cætero liber aliquis Ecclesiæ alicui etiam Canonico concedatur, nisi sub bono pignore, vel saltem ab eo competenti memoriali recepto, & concessi repetantur & rehabeantur infra mensem. Præcipimus autem quod povideatur Ecclesiæ de casulis, Dalmaticis & Tunicis nec non albis, & cæteris ad Missas celebrandas necessariis ornamentis. Privilegia præterea & chartæ Ecclesiæ, in libro aliquo ordinatim cum suis titulis conscribantur, & custodiantur sicut consuetum est, proviso tamen, quod in locis talibus conserventur, quod nec confringantur sigilla, nec chartæ per injuriam putrefiant. Ad custodiam autem tam privilegiorum, quam chartarum, sive tangant Episcopum solum, seu capitulum, sive utrosque, tam custos Ecclesiæ, quam duo Canonici honesti ad hoc a capitulo deputati diligenter intendant, qui jurabunt ea servare fideliter, & quod inde facient copiam capitulo de his, quæ tangent Episcopum cum opus fuerit bona fide, & hoc de scientia capituli semper fiet. Cum autem debuerit fieri copia alicujus privilegii seu chartæ, per duos, qui ex eis, qui ea custodient, vel saltem per unum fiet ex inde ostensio, per quos vel per quem exinde facta copia ad thesaurum Ecclesiæ, ut ubi custodiantur fideliter referantur, sic enim omnia ad utilitatem Ecclesiæ poterunt in posterum conservari. Omnes insuper redditus Ecclesiæ & proventus, & ubi, & in quibus consistant, in volumine publico conscribantur, & si aliquid accrevit singulis annis in generali capitulo scriptum hujus corrigatur. Si quis Leodiensis Canonicus præbendam suam, aut socii sui, sive in grossis fructibus, sive in distributionibus violenter acceperit, denuncietur a Decano excommunicatus, qui si excommunicationem habens per annum animo sustinuerit indurato, per Episcopum privetur præbenda; & aliis beneficiis, quæ in eadem Ecclesia obtinebat. Acoliti & & inferiores, vocem in capitulo de cætero non habeant, quod si aliquis eorum contra hanc nostram constitutionem temere se injecerit, nisi noviter per Decanum a capitulo incontinenter recedat, excommunicationem ipso facto incurrat, cui dum in excommunicatione perstiterit, subtrahantur distributiones refectorii & horarum. Eum tamen, si absolvi petierit, Decanus auctoritate nostra præstita satisfactione absolvat. Hanc autem pœnam statuimus pro eo, quod sicut intelleximus, constitutionem a bonæ memoriæ Domino Guidone Prenestino Episcopo, quondam Apostolicæ Sedis Legato super hoc editam, non servabant, nec dignabantur ad sacros ordines se facere promoveri. Item statuimus quod nulli personæ duo personatus in Ecclesia Leodiensi de cætero conferantur, & quod Decanus sit Sacerdos, vel saltem infra annum promoveatur in Sacerdotem, qui si tamen justum impedimentum & notum haberet, Capitulum poterit ei annum alium & non amplius ex causis necessariis & evidentibus indulgere, qui jurabit residentiam, & nullum alium tenere poterit personatum. Item, cum constitutio Lateranensis Concilii quæ incipit: *Omnes utriusque* &c. plane percipiat quod quilibet adultus semel in anno proprio Sacerdoti secreto, sua omnia confiteatur peccata, præcipimus, quod omnes, tam majores quam alii de Ecclesia, semel in anno confiteantur Decano, vel saltem de ejus licentia certæ personæ. Et hoc ex justa causa, prout dicit dicta constitutio. Quod præcipimus modis omnibus observari. Ordinarium fiat in Ecclesia, nocturnum & diurnum, in quo contineantur omnia feriatim

tim quæ per totum anni circulum dici debent: Et fiant inde duo libri, ita quod in utroque per se *totum ordinarium* habeatur; quorum unus ex una parte chori, & alius ex parte alia, cum catena ligetur, & quilibet possit aperte videri, quid circa Divinum officium quotidie sit agendum. In choro præterea hinc & inde duo grossa Psalteria, duo grossa antiphonaria & duo gradualia habeantur. Statuimus, ut Canonici primo anno faciant per annum integrum continuam residentiam, & qui non fecerint residentiam, compellantur facere per subtractionem proventuum: Nec det Decanus primo anno licentiam alicui, nisi per capitulum, & tunc ex justa causa in capitulo probata, nec hoc primo anno fiat frequenter. Aliis autem annis similiter residebunt. Verumtamen licentiam trium septimanarum tantum, ut absens sit Canonicus, rationabili causa interveniente, poterit conferre Decanus. Quando vero post datam licentiam ad Ecclesiam reversus fuerit, aliam similem licentiam non habebit, nisi sex septimanis elapsis, præterquam, si necessitatem evidentem in capitulo ostenderet & probaret. Plane si quis sine licentia recesserit, vel post datam licentiam ultra terminum moram fecerit sine rationabili causa probata in capitulo, stipendio suo privabitur, & post reditum in claustro ponetur, quamdiu capitulo placuerit. Et hoc sine restitutione fructuum præcedentium, & omnibus horis, quamdiu inclusus fuerit, tenebitur interesse. Sententiæ Decani & capituli inconcusse serventur, & a nemine nisi mediante Juris tramite revocentur. Cæterum, cum, sicut intelleximus, in magna Prima dominicali, & in Psalmis familiaribus, litania & collectis, quæ dicuntur post Primam in quadragesimam & singulis diebus ad Tertiam, nec non Dominicis diebus ad processionem magnus erat defectus, eo quod nihil percipiebatur in eis; Statuimus & ordinamus, ut venientibus ad singula prædictorum, & usque ad finem perseverantibus, præter ea, quæ consueverunt percipere, denarius unus detur, & diebus Dominicis & festivis ad processiones duo denarii tribuantur. De Archi-Diaconis autem dicimus, quod nec in capitulo locum teneant debitum dignitati, donec in Diaconos fuerint ordinati: qui cum præsentes fuerint in Ecclesia, suas de Evangelio faciant septimanas. Qui nihilominus per medietatem anni in Ecclesia residentiam faciant, & hanc jurent, nisi forte de Episcopi licentia sint absentes. Si vero, eos peregrinari, vel ad scholas velle ire contigerit, Episcopus eis licentiam non denegare poterit: cum autem in Ecclesia servire debuerint & neglexerint, si capitulum eos super hoc convenerit, secundum antiquam consuetudinem judicio Parium suorum exinde parebunt. Porro cum suos Archi-Diaconatus visitaverint, vel pro negotiis Ecclesiæ absentes esse debuerint, unum vel duos de Canonicis, si voluerint, de licentia Decani assumant ad ipsos juvandos, seu ad consilium sibi dandum. Præterea, quia sicut intelleximus, ex multitudine Clericorum passim chorum intrantium Divinum officium turbatur potius quam juvetur, ordinamus, ut nisi per Cantorem, chorum de cætero nullus intret, exceptis Clericis Canonicorum, qui cum habitu honesto intrabunt, & tales eligantur per Cantorem, qui honestum habitum habeant, & in aliquo chorum juvare sciant. Chorus per duos Canonicos servetur continue, sicut est in Ecclesia ordinatum, & in solemnibus per Cantorem & alios, sicut fieri consuevit. Denique, quia multi occasionem prætendunt, non veniendi de nocte ad Ecclesiam, suas vel consanguineorum suorum inimicitias allegando, statuimus, & præcipimus, quod claustrum claudatur, si sine scandalo potest fieri, & fiant portæ in claustro, & sint ibi duo custodes de nocte, sibi certo salario assignato. Proviso, quod a pulsatione silentii, usque post matutinas cantatas in hyeme, & in æstate usque ad diem, clausæ sint dictæ portæ, ne per occasiones hujus, Divinum officium defraudetur. Diebus Dominicis, quando imminet processio fienda, fiat aqua benedicta in choro solemniter per septimanarium ante processionem, Diacono & Subdiacono præsentibus, & sic parati ad processionem incedant. Decani, Præpositi, Archi-Diaconi, Scholastici, & Cantores, debitam residentiam in Ecclesia faciant, & tam ipsi, quam alii omnes vadant ad negotia procuranda, cum a Decano & capitulo fuerint requisiti, quibus decentes dentur expensæ,

penſæ, ſecundum qualitatem perſonarum. Miniſteriales & Officiales Eccleſiæ, miniſteria ſua faciant per ſe, non per Vicarios, diligenter, ad quæ nocte & die parati exiſtant. In Eccleſia jaceant, qui ex officio ſibi commiſſo ad hoc tenentur. Diſcretis viris & fidelibus, & habilibus committantur iſta officia, inutilibus inde amotis per Decanum & capitulum infra menſem. *Bona ad diſtributiones horarum ordinata & ſtatuta, & omnia, quæ ſuperveniunt vel habundaverint, ad nullos alios uſus horarum, quam ad diſtributiones committantur, & nihil corporibus præbendarum accreſcat, cum ex hoc Eccleſiæ ſervitium & cultus augmentetur Divinus.* Hæc autem, quæ de Canonicis majoribus, dicimus de Canonicis Sancti Materni, & parvæ menſæ, & aliis beneficiatis Eccleſiæ, præſertim quantum ad ſervitium Eccleſiæ, diſtributiones denariorum pro horis, & ad faciendam reſidentiam, ad quam tenentur. Item ſtatuimus, & præcipimus, & ordinamus, quod quolibet anno in capitulo generali, quod ordinavimus fieri in craſtino feſti Beati Lamberti, eligantur de capitulo tres fide digni, qui inquirent de vita & converſatione Canonicorum Beati Lamberti, Sancti Materni & parvæ menſæ, & Capellanorum, & Vicariorum, & Clericorum de Eccleſia, præſertim de quibus eſt ſcandalum & infamia, & quid invenerint, portent ad capitulum, & tunc Decanus & capitulum corrigant, quæ corrigenda invenerint, ſecundum qualitatem delictorum. Statuimus inſuper, & mandamus, ut annuatim in feſto Omnium Sanctorum, finitis Veſperis de die, omnes campanæ pulſentur, & Veſperæ pro mortuis cantentur, & nocte ſequenti matutinæ, & in craſtino ejusdem feſti Miſſa pro mortuis, ſicut in feſtis præcipuis ſolemnitatibus celebretur. Has autem noſtras Conſtitutiones præcipimus inviolabiliter, in cujus rei teſtimonium præſentes has ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Datum Leodii V. Idus Novembris, anno Domini Milleſimo Ducenteſimo quinquageſimo.

Publicata iterum anno 1274. *ab Hugone Cardinali. Vide infra.*



CONCILIUM MOGUNTINUM
Anno Chriſti MCCLVI. Alexandri IV. Papæ II. Interregni Germaniæ I.

Contra violatores Eccleſiaſticæ libertatis Epiſtola Synodica Gerardi I. Archi-Epiſcopi Moguntini.

GERHARDUS, DEI GRATIA, SANCTÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER GERMANIAM ARCHI-CANCELLARIUS, UNIVERSIS PER MOGUNTINAM DIŒCESIM CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

CUm per illud ſtatutum, quod Dominus *Sifridus*, piæ memoriæ, Prædeceſſor noſter, olim contra *Captivatores Clericorum* edidit, *auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſuper hoc ſtatuendo, ſpeciali ſibi data*, non ſit adhuc ſufficienter proviſum, aliasque Prælati, & Clerus noſtræ Diœceſis, a nonnullis perditionis filiis multipliciter aggraventur contra Eccleſiaſticam libertatem; quia nova contra novos morbos oportet antidota præparari, multa deliberatione præhabita, de conſilio & aſſenſu *Archi-Diaconorum, Prælatorum, & Capituli noſtri*, ſtatuimus: & jam nunc in quoslibet transgreſſores excommunicationis ſententiam promulgamus; ut non ſolum in terminis Archi-Diaconatus illius in quo Prælatum, vel Religioſum aliquem, ſeu Clericum, habentem ſacros Ordines, & pro Clerico ſe gerentem temere captivari, ſed etiam in terminis Archi-Diaconatus, in quo captivatum quempiam talium detineri aliis conſtiterit, ipſo facto ceſſetur ab officiis Divinorum, ut ſic tam Nobiles, quam Magnates, populares cum plebe contra malefactores hujusmodi ex Divinorum carentia provocati, conſurgant ad liberationem illius, qui auſu ſacrilego detinetur captivus, auxilium præſtituri; ſpecialiter

cialiter tamen domibus, seu locis illis, in quibus captivatores & eorum complices nostræ Diœcesis in malefacto ipsis consilium, vel auxilium, ac juvamen præstantes, domicilium obtinent, & sive de facto, sive de jure jurisdictionem exercent, aut ubi habent receptaculum, observetur districtissime interdictum, ita videlicet: quod corpora mortuorum ad Ecclesiasticam sepulturam nullatenus admittantur; quin imo, si per violentiam laicalem in Ecclesiis vel Cœmiteriis fuerint tumulata, ibi non relaxetur aliquo modo sententia interdicti, nisi prius ejectis corporibus, sic per laicalem violentiam tumulatis. Durante etiam hujusmodi interdicto, Sacerdotes aliud facere non præsumant, nisi quod in diebus Dominicis, proposito suis plebibus verbo Dei, pronuntiatis quoque festivis diebus, qui in illa septimana occurrent, eos aqua benedicta conspergant, nullum omnino dicant officium in aperto, semel in ebdomada absque signo campanarum, clausis januis; cum suo tantum ministro; pro conficiendo viatico, sub silentio Missam dicant, præfatum interdictum juxta modum & formam præscriptam reverenter & humiliter servaturi. Archidiaconi quoque & eorum Officiales in aliis nostræ Diœcesis locis, requisiti, prædictos sacrilegos ab omnibus suis subditis excommunicatos denuntiari faciant publice singulis diebus Dominicis etiam quæstionis, quam contra alicujus Ecclesiæ Advocatum se proponit habere, secundum statuta Maguntini Concilii contra hujusmodi temerarios invasores edita, puniatur.

Datum *Maguntiæ*, II. Kalend. Maji, Anno Domini MCCLVI.

Cl. Schannat descripsit, sine indicato fonte.

SYNODUS HILDESHEIMENSIS

Anno Christi MCCLIX. Alexandri IV. Papæ V.

SUMMA. Fundatio & dotatio Conventus in Backenrode, Ordinis Cisterciensis.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

JOANNES, DEI GRATIA, EPISCOPUS HILDESIMENSIS, OMNIBUS IN PERPETUUM.

GRatulantes ad memoriam revocamus, qualiter vitis generosa, Cisterciensis Ordo, multiplicavit suavitatem odoris, & florem odoris & honestatis, longe lateque palmites virtutum extendit, ac multiplicatum fructum in vitam æternam feliciter reportavit; eapropter notum esse volumus, tam præsentibus, quam futuris, quod nos habito *nostræ majoris Ecclesiæ Capituli consilio* favorabili pariter & assensu, ad cultum Omnipotentis, & honorem Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis MARIÆ, ac nomen dicti Ordinis dilatandum, proprietatem *in Backenrode*, cum loco eodem & ædificiis, cum viginti & quatuor mansis dicto loco annexis, & decimis eorundem mansorum denominatorum, remotis illis, qui prius locum ipsum tenuerunt minus digne, & incorrigibiles extiterunt, in manus Venerabilis Domini *Thetmari Abbatis, & Congregationis Ecclesiæ in Isenbagen Ordinis Cisterciensis* ad collocandum *in Backenrode* Conventum Monachorum Ordinis Cisterciensis, non recompensationis cujuspiam temporalis, sed Divinæ remunerationis respectu, donatione contulimus liberali pariter & solenni, cum omnibus attinentiis suis & utilitate, si qua nunc est, vel haberi poterit in futurum, & disterminationibus tam in pascuis, quam in pratis, paludibus, aquis, & piscationibus, & ab omni advocatia libera, & servitio, judicio, angariis & perangariis, sicut idem ordo suas possessiones consuevit liberas possidere, secundum privilegia Pontificum Romanorum ordini clementer indulta: participationem vero & communionem in sylvis & nemoribus, quam dictus locus *Backenrode* qualicunque in re possedit, nostra donatione simul, & nostri Capituli, ante dictis *Monachis de Isenhagen* possidendam perpetuo confirmamus. Ut autem hanc nostram

ſtram donationem nemo auſu temerario valeat infringere, ſed in perpetuum inviolabiliter perſeveret; hanc paginam confectam ſigilli noſtri, atque Capituli noſtri ſigilli appenſione, & teſtium deſcriptione fecimus roborari. Acta ſunt hæc Hildenſem *in SYNODO NOSTRA* Anno Chriſti Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo nono, IX. Kal. Aprilis.

Leuckfeld. Antiquitates Poeldenſes Cap. XVIII. pag. 107.

CAPITULA XIV. SEU RUBRICÆ STATUTORUM ECCLESIÆ COLONIENSIS, A BONÆ MEMORIÆ D. CONRADO ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI IN EJUS CONCILIO PROVINCIALI EDITORUM, Anno Chriſti MCCLX. Alexandri IV. Papæ VI. Interregno magno Germaniæ.

I. De manifeſta cohabitatione Clericorum & mulierum.
II. De manifeſta Clericorum negotiatione.
III. De inſufficientia ſcientiæ, quæ eſt illiteratura, Clericorum.
IV. De Tonſura Clericorum.
V. De Clericis ſimoniacis.
VI. De Clericis irregularibus.
VII. De Dormitoriis, de lectura tabulæ capitularis, de lunationibus & Kalend., de memoriis Defunctorum, & Divino officio pro eis faciendo, & de modo eundi in capitulum, agendique & procedendi in eodem, de ordine miniſtrantium ad Altare, & de Canonicorum comedendi & dormiendi modo.
VIII. De campanariis & cuſtodibus.
IX. De Decanis, Scholaſticis, Cantoribus & Canonicis.
X. De Capellanis regalibus, Epiſcopalibus & Præpoſitorum, & qui non debeant eſſe ejuſmodi Capellani.
XI. De Piſtrinis Eccleſiarum.
XII. De Præpoſitis & eorum capitulis, qualiter erga ſe invicem habere debeant.
XIII. De electionibus Capitulorum.
XIV. De immunitatibus & muris earum.

STATUTA D. CONRADI ARCHI-EPISC. COLONIENSIS.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

NOS CONRADUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS.

IN agrum Domini curæ noſtræ commiſſum, de mandato Apoſtolico his diebus per oſtium viſitationis ingreſſi, plura in ipſo, quam utique credebamus, offen-

offendiculorum invenimus zizania diverſorum. Si enim mala opera converſationis & ſcandala perverſitatis in Clero, recte zizania ſunt cenſenda, incepti ſuper hoc propoſitum negocii proſequamur: in primis quidem extirpando radicitus vitia, ut deinde virtutum germen laudabile, unde fructus ſalutis proveniat, inſeramus. Cum igitur ita bonorum plantatio germinum, & extirpationes vitiorum, in agrum Domini abſque correctionis remedio fieri non valeant, opportune ſecundum qualitates & modos exceſſuum, correctionis Canonicæ modos providimus adhibendos. Sane cum ea, quæ nobis genera diverſorum offendiculorum *viſitantibus* occurrunt, in aliquibus Clericorum ſint iſta, & fere maxime in eorum compluribus uſitata: manifeſta cum mulieribus cohabitatio, habitus Clericali incongruus diſciplinæ: in nonnullis quoque eorum negotiatio deteſtanda, & inſufficientia ſcientiæ (quæ eſt illiteratura) in multis, quos Clericos ſolo nomine, non re, recta conſideratione cenſemus. Et præter hæc aliqua alia in nonnullis eorum occurrunt habentia notam labis Eccleſiaſticæ: De manifeſta mulierum cohabitatione notatis, ita ſecundum canonicas præcipimus ſanctiones.

I. *De manifeſta cohabitatione Clericorum & mulierum.*

Cum enim manifeſtos mulierum cohabitatores, ſeu concubinarios cenſeamus non ſolum eos, qui in ſuis domibus tenent concubinas, verum omnes generaliter, eos etiam, qui mulieres focarias extra domos ſuas manentes, ſuis manifeſte procurant ſumptibus & ſuſtentant: De his ita præcipimus, quod tales inde in viſitatione noſtra notati, ceſſent de cætero a talis peccati commercio, & in pœnam commiſſi exceſſus, intrent carcerem canonicalis diſciplinæ, illum ſervaturi ſecundum morem & conſuetudinem diſciplinæ hactenus obſervatæ. De his autem mulieribus ita præcipimus, quod ſi intra immunitionem (quod abſit) fuerint compertæ manentes, vel prope immunitionem, Decani Eccleſiarum per excommunicationis ſententiam ipſas ad recedendum compellant. Ipſique nihilominus Decani eas ad ſuos plebanos deſtinent, recepturas ab eis, vel aliis boni conſilii (quo ad remedia animarum) viris pœnitentiam ſalutarem. Quia vero ſupradicti cohabitatores mulierum Clerici, Patrimonium JESU CHRISTI in uſus malos, cum ſuis peccando focariis, expenderunt, eos proinde teneri ad ſatisfaciendum Eccleſiæ, cujus bonis taliter in ſuis concupiſcentiis & peccati illecebris ſunt abuſi, decernimus, & ſatisfactionis iſtius modum nobis reſervamus ſecundum canonicas ſanctiones. Et quia iidem Clerici, ſicut de multis eorum comperimus, ita hujus peccati pernitioſa nimis aſſuefactione excæcati, in eo perſiſtere uſque ad vitæ etiam ſuæ noviſſima non verentur, in tantum, quod in extremis agentes, ſi quid de bonis Eccleſiaſticis habuerint, ea pueris ſuis legant & deputant, non contenti, quod inde in vita ſua eos aluerant: & ſic fraudant Eccleſias JESU CHRISTI Patrimonio, ſeque metipſos culpæ magis illaqueant coram Deo: talem abuſionem damnabilem deteſtando damnamus, & fieri de cætero ſtrictiſſime prohibemus. Item ut ipſi Clerici (qui malam utique vitam in hujus cohabitationis crimine agunt) a mala ſaltem ſibi fama coram hominibus & Clero, de improperioſa nimis detractione præcaveant, ipſis ſub diſtrictione firmiſſima prohibemus, ut nuptiis filiorum ſuorum & filiarum perſonaliter non interſint. Et in his nuptiis, quantum omnino poteſt, vitetur pompa & ſolennitas nuptialis.

II. *De manifeſta Clericorum negotiatione.*

Cum negotiatio in Clerico, & uſura in laico, quaſi eſſe unius generis cenſeantur, ita præcipimus, quod ceſſent de cætero a talis peccati malitia, & in pœnam commiſſi exceſſus, intrent canonicalis carcerem diſciplinæ, ſecundum quod ſuperius eſt expreſſum. Quia vero iſti turpis avaritiæ ſectatores non Deo, ſed mammonæ, lucrifacere elegerunt, & malis inhiando lucris, Chriſti ſimiliter Patrimonio & bonis Eccleſiaſticis ſunt uſi illicite & indigne: eos proinde teneri ad ſatisfaciendum Eccleſiæ, in cujus non fideliter, ſed potius fraudulenter negotiati ſunt bonis, decernimus, & ſatisfactionis iſtius modum ſecundum ſanctionem Canonicam nobis reſervamus.

III. *De insufficientia scientiæ, quæ est illiteratura, Clericorum.*

Item de Clericis de insufficientia doctrinæ, quæ est illiteratura, notatis, sicut de omnibus scientiam eminentem non requirimus, sed quod sciant legere & cantare ad Divini officii ministerium competenter: ita præcipimus, quod qui per se non possunt facere in choro cantandi debitum & legendi, faciant per aliam personam idoneam, secundum quod Decani sui discretio duxerit providendum.

IV. *De Tonsura Clericorum.*

Cæterum de Clericis non deferentibus Clericalem tonsuram, & vestes habentibus Clericum non decentes (indecentia namque vestium in colore, vel pompa nodorum, vel apertura vestium a latere, aut nimia brevitate notatur) sic tam de his, quam de illis districte præcipimus; ut tonsuram comæ, quæ Clericalis sit, habeant, & suas coronas competentes, & eas radere non omittant: quod tamen invenimus aliquos omittere, quod maxime detestamur: dum tales & taliter se gerentes, privilegio quidem clericali gaudere contendant, & tamen signum illius privilegii aspernentur. Sub eadem districtione vestium indecentium pompam & usum firmissime inhibemus.

V. *De Clericis Simoniacis.*

Item de Clericis Simoniacis ita præcipimus, quod ante omnia, ea dimittant beneficia, quæ adepta per simoniam exstiterint, ne ea in damnationem suarum teneant animarum: & postmodum cum maturo consilio, qualiter ipsorum statui consulatur, ordinabimus secundum canonicas sanctiones.

VI. *De Clericis irregularibus.*

De Clericis autem irregularibus ita præcipimus, quod a sui officii executione se contineant, donec circa eos fuerit ordinatum secundum canonicas sanctiones, quid fuerit ordinandum.

VII. *De dormitoriis, de lectura Tabulæ Capitularis, de lunationibus &c.*

Consequenter, quia in ipsa visitatione comperimus, circa Divinum officium, sive ministerium atque chori debitum, negligentiam & omissiones debiti, factas hucusque fuisse & fieri, plus quam Dei honorem deceat, & saluti ipsorum expediat ministrorum; quæ quidem negligentiæ causantur exinde potissimum, quod sunt quædam Ecclesiæ Canonicorum carentes dormitoriis, quædam habentes dormitoria, sed eorum Canonici dormire in his, longo temporum spatio dissueverunt: item quod in quibusdam Ecclesiis est compertum, raro vel nunquam per anni totius spatium lectiones & cantum Divini officii in capitulari tabula annotari; item raro vel nunquam in capitulo ipso legi lunationes Mensium aut Kalendas, seu obitus fidelium, quorum commendationem aut memoriam agere unusquisque de eleemosynarum vivens sustentatione, tenetur: super his omnibus qualiter reformentur, & reformata in robore suo permaneant, & vigore, sicut primitus erant instituta: ita præcipimus, quod Ecclesiæ Canonicorum, carentes dormitoriis, ea deinceps habeant, de communi Ecclesiæ ære seu pecunia construenda: & Canonici qui habentes dormitoria, dormire in his aliquamdiu dissueverant, in his dormiant, prout hoc consuetum fuit antiquitus. His duntaxat exceptis, quos infirmitas seu debilitas, aut alia causa legitimæ necessitatis, excusat; cum alias cassa & vana fuisset ipsorum dormitoriorum structura, si non in ipsis modo & more debito, maxime causa matutinalis officii, dormiretur. Item præcipimus, quod quædam Canonicorum collegia in consuetudinem adduxerint, nullis diebus cantare vigilias pro defunctis, nisi quando distributio denariorum in choro præsentibus exhibetur: & si evanescat illorum memoria, qui etsi ad distributiones hujusmodi quicquam non dederint vel legaverint Ecclesiis, ad communem tamen administrationem corporis præbendalis prædia & possessiones pie & munifice sunt largiti: super hoc ita statuimus, ut non solum illis feriis, quæ sunt distributionibus hujusmodi deputatæ, verum & aliis diebus omnibus, præterquam in festivitatibus, secundum consuetudinem majoris Ecclesiæ, vigiliæ cum officio pro defunctis in choro solenniter decantentur: & post hujusmodi decantationem officii, Decanus & fratres ingredientur domum capituli, ante omnem tractatum disciplinæ, vel etiam præben-

præbendæ, aut cujuscunque alterius negocii, tabulæ capitularis lecturam (habentis distincte, & in specie, quid unicuique sit cantandum, vel legendum in choro) audiant diligenter, ac insuper lunationes mensium, ac Kalendæ, & obitus legantur. Nec non aliqua *Lectio de regula & vita Clericorum* legatur. Et tunc immediate de disciplina fiat, quod fuerit faciendum: ac talia consequenter post ipsam disciplinam tractentur negotia, quæ ad utilitatem, seu necessitatem fuerint spectantia publicam seu privatam. Et si aliquando Decanus non fuerit præsens, propter hoc non omittatur ullatenus, quin fratres domum capituli intrent, ad audiendum ipsius tabulæ capitularis lecturam, ut sciant, quid unicuique in choro sit legendum (ut supra diximus) & cantandum deputatum. Quia cum in majori Ecclesia talis & bona utique, consuetudo in hujusmodi observetur, id ipsum in aliis volumus Ecclesiis observari. Item præcipimus, ut Divinum officium in choro nunquam absque ordine ministrorum, Sacerdoti ministrare debentium, videlicet Diaconi & Subdiaconi, decantetur: & ipsi ministri in ipso Sacræ Missæ officio non præsumant absque indumentis suo ordini deputatis, aliquatenus ministrare, nec ante finem Missæ recedere. Quod tamen in quandam desuetudinem, immo malam abusionem, apud quasdam Ecclesias fuisse comperimus introductum: sed deinceps hoc fieri, firmissime prohibemus. Eisdem etiam ministris injungimus, quod quotiescunque hebdomada eorum fuerit, officio deserviendi Divino; horas in choro matutinales, & alias servare studeant diligenter, ne ullum per eos omissionis debiti, quo ad sacrum ministerium, esse valeant argumentum. Sacerdotes autem ipsi quotiescunque celebraturi sunt Missam, veste camisiali sub albis non careant, ne albam, quæ consecrata est vestis, ipsorum tunicæ valeant immediate contingere, nec ipsæ tunicæ apparere. Item canonicis, ne frequenter extra immunitatem Ecclesiarum suarum comedant, aut dormiant extra ipsam, firmissime prohibemus: ne ulla eis suffragetur occasio, si forte propriis domibus careant. Competentius namque in suis dormire dormitoriis, & comedere in claustris aut refectoriis suis possunt hi, qui domibus propriis vel certis hospitalibus carent, quam hæc facere forinsecus apud loca suspecta, vel alias clericalis conversationis non bene decentia honestatem.

VIII. *De Campanariis & custodibus.*

Item ut Campanarii Ecclesiarum, quorum servitus, sive onus circa Altare versatur, numquam absque veste camisiali compareant, firmissime prohibemus: & ut hoc absque omni omissione servetur, Ecclesiarum ipsarum thesaurarii, seu custodes, & singuli in singulis suis Parochiis plebani, provideant diligenter. Præfati etiam thesaurarii seu custodes, quorum interest Ecclesiæ luminaria ministrare, ea ita fideliter administrent, & generaliter omnis Ecclesiasticæ suppellectilis, seu thesauri, custodiam, eorum fidei atque curæ commissam, ita conservent fideliter & solerter, quod inde non sint reprehensibiles, & quod pœnam canonicæ castigationis evitent.

IX. *De Decanis, Scholasticis, Cantoribus, & Canonicis.*

Consistente autem penes Decanos Ecclesiarum potestate, lege, & gubernatione Canonicæ disciplinæ exercenda, ipsis propter hoc firmiter præcipiendo injungimus, tota eos ad id niti solertia, quod in Ecclesiis disciplinalis observantia vigeat honestatis: & sicubi enervata extiterit, ipsam studeant reformare, commissam sibi excessuum correctionis potestatem, & regimen sui officii taliter exequendo, ut boni dispensatores in domo Domini super ejus familiam digna possint commendatione censeri: & hoc quidem se facere arbitrentur, si ipsi disciplinati appareant in se ipsis, & per bonum exemplum confortent, & animent suos confratres. Præfati autem Decani, quicunque promotionis suæ tempore non fuerint in sacris ordinibus constituti, eos incunctanter recipiant, gradatim de ordine ad ordinem ascendendo. Item præcipimus, quod intra tempus in jure expressum, ordinem Sacerdotalem recipiant, si ordinem forte in nostra Diœcesi a nobis, vel aliquo alio Episcopo contingat nostro nomine celebrari; nec aliquis Decanus propria auctoritate, vel potius vo-

luntate

luntate, præsumat ordinis Sacerdotalis receptionem protrahere vel differre, nisi specialiter hoc a nostra licentia valeat obtinere. Item præcipimus, quod ipsi Decani, postquam ordinem Sacerdotalem receperint, & generaliter omnes Sacerdotes, nec non Ecclesiarum Plebani, tam urbani pariter, quam rurales, surcotia clausa portent, quod sicut ab aliis sunt in statu honoris & reverentiæ differentes, ita deceat, quod ab illorum habitu vel vestitu differentes appareant, & nullum in eis exemplo & usu vestium signum appareat levitatis. Et sicut Ecclesiarum Decanis modo prædicto injungimus facere, quæ ad ipsos pertinent, facienda in seipsis pariter, & suorum Regimine subditorum: ita Scholasticis Ecclesiarum, nec non Chori-Episcopis, seu Cantoribus, quorum officia onus suum tam circa disciplinam, quam chori debitum atque residentiam in ipsis Ecclesiis faciendam, habere noscunt, injungimus; ut in his omnibus studeant ita se habere, quod inde non sint reprehensibiles, sed potuis commendandi. Item sicut Decani in Ecclesiis residere debere noscunt; ita quoque Scholastici & Cantores: unde & hoc eos ita præcipimus observare. Item nemo sit Scholasticus in duabus Ecclesiis, quarum Præpositi & Decani, PRIORES Colonienses existunt, cum de necessitate deinde causetur inconveniens, ut illarum Ecclesiarum, ad minus altera, sui defectum debiti in membro ita necessario, cujus quidem non est levis recuperatio, patiatur. Item & illam abusionem in aliqua Ecclesiarum compertam, quod Decanus sit liber a choro, quasi corruptelam, & quasi pessimæ adinventionis & fraudis modum vel speciem, detestamur, & detestando præcipimus, ne quis de cætero Decanorum in sua præsumat Ecclesia per abusionem hujusmodi a sui jugo oneris vacillare. Item ne Canonici Ecclesiarum in solemnitatibus & stationibus sine chorali pellicio, vel veste Camisiali sub superpellicio incedant in Ecclesiis conventualibus in choro. Item præcipimus, ut si quando Canonici per vicos civitatis aut plateas incedant, ita decenter in habitu vestimentorum incedant, sicut ab antiqua est consuetudine observatum.

X. *De Capellanis Regalibus, Episcopalibus & Præpositorum, & qui non possunt esse hujusmodi Capellani.*

Cum in aliquibus Ecclesiis Capellani Regales, Episcopales, ac etiam Capellani Præpositorum exsistant, qualiter hi se habere debeant, cum nonnullos forte ipsorum hoc lateat, determinandum necessario hoc duximus in præsenti nostrorum serie statutorum: Capellani hujusmodi residentiam in suis Ecclesiis tanquam alii fratres facient, nisi illo tantum tempore, quando agunt suorum negocia Dominorum, atque etiam, si negocia Ecclesiæ hoc exposcant. Et nobis in Ecclesia majori, vel alia nostræ civitatis, vel Diœcesis Ecclesia (si sunt ea vice præsentes) celebrantibus, ibi debent adesse in Divini celebratione Officii, & adstare. Et debent hujusmodi Capellani in sacris esse ordinibus constituti. Super hujusmodi Capellanos Episcopales erit noster Capellarius, quasi loco Judicis & Magistri. Ad hæc præcipimus, quod nulli Decani, nulli Scholastici, nulli Chori-Episcopi, vel Cantores, nulli Sacerdotes Ecclesiarum, Capellani Episcopales ullatenus, aut Regales existant.

XI. *De Pistrinis Ecclesiarum.*

Cum vero sint quædam Ecclesiæ carentes pistrino communi, quod multum utique reprobamus, super hoc ita præcipimus, quod in omnibus Ecclesiis collegiatis habeatur commune pistrinum, & panis ibi præbendalis distribuatur potius, quam unusquisque cum modio, sive maldro annonam panis præbendalis recipiat ad vendendum. Ex hac namque venditione perit hospitalitas in Ecclesiis, cum in ipsis pauci vel nulli reperiantur panem suum in domibus comedentes claustralibus, vel egenis inde eleemosynam tribuentes.

XII. *De Præpositis & eorum Capitulis, qualiter erga se invicem habere debeant.*

Consequenter de Ecclesiarum Præpositis videamus, qualiter ipsi erga capitula se habere debeant, & qualiter capitula erga ipsos vice versa. Cum enim ipsis Præpositis ea potissime incumbat solertia, quod circa Ecclesiæ exteriora, vel ejus temporalia defendenda sint vigiles & cooperantes capitulis, ubicunque inju-

injuriam patiuntur, qualiter ab illis injuriis releventur, nostro (prout eis opus fuerit) auxilio accedente, & non solum ad hujusmodi temporalia promovenda exterius teneantur, immo ad omnia alia, tam intus, quam extra, quæ sunt ad Ecclesiæ utilitatem & pacem spectantia, nec non ad ipsius Ecclesiæ jura, statuta honesta & bonas consuetudines observandas teneantur ex proprio juramento: ipsis præcipimus, circa hæc omnia taliter se habere, quod inde irreprehensibiles censeantur. Capitula etiam vice versa ita se erga ipsos habere Præpositos studeant in omnibus, honorando ipsos, in quibus sunt merito honorandi, quod in nullo ipsorum Præpositorum dignitati derogent, sive juri. Et quia de aliquibus Præpositis unum quidem in visitatione comperimus reprehensibile, & non laudandum, quod ipsi fructibus suspensarum in Ecclesiis præbendarum, quorum sunt, & esse de jure tenentur dispensatores (illi præsertim, qui dictos fructus nondum in capitula transtulerunt) abutuntur. Cum enim de ipsis fructibus uno eis anno cedentibus, tecta Ecclesiæ, quando foret necessitas, reparare deberent, ipsi ea non reparant: immo fructus ipsos Canonicis inobedientibus, ideoque suspensis restituunt, seu remittunt. Ecce per hanc remissionem, injuriam fabricæ Ecclesiæ faciunt, damnum, seu emolumenti carentiam sibi ipsis, ac insuper occasionem negligentiæ, & abessendi ab Ecclesia, Canonicis suis præstant. Hanc itaque abusionem, omni penitus ratione ac etiam colore carentem, ipsis de cætero Præpositis inhibemus, volentes, ut, vel ipsi retineant (convertendos in utilitatem propriam) illos fructus, si Ecclesia eorum, opus non habuerit reparatione tectorum, vel Ecclesiæ ipsi ad ornamenta fructus hujusmodi largiantur potius, quam eos indignis, hoc est, inobedientibus restituant, & in sua inobedientia seu dissolutione taliter animent, ac sic ipsi Præpositi dissolutionis ac inobedientiæ sint auctores.

Item quod ipsi Canonici, qui suspensi fuerint pro sua inobedientia, nunquam in facie fratrum intra immunitatem compareant manifeste, firmissime præcipimus & mandamus.

XIII. *De electionibus Capitulorum.*

Item, ne in præsentis nostræ visitationis proposito omittamus hoc, per quod maxime Ecclesiarum collegiatarum quieti prospicitur, illarum præsertim, quæ plurium Clericorum receptionibus ad vacatura beneficia sunt gravatæ, cum constitutio Domini *Alexandri* Papæ super hoc ipso decreverit providere, Nos illam constitutionem præcipimus inviolabiliter observari, ut eum juxta eandem constitutionem, quatuor ex receptis ante ipsam provisum fuerit de præbendis, quæ post constitutionem prædictam vacaverunt vel vacabunt, ubi nondum quaternarius est completus, alii ultra ipsum numerum existentes habeantur pro cassatis, nec aliquo modo ex receptione tali a Præpositis, Decanis, & Capitulis Ecclesiarum, pro Canonicis vel Præbendariis admittantur. Et monemus illos, qui receptioni hujusmodi innituntur, & de canonicatu & præbenda se ingesserint, quod deinceps omnino desistant. Præpositos autem, Decanos, & Capitula nihilominus admonemus, ut tales pro Canonicis vel Præbendariis non admittant.

XIV. *De immunitatibus & muris earum.*

Ut vero omnes Ecclesiæ Collegiatæ, immunitates suas muris circumdatas, & clausuras portarum bene munitas habeant, firmissime præcipimus & mandamus. Hæc itaque nostræ visitationis præcepta canonica & statuta, ita a nobis edita præcipimus inviolabiliter observari: & unumquodque collegium ea in scripto ad suæ exemplar & regimen vitæ recipiat: & recepta penes se in perpetua commendatione memoriæ teneat diligenter. Hæc itaque ad præsens statuimus, salvo nobis, quæ alia, si qua adhuc occurrerint, opus habentia reformationis aut correctionis remedio, sive de Canonicis, aut Monachis, aut etiam Plebanis existant, ea statuamus, ut inde, prout expediens fuerit, loco & tempore ordinemus. Pronuntiatum & datum Coloniæ, quarto Idus Martii. Anno Domini Millesimo, ducentesimo, sexagesimo.

Statuta Coloniensis Ecclesiæ, edita in folio 1478. & 1492. & 1554.
Ex quibus Harduin. Tomo VII. Concil. pag. 517.

Domini CONRADI Archi-Episcopi Statuta

De Monachis & eorum conversatione & vita.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

CONRADUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS.

SAluti & bono ſtatui omnium, cujuscunque profeſſionis ſeu ordinis, ſed noſtrorum domeſticorum maxime debitores in Domino exiſtentes, ſicut in noſtra viſitatione negocium reformationis & correctionis de Clericis per ſtatuta Canonica expedivimus competenter, ita de Monachis ſatagentes, idipſum ſuo modo, quo competens fuerit, expediemus.

I. *De celebratione Divini Officii.*

Inprimis igitur ſtatuimus, quod omnium Monaſteriorum nigri habitus Monachi ordinis S. Benedicti, Divinum officium in cantando & legendo, ſecundum quod regula ejusdem S. Benedicti præcipit, exequantur: & maxime munditiis circa Altaria & ornatum Eccleſiaſticum ſint ſtudentes.

II. *Quando & quomodo Monachis communicandum ſit.*

Statuimus item, ut Miniſtri Altaris ſingulis Dominicis diebus & aliis feſtivitatibus, prout conſuetudo loci ſeu Monaſterii habet, communicent corpore & ſanguine Domini noſtri JEſu Chriſti, facta prius confeſſione Abbati vel Priori ſecundum regulam: ut, ſi aliqua de cauſa duxerit aliquis abſtinendum, cauſam Abbati vel Priori non differat intimare, ut ejus judicio abſtineat, vel ad communicationem accedat.

III. *Propria Monachis habere non licere.*

Item ſtatuimus, quod Monachi proprium non habeant, ſecundum quod regula eorum præcipit, niſi quod Abbas dederit aut permiſerit, & quod pariter victum & veſtitum percipiant de communi per ſui adminiſtrationem Abbatis, ut nullus Monachorum cauſetur de qualitate ſeu quantitate victus & veſtitus, ſed omnia ipſis adminiſtrentur, ſecundum quod Monaſteriorum ſuorum ſuppetunt facultates & prout regula hoc expoſcit.

IV. *De Incontinentia Monachorum.*

Statuimus item eos graviori culpa vel pœna puniendos ſecundum regulam, qui fuerint de incontinentia notati, quæ maxime in Monachis eſt deteſtanda.

V. *De habitu Monachorum.*

Item ſtatuimus inhibendo, ne aliquis Monachorum ſurcociis, caligis, coloratis calceis, nodatis cingulis irregularibus, aut maſubiis ſericis utatur: ſed quod ipſi Monachi talibus indumentis, quæ ipſorum regula præcipit aut concedit, induantur. Statuimus etiam quod Monachi officiarii pro ſui Monaſterii vel officii negociis, aut alii de licentia Abbatis, vel Prioris Abbate abſente, exeuntes, talibus utantur veſtibus & calceis pluvialibus, quæ ipſorum ordinis deceant honeſtatem, & in quibus Monaſticæ religionis ſeu converſationis abuſio non poſſit deprehendi.

VI. *De Monachis percuſſoribus.*

De Monachis autem irregularibus ita præcipimus: ſi Monachus in Monachum manum injecerit ſui Monaſterii, & læſio non ſit enormis, Abbas ipſum abſolvat ſecundum morem regulæ: alioqui ſi læſio fuerit enormis, Abbas illum ad Sedem Apoſtolicam deſtinet, vel ad illum, qui abſolvendi habuerit poteſtatem.

VII. *De Monachis Simoniacis.*

Præcipimus item de Simoniacis, quod circa illos ſecundum conſtitutionem regulæ procedant Abbates: ſuper his vero, quæ ipſis non ſunt conceſſa Abbatibus, eorum Monachi ad ſuperiorem mittantur.

VIII. *De cibis Monachis interdictis.*

Statuimus etiam, quod Monachi aliis cibis non utantur, niſi eis, quos ipſorum regula præcipit, aut permittit.

IX. *Exitus quis Monachis vetitus.*

Item præcipimus diſtrictius, ne Monachis detur frequens licentia exeundi: ſed

ſed ſi ſine licentia ſuperioris ; diſtrictum, ſive portas clauſtri aliquis eorum exire præſumpſerit , pœnam inde ſuſtineat regularem.

X. *Abbates Divinorum celebrationi interesſe debere.*

Statuimus, & quod Abbates in conventu cum fratribus ſedeant , & Divinis frequentius interſint lectionibus , maxime Vigiliis, Capitulo, Collationi, & aliis Divinis Officiis cum eiſdem , niſi cauſa neceſſaria , utili vel honeſta fuerint præpediti.

XI. *De proprietariis excommunicandis.*

Item ſtatuimus , quod Abbates excommunicationis ſententiam in proprietarios ſemel in anno ſcilicet Sabbatho proximo ante Dominicam LÆTARE , ſolenniter in capitulo publicent : & ſi poſt aliquis inventus fuerit habere proprium , ſecundum regulam punietur.

XII. *De Monachis fugitivis & Apoſtatis.*

Statuimus etiam , quod Monachi fugitivi & Apoſtatæ per ſuos Abbates ad ſua Monaſteria revocentur , ſalva ordinis diſciplina , niſi toties obedienter & ex talibus cauſis receſſerint , quod ſecundum regulam non debeant in eorum Monaſterio tolerari.

XIII. *De receptione hoſpitum.*

Statuimus item , quod nullus Monachorum hoſpites per ſe recipiat , niſi hoſpitarius Monaſterii vel alter , cui Abbas eos commiſerit recipiendos.

XIV. *De dandis Eleemoſynis.*

Item ſtatuimus , quod debita Eleemoſyna & conſueta , tam de refectorio , quam hoſpitali fideliter pauperibus erogent.

XV. *Monachis ubi & quomodo ſumendus cibus.*

Statuimus etiam , quod omnes Monachi in communi refectorio comedant , niſi infirmitas , vel aliqua alia cauſa legitimæ neceſſitatis ipſos excuſet : & tunc quæ ſuper fuerint, in eleemoſynam pauperibus tribuantur.

XVI. *Monachis ante Primam & poſt Completorium exire non licere.*

Statuimus item , quod Monachis nullatenus detur licentia ante Primam exeundi , & ſimiliter poſt completorium , niſi ex cauſa valde rationabili & neceſſaria , utpote ſi contingat ipſum extra Monaſterium ſuum in aliquo loco Divinum officium celebrare , vel in obitu parentum , fratrum vel ſororum.

XVII. *Monachis cum venia exeuntibus quid curandum.*

Item ſi contingat Monachum ante Veſperas exire de licentia , ita maturet redire , quod in Divino officio illa hora eſſe poſſit.

XVIII. *De carcere Monaſterii.*

Statuimus etiam , quod quodlibet Monaſterium ſuum carcerem habeat , in quo delinquentes regulariter puniantur.

XIX. *Mulierem intra ſepta Monaſterii maſculini dormire non licere.*

Statuimus item , quod nulla mulier dormire debeat intra immunitionem : & ſi factum fuerit , ille , qui eſt in culpa , graviter puniatur.

XX. *De Monachorum capitulo, quot annis celebrando Coloniæ.*

Item ſtatuimus , quod omnes Abbates nigri habitus ordinis B. Benedicti noſtræ Diœceſis , ſingulis annis in exaltatione Sanctæ Crucis capitula Coloniæ teneant , vel apud Sanctum Pantaleonem , vel apud S. Martinum , ut ibidem obſervantia regulæ cum diſcretione tractetur , & de ſtatutis noſtris , qualiter in quolibet Monaſterio obſerventur , & aliæ utilitates Monaſteriorum : & quicunque ipſorum Abbatum ad capitulum venire neglexerit , nec excuſationem in capitulo legitimam oſtenderit , ſecundum coercitionem regulæ puniatur. Et volumus , quod Abbates S. Pantaleonis & S. Martini Colonienſis iſta capitula ſingulis annis fieri procurent a nobis , ita quod nullus valeat excuſari.

XXI. *De raſura Monachorum.*

Item præcipimus , quod Monachi in raſura Coronarum & Tonſura capillorum ita decenter & regulariter ſe habeant , quod ſuper his non valeant reprehendi.

XXII. *De lectis Monachorum.*

Statuimus item , quod Monachi non dormiant in lectis plumeis , ſed in culcitris , ſecundum quod regula mandat.

XXIII. *Monacho absenti non deberi præbendam.*

Item ſtatuimus, ne aliquis Monachus rediens, qui abſens fuerat de licentia & ſine licentia, aliquam præbendam tempore ſuæ abſentiæ requirat, quia illa eſſet occaſio proprium habendi.

XXIV. *De Jejuniis Monachorum.*

Statuimus item; quod Monachi Jejunia ſua obſervent, ſecundum quod regula præcipit.

XXV. *Officiariis Monachorum qualis incumbat facienda ratio.*

Statuimus & quod Monachi officiarii ad minus ſemel in anno in præſentia Abbatis & Seniorum, computationem vel legitimam rationem faciant. Et ſi quid ultra ſuorum officiorum adminiſtrationem ſuperfuerit, de hoc nihil per ipſos Monachos, ſed per Abbatem & Superiores ſui Conventus, ad ſui Monaſterii utilitatem ordinetur.

XXVI. *Monachos nuptiis intereſſe non debere & quibus exequiis poſſint.*

Item ſtatuimus, quod Monachi nuptiis nullatenus interſint: nec exequiis, niſi parentum, fratrum vel ſororum.

XXVII. *Quod non offerant ad Altare.*

Item præcipimus & ſtatuimus, quod nullatenus offerant ad Altare.

XXVIII. *In aliis mandatur regula obſervari.*

Quæcunque autem de interiori pariter, & exteriori clauſura Monaſterii, & immunitatis Monaſticæ regula præcipit, quæcunque in horis & locis debitis & conventu ſervando, regula ipſa præcipit: nec non quod de cantu Divini officii, profeſſione quoque facienda, aliisque obſervantiis præcipiuntur in regula, ubicunque hæc hactenus ſunt ommiſſa, revocari in ſtatum debitum per Abbates, & ſervari deinceps more & modo debito ſtatuimus & mandamus. Alioqui negligentiam hujusmodi cum pœna canonica requiremus. Hæc ad præſens ſtatuimus, ſalvo nobis, quod ſi aliqua occurrerint in poſterum, opus habentia correctionis, & reformationis remedio, ea loco & tempore ſtatuimus, & prout expediens fuerit, ordinabimus. Datum & pronunciatum quarto Idus Martii, anno Domini milleſimo decenteſimo ſexageſimo.

Ex editione Statutorum Colonienſis Eccleſiæ 1478. 1492. 1554. *Deſcripſere Synodographi.*

Hardouinus Tomo VII. Concil. pag. 523.

CONCILIUM PROVINCIALE MOGUNTINUM
A WERNHERO, MOGUNTINENSI ARCHI-EPISCOPO, CELEBRATUM
Anno Chriſti MCCLXI. Alexandri IV. Papæ VII. Interregno magno Germaniæ.

CANONES LIV.

I. *De Hæreticis.*

EXcommunicamus ante omnia, & anathematiſamus univerſos hæreticos, quibuscumque nominibus cenſeantur; facies quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem colligatas, qui de vanitate convinciunt in idipſum, dampnati vero per Eccleſiam, ſæculari judicio relinquuntur animadverſione debita puniendi. Clericis vero a ſuis Ordinibus degradandis . . . . de ipſis hæreticis, poſtquam manifeſte deprehenſi fuerint, vel convicti, ad emendationem redire voluerint, ad agendam condignam pœnitentiam in . . . . carcere recludantur. Creditores quoque ipſos, quos ſimiliter . . . . . . receptores, defenſores, fautores, excommunicationi eorum decernimus ſubjacere, firmiter ſtatuentes; ut Epiſcopi per Diœceſes ſuas diligentius . . . . . . ad exterminandam hæreticam pravitatem, ſervatis circa ipſos hæreticos, & bona

& bona ipforum, Romanorum Pontificum, & Imperialibus conftitutionibus, nec non & ftatutis Concilii Moguntini, noviffime celebrati.

II. *De vita & honeftate Clericorum.*

Clerici officia, vel commercia fecularia non exerceant, maxime inhonefta; tabernas prorfus evitent, nifi forte caufa neceffitatis in itinere conftituti: choreis, & publicis fpectaculis non interfint: coronam, & tonfuram habeant competentem, ad quod per Prælatos fuos per fubtractionem officii, vel beneficii compellantur, & fi Prælati ipforum in his defides fuerint, & remiffi, per Epifcopum fuum, vel Metropolitanum, fi Epifcopus negligens fuerit, a fuis dignitatibus fufpendantur; & ut Clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter & cafte vivere ftudeant univerfi, præfertim in facris ordinibus conftituti, quatenus in confpectu Omnipotentis Dei puro corde, & mundo corpore, valeant miniftrare: quicumque autem propter vitium incontinentiæ a Prælato fuo fufpenfus, præfumpferit celebrare Divina, non folum Ecclefiafticis Beneficiis fpolietur, verum etiam pro duplici culpa perpetuo deponatur; nec credat aliquis, poffe per alium cum talibus celebrantibus, nifi per Romanum Pontificem difpenfari.

III. *Ut Sacramenta reverenter miniftrentur.*

Et ut Sacramenta Ecclefiæ mundius & reverentius miniftrentur, priori Concilio inhærentes, ftatuimus: ut Sacerdotes Baptismum, Oleum infirmorum, feu Viaticum, camifiis miniftrantes albis, vel fuperpelliciis fint induti, quæ penes altare referventur, & in eundo, redeundo, cum infirmos vifitant, pariter & in Miffa eis utantur.

IV. *De Baptifmo.*

Baptifmus cum reverentia fumma celebretur, maxime in diftinctione & prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus confiftit, iis fcilicet: *Ego Baptifo te in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Doceant Sacerdotes tam mares, quam fœminas in neceffitate debere parvulos baptifare eadem forma in fuo idiomate, & quod patres & matres proprios infantes, fi fumma neceffitas exigat, poterunt baptifare, & fi Sacerdotes fuper hoc requirentes diligentius, debitam formam in Baptismate fervatam invenerint, quod factum eft, approbent, fupplentes etiam baptifatum, quoad unctionem olei in pectore, & in fcapulis, & Chrismatis in vertice, quod a laicis eft obmiffum: fi autem in Baptismate debitam formam non invenerint obfervatam, non differant baptifare. Tres ad fufcipiendum de facro fonte puerum, propter impedimenta Matrimonii, admittantur. Item ftatuimus, ut in cunctis Ecclefiis Baptisma, Chrisma, Oleum & Euchariftia fub fideli cuftodia, clavibus adhibitis, conferventur: ne poffit ad illa temeraria manus extendi. Palla quoque Altaris, corporalia & veftimenta miniftrorum munda & nitida conferventur. Nimis enim videtur abfurdum negligere in facris, quæ deceant in prophanis.

V. *De infirmis.*

Diaconi, vel inferioris Ordinis Clerici ad Infirmos Euchariftiam deferre non audeant, nifi Sacerdotis abfentia vel alia neceffitas hoc expofcat.

VI.

Sacerdos vero quilibet plebem fuam doceat diligenter, ut cum in celebratione Miffarum levatur Hoftia falutaris, quilibet devote flectat genua fua, vel faltem fe reverenter inclinet, idem faciens, cum eam portat Presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu, fuperpofito velamine, ferat manifefte ac honorifice ante pectus cum omni reverentia, & honore, atque timore: femper nola parvula, lumine, nifi locorum repugnet diftantia, vel temporis qualitas, præcedente, ut ex hoc apud homines fides & devotio augeatur.

VII.

Et quia plerumque infirmus fua confiteri peccata propter multorum præfentiam erubefcit, id a Sacerdotibus diftricte præcipimus obfervari, ut prius familiariter & fecrete audiant confeffionem ipfius, fi moræ periculum non obfiftat, & poftea ad eum Euchariftiam more deferat prætaxato.

VIII. *De pœnitentia.*

In Confeffionibus audiendis maxime adhibeant diligentiam Sacerdotes, ita ut pœnitente ufitata peccata figillatim & communia, inufitata vero tantum per quafdam circumftantias caute perquirant;

ne inexpertis detur materia, quod ante nescierant, perpetrandi. In eminentiori loco Ecclesiæ sedeant, ut suspicione careant, dum confessiones audiunt, & patienter in Spiritu lenitatis audiant confitentem.

In satisfactionibus injungendis majoribus majora reservent, sicut horrenda sacrilegia, peccatum contra naturam, incestus Virginum, injectiones manuum, in parentes, & fractiones votorum, & hujusmodi: caveat autem omnino Sacerdos, ne verbo aut signo, aut aliquo modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiorum consilio indigeret, absque omni expressione personæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus; verum & ad agendam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum. Verum quia quidam Confessorum, & si peccatum confitentis non exprimant, circumlocutionibus tamen confitentium, & peccati circumstantias, sub quodam generalitatis vocabulo indirecte publicant confitentem, Concilium proxime celebratum clarius elucidando, statuimus: ut nullus Sacerdos expressa Religione, ordine, seu statu, alicujus peccatum recitet confitentis, imo nec peccati qualitas, locus, seu vicinia perpetrati facinoris specificetur ullo modo, cum ex hujusmodi circumlocutionibus & indiciis, auditoris industria peccatum interdum eliciat peccatoris, & ex specificatione peccati fragilitas ad perpetrandum similia forsitan provocetur. Sciat autem tria peccata, quæ in satisfactionibus injungendis sunt Domino Apostolico reservanda, scilicet: in Clericos, vel in quoscumque Religiosos injectio manuum violenta, Ecclesiarum vel Religiosorum locorum incendia & simonia in ordine perpetrata: in aliis vero peccatis minoribus secundum quantitatem culpæ, & confitentis possibilitatem, satisfactionem temperent Sacerdotes.

In furto, usura, rapina & fraude, ante omnia injungant pœnitentibus, ut si possint, ablata restituant, alias nulla valebit eis satisfactio ad salutem, cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Prohibemus etiam ne quis Sacerdos ab uno sibi confitente de aliorum peccatis, nominibus expressis inquirat, & ne Missas, quas pœnitentibus procurandas injunxit, ipsemet celebrare præsumat, & ne pro vivis fiat aliquod tricennale, vel annuale; quia reconciliationis Mysterium vilipenditur a plerisque, eo quod ad reconciliationem passim quilibet admittatur districte præcipimus: ne quisquam ad reconciliationis Beneficium de cœtero admittatur, nisi litteras plebani sui, vel Sacerdotis exhibeat, continentes utrum pœnitentiam sibi injunctam, vel saltem partem ejus peregerit, vel utrum vere pœnitens videatur: nec ad reconciliationem recipiantur aliqui nisi vestem & tonsuram habeant solemniter pœnitentis & ex his utrum vere vel perfecte pœniteant, cognoscantur.

IX. *De sepulturis.*

Sacro etiam approbante Concilio, universos Sacerdotes Ecclesiarum Parochialium, vel Capellarum Ministros excommunicationi decernimus subjacere, quicumque alicui de plebe sua, sive in vita, sive in morte, directe vel indirecte persuadere præsumpserit, ne in Ecclesiis Conventualibus, vel aliis locis magis Religiosis, sibi eligat sepulturam, cum talis persuasio Sacris Canonibus contradicat, & de avaritiæ radice procedat.

X. *De Matrimonio.*

Matrimonium, secundum quod Concilio novissime celebrato statuimus, cum omni reverentia & honore in conspectu Ecclesiæ celebretur, & cum Matrimonium fuerit contrahendum, per Presbyteros in Ecclesiis tribus diebus Dominicis aut festivis a se distantibus publice proponatur; ut si quidem impedimentum Matrimonii contrahendi noverint aliqui, illud infra terminum competentem ab ipsis Presbyteris præfigendum, in facie Ecclesiæ, sine difficultate revelent; excommunicationis quoque sententia in genere proferatur in omnes hujusmodi impedimentum celantes, a qua sine satisfactione debita, nullatenus absolvantur: & si qui tempore hujusmodi denuntiationis præsentes fuerint, & impedimentum celaverint, postmodum nec ad excusationem, nec ad testimonium contra ipsum Matrimonium admittantur.

XI. *Ut Episcopi verbum Dei proponant.*

Antiquum statutum Moguntini Concilii renovantes, præcipimus: ut Episcopi summis Festivitatibus populo Verbum Dei proponant, vel, se præsentibus, per alios ad hoc idoneos proponi faciant, indulgentiam populo, Missamque in eisdem Festivitatibus in Ecclesiis Cathedralibus celebrent, nisi magna necessitate fuerint impediti.

XII. *De cura animarum.*

Prohibemus insuper, ne Episcopi, vel Archidiaconi cuiquam curam animarum permittant, nisi saltem quartum decimum ætatis suæ annum peregerit, & ad hoc ipsum sine dispensatione Episcopi ex justa causa, & necessitate præcedente, nullatenus admittatur, aliter investitura non valeat. Prohibemus insuper, ne illiteratis, & in minoribus Ordinibus constitutis, animarum Regimen committatur, huic etiam adjicimus sanctioni, ne quemquam investiant loco . . . præsentatum: Episcopus autem, si contra fecerit, ab ingressu Ecclesiæ, Archidiaconus vero ab officio hujusmodi facti auctoritate Concilii sit ipso facto suspensus, quæ suspensio citra satisfactionem debitam minime relaxetur.

Si quis vero Clericus Episcopo suo, vel Archidiacono se offerat, tanquam nomine proprio præsentatus, ... ab officio similiter sit ipso jure suspensus, & si convictus fuerit, Prælato suo taliter illusisse, omnibus beneficiis per Episcopum suum, sine restitutionis spe, in perpetuum spolietur.

XIII. *Ne Clerici vel Monachi colligationes faciant.*

Excommunicamus præterea Clericos, Monachos, & Canonicos universos, qui colligationes sive confœderationes fecerint, vel fidei, vel juramenti interposita cautione, sive in electionibus faciendis, sive pro aliis quibuscumque negotiis, contra Canonicas Sanctiones; cum ex his colligationibus suboriantur discordiæ, quæ Ecclesiasticam disciplinam, bona Ecclesiarum dissipant, & pericula procurant animarum, volentes ex fœderatione hujusmodi neminem obligari. Eadem quoque excommunicationis sententia innodamus eos, qui conjurationes sive confœderationes tales fecerint, sine difficultate & dilatatione qualibet, quousque invicem se absolvant; & quicumque detecti fuerint confœderationes hujusmodi acceptare, si Monachi, vel Canonici fuerint, regulariter de suis Monasteriis tamquam membra putrida excludantur: si Clerici sæculares, officiis & beneficiis in perpetuum spolientur.

XIV. *De fundatione Ecclesiarum.*

Prohibemus etiam, ne Religiosi, vel alii quilibet, Ecclesias de novo fundare, & fundatas transferre sine Episcopi Diœcesani licentia, & sine Primarii lapidis benedictione, præsumant, aliter fundata Ecclesia diruatur, & is, qui fundavit, si Clericus existat, vel Monachus ab officio suspendatur; alia pœna nihilominus juxta superioris arbitrium puniendus: si laicus fuerit, usque ad satisfactionem condignam excommunicationis vinculis innodetur.

XV. *De Altaribus.*

Altaria superflua per Ecclesias Parochiales omnino tollantur, cum singulis Ecclesiis, non Conventualibus, ad plus tria sufficiant; nec altare aliquod de novo fiat, nisi Episcopo permittente, ac tantum eidem altari in proventibus assignetur, ut saltem lumina habeat competentia.

Hujus præsentis auctoritate Concilii declarantes: quod Episcopus primarium lapidem benedicere, & in fundamento locare, in persona propria teneatur, nec benedictionem lapidis, seu positionem ejusdem debeat alii, quam Episcopo, demandare.

XVI. *De Jure Patronatus.*

Ad omnem quoque dubitationis, seu quæstionis materiam amputandam statuimus: ut si quis prædium suum, cui jus attinet Patronatûs, cuiquam obligaverit indistincte, jus præsentandi apud ipsum obligantem resideat, cum tale jus æstimari non possit, & quod in sortem nequeat computari, cum semper fructus rei pignoratæ in sortem debeant computari juxta Canonicas & legitimas Sanctiones. Renovantes etiam Concilium, quod novissime celebravimus, firmiter prohibemus: ne Episcopi, vel Archi-Diaconi, concessionibus Ecclesiarum, quæ fiunt a Templariis, vel aliis Religiosis quibuslibet, approbationis consensum ullo modo adhibeant, nisi requisi-

to prius, & habito consensu Capituli Ecclesiæ Cathedralis, aliter concessiones hujusmodi sive factas, sive de cætero faciendas, vires decernimus non habere.

XVII. *De Quæstuariis & Clericis vagabundis.*

Quia per Prædicatores Quæstuarios gravia plerumque scandala sunt exorta, sacra approbatione Concilii, prohibemus districte: ne in Ecclesiis admittantur; Clerici vero, qui eos admittunt, ab officio & beneficio, donec satisfaciant, suspendantur: si autem Episcopalis provisio aliquos prædicatores hujusmodi, causâ necessariâ, in sua Diœcesi duxerit admittendos, non permittantur aliquatenus, cum per vicos transeunt, pulsare campanas, aut præsentare Reliquias, vel in Ecclesiis prædicare, sed Sacerdotes pro illis loquantur causam adventus ipsorum, Episcopi Diœcesani litteras, sine quibus admitti non debent, populo breviter exponendo.

Et quia plerique falsarii se litteris Apostolicis, & aliorum Prælatorum testimoniis, asserunt esse munitos, hoc sanctum decrevit Concilium: ne tales, qualiacumque scripta deferant, a Clericis, vel quibuslibet aliis personis Ecclesiasticis recipiantur in Ecclesiis, vel in domo, nisi prius ipsorum litteræ per Episcopum Diœcesanum, si copia possit haberi ejus, alioquin per Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, examinatæ fuerint diligenter, & nisi Episcopi, vel Capituli litteris testimonialibus sint muniti, & hoc ideo, quia per Sacerdotes simplices non potest de facili litterarum veritas vel falsitas indagari. Sane quæcumque persona Ecclesiastica citra hanc formam tales receperit, ipso jure, ab officio & beneficio per triennium sit suspensa, aliâ pœnâ nihilominus juxta superioris arbitrium punienda. Illud quoque, præsentis auctoritate Concilii, huic Capitulo duximus annectendum, ut si tales sine dictis litteris testimonialibus petitiones suas præsumpserint promovere, Plebani civitatum, & villarum, ac alii, ad quos venerint, eos cum rebus eorum per sæculare judicium, si alias detineri non possint, non dubitent occupare, Diœcesano, seu Archi-Diacono, præsentandos.

Clerici, & vagabundi, quos vulgus *Eberhardinos* vocat, quorum vita Deo odibilis, etiam Laicos scandalisat, priori inhærentes Concilio, a Clericis vel Personis Ecclesiasticis recipi prohibemus, firmiter statuentes: ne aliquid dent iisdem: nolumus tamen, ut hujusmodi occasione statuti Concilii, vel Scolares pauperes, quos quando justa eos necessitas peregrinari compellit, a caritatis operibus excludantur: dummodo tamquam pauperes eleemosynam & hospitium sibi postulent intuitu Divinæ remunerationis impendi, cum necessitatis tempore, sine personarum delectu, omnibus sit eleemosyna impendenda; adjicientes: quod *Eberhardini* præfati qui vitam ducunt reprobam, & infamem, ne ad sacros Ordines vel Ecclesiastica Beneficia, ut nostrum non vituperetur Ministerium, aliquatenus admittantur; nisi per longam morum emendationem ac honestam vitæ conversationem; Diœcesani judicio moderandam, temporis anteacti inventi fuerint infamiam expiasse, & tunc dispensative ad sacros ordines & Ecclesiastica Beneficia eis aditus concedatur.

XVIII. *Ne Judices Ecclesiastici sæcularibus se immisceant.*

Huic adjicimus sanctioni, prioris statuta Concilii sectantes: ne Prælati, vel quilibet Judices Ecclesiastici, de causis, quas Laici habent ad invicem, se nullatenus intromittant, nisi tales sint causæ, quas ad forum Ecclesiasticum non sit dubium pertinere: ne ex hoc sæculare, quod est valde incongruum, enervetur.

XIX. *De bonorum Ecclesiasticorum administratoribus.*

Illud etiam statutum Concilii Maguntini innovamus: quo Præpositi, Archi-Diaconi, Ebdomadarii, seu quicumque administrationem fratrum extrinsecam exercentes, quantitate debita, & statuto tempore, stipendia sua fratribus amministrent, alioquin competenti ammonitione præmissa, dum majori & saniori parti Capituli visum fuerit, autoritate, Concilii, omni cessante favore, vel odio, fratres abstineant a Divinis, eo quod nemo cogitur suis stipendiis militare, & si Præpositi, vel alius administrator quilibet, post suspensionem hujusmodi Divinorum usque ad XIV. dies in pertinacia sua perstiterit, ex tunc ab amministrationis officio sit ipso jure

jure suspensus, passurus nihilominus correctiones alias approbatas; quæ amministratio apud fratres usque ad satisfactionem condignam residebit, & si Præpositi vel amministratores alii, dispensatione hujusmodi vilipensa, de amministratione se intromiserint, per Episcopum suum gravius puniantur.

Prohibemus autem, ne unus Canonicus Divinum officium valeat impedire, vices suas denegans propter prebendæ suæ defectum, sicut in quibusdam Ecclesiis fieri consuevit, cum satis ex priori statuto hujusmodi casibus sit provisum.

Interdicimus etiam prioris Concilii statuta sectantes, ne amministratores hujusmodi, de rebus ad eorum amministrationem pertinentibus, sine consensu majoris & sanioris partis capituli, quidquam penitus alienare præsumant: verbo autem alienationis, donationis, venditionis, obligationis, permutationis & Emphyteuseos; perpetuum contractum nolumus comprehendi; & si quid contra factum fuerit, irritum decernimus & inane; Foresta quoque nemorum secari non faciant sine fratrum consilio, & assensu, quod si fecerint, in usum fratrum pretium convertatur: Abbas vero vel Officialis cujuscumque Monasterii, si de rebus Ecclesiæ suæ quicquam citra formam Canonicam alienare præsumpserit, ipsum superior, cum id ei certis claruerit argumentis, a suo in continenti deponat officio, nec de cætero ad diligentiam aliquam, vel amministrationem Ecclesiasticam, admittatur nisi secum sit per Episcopum loci misericorditer dispensatum; auctoritate præsentis Concilii decernentes; Ut in mutuo contrahendo, nec non in obligatione immobilium Sacri Canones observentur, qui eos creditores tantum approbant, qui probant mutuum in utilitatem Ecclesiæ cessisse.

XX. *De causis Matrimonialibus.*

Causas Matrimoniales nullus Sacerdos, Archi Presbyter vel Plebanus, sine speciali mandato Episcopi, audire præsumat, aliter ejus sententia vel processus, nullam obtineat firmitatem, & ipse transgressor durissime puniatur.

XXI. *Prædam ne quis emat.*

Nullus etiam prædam aliquam scienter emere, vel tenere præsumat, alioquin, nisi ipsam restituat, excommunicationis sententia percellatur.

XXII. *De Claustris Monialium.*

Claustra Monialium nullus Clericorum, vel etiam Monachorum, sine causa honesta & bono testimonio introeat, alioquin Prælatus suus ipsum debitæ subjiciat ultioni; neque Moniales de suis egrediantur Monasteriis, nisi Monasteriorum necessitas id exposcat, & velatæ incedant: illis autem tantum ob hanc causam liceat ingredi, quibus amministratio est commissa, vel qui a superiori hoc acceperunt in mandatis: hæc quidem de illis, & his monialibus, quæ clausæ sunt, intelligi volumus, cum illis omnino exire non liceat: & non de illis, quæ sine clausura vitam consueverunt ducere laxiorem.

Statuimus insuper, ut in singulis Monasteriis fenestræ parlatoriæ duplicata habeant ferramenta, & ut Moniales suis Præpositis & Prælatis in rebus licitis & honestis obediant, nec cuiquam alii, præter earum Præpositi licentiam, sua confiteantur peccata: Ipsi autem Præpositi nullo modo introeant, nisi magna & evidens necessitas id exposcat.

XXIII. *De Monachis & Monialibus, eorumque Abbatibus, seu Abbatissis.*

Conpaternitatem a Monachis, vel Monialibus contrahi districte prohibemus, statuentes: ut si aliqua claustra Monialium ad inopiam tantam devenerint, quod ibi de proventibus Monasterii sustentari non possint, & ab amicis panis, vinum, denarii, vel alia hujusmodi transmittantur eisdem, non hæc prius recipiant, quam Abbatissæ, vel Magistræ suæ significaverint, ut ejus arbitrio, quid de hoc, quod missum est, fieri debeat, statuatur, & labores eorum veniant in commune, quod & de Monachis irrefragabiliter volumus observari.

Statuimus etiam, juxta Concilium proxime celebratum, ut Monachi, & alii Religiosi quilibet alterius coloris vestibus, quam eorum ordini congruat, non utantur, seu cottidianæ, seu pluviales, existant: Monasteria Sanctorum Augustini, & Benedicti, ad observatio-

nem suæ Regulæ efficacius reformentur; prohibemus districte, ne quis Abbas vel Abbatissæ duas habeat Abbatias, & nulli Monacho vel Moniali duo officia in Monasterio assignentur, nisi Abbatis providentia de consensu Capituli propter evidentem necessitatem vel utilitatem Monasterii aliter duxerit ordinandum.

Nullus Monachus in Abbatem, vel ad aliquod officium, nisi dudum professus fuerit, assumatur, & si qui jam aliter sunt assumpti, a suis removeantur officiis, & alii substituantur eisdem, quod & de Monialibus decrevimus observandum; hoc priori *Concilio* in non Professorum odium adjungentes, ut cum juxta decretum *Pelagii* Abbas sit a Monachis eligendus, nullus omnino non professus, quantacumque temporis diurnitate in Religione duraverit, ad electionem Abbatis nullatenus admittatur, nec ei valeat suffragari sive de facto, sive de consuetudine una cum ceteris Monachis ad alios tractatus Ecclesiæ antea sit admissus.

Novitii jam adulti, si post annum probationis, in manu Abbatis facere professionem recusaverint, de Monasterio expellantur, quod & de Monialibus observetur. Nullus Monachus, vel Monialis, in duobus Monasteriis locum habeant, vel prebendas: Item, quidquid Monachus, vel Monialis habeat, undecumque provenerit, suis apparare usibus non præsumat; sed totum in communes usus Monasterii redigant. Nullus Monachus, vel Monialis proprium quid habeat, & si proprium habuisse, in morte fuerint deprehensi, Ecclesiastica carebunt sepultura, & qui sepulti fuerint, inde exhumentur. Si qui vero ipsorum ad mandatum sui Prælati propriis renuntiare noluerint, de Monasterio expellantur. Ludos alearum, chorearum, scacorum, taxillorum, annulorum, globorum, Monachis, & Monialibus, prohibemus districte. Item Monachi, & Abbates, mantella, vel sorcotos non portent, nec pannos de nigro bruneto, vel alios pretiosos, sed quanto possit haberi pretii vilius, juxta quod præcipit Regula eorundem.

Abbates, & Abbatissæ, in communi dormiant Dormitorio cum Monachis, & Monialibus suis, & in Refectorio communi vescantur cibo, nisi quando justa necessitas propter magnos & honestos Hospites id minime observari compellat. Item, tam Abbatibus, quam Monachis, vulpina pellicula, & de kuniculis prohibemus, sed agninis tantummodo utantur. Item, Monachi calceos, qui æstivales dicuntur, non habeant, sed alios suæ Regulæ competentes. Item, Abbates cappas rotundas ad modum Episcoporum in usu cottidiano non portent; sed cum manicis, ut ipsorum ordo postulat & requirit; nec ipsi, nec Monachi, qui equitant, mantella deferant super cappas, quas clausas fore censemus; Hoc etiam statutum lucidius declarantes statuimus: ut tam Monachi, quam Abbates, in cappis nigris equitent & rotundis, vel in habitu usitato.

Insuper prohibemus districte: ne occasione qualibet sæculares personæ domos, vel habitacula sua faciant juxta Monasteria Monachorum, quia frequenter ex hoc contra Monachos sinistra suspicio est exorta, nisi forte aliter pro causa omni suspicione carente, id de consensu & auctoritate Diœcesani Episcopi permittatur: Abbas vero, qui contra hæc fieri consenserit, gravi subjaceat ultioni. Item, Abbas nullum Monachum alterius Monasterii, sine litteris dimissoriis proprii Abbatis, in suo Monasterio recipere vel tenere præsumat. Item, Monachi carnibus in Refectorio non vescantur, nisi in infirmaria, cum ægrotant. Item, quicumque Monachus in lapsu carnis ceciderit, de quo fuerit manifestum, ad nullam dignitatem, nec ad aliquod officium Monasterii assumatur, nisi per manifestam emendationem & honestam, ac Religiosam conversationem ipsius, per Diœcesanum Episcopum secum fuerit misericorditer dispensatum; eidem quoque pœnæ subjaceat, si de hoc infamatus fuerit, nec canonice potuerit se purgare, & in pœnam sui criminis de cœtero ultimus stet in choro, in Capitulo vocem non habeat, ad aliquam Monasterii ordinationem tractandam, nisi propter emendationem manifestam, Abbatis providentia de consensu Conventus ipsum duxerit admittendum. Si vero Abbas, vel Monachus, in officio constitutus, in similem lapsum ceciderit, a suo statim removeatur officio, quod & circa Præpositum fieri volumus, si de simili

ſimili infamatus fuerit, niſi de hoc canonice ſe expurget, & nihilominus pœnis illis ſubjaceat, quæ de ſimplici Monacho ſuperius ſunt expreſſæ; Idem de Abbatiſſis & Monialibus ſtatuimus obſervandum, & hæc omnia, quæ ſtatuta ſunt de Monachis circa continentiam, proprii abdicationem, & ſimilia ad Canonicos volumus Regulares extendi, licet ad eſum carnium, & quædam alia Regulæ inſerviant laxiori. Item præcipimus Abbatibus, Abbatiſſis, nec non & aliis omnibus Monaſteriorum Rectoribus, ut ſubditis ſuis ſecundum uniuscujusque Monaſterii facultatem tam in victu, quam in veſtitu neceſſaria amminiſtrent.

Item, juxta prioris ſtatuta Concilii, prohibemus: ne mulierculæ, quæ votum continentiæ emiſerunt, mutantes habitum ſæcularem, nec tamen aliter certæ Regulæ ſe adſtringentes, per vicos paſſim diſcurrant; ſed ſi propriæ eis competant facultates, continenter in ſuis vivant domibus, & honeſte: ſi vero ſunt pauperes, manuum ſuarum laboribus, & honeſtis ſervitiis, neceſſaria ſibi quærant, plebanis ſuis ſint ſubditæ, & conſilio eorundem regantur. Ad hoc: quia juvencularum Beginarum lapſus frequens & evidens, ſtatum Religionis deformat & plurimos ſcandaliſat, ſtatuimus: ut nulla de cætero in earum numerum admittatur, niſi XL. ætatis ſuæ annum exceſſerit, & probatæ opinionis exiſtat; ſexagenarium numerum, quem præſcripſit Apoſtolus, talibus aſſumendis, propter fragilitatem noſtri temporis, ad quadragenarium reſtringentes. Sub pœna anathematis prohibemus: ne Clericus, vel Religioſus quampiam domum introeat earundem; ſed ſi quis ex juſta cauſa & honeſta cuiquam earum loqui voluerit, hoc in Eccleſia ſub bono teſtimonio faciat manifeſte, ne ſiniſtra contra ipſum ſuſpicio oriatur.

XXIV. *De Beneficiis Eccleſiaſticis.*

Cum Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferri debeant, & quidam Eccleſiarum Patroni, perſonis idoneis prætermiſſis, tales ad ea promoveant, qui portione quantalibet debeant eſſe contenti, reliquum ſuis uſibus totaliter applicando; verum ad hujus mali perniciem exſtirpandam ſtatuimus, quod ſi tales Clerici ſe portione debita ſpoliari videntes, ad Epiſcopum ſuum querelam non detulerint, auctoritate hujus Concilii ſint ipſo jure ſuſpenſi, & nihilominus eisdem Eccleſiis ſpolientur per Epiſcopum: ſi vero ad ſuperiorem ſuper hoc detulerint querelam, ipſe per cenſuram Eccleſiaſticam ab hujusmodi moleſtatione compeſcat; adjicientes nihilominus, quod ſi in hoc pertinax Patronus exſtiterit, ad præſentationem, cum proxime vacaverit, nullatenus admittatur.

Et quia Eccleſiarum Rectores Vicariis ſuis relinquunt adeo exiguam portionem, quod ex ea nequeunt ſuſtentari, generali Concilio inhærentes ſtatuimus, ut ipſis Vicariis ſufficiens & honeſta portio de proventibus Eccleſiæ aſſignetur, alioquin ipſos Rectores ſuis decernimus Eccleſiis ſpoliandos.

XXV. *De uſuris.*

Contra uſurarios juxta ſtatutum Lateranenſis Concilii procedatur, ut ſi notorius fuerit ipſorum exceſſus, ſine diſtinctione, Eccleſiaſtica careant ſepultura, nihilominus ipſorum hæredibus ad reſtituendas uſuras per cenſuram Eccleſiaſticam compellendis. Si qui autem tales ſepelire præſumpſerint, ſuis beneficiis ſpolientur. Excommunicationis ſententia ſingulis diebus ſollempnibus proferatur in omnes, quicumque uſuras de cetero præſumpſerint exercere; hoc priori Concilio adjungentes: ut ſi notorii uſurarii, demum in ægritudine conſtituti, abſolvi deſiderent, nullatenus audiantur, niſi primitus ſatisfaciant, vel hæredes tales habuerint, per quos pro eis ſatisfiat, in quantum poſſibile fuerit, de uſuris.

XXVI. *De confeſſione & jejunio obſervandis.*

Sacerdotes frequenter moneant plebem ſuam, ut in initio Quadrageſimæ ad confeſſionem veniant, & ſaltem in Reſurrectione Domini recipiant Corpus Chriſti, ſi velint inter Catholicos reputari.

Ad hæc etiam prohibemus, ne quis adultus pariter & diſcretus ordinaria & ſtatuta jejunia, ut quadrageſimalia, & quatuor temporum, & vigiliarum præſumat infringere, & hujuſmodi neceſſaria jejunia prætextu votivi & extraordinarii jejunii violentur, cum tale damnum tali lucro Deus nolit compenſari.

pensari. Inhærentes etiam priori Concilio, quorundam consuetudinem reprobamus, qui sextam feriam violant, sabbato, quarta feria, vel die alia in Ebdomade jejunantes, hoc de cœtero fieri hujus sacri auctoritate Concilii firmiter prohibemus.

XXVII. *Ne bona Ecclesiæ in Concubinarum usus cedant.*

Clericus de proventibus anni gratiæ, vel alias de rebus Ecclesiæ acquisitis Concubinæ suæ, vel filiis ex fornicatione genitis, quicquam penitus non relinquat: quod si fecerit, legatum non teneat, & quod taliter est relictum, Ecclesiæ applicetur.

XXVIII. *In quibus casibus Clerico patrocinari liceat.*

Item, cum Sacerdotis sit nulli nocere, omnibus autem velle prodesse, districte præcipimus; ne Presbyteri, nisi pro se ipsis, Ecclesia sua, vel si necessitas imminet, pro personis convictis, & miserabilibus, & Dominis suis, & tunc gratis & sine questu quolibet patrocinari præsumant: alias a patrocinio repellantur, quod multo fortius ab Ecclesiarum Prælatis volumus observari.

XXIX. *De Præbendis.*

Item, nullus in Canonicum eligatur beneficio non vacante, nisi justa necessitas, vel utilitas Ecclesiæ id postularit, & tunc unum tantum, & non plures assumi permittimus: & is qui taliter assumptus fuerit, statim ad residentiam compellatur. Si quis contra hoc statutum aliquos, vel successive, vel simul elegerit, quod factum est, ipso jure non teneat, & Episcopus ad tot prebendas potestatem habeat eligendi, quot personæ sic fuerint assumptæ: hujus autem auctoritate Concilii statuentes: ut ante receptionem personæ in Canonicum assumendæ, personæ necessitas & utilitas ex receptione ejus secutura primitus exponatur loci Episcopo, ne per subreptionem astutiæ, in fraudem hujus Concili, aliquæ acceptentur.

XXX. *De Sortilegis.*

Excommunicamus, & Anathematisamus omnes Sortilegos, & firmiter prohibemus; ne ab alio, quam a suo Episcopo, nisi forsan in mortis articulo, absolvantur, & hanc Excommunicationis sententiam singulis diebus Dominicis & festivis per Sacerdotes in eorum Ecclesiis & Capellis præcipimus publicari.

XXXI. *Ut Festum Conversionis S. Pauli solempniter celebretur.*

Cœterum quia Beatus Paulus vas Electionis & Doctor Gentium doctrina sua præ cœteris illuminavit Ecclesiam, & ipsius conversio nostræ fortissimum est Fidei argumentum; statuit hoc sacrum Concilium, ut Festum Conversionis ejusdem, quilibet Episcopus in Diœcesi sua solempniter faciat celebrari.

XXXII. *De qualitate Ordinandorum.*

His omnibus necessario duximus adjungendum, quod nulli illegitime nati ad sacros Ordines, vel dignitates Ecclesiasticas, vel ad aliqua beneficia, quæ curam animarum obtinent, admittantur, nisi per Diœcesanum suum, quo ad ordines, & per Sedem Apostolicam, quo ad dignitates & beneficia, cum eis fuerit misericorditer dispensatum: aliter executione ordinum carent, & dignitatibus ac beneficiis, animarum curam habentibus, spolientur. Peregrini etiam & Clerici ignoti nullo modo recipiantur ad ordines, nisi litteris Episcoporum suorum commendatiis & dimissoriis sint muniti, vel saltem Testimonium habeant Capituli Ecclesiæ Cathedralis.

Nullus quoque de non petendo beneficio ab ordinatore se de præsentatore ipsius cautionem vel promissionem aliquam interponat, quia hoc simoniacum est, & contra Canonicas sanctiones. Et quia Ecclesiarum Reconciliatio dubitari consuevit a multis; præsentis auctoritate Concilii declaramus, quod Ecclesia violata per alium, quam Episcopum, reconciliari non potest, cum ea, quæ Episcopalis ordinis sunt, non nisi Episcopo valeant demandari.

XXXIII. *De casibus reservatis.*

Quia frequenter in pœnitentiis injungendis quidam casus emergunt, qui propter Sacerdotum ignorantiam expediri non possunt, & quod etiam dispensationem Episcopalem requirant; ideo salubriter duximus statuendum, quod

quod Episcopus, eo quod propter occupationes multiplices ejus copia quandoque haberi non potest; unum pœnitentionarium penes se habeat honestum, providum, & discretum: & nihilominus alium instituat in Ecclesia sua Cathedrali; ut saltem ad ipsorum alterutrum recursus in his casibus habeatur, qui etiam in illis casibus, in quibus Episcopi dispensandi obtinent facultatem, ipsorum auctoritate dispensent. Archi-Diaconi quoque & Archi Presbyteri, & Plebani, suis subditis Presbyteris in Provinciali judicio districte injungant; ut in casibus memoratis, sive occulti, sive manifesti existant, recursum habeant ad pœnitentiarios supradictos, opportunum ab eis consilium requirentes.

XXXIV. *Ut Episcopi suos carceres habeant.*

Ad hæc statuimus: ut singuli Episcoporum suos carceres habeant juxta Ecclesiam Cathedralem, in quibus falsarii Clerici, vel Monachi incorrigibiles, & Apostatæ, & alii, qui hoc meruerint; ad quod efficacius exequendum, aliæ Ecclesiæ, si opus fuerit, consilium conferant & juvamen.

XXXV. *De citationibus.*

Et quia quidam propter potentiam, quidam propter crudelitatem magnam citari non possunt, & quidam in castris habitant, ita quod nulla potest ad eos citatio pervenire; idcirco provida & necessaria deliberatione statuimus: ut contra tales citationis edictum apud Parochialem ipsorum Ecclesiam publice & legitime proponatur; quod si Parrochiales Sacerdotes se citare non posse coram superiore, non simplici vel proprio juramento, sed justis probaverint documentis, in Ecclesia Cathedrali tribus Dominicis diebus continuis publice in ambone citentur, dummodo citandi infra unam dietam sint a Cathedrali Ecclesia constituti: alioquin ad tres quindenas sollemniter evocentur, & ex tunc contra hos, ac si personaliter citati fuerint, procedatur, ne ex malitia commodum valeant receptare: Statutum Concilii novissime celebrati, quantum ad hunc articulum, corrigentes.

XXXVI. *De appellationibus.*

Ecclesia Maguntina, ex rationabili & antiqua consuetudine, obtinuisse dinoscitur, quod causas ad eam per appellationes delatas, subditis suffraganeorum suorum committere valeat, & compellere jurisdictionem hujusmodi recipere detractantes; quæ consuetudo ex his causis noscitur introducta, ut vitetur circuitus, cum per Diœcesanos ad recipiendam delegationem talem compellere possit Metropolitanus Suffraganeorum subjectos: præterea; ut propter distantiam caveatur laboribus partium, & expensis, cum, si non reciperentur delegationes hujusmodi; partes apud sedem Metropolitanam cogerentur personaliter litigare: sacri hujus approbatione Concilii, statuimus: antiquam consuetudinem declarantes, ut sedes Maguntina causas hujusmodi subditis Suffraganeorum valeat delegare & animadvertere in rebelles.

XXXVII. *De Excommunicatis.*

Quia Clerici quidam, & Laici, vinculo Excommunicationis astricti, fiducia finalis pœnitentiæ & absolutionis extremæ Claves Ecclesiæ contemnunt tempore sanitatis; hujus Sancti auctoritate Concilii, statuimus: ut tales in extremis ad Reconciliationis beneficium nullatenus admittantur, duntaxat sub proprio juramento, nisi & aliam idoneam exhibeant cautionem; ut sive moriantur, sive convalescant, ad mandatum Ecclesiæ per se, vel per alios, in quantum possibile est, satisfaciant de commissis.

XXXVIII. *De obedientia Superioribus præstanda.*

Sacro etiam approbante Concilio, statuimus: ut nulli Clerici Nobilium Capellani, in Capellis Castrorum Dominorum suorum celebrare præsumant, seu alia Sacramenta Ecclesiastica, nisi ante Episcopo, vel loci Archi-Diaconi obedientiam faciant manualem, ad Synodum veniant, & capitula certis temporibus & statutis recepturi, mandata Ecclesiastica perferant suis Dominis & eorum castrensibus, secundum quod fuerit opportunum: cum Plebani, in quorum terminis castra consistunt, hoc facere frequenter non audeant propter tyrannidem Dominorum. Qui autem, ante præstitam obedientiam, capellas tales officiare præsumpserint, a Præla-

tis ſuſpenſi & excommunicati per vicinarum Eccleſiarum Plebanos tanto tempore nuntientur, quouſque ſatisfaciant, & obediant: ſtatuentes; & ſub pœna excommunicationis jam latæ, mandantes: ut, ſi quam prædam, vel ſpolium ſpiritualium perſonarum, ſeu etiam Eccleſiaſticam perſonam captivam ad aliquam civitatem, villam, oppidum, ſive caſtrum adduci contigerit, Sacerdotes & Capellani, poſtquam hoc ſciverint, non exſpectato ſuper hoc ſuperioris mandato, abſtineant a Divinis.

Plerique Clerici, ac etiam alii, cum excommunicatis publice communicaſſe contra conſcientiam arguuntur, eo ſe pretextu malicioſe excuſant, quod excommunicatio talium non fuerit eis ſpecialiter nuntiata: verum neceſſario, ſacri approbatione Concilii ſtatuimus decernendo; ut poſtquam excommunicationis, vel interdicti ſententiæ publice proferuntur, & in Cathedrali Eccclefia, Synodo, vel capitulo, vel alias in locis debitis ſollemniter promulgantur, non ſit neceſſarium eas ſingulorum auribus inculcari; immo poſt publicationem hujuſmodi ſinguli ad vitandum taliter excommunicatos, etiamſi ſpecialiter eis denuntiati non fuerint, dummodo qualitercumque eis excommunicatio innotuerit, teneantur, cum talis ignorantia craſſa ſit penitus, & ſupina.

Quia Clerici & Religioſi nonnulli non attendentes, quantum ſit obedientiæ bonum, quod victimis præfertur, & quod peccatum eſt ariolandi, nolle acquieſcere, & ſcelus idololatriæ, obedire non velle, amiſſionem rerum ſuarum & corporis vanum metum allegant frequenter, ne cogantur mandatum exequi Prælatorum, qui cum proſperitatis tempore multa bona receperint, laute vixerint de patrimonio Crucifixi, imminente Eccleſiæ neceſſitatis articulo pro honore illius adverſitates ſuſtinere detrectent: ex quo propter contemptum clavium Eccleſiæ nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ diſſolvitur, & animas miſerabiliter periclitari contingit; ſacri hujus Concili neceſſaria deliberatione ſtatuimus, ut nulla rerum perditio, aut metus corporis, legitime non probatus, ſubditi inobedientiam, mandatum Prælati exequi non curantis, valeat excuſare: adeoque ſi metus corporis non ſimplici, vel proprio juramento, ſed legitimis coram eo, a quo mandatum ſubditus recepit, oſtenſus fuerit documentis; nihilominus loco cedat, ne notam tranſgreſſionis incurrere videatur: in his autem, quæ in non faciendo conſiſtunt, utpote, cum mandatur, non communicari cum excommunicatis, non celebrari interdictis, ac aliis hujuſmodi, nullus omnino nec rerum, nec corporis metus excuſet, cum pro nullo metu quis debeat peccatum mortale committere, quod ex inobedientia ſurgere Sanctorum auctoritatibus comprobatur.

XXXIX. *De Clericis militaribus, & concubinariis.*

Contra illos autem Clericos militares, qui, Clericali ſchemate derelicto, comam nutriunt, & geſtantes habitum laicalem coram Prælatis ſuis, & in Eccleſiis, in quibus habitant, irreverenter incedunt: demum poſt tyrocinia, & actus alios militares, quos interdum exercent, habitum priſtinum reſumentes, ad beneficia ſe priora admitti impune deſiderant, ſic terram viis duabus ingredi non verentes; hoc ſacro Concilio approbante, ſtatuimus: ut apoſtatantes hujusmodi, ſi antequam a ſuis Prælatis, ſive Capitulis evocati, & prioribus habitis beneficiis fuerint ſpoliati, ad ſuas Eccleſias, ſeu Prebendas redire noluerint, non aliter admittantur, niſi diſciplinæ clauſtralis carcerem tanto tempore ſuſtinuerint, quanto a ſuis Eccleſiis eos conſtiterit taliter aberraſſe, ſic minus ſatisfactionis prolixitas, quam prævaricationis diuturnitas, prorogatur.

Cohabitationis vitium publice multis ſucceſſive laboribus exſtirpatum, quorundam negligentia Prælatorum, immo, quod deteſtabilius eſt, aliquorum malitia, qui queſtum æſtimant pietatem, ſentitur iterum pullulare. Quapropter Prælatis univerſis, Archi-Diaconis videlicet, & Decanis, ac aliis, quorum intereſt hujusmodi exceſſus corrigere, hujus ſacri auctoritate Concilii præcipimus, ut tam periculoſo recidivo pervigili ſtudio occurrere non prætermittant: ne ſubditorum ſanguis de eorum manibus requiratur, ac eorum negligentia per locorum

rum Episcopos gravissime puniatur: si qui autem (quod absit) ob questum turpem, peccatum hujusmodi ad se delatum in subditis suis fovere vel dissimulare præsumpserint, illi per suos Prælatos ab eis dejiciantur honoribus, quos acceptatione sordium talium dehonorant.

Licet multa super continentia Clericorum, Patrum hactenus emanaverint instituta, quia tamen adhuc nonnulli Clerici lumbos suos cingulo continentiæ, ut accepimus, non accingunt in animæ suæ grave periculum, & scandalum plurimorum, non attendentes, quod scriptum est: *Sancti estote, quoniam Sanctus sum*, &c. Nos, qui saltem circa undecimam horam missi sumus, ut nociva de vinea Domini Sabaoth, ex officio nobis injuncto, quantum ipse dedit, exstirpemus, quia *zelus nos comedit Domus Dei*: hujus igitur sacri approbatione Concilii duximus aliquid statuendum. Præcipimus igitur, ut Clerici continenter & caste vivere studeant universim, maxime in sacris ordinibus constituti, quatenus in conspectu Omnipotentis Dei puro corde valeant ministrare: Si quis autem Clericorum deinceps visus fuerit in incontinentiæ vitio laborare, detinendo concubinam; nisi post ammonitionem Canonicam illam prorsus a se expulerit, tunc officio & beneficio spolietur: si vero nec fœtorem suæ libidinis curaverit evitare, quia crescente contumacia crescere debet & pœna, anathematis gladio feriatur. Qui vero, obscœnis voluptatibus inhiantes, concubinas usque ad hæc tempora tenuerunt publice, ne delictum præteritum transeat impunitum, eos sub tali pœna duximus religandos, ut si Canonici fuerint, quadraginta diebus in claustris suis in quadragesimali cibo jejunent. Si autem hoc agere contempserint, Præpositis, Decanis, & Capitulo Ecclesiarum sub anathemate prohibemus, ne prebendarum fructus eis ministrent, vel ad consortium Capituli eos admittant, nisi digna pœnitentia incepta, vel peracta, & præstito juramento, quod eas ulterius non resument. Qui vero sic amotas resumpserint, decernimus eos beneficiis esse privandos, statuentes: ut illi, ad quorum collationem beneficia pertinent, eos personis idoneis assignent infra tempus in Lateranensi Concilio comprehensum, alioquin proximus superior ex tunc ea studeat assignare: si vero Decani, vel alii eorum confratres, excessum scientes, dissimulare præsumpserint, eos denuntiamus excommunicationis vinculo subjacere.

De Clericis concubinariis rigor superius expressus servetur, quorum Archi-Diaconi, si eos in suis iniquitatibus voluerint confovere, vel eorum dissimulare excessus, sciant ab officio se suspensos, & si in præsumptione permanserint: eos præcipimus per Episcopos suos a dignitatibus removeri, quæ dignitates per eosdem Episcopos, vel ad quos denominatio spectat, personis idoneis assignentur.

Ad abolendam de Domo Domini consuetudinem vel potius corruptelam, seu temeritatem, qua Clerici, qui signum pudicitiæ debent ostendere laicis, quibus positi sunt in exemplum, in argumentum suæ finalis (*a*) pœnitentiæ, fructus præbendarum suarum concubinis suis legant in ultima voluntate, rigor Ecclesiasticus debet exerceri; quare sub anathematis vinculo prohibemus: ne de cætero Clerici gratiæ annis abutentes, cum de rebus Ecclesiæ nullum possint condere testamentum, fructus beneficiorum Ecclesiasticorum spuriis vel concubinis dimittant. Qui vero contra hanc inhibitionem venire præsumpserint, in signum suæ perditionis, Ecclesiastica sepultura careant, & quibus taliter fructus legantur, eis careant ipso jure: qui autem testamentum tale post mortem defuncti manutenere voluerint, & per quorum manus illis fructus prebendæ fuerint ministrati, Ecclesia ipsa supposita sit interdicto.

XL. *De sententia Excommunicationis.*

Quantæ præsumptionis & temeritatis existat, quod qui servare debent Canonicas sanctiones, in quibus aperte continetur, quod nullus aliquem sine rationabili causa excommunicare præsumat; eas frangere non formidant, plerosque non animo justitiæ, sed livore odii, vel favore adversariorum excommunicationis vinculo innodantes, nullus penitus ignorat. Quare firmiter prohibemus: ne quis excommunicationis sententiam in aliquem, nisi competenti ammo-

(*a*) *lego*: impœnitentiæ.

ammonitione præmissa, & præsentibus idoneis personis, per quas, si necesse fuerit, possit probari ammonitio, promulgare præsumat: & si Prælatus contra hoc fecerit, & ammonitus errorem suum non revocaverit, per mensem ab ingressu Ecclesiæ sit exclusus.

Cum scriptum sit in lege Domini, quod quicunque *non obtemperasset Sacerdotibus, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio cervice subjecta expiabat contemptum* : in primitiva Ecclesia inobedientes ejecti de Ecclesia rapido ore dæmonum trahebantur: Multi nomine Sacerdotes, censuram Ecclesiæ contempnentes, excommunicationis & suspensionis, a prælatis ipsorum, exigentibus culpis suis, & immemores, quod Episcopis & Prælatis clavium sit collata potestas, attrectare sibi interdicta ministeria non verentur, contra quos volumus rigorem Ecclesiasticum exercere.

Statuimus igitur: ut tales, sine spe restitutionis, ab officiis & beneficiis deponantur, & infames & detestabiles facti, de cætero ad beneficia Ecclesiastica nullatenus admittantur, nisi per pœnitentiam approbatam & conversationem laudabilem, Sedis Apostolicæ gratiam meruerint obtinere. Præterea sunt nonnulli crassam ignorantiam prætendentes, quæ non excusat a culpa, nec eos a pœna poterit excusare: hi Divina celebrare præsumunt iis, qui sunt excommunicationis vinculo innodati, quapropter statuimus, ut postquam excommunicati in locis vicinis denuntiati fuerint; Sacerdos, qui eis Divina celebrare præsumpsit, pœna simili puniatur.

Si Episcopus aliquem excommunicat, certa de causa denunciet vicinis Episcopis per suas patentes litteras, ut excommunicatum faciant denuntiari & vitari, & sine difficultate aliqua vicini Episcopi excommunicatum faciant publice nuntiari, & in Diœcesibus suis arctius evitari: si vero Episcopi in hoc fuerint negligentes, vel excommunicatis communicaverint, tamdiu Cathedralium Ecclesiarum Canonici sibi non . . . . . quamdiu huic salubri statuto præsumpserint obviare.

XLI. *De jure Patronatus.*

Quoniam in quibusdam Alemanniæ locis, Fundatores Ecclesiarum, vel hæredes eorum, potestate, in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur, partem decimarum, vel aliarum obventionum Ecclesiasticarum, in quibus jus obtinent Patronatus, sibi retinentes ex pacto, cum præsentant Clericos ad easdem, huic vero contentioso & simoniaco modo censuræ ferrum apponimus; decernentes: ut, ex quo constiterit patronum hujusmodi perpetrasse flagitium, anathemate feriatur, & ejus terra ponatur sub Ecclesiastico interdicto, donec Ecclesiam liberam sub suo jure dimittat, salvo jure patronatus, quod etiam eis de jure reservamus, quin possint pro juris ignorantia excusari. Qui vero cœca cupiditate seducti, taliter a patronis præsentatum suscipiunt, officio, beneficioque priventur, nec ad beneficium, vel actus Ecclesiasticos admittantur, nisi per Sedem Apostolicam secum fuerit dispensatum. Episcopi vero, vel Archi-Diaconi, qui talibus scienter curam commiserint animarum, ab institutione beneficiorum & collatione perpetuo sint suspensi. Statuimus etiam, quod nullus Clericus ad curam animarum ab Episcopo, vel Archi-Diacono admittatur, nisi prius juraverit, quod nullam in adeptione beneficii, ad ejus curam præsentatus, commiserit simoniam.

XLII. *De Vicariis.*

Quia enormis quædam consuetudo in quibusdam Alemanniæ partibus, contra Canonicas sanctiones invaluit, ut ponantur in Ecclesiis conducti Sacerdotes vel Vicarii temporales; ne id de cætero fiat, auctoritate legationis, qua fungimur, modis omnibus inhibemus; sed cum Vicarius poni debet, & potest, perpetuus instituatur, de assensu & auctoritate Diœcesani, vel Archi-Diaconi loci ejusdem, nec Episcopus, vel Archi-Diaconus talem instituat; nisi ei tantum de bonis Ecclesiæ coram eo fuerit assignatum, unde jura Episcopi & Archi-Diaconi possit persolvere, & congruam atque sufficientem sustentationem possit habere.

XLIII. *De Raptoribus & Clericorum Captivatoribus.*

Ad manutenendam Ecclesiarum Immuni-

munitatem, ad conſervandum jus & honorem Dei, & Eccleſiaſticæ libertatis, contra uſurarios manifeſtos, quæſtuarios, maledicos, ac indulgentiarum nimietatem, a Prædeceſſoribus noſtris diverſis diverſa emanarunt pro tempore ſtatuta de ſuorum conſilio Prælatorum: & licet plura ex illis ſint de verbo ad verbum per Sedem Apoſtolicam confirmata; ea tamen *approbatione Sacri hujus Concilii* duximus innovanda, ut per hoc in notitiam ſolemniorem deveniant, ac eo libentius obſerventur. Statuit ea primum recolendæ memoriæ Patruus noſter, Dominus *Sigifridus* Archi-Epiſcopus, quod & Dominus *Innocentius IV.* Papa confirmavit: cum indignum ſit valde illos in ſe, vel in ſuis per Eccleſiam promoveri, qui honoris & Eccleſiaſticæ libertatis ſubverſores exiſtunt; Statuimus itaque: ut nullus de filiis eorum, qui Clericos captivaverunt, vel ad hoc opem, vel operam impenderunt, ac in ſuis domiciliis detinuerunt captivatos; ad ordines, beneficia, aut etiam Prælaturas & dignitates aliquatenus admittantur, immo ex delicto parentum ipſo facto reddantur inhabiles ad hujusmodi conſequenda: ſub pœna excommunicationis jam latæ ſententiæ, mandantes Examinatoribus Clericorum, Capitulis, Patronis, & Archi-Diaconis, ut nullum ex talibus ad ordines admittant, Capitula nullum ex eis ad præbendas eligant, Patroni nullum ex ipſis præſentent, Epiſcopi & Archi-Diaconi tales non inveſtiant ullo modo: alioquin Capitula, & Patroni jus ſuum ipſo facto amittant, & ea vice ad loci Epiſcopum devolvatur: Examinatores vero, & Archi-Diaconi, aliquem ex talibus ſcienter ad ordines & beneficia admittentes, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, & alias per Ordinarium gravius puniantur, quod & nos de filiabus præmiſſorum, ſub pœna ſimili, duximus ſtatuendum, videlicet: quod filiæ eorum in clauſtris & cœnobiis ordinis cujuscumque nullatenus admittantur.

Statuit etiam alia circa hoc bonæ memoriæ *Gerhardus*, Archi-Epiſcopus, Prædeceſſor noſter, quas Sanctiſſimus Pater noſter *Alexander IV.* de verbo ad verbum noſcitur confirmaſſe.

Nos igitur ſtatuta ipſa non ſolum auctoritate hujus ſacri Concilii approbamus; verum etiam hoc duximus adnectendum, firmiter ſtatuentes: quod ſi temerarii captivatores Clericorum aliquos in familia ſua habuerint Clericos, utpote Capellanos & Scriptores, iidem abſtrahant ſe ſtatim a communione eorum non ſolum in Divinis, ſed & in menſa, & in aliis, quibus excommunicato communicatur illicite. Item, nec conſiliis eorum interſint, niſi forte tractatum habeant cum eis de procuranda liberatione eorum, quam ſi infra duos menſes procurare non potuerint; ſub pœna excommunicationis jam latæ ſententiæ præcipimus, quod ex tunc non ſolum a conſilio & ſcribendo ſe abſtineant, ſed ab eis omnino recedant.

Statuimus etiam, ut nullus manufidelis amicus, vel alius habens poteſtatem rerum Clerici captivati, promittat, vel det aliquid pro liberatione ipſius, vel de dando interponat per ſe, vel alios aliquam cautionem, adjicientes: quod ſi detentor Clerici per unum menſem Clericum detinuerit captivum, ac eo dimiſſo, infra annum a tempore captivitatis Clerici computandum, ſatisfactione neglecta, non obtinuerit ſe abſolvi, ex tunc ab omnibus feodis cadat ipſo jure, quæ a quibuscunque Eccleſiis noſcitur obtinere.

Hæc omnia circa captivatores Epiſcoporum multo fortius volumus obſervari, eo adjecto, quod Epiſcopo captivato, Clerici de familia captivatoris ſtatim recedere teneantur, quodque tales captivatores ipſo facto, non ſolum a jure cadant perpetuo feodorum, quæ a quibuscumque Eccleſiis obtinebant: verum etiam in ipſo jure cum omni ſua poſteritate fiant inhabiles ad feoda quælibet a quibuslibet Eccleſis poſſidenda, ſeu obtinenda; ac hi, qui feoda ipſis duxerint concedenda, ipſo facto, excommunicationis ſententiam incurrant; quod ſi proximi Domini feodorum, feoda illa, a quibus in cauſis Epiſcoporum, vel Clericorum, captivatores illi ceciderint, infra unum menſem, vel concedere, vel ad ſe neglexerint revocare, ex tunc feodorum ipſorum collatio ad ſuperiorem proximi devolvatur, quæ in occiſoribus vel mutilatoribus Clericorum, multo fortius volumus obſervari.

XLIV. *De Usurariis.*

Statuit etiam hoc idem Dominus *Gerardus* in usurarios omnes, cujuscumque status & conditionis existant, cunctis diebus Dominicis & diebus Festivis per locorum Plebanos & eorum Vicarios excommunicationis sententiam publice proferri, ita, quod qui publice exercent usuras, ac qui coram Ecclesia de usura convicti fuerint, vel confessi, & qui per juratores villarum pro usurariis sunt publici proclamati, excommunicentur sollempniter nominatim: qui vero de usuræ vitio sola sunt suspicione notabiles, nisi se de hujusmodi vitio legitime coram Ecclesia expurgaverint & debitores usurarum, & fidejussores super eis absolverint simpliciter & publice ab usuris; excommunicentur similiter nominatim. Tales autem, si curaverint, jam resipiscere a peccato, si ad restitutionem omnium, ipsorum suffecerint facultates, vel si in totum solvendo non fuerint, prius restituta ea, ad quam suffecerint, portione, & de reddendo residuo fortunæ tempore pinguioris eis, vel si non existant, eorum hæredibus, a quibus extorserunt usuras, fidejussores constituant, alioquin pauperibus, seu piis locis juxta ordinationem judicum Sedis nostræ ac Archi-Diaconorum de satisfaciendo Ecclesiæ, idonea præstita cautione, ab eisdem Judicibus absolutionis beneficium consequantur. Nos enim solis eis absolutionem talium duximus committendam, ne per quorundam Sacerdotum simplicitatem, & per malitiam aliorum, qui circa restitutionem hujusmodi proprium quæstum quærunt non salutem animarum, vel commodum proximorum, quibus est merito restitutio facienda, circa usurarios aliquod incongruum statuatur. Quod si usurarii præscripti spe finalis pœnitentiæ & absolutionis extremæ, claves Ecclesiæ sani contempserint, & temere sustinuerint anathema, seque in extremis absolvi petierint, juxta provisionem *Fritislariensis Concilii*, non statim sub proprio juramento eis erit absolutio impendenda, nisi prius cuncta male extorta restituant, dummodo tantum in bonis mobilibus, vel immobilibus habeant, quod restituere valeant universas vel saltem tantum refundant, quantum se ipsorum facultates extendunt, & de reliquo refundendo, satisfaciendo Ecclesiæ, dederunt fidejussores idoneos, consanguineos, & affines: quod si fidejussores tales non exstiterint, & in eis apparuerint veræ pœnitentiæ signa, sub forma præscripta, proprio juramento, admittantur ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta: sed in pœnam tam diuturni contemptus clavium Ecclesiæ, & terrorem aliorum, negetur eis extrema Unctio, & Ecclesiastica Sepultura, nisi forte suadente causa legitima, hoc a nobis ex gratia contigerit indulgeri, ad quæ etiam duo ultima consequenda non sufficiat proprium juramentum & pœnitentiæ signa præmissa, cum pater & mater male acquisita sint parati refundere, sed forsitan filii contradicunt, vel pro parentibus nolunt præmissas exponere cautiones, vel cum uxor pro marito, vel contra maritus pro uxore similia facere detrectarit: adjicientes, quod si usurarii manifesti per mensem unum temere in excommunicatione duraverint, ex tunc uxori, ac filiis, & propriis eorum mancipiis, Divina & Sacramenta Ecclesiastica subtrahantur, Baptismate parvulorum, & pœnitentia morientium exceptis: servientibus aliis & ancillis conductitiis, & colonis eorum excommunicationis gladio feriendis. Præterea, cum delictum privilegium emunitatis non habeat, & delinquentem pœna merito comitetur; statuimus, ut quilibet sive miles, sive ministerialis noster existat, seu ex quocumque privilegio fori præscriptione præfulcerit, super usuris cessante in hoc emunitate omni, sub judicibus valeat conveniri, cum privilegium mereatur amittere, qui sui honoris & fori tam viliter abutitur, & dignitate: nihilominus circa hoc captivatores & spoliatores Clericorum & Ecclesiarum, si Ministeriales sint, vel alias gaudeant privilegio circa fidejussores datos ab usurariis volumus observari, videlicet quod per nostros judices valeant de talibus insolentiis coarctari.

XLV. *Ne Ordines Religiosi Privilegiis abutantur.*

Quamvis Ecclesia doleat, quod de proprii Sacerdotis voluntate, subditi Plebanorum, pro maturiori consilio capescendo, Religiosis quibusdam confiteantur interdum; nolumus tamen sacri Concilii autho-

authoritate, & ſub pœna excommunicationis jam latæ vetamus omnibus Religioſis, ne ſubditos Plebanorum, maxime autem Bekinas, & Bicornos, & Moluſas, ac alias perſonas hujusmodi communicent corpore Domini, aut alia porrigant Eccleſiaſtica Sacramenta parvulis vel adultis: hoc etiam ſub eadem pœna Religioſis omnibus inhibentes firmiter: ut cum proceſſiones & ſtationes ſolemnes, quas obſervat Eccleſia generalis, in inſtitutione Eccleſiæ, & magnæ authoritatis, & multæ opitulationis exiſtant, utpote in quibus Dominus honoratur, votis communibus & placatur; ne populum ab eisdem, prædicationes tunc temporis inſtaurando retrahant: immo in prædicationibus ſuis ſedulo eidem, quod tenetur talibus intereſſe, & quod peccat, ſe ab his ſubtrahendo, eidem etiam populo frequenter exponant, quod etiam ad matricem Eccleſiam in præcipuis feſtivitatibus teneatur accedere, ac illam ſui præſentia honorare, a qua Sacramentorum gratia in eos quaſi ex fontali gurgite influit & deſcendit, ipſi tunc abſtineant ab omnibus allectivis, quibus abſtrahi poſſit populus, quo minus ad ſollemnitates veniat ſuæ matris.

XLVI. *Ut per preces ac ſupplicationes imminens Tartarorum avertatur irruptio.*

In omnibus & ſingulis ſermonibus, & brevibus quantumcumque, fiat mentio Tartarorum, (*a*) ſitque talis materia proponenti verbum Dei, per quam populus animetur ad reſiſtendum tyrannidi eorum, ac incitetur ad ſupplicandum Domino pro averſione tam duri ac diri flagelli, & ut provocetur ad reconciliandum ſe Deo.... ſibi dignis pœnitentiæ fructibus, nec non ad reformandum in ſe ipſis fœdus pacis mutuæ efficaciter inducantur, ut Divinæ ultionis iracundia, contemptu ſuccenſa, devotâ petentium, & in cœlum ad Deum clamantium humilitate placetur. Presbyteri qualescumque Miſſarum ſollemnia publice celebrantes, poſt Offertorium, & ante Canonem, dicant cum præſentibus Clericis Pſalmum: *Deus venerunt Gentes &c.* cum oratione Dominica & Verſiculo: *Fiat pax in virtute tua &c.* & Collecta: *Deus, a quo ſancta deſideria &c.* flexis genibus, & proſtrati. Similiter Parochiales Presbyteri dicant populo in vulgari: *Pœnitentiam agite.* & in terram ſe proſternant, dicentes Orationem Dominicam, & orent Deum, ut a peſtilentia Tartarorum liberet populum Chriſtianum, & dum hæc fiunt, pulſetur campana, ut audientes campanam ad devotionem & orationem excitentur, & ſic orantes habeant indulgentiam X. dierum. Item, ſingulis menſibus ſemel fiat in civitatibus Cleri, & Populi, cum reverentia & devotione, & abſtinentia, Proceſſio generalis, cui, præter Moniales, exempti & non exempti in civitatibus habitantes, interſint, ordinis cujuscumque die & loco per Ordinarium loci cum conſilio Cathedralis Eccleſiæ diſponendi. In Diœceſi vero Abbates, ceterique Prælati, cum eorum Capitulis, & Conventibus; nec non & ſinguli Sacerdotes per villas, in quibus habitant, cum Clero & Populo faciant proceſſionem hujusmodi generalem, die & loco per ipſos, prout ipſis expedire videbitur, eligendis, niſi ex proviſione Ordinarii aliud diſponatur. Die vero Proceſſionis hujusmodi jejunetur, niſi dies Dominica, vel feſtiva fuerit, &, ſi tunc expedire videbitur, ſermo fiat, & qui his interfuerint, habeant indulgentiam XL. dierum. Item, fiat ſermo ſingulis menſibus ſoli Clero & Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, & per illum, quem Decanus Eccleſiæ ejusdem duxerit, eligendum.

XLVII. *De Monachorum avaritia refrænanda.*

Religioſi plerique, modum avaritiæ non ponentes, nec contenti divitiarum fluvio, quem abſorbuiſſe noſcuntur, accumulando ſibi largiſſima prædia, & alios redditus copioſos, ut in os eorum totus Jordanus influat, tot ſuis Collegiis, cupiditatis ſtudio, obtinuerunt uniri Parochias,

(*a*) Anno MCCLXI. celebrata ſunt Concilia in Maguntia ab Archi-Epiſcopo Wernhero, & alias ab aliis Archi-Epiſcopis, jubente Papa Alexandro IV, contra Tartaros & alia pericula, ut per verbum Crucis, & orationes fidelium, inimicis Eccleſiæ reſiſteretur. *Chronicon S. Ægidii apud Leibnitz. Tomo III. Scriptor. Brunſwicenſium.* Eodem anno plura *millia flagellatorum* prodierunt in mundum. *Idem Chronicon eodem Tomo III. Leibnitii.*

rochias, & maxime meliores, quod paucæ in Allemannia inveniantur Ecclesiæ, de quibus possint Clerici commode sustentari: unde contingit, quod Clerici sæculares, quorum ordo aliis prior est tempore, & propter dignitatem, juxta Micheæ præsagium facti sunt quasi, qui colligit in autumno post botros racemos vindemiæ, & spicas post messem, seu stipulas post trituram; & cum de una Ecclesia sustentari non valeant, plures cumulare coguntur contra statuta Concilii: Communi necessitate statuimus: ut nullæ Ecclesiæ quibuscunque Religiosis de cætero conferantur, quod si a quocumque eis hujusmodi Ecclesia, vel Ecclesiæ, collatæ fuerint, collator ipso actu jus patronatus amittat, & ad loci Episcopum perpetuo devolvatur: collegium vero, quod talem Ecclesiam acceptaverit, nullum jus penitus acquirat, immo si habuerit ante Ecclesias aliquas sibi unitas in Diœcesi illa, vacent per præceptionem hujusmodi ipso facto, & per Diœcesanum vel locorum Archidiaconum personis idoneis conferantur. Ad hæc cum Religiosi quidam alicubi per fratres sui ordinis officient Ecclesias sic unitas, & in fratribus ipsis fit dissolutionis occasio, quia iidem eo sunt procliviores ad lubricum, quo Religionis titulo stultè autumant esse exemptos, ac Prælati eorum per Arcidiaconos tales corrigi minime patiantur: sed quia pro ordinis scandalo evitando, ipsos ad domos revocant, vel ad alias Parrochias mittunt; auctoritate hujus sacri Concilii, & hoc duximus admittendum: ut Religiosorum Ecclesiæ non per fratres eorum officientur, sed per Clericos sæculares, ut saltem de Reliquiis, quæ de immensa Religiosorum mensa ceciderunt, sustentari valeant paupeeres Sacerdotes, qui in vituperium nostri, publica egestate laborant ita ut heu! jam sint verissima illa verba *Jeronymi*, dicentis in Canone: *Mendicat infelix Clericus in platea.*

XLVIII. *De Quæstuariorum excessibus tollendis & abrogandis.*

Contra Quæstuarios maledicos, quibus ob monstruosum turpis quæstus abusum, sic incanduit orbis odium, cui utpote homines pestilentes, suaque nequitia merito odiosi, ita se reddiderunt exosos, quod adversum eos constrepit omnis linguæ conquestio querulosa, & quis Dei & Fidei etiam modicum habens illos, quorum omnes viæ perversæ, & gressus infames ex parte diaboli, qui pater mendaciorum existit, ad concudenda & concinnanda mendaciorum genera genitus, non odiret? Qui in cunctis exercitati nequitiis, utpote fabricatores mendacii, & figuli falsitatis, nihil aliud suas linguas, quam ex propriis loqui mendacia docuerunt in tantum, ut verbo Domini ad convertendum animas specialiter consecrato, ob quæstum pecuniarum ad suum propositum mendaciter abutantur, cum tamen Dominus non egeat eorum, nec velit, ut loquantur pro eo in Ecclesiis suis dolos. Hi profanissimi, pro reliquiis sæpe exponunt ossa profana hominum, seu brutorum, & miracula mentiuntur, causasque petitionum suarum mendose confictas, effusis lacrimarum profluviis, ad quas habent oculos eruditos, & extenuatis faciebus cum clamoribus validis, & gestibus miserandis sic motive proponunt, tantamque Indulgentiarum numerositatem, contra *Statutum generalis Concilii*, & relaxationem peccaminum pollicenrur, quod vix est aliquis, etiam ipsorum agnoscens nequitias, qui se a subventione eorum valeat continere, ex quo vilescunt claves Ecclesiæ, & dissolvitur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, cum pauci sint, qui subire velint aliquam pœnitentiam etiam impositam a proprio Sacerdote, credentes, vel saltem asserentes, se a peccatis per hujusmodi indulgentias absolutos. Ad hæc iidem Quæstuarii, male taliter acquisita, pejus Ecclesiis subtrahunt, quarum intuitu conferuntur, ex quo non tam furti, quam sacrilegii crimen incurrunt, dum male acquisita, pejus subtracta, pessime dissipant & consumunt in commessationibus, ebrietate, ludis, & luxuriis, precium sanguinis expendentes, qui quoad primum Simoni Mago, & Jezi leproso; quo ad secundum Achor furi, & Judæ perfido; quo ad tertium pro eo, quod eis neuter est Deus, quodque post carnis suæ immunditias jugiter ambulant, filio prodigo potuerint merito comparari. Quare, sacri autoritate Concilii, præfatos pestiferos homines totam patriam corrumpentes, a no-

a noſtra Provincia duximus perpetuo proſcribendos, firmiter inhibentes: ne a quoquam de cetero admittantur, ſed ubicumque viſi fuerint vel inventi, captivi Diœceſano, vel ſuo Officiali, protinus præſententur: qui vero, ut *Antoniarii*, annuum cenſum colligere conſueverunt per fratres dumtaxat ordinis ſui, & non per alios colligant: alioquin tales, ſicut Quæſtuarios volumus detineri, & tunc non per fratres, ſed per Sacerdotes locorum, ipſorum petitio abſque prædicatione; & conquaſſatione nolarum ſimpliciter proponatur. Quod ſi aliqua Eccleſia civitatis, vel Diœceſis, de conſenſu Diœceſani, pro ſui reparatione, Eleemoſynas fidelium decreverit requirendas, Sacerdotibus Diœceſis illius cartulæ dirigantur, neceſſitatem Eccleſiæ & quantitatem indulgentiæ continentes, ut juxta hoc ad ſubventionis ſubſidium ſuos populos exhortentur, ea vero quæ collecta fuerint ſub cuſtodia Sacerdotis, & duorum juratorum de villa, remaneant Eccleſiæ, ad cujus neceſſitatem collata, ſuo ſunt tempore reportanda: unaquæque etiam Diœceſis ſuorum populorum Eleemoſynis ſit contenta, nec jure alterius imploret auxilium in hoc caſu. Inhibemus etiam Religioſis, vel aliis quibuslibet, Eccleſias de novo fundare vel fundatas transferre &c.

XLIX. *De his, qui vices Epiſcopi Diœceſani obeunt.*

Cum igitur, ex hoc quod aliqui in civitatibus, oppidis, villis &c. interdum in rure, vel nemore ſe paſſim recipientes, Eccleſias, Oratoria conſtruunt, & Capellas, quas, abinde poſtmodum recedentes, deſolatas dimittunt, loca ſacra contingat ſæpius profanari, auctoritate ſacri Concilii, ducimus ſtatuendum: quod nullus ex ipſis, qui interdum in conſecrationibus Eccleſiarum vices Diœceſani exercent, in locis de novo fundatis, ſeu fundandis, Eccleſiam, Oratorium, ſeu Capellam dedicet, & lapidem primarium ponat, niſi auctoritate Diœceſani ſacræ domui provideatur de dote & lumine competenti, ne talibus recedentibus ea facilitate, qua venerunt, loca ſacra deſolari, & prophanari contingat; & ob hoc etiam de novo adventantes, antequam locum adire permittantur, Diœceſani providentia præcaveat, ne Parochiali Eccleſiæ, infra cujus terminos ſe recipiunt, ſint ſucceſſu temporis nocumento. Adhæc, illis Epiſcopis, qui vices Diœceſani in conſecrationibus gerunt, prohibemus expreſſe, ne, generalis commiſſionis prætextu, aliquos Conventuales Eccleſias dedicent quoquo modo, vel in eis primarium lapidem ponant, niſi hoc eis a Diœceſano ſpecialiter committatur; interpreratione congrua declarantes: quod iiſdem Epiſcopi, ratione commiſſionis hujuſmodi cum Diœceſanorum ſubditis diſpenſandi ac ligandi vel ſolvendi eoſdem in manifeſtis caſibus, vel occultis, nullam obtinent facultatem, vel poteſtatem, niſi Diœceſanus circa hoc eis quidquam *ſpecialiter* duxerit permittendum vel concedendum. Item; inhibemus eiſdem, ne cum ordines celebrant, ſub ſuo titulo, aliquos ordinandos inſcribi faciant vel admittant, niſi examinatoris judicio fuerint approbati.

Præterea; cum Indulgentiarum nimietas, claves Eccleſiæ contemptibiles reddat, pœnitentialem ſatisfactionem enervet, & Pontificalem auctoritatem annichilet, generali Concilio (*b*) inhibendo ſtatuimus: ut nullus in dedicatione cujuslibet Baſilicæ det Indulgentiam ultra annum, ſeu ab uno Epiſcopo ſeu a pluribus dedicetur, & in anniverſario XL. dies: in dedicationibus autem talibus, ac ordinum temporibus, relaxari carenas, & pœnitentias introduci, omnino vetamus, ſed hoc fiat tantummodo in feſto Cœnæ Domini ad hoc ordinario;

L. *De promovendis ad Ordines ſacros.*

Timotheo præcipit Apoſtolus: ut ut *nemini* (a) *cito manus imponeret*, & Carthaginenſe Concilium ſtatuit: nullum Clericum, niſi probatum examine, ad ordines promoveri: Quare cum una dumtaxat, quo ſe demum examinandi præſentant, Sabbatho videlicet, debita examinationis diſcuſſio non valeat exerceri: Navarenſi Concilio inhærendo ſtatuimus: ut examinandi quarta feria ante ſabbatum Ordinarii Examinatorum conſpectui ſe repræſentent, quatenus eo die, & duabus ſequentibus, examinatorum continuetur officium; ſic, quod in Sabbatho quo ordines conferuntur, orationibus & aliis, quæ ad devotionem

(*a*) I. Timoth. V, 22. (*b*) *forte:* inhærendo.

nem conducunt, vacare valeant ordinandi; statuentes: quod nullus ad examen admittatur, nisi recenter confessus fuerit omnia sua delicta idoneo Sacerdoti; ut quia pauci sunt, qui sua delicta, vel sequelas intelligant delictorum, per Sacerdotem discretum valeant instrui ordinandi, an sibi expediat ordinari, vel ob irregularitatis alicujus sequelam, eis sit potius abstinendum.

LI. *De Sepulturis.*

Maguntinum Concilium universos Sacerdotes Parochialium Ecclesiarum, & Capellarum Ministros, excommunicationi subjacere decrevit, quicumque alicui de plebe sua, sive in vita, sive in morte, directe vel indirecte, persuadere præsumpsit, ne in Ecclesiis Conventualibus, vel in aliis locis magis Religiosis, sibi eligat sepulturam, cum talis persuasio sacris canonibus contradicat, & de avaritiæ radice procedat; verum Sacerdotes, & ministri prædicti, in communicando subditos suos in ægritudine constitutos, difficultatem ut accepimus, ingerunt, ob hoc dumtaxat, quod iidem subditi in Ecclesiis Conventualibus, seu locis aliis Religiosis sibi elegerint sepulturam. Cum igitur mora in talibus periculosa sit admodum, & damnosa, hujus sacri approbatione Concilii adjicimus Concilio memorato, ut postquam dicti subditi peccatorum suorum confessionem fecerint, ut tenentur, si Rectores eorum, ob hoc quod elegerint sepulturam in Ecclesiis Conventualibus, seu aliis locis, magis Religiosis, & Diœcesano subjectis, difficiles se reddiderint in communicando eosdem, iidem ex tunc communionem Domini nostri Jesu Christi recipere valeant, a quo maluerint Sacerdote. Decrevimus etiam ut parentes pro liberis infra annos discretionis, ac pro his, quos tenent in paterna potestate, eligere valeant liberam sepulturam.

LII. *De Monachis commessatoribus & rerum secularium sectatoribus.*

Plerique Religiosi, maxime ordinis Sancti Benedicti, non verentur convivia frequentare, seculares personas ad ipsa Cœnobia pro commessationibus invitantes, ex quo scandalisantur non solum extranei, sed etiam confratres eorum, Religio dissolvitur, & modestia Monastica deformatur: cum igitur juxta sacrorum statuta canonum & venerabilium Conciliorum decreta, Monacho non liceat, undecumque provenerit, aliquid usibus appropriare privatis, & convivia & commessationes prædictas non sit dubium sumptus requirere proprios & privatos, sacri approbatione Concilii de cetero ex quacumque causa fieri prohibemus: si quis autem transgressor exstiterit, carceralem octo dierum sustineat disciplinam.

Cæterum cum dicat Apostolus: *Nemo militans Deo implicat negotiis secularibus*, & juxta decretum *Eugenii* Papæ; nullus Monachorum pro lucro terreno de Monasterio exire, nefandissimo ausu, præsumere debeat; sacrorum statuta canonum imitantes, districtius inhibemus; ne quis Monachus, in quocumque judicio Ecclesiastico, vel civili, præsumat aliquatenus advocare, nisi forte, ut canon indulget, in causa sui Monasterii, & hoc Abbate nihilominus imperante: hujus autem statuti transgressor pro qualibet advocatione, unius diei carcerem in culpa subjaceat graviori; Abbas vero vel Prior, si Abbatem eo tempore deesse contingat, qui pœnas hujusmodi dissimulare præsumpserit, gravi subjaceat ultioni, Diœcesani sui judicio puniendus.

LIII. *Ut in singulis Monasteriis domus Hospitales sint.*

Cœterum; cum in plerisque Cœnobiis sit Hospitale ab antiquo constructum, & officium Hospitalarii; Hospitalarius vero, qui tali præest officii, ipsius Hospitalis redditus propriis usibus damnabiliter applicet, quos potius deberent in usus convertere infirmorum; hoc sacro favente Concilio, statuimus: ut in singulis Monasteriis discretæ eligantur & maturæ personæ, qui redditus prædicti officii recolligant universos: in ipsis vero Hospitalibus recipiantur ammodo & pascantur de dictis redditibus senes infirmi, & decrepiti Sacerdotes, qui pro debilitate corporis non valent nec debent Sacerdotale officium ulterius exercere, ne ipsos, quos Ministerii nostri cooperatores habuimus, fame oporteat miserabiliter interire, vel necessitate cogente in vituperium Ministerii nostri, & in opprobrium ordinis Clericalis, in plateis, quod Jero-

Jeronymus deteſtatur, miſeros mendicare.

LIV. *De Anno gratiæ.*

Sunt nonnulli qui Anno gratiæ, qui pro relevatione debitorum in fructibus Beneficiorum defunctis Clericis eſt conceſſus, damnabiliter abutuntur; fructus ipſius anni conſanguineis ſuis, vel aliis, quibus voluerint relinquentes, ex quo provenit duplex injuria Eccleſiæ: defraudatur enim Eccleſia per dictum anni ſpatium ſervitore, privatur etiam perſona ſuccedens in percipiendis fructibus jure ſuo; quod de cœtero fieri prohibentes, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus: quod niſi pro relevatione debitorum, quæ tamen aliunde ſolvi non poſſunt, anno gratiæ Clerici non utantur, vel niſi ipſius anni fructus pro aliqua pia cauſa ipſi relinquant Eccleſiæ, unde beneficium habuiſſe noſcuntur. Statuimus etiam, ut Diœceſanus provideat, ne in aliquo Hoſpitali recipiatur aliquis, qui ſuſtentationem habere debeat in Hoſpitali eodem, niſi primitus ſignum aliquod in veſtis mutatione deferat, per quod ab aliis ſæcularibus diſcernantur.

Ex codice MS. Monaſterii S. Petri Erfordiæ deſcripſit Cl. Schannatus.

Ad elucidationem Cap. XLVIII. ſpectant articuli ſequentes, ex parte Epiſcopi Argentinenſis Waltheri, in eadem hac Synodo exhibiti adverſus Quæſtuarios, ſeu FF. Mendicantes.

I. MAgiſter *Heinricus*, in publicis ſuis ſermonibus docuit: quod Sacerdos vinculo peccati mortalis ligatus, alium conſimili vinculo ligatum abſolvere non poteſt, declarans hoc de duobus ligatis, quorum unus alium ſolvere non poteſt.

II. Per eundem fratrem prætactum publice in civitate Argentina, in foro equorum, prædictum fuit: quod Monialis profeſſa, ſi carnis tentatione & humana fragilitate victa, caſtitatem ſervare nollet, majoris veniæ & minoris culpæ eſſet, ſi cum Religioſo, quam cum laico committat flagitium.

III. Item per eundem, & generaliter omnes Quæſtuarios, prædicatum fuit in diverſis locis: quod Excommunicationis ſententia non ligat animam, ſed ſolum corpus, & quod ad terrorem dumtaxat eſt adinventa.

IV. Item; quod auctoritas ipſorum ſit altior, quam Plebanorum.

V. Item; Quod nullus tenetur diebus Dominicis & feſtivis accedere propriam Parochiam.

VI. Item; Quod nullus tenetur Plebano ſuo, etiam quocumque tempore anni, confiteri.

VII. Item; Quod Sacerdos beneficiatus, pro aliis, quam pro ſuis Fundatoribus orare non poſſit.

VIII. Item; damnaverunt publice conſuetudinem civitatis Argentinæ, per quam Parochianus eligens extra ſuam Parochiam ſepeliri, dat ſuo Plebano ultimum vale, ſeu aliquas pecunias loco illus.

IX. Item; generaliter plurima ſcandaloquia proferunt in ludibrium, & vituperium Cleri civitatis Argentinæ, etiam nominando publice perſonas, præſertim Plebanorum, dictæ civitatis; per quod populus a frequentatione Parochiarum retrahitur.

Elucidationes Capituli XLVIII. ſunt excerptæ ab eodem ex veteri codice MS. Bibliothecæ Moguntinæ.



SYNO-

SYNODUS PADERBORNENSIS

Anno Chrifti MCCLXIII. Urbani IV. Papæ II. Sub Interregno Germaniæ.

Summa. De Jurisdictione Archi-Diaconorum in Paderbornæ Ecclefia.

SIMON, DEI GRATIA, EPISCOPUS PADERBORNENSIS; HEINRICUS PRÆPOSITUS IN PRÆPOSITURA ET IN HUXARIA SEDIUM ARCHI-DIACONUS; R. DECANUS, ARCHI-DIACONUS IN DETMELE; PRÆPOSITUS VOLRADUS ARCHI-DIACONUS SEDIS IN HARHUSEN; E. ARCHI-DIACONUS, HERVORDENSIS MAGISTER; JOANNES DECANUS HILDENS. ARCHI-DIACONUS SEDIS IN STENHEM; MAURITIUS CANTOR PADERBURNENSIS, ARCHI-DIACONUS SEDIS IN WARTBERG; W. THESAURARIUS, ARCHI-DIACONUS IN LEMEGO; H. DE SUNNIGHUSEN, PRÆPOSITI APOSTOLORUM PETRI ET ANDREÆ, ET CAMERARII PADERBURNENSIS, ET IN ARCHI-DIACONATIBUS AD DICTAM PRÆPOSITURAM ET CAMERAM PERTINENTIBUS, VICES GERENS, UNIVERSIS PLEBANIS ECCLESIARUM RECTORIBUS ET PRESBYTERIS PADERBURNENSIS DIŒCESIS, UTRIUSQUE VITÆ SALUTEM.

NOverint univerfi præfens fcriptum vifuri, quod a tempore, cujus non exitat memoria, & fecundum Canonicas Sanctiones, has habuit Ecclefia noftra *Confuetudines*, quas adhuc obfervamus, quod Plebani & Presbyteri in alicujus *Archi-Diaconatu* conftituti, coram *Archi-Diacono* loci funt conveniendi, & quod Archi-Diaconi, fi volunt, ipfos poffunt ad fuam præfentiam in Ecclefiam Paderbornenfem citare, & fuper exceffibus fuis, fi fint enormes, ab officio fufpendere, interdicere, & excommunicare. Iidem etiam Plebani & Presbyteri, fententias ab Archi-Diacono perfonaliter five litteratorie, vel per nuntium fuum, cui vices fuas commiferit, latas, modis omnibus exequantur. Has auctoritates & jurisdictiones, ab Anteceffioribus noftris, & hactenus a Nobis obfervatas, a Succefforibus noftris cupientes obfervari, quia fic ad nos funt devolutæ, quod nullatenus immutari volumus vel audemus. Auctoritate Venerabilis Patris & Domini noftri Paderburnenfis Epifcopi, cujus vices nos Archi-Diaconi gerimus & propria, præcipimus fub vera obedientia dictas auctoritates & jurisdictiones inviolabiliter ab omnibus obfervari. Nos etiam Epifcopus jus & confuetudinem Archi-Diaconorum noftrorum approbantes, omnes Plebanos, five Ecclefiarum Rectores, & alios Clericos nobis ad obedientiam reftrictos juri prædictorum Archi-Diaconorum noftrorum, qui derogare præfumpferint in præmiffis, auctoritate præfentium ab officio decernimus effe fufpenfos. Datum Paderbornæ anno Domini Millefimo ducentefimo fexagefimo tertio . . . . Idus Martii.

Schatenus Lib. XI. Annal. Paderbornenf. ad hunc annum.

CONCILIUM TREVERENSE

EODEM TEMPORE.

HEnricus II. Vinftingius, anno 1260. fuerat Ex-Decano Ecclefiæ Metenfis, Romæ ab Urbano IV. nominatus, & confecratus Archi-Epifc. Treverenfis: hic necdum Pallii ufum impetraverat, neque Archi-Epifcopus Treverorum rite confirmatus erat; cum per hofce dies anno 1262. Suffraganeum Metenfem Epifcopum Philippum auctoravit, & propalam quoque Conventum agere, & Sacrorum Ordinem celebrare Synodum aufus eft.

Browerus Annal. Treverenfium Lib. XVI. Acta Synodi latent.

De his attentatis multæ & diuturnæ inquifitiones juffu Pontificis inftituti fuere per Epifcopos, Abbatem & Francifcanos Minores nullo vel exiguo fructu: nam Henricus Archi-Epifcopus felici regimine Ecclefiam Treverenfem annis 29. gubernavit, & auxit redditibus & debita diffolvit, ut Gefta Treverenfium narrant, Tomo II. Prodromi Hiftoriæ Pragmaticæ ab Illmo Honthemio editi.

CON-

CONCILIUM DIOECESANUM COLONIENSE

Anno Christi MCCLXVI. Clementis IV. Papæ II. Interregno magno Germaniæ.

Sub ENGELBERTO II. Falckenburgio, Archi-Episcopo.

CAPITULA SEU RUBRICÆ STATUTORUM ECCLESIÆ COLONIENSIS, EDITORUM A BONÆ MEMORIÆ D. ENGELBERTO, ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI,

Quæ facta sunt Provincialia per Dn. Henricum Archi-Episcopum Coloniensem, anno 1323. ut infra in Statutis ejus invenies.

I. Contra eos, qui manus in Clericos vel Personas Ecclesiasticas injiciunt temere violentas.

II. Contra incendiarios & effractores Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Bonorum Ecclesiasticorum.

III. Contra violatores Immunitatum, & dotium Ecclesiarum.

IV. Contra raptores & invasores bonorum Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum.

V. Contra detentores seu subtractores Decimarum.

VI. Contra nobiles in expeditionibus damna personis Ecclesiasticis in curtibus earum inferentes.

VII. Contra illos, qui se de bonis Clericorum, sive in vita, sive in morte intromittunt.

VIII. Ut bona Clericorum transeant sine telonio libera & absoluta.

IX. Ne Clerici vel Religiosi trahantur ad judicium sæculare.

X. Contra Clericos, qui personas Ecclesiasticas ratione bonorum suorum vocant ad forum sæculare.

XI. Contra eos, qui Clericos quacunque ratione ad forum sæculare traxerint.

XII. Ut similiter contra occupantes & arrestantes bona Ecclesiarum, procedatur.

XIII. Ut Judices Ecclesiastici & Prælati Ecclesiarum, Laicis contra Clericos causam habentibus faciant justitiam expeditam.

XIV. Contra impedientes & turbantes celebrationes sanctarum Synodorum.

XV. Ut Prælati jurisdictione sua libere utantur, in terminis eorum jurisdictioni subjectis.

XVI. Ut Judices Ecclesiastici fraudem in judiciis suis non committant.

XVII. Ne Judices Ecclesiastici se de causis ad forum sæculare spectantibus intromittant.

XVIII. Contra impedientes Ecclesiasticorum Judicum jurisdictionem & executionem sententiarum.

XIX. Contra eos, qui Clericos non sine violenta manuum injectione capiunt & detinent.

XX. Processus forma contra eosdem.

XXI. Si propter captivitatem Clerici, locus aliquis per mensem manserit interdictus.

XXII. Si Decanus per quindenam maneat interdictus.

XXIII. Si captivantes Clericum per duos menses excommunicati fuerint.

XXIV. Ne filii vel filiæ Clericos captivantium & per annum excommunicatorum, ad Ordines vel ad Beneficia admittantur.

XXV. Ut feuda Ecclesiastica ab his, qui per annum contumaciter excommunicationem sustinuerint, ad Ecclesias revertantur.

XXVI.

Engelbertus II. hoc nomine, ex illustri gente Falckenburgica, erat Præpositus majoris Ecclesiæ Coloniensis, quando eligebatur Archi-Episcopus anno 1261: sedit usque ad 1275. quo obiit, redux e Lugdunensi II. œcumenico.

STATUTA D. ENGILBERTI ARCHI-EPISCOPI COLONIENSIS.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

ENGILBERTUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS.

QUamvis ad manutenendam ac defendendam immunitatem, & ad conservandum jus & libertatem Ecclesiarum ipsarum, & Ecclesiasticarum personarum, & eorum, qui in sortem Domini sunt vocati, plurima tam canonica, quam legalia edita sint statuta, & diversæ etiam a diversis nostris Prædecessoribus ac Majoribus super hoc provisiones emanarint: tamen quia excrescente malitia quorundam, zelum Dei non habentium, nova gravamina, exactiones & adinventiones pravas & detestabiles, contra Ecclesiam Dei & Ecclesiasticas personas machinantium, ipsa Ecclesia per statuta, & provisiones hujusmodi, a suis oppressionibus, quas patitur a diversis, nullatenus sublevatur; Nos considerantes, quod contra diversas & innumerabiles tribulationes & injurias, quas a nonnullis (qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, & solo nomine se gloriantur Christianos) Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis frequenter, & maxime modernis temporibus inferuntur, paucissimi, immo nulli etiam Ecclesiæ devotorum se opponunt, licet ex debito omnes ad hoc sint obligati, & maxime locorum moderatores & judices sæculares, qui ex Imperiali etiam constitutione ad ulciscendum Ecclesiarum & Ecclesiæ Ministrorum injurias in sacrilegos sunt adstricti, non exspectato, quod ab eis ultio injuriarum exposcatur: propter quod contingit, malos in malo plus animari, & Ecclesiam, cum non sit, qui consoletur eam, sentire in rebus & personis multiplex detrimentum: Volentes itaque incursibus malorum, se erigentium ex adverso

verſo contra Eccleſiam Dei, & Eccleſiaſticam libertatem, coercitione, qua poſſumus, obviare, ſalvis & in ſuo robore duraturis conſtitutionibus & ordinationibus Prædeceſſorum noſtrorum, per quas Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis in ſuis libertatibus eſt proſpectum, quas nos innovamus & approbamus, & præcipimus per noſtram civitatem & Diœceſim inviolabiliter obſervari: ſalvis etiam juribus Prælatorum & Eccleſiarum conſuetudinibus, licitis & honeſtis electionibus, tam in Prælaturis, quam aliis beneficiis, correctionibus, & ordinationibus, ac aliis libertatibus hucuſque in Eccleſiis habitis & ſervatis: quæ omnia & ſingula ipſis Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis confirmamus, & firma ac illibata volumus permanere: de communi conſilio & aſſenſu Capituli noſtri, & omnium Prælatorum, & Eccleſiarum, & Cleri civitatis, & Diœceſis Colonienſis, & ad illorum ſollicitam inſtantiam, ut præſumptorum coerceatur audacia, & poſſint viri Eccleſiaſtici tuti inter improbos Divinis obſequiis ferventius inſudare,

I. *Contra eos, qui manus in Clericos vel perſonas Eccleſiaſticas injiciunt temere violentas.*

Statuimus, ut ſacrilegi, qui, ſuadente diabolo, Dei timore poſtpoſito, manus injiciunt in Clericum, vel alias perſonas Eccleſiaſticas & religioſas temere violentas, & ex hoc incidunt in excommunicationis ſententiam canonis jam prolati, per frequentem denuntiationem, & communionis denegationem, reconciliationis gratiam quærere, & de offenſa ſatisfacere compellantur: cum de injectione hujusmodi conſtiterit per facti evidentiam, vel publicam famam, vel aliam fidem, coram loci ordinario faciendam per juramentum injuriam paſſi, ſi fuerit perſona honeſta & fide digna: vel per teſtes in loco, in quo ſacrilegi domicilium habuerint, & in quo ſacrilegium committitur, ſi committens Dominus loci fuerit, ceſſetur a Divinis: & ipſi ſacrilegi per omnes Eccleſias Conventuales, & Parochiales, ac Capellas civitatis Colonienſis (ſi injuria in civitate committatur) ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis excommunicati publice & nominatim, ſi eorum nomina ſciri poterunt, alioquin in genere nuntientur. Si injuria extra civitatem committatur, ſcilicet denuntientur per omnes Eccleſias conventuales, parochiales, ac capellas Decanatûs illius, vel etiam Archi-Diaconatûs, in quo hoc contingit. Ita tamen, quod nihilominus ad denuntiationem eorundem pro ipſo forefacto ubicunque commiſſo, & intra civitatem, & extra, ultra procedatur per loci Ordinarium, prout hoc viſum fuerit, expedire. Si vero dicti ſacrilegi, per menſem hujusmodi denuntiationem ſuſtinuerint, minime ſatisfacientes, ex tunc ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, campanis pulſatis & candelis extinctis, per Eccleſias conventuales, parochiales, & capellas, ut proxime dictum eſt, denuntientur excommunicati, & ab omnibus arctius evitandi, donec læſo, nobis, & Eccleſiæ ſatisfecerint competenter, & evidenter, & auctoritate Apoſtolica abſolutionis beneficium conſequantur.

Quod ſi per dimidium annum in excommunicatione perſtiterint, hujusmodi denuntiationibus vilipenſis, ſi laici nobiles fuerint, hujusmodi ſacrilegium committentes, terra eorum & diſtrictus, ſi eos habuerint, ipſo facto Eccleſiaſtico ſuppoſiti ſint interdicto: quod nullatenus relaxetur, niſi de commiſſo fuerit legitime ſatisfactum. Si autem fuerint alii, quam nobiles; Domini terræ, in quorum diſtrictibus manent, ex tunc moneantur per loci Ordinarium, ut dictos ſacrilegos compellant per bonorum, quæ in ſuis habent diſtrictibus, ſubtractionem vel quemcunque alium modum, ut ipſi ſacrilegi ſatisfaciant, & abſolutionis beneficium requirant. Et ſi ipſi Domini in hoc negligentes fuerint, ex tunc per loci Ordinarium excommunicentur: quod ſi ſuſtinuerint animo indurato uſque ad annum, ex tunc terra eorum Eccleſiaſtico ſit ſuppoſita interdicto. Salvis pœnis contra delinquentes hujusmodi & participantes conſtitutis, ad quas procedatur nihilominus, prout hoc viſum fuerit, expedire.

II. *Contra incendiarios & effractores Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & Bonorum Eccleſiaſticorum.*

Contra incendiarios autem & effractores Eccleſiarum, & Monaſteriorum, cum ipſo facto ſint excommunicati, eo-

dem modo procedi ſtatuimus & mandamus, adjicientes, ut ſi habuerint terram vel diſtrictum, illa poſt tres menſes a tempore perpetrati criminis Eccleſiaſtico ſuppoſita ſit interdicto. Cum autem incendiarii aliarum rerum & bonorum Eccleſiarum & Monaſteriorum, ſint tanquam ſacrilegi excommunicandi: ſtatuimus, ut tales moneantur nominatim (ſi eorum nomina ſciri potuerint, alioqui in genere) per Ordinarium loci, in quo committi contingit hujusmodi forefactum, ut intra ſeptem dies a die monitionis ſatisfaciant: alioqui idem Ordinarius extunc ſine dilatione ipſos excommunicet, & excommunicatos denuntiet, & faciat denuntiari in locis, ubi hoc viſum fuerit expedire, ita quod niſi intra quindenam a tempore excommunicationis & denuntiationis ſatisfecerint, extunc ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, campanis pulſatis, & candelis extinctis, per omnes Eccleſias conventuales, parochiales, & capellas civitatis (ſi in civitate contingit) ſeu Decanatus vel Archi-Diaconatus illius loci, excommunicati publice nuntientur, ſicut de incendiariis Eccleſiarum eſt præmiſſum. Et ſi per ſex menſes in excommunicatione contumaciter perſtiterint, ſi habent diſtrictus, illi ſint extunc interdicti: aliorum autem, diſtrictus non habentium, Domini moneantur, & procedatur ſicut ſuperius, de injectoribus manuum continetur.

III. *Contra violatores immunitatum & dotium Eccleſiarum.*

Statuimus item de his, qui violant Eccleſiarum immunitates ſeu dotes, ut violatores hujusmodi, videlicet, qui hominem de immunitate ſeu dote extraxerint, vel aliam rem abſtulerint, vel modo alio eam præſumpſerint violare, quos tanquam ſacrilegos in his ſcriptis excommunicamus, ſimili modo, quo diximus de incendiariis bonorum Eccleſiarum, publice excommunicati denuntientur. Et ſi plures fuerint, vel judex ſæcularis ſit, qui hujusmodi violentiam fecerint, locus, in quo tales domicilium habuerint, ſit ipſo facto interdictus. Et in loco, ubi immunitas læſa eſt, ceſſetur a Divinis.

IV. *Contra raptores & invaſores bonorum Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum.*

Atque ad reprimendum importunam præſumptionem raptorum, prædonum, & invaſorum bonorum ac rerum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Eccleſiaſticarum perſonarum: ſtatuimus, ut quilibet locus, ſeu Parochia noſtræ civitatis vel Diœceſis, ad quem vel ad quam ipſi raptores, prædones vel invaſores pervenerint, ſeu præda, ſpolium vel rapina deducta fuerint, vel ubi prædæ ipſius emptor fuerit, ipſo facto ſit Eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto: & quamdiu ibi fuerit, ceſſetur penitus a Divinis. Et ſi per triduum ibi ſteterint, licet extunc receſſerint, vel ad alia loca ſe tranſtulerint, vel præda ſeu ſpolium alias deductum fuerit; nihilominus Parochia ſeu locus, in quo triduo manſerint, vel ubi præda conſumpta fuerit, maneat per duos menſes interdictus, niſi medio tempore fuerit ſatisfactum. Prædones autem, raptores & invaſores hujusmodi & eorum receptatores ac adjutores, nec non & prædarum emptores, per Ordinarium moneantur nominatim, ſi eorum nomina ſciri poterunt, alioqui in genere, ut intra triduum poſt monitionem, ipſam prædam, ſpolium vel rapinam reſtituant, & condigne ſatisfaciant: alioqui tanquam ſacrilegi, ſententiam excommunicationis, quam nunc ferimus in his ſcriptis, extunc incurrant ipſo facto, & excommunicati per locorum Ordinarios, & eorum Plebanos nuntientur: in qua excommunicatione, ſi ſatisfactione neglecta duraverint per quindenam, extunc per omnes Eccleſias conventuales & parochiales Decanatus illius, in quo rapina committitur, & ubi ipſi ſacrilegi domicilium habent, vel etiam (ſi opus fuerit) civitatis & aliorum locorum campanis pulſatis, & candelis accenſis uſque ad ſatisfactionem condignam nuntientur excommunicati ſingulis diebus Dominicis & feſtivis. Quod ſi per annum in excommunicatione contumaciter perſtiterint, extunc ſubjaceant pœnis expreſſis ſuperius contra eos, qui manus in Clericos injiciunt violentas, & ſecundum hoc, ut ibi diximus, procedatur.

V. *Contra detentores ſeu ſubtractores decimarum.*

Item cum ſacrilegi cenſeantur, quod inju-

injuriose subtrahunt, vel auferunt tributa egentium animarum, videlicet decimas ad hoc a Domino institutas, ut sint cibus in Domo Dei, & eas Ecclesiis, quibus debentur, non persolvunt, surreptores multorum bonorum, quæ ex justa solutione decimarum solent, Domino largiente, omnibus evenire; & incitatores sterilitatis, pestilentiæ, tempestatis, & aliorum malorum, quæ frequenter eveniunt ex subtractione earumdem: statuimus, ut hujusmodi sacrilegi, ac detentores & raptores decimarum, tam novalium, quam aliarum (quos nos in his scriptis excommunicamus) per omnes Ecclesias Parochiales nostræ civitatis & Diœcesis per totum circulum cujuslibet anni, quolibet mense, uno die Dominico vel festivo campanis pulsatis & candelis extinctis, excommunicati publice & districte per Rectores Ecclesiarum nuntientur. Et nihilominus ad ulteriora procedatur per loci ordinarium, si visum fuerit expedire.

VI. *Contra Nobiles, in expeditionibus damna personis Ecclesiasticis in curtibus earum inferentes.*

Statuimus item, quod quicunque nobiles, vel alii ad prælia, vel ad alias expeditiones processuri, jacuerint in grangiis, curtibus, seu possessionibus vel bonis Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum vel Monachorum cujuscunq; ordinis, aut fecerint ibidem damna vel rapinas, nisi intra mensem post monitionem, a Capitulo & Prioribus Coloniensibus; qui præsentes fuerint, faciendam, de damnis, rapinis & injuriis irrogatis satisfaciant læsis & damnum passis, ipso facto sint excommunicati excommunicatione, quam in ipsos ferimus in his scriptis: & excommunicati publice usque ad satisfactionem condignam, ubi & quando expedire videbitur, nuntientur. Et ulterius crescente contumacia contra eos procedatur, sicut contra bonorum Ecclesiarum invasores superius est expressum.

VII. *Contra illos, qui se de bonis Clericorum sive in vita, sive in morte intromittunt.*

Statuimus item, ut nullus laicus, cujuscunque dignitatis vel conditionis existat, de bonis Clericorum sive in vita sive in morte se intromittat: sed quilibet Clericus de bonis suis, sicut in vita ita, & in morte testamentum suum faciendi, & de rebus suis disponendi per se vel per alios, quibus hoc commiserit, liberam habeat facultatem. Et alios, qui contra hoc statutum de bonis & rebus Clericorum decedentium, ausu sacrilego se ingesserint, nisi sint ipsorum Clericorum manufideles, seu ultimarum executores voluntatum, ex nunc sententia excommunicationis innodamus. Et per locorum Ordinarios præcipimus excommunicatos publice nuntiari, donec ablata restituerint, & alias satisfecerint competenter. In qua excommunicatione, si per mensem perstiterint, ex tunc contra eos, tanquam invasores bonorum Ecclesiarum, procedatur.

VIII. *Ut bona Clericorum transeant sine telonio libera & absoluta.*

Statuimus etiam, ut bona Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum civitatis & Diœcesis Coloniensis, sint & maneant in omni loco, tam in civitate, quam extra, & transeant tam in terris, quam in aquis absque telonio & qualibet exactione, & sine omni impedimento libera & penitus absoluta. Si qui vero contra hoc venire præsumpserint, contra ipsos tanquam contra invasores, & raptores bonorum Ecclesiarum, de quibus supradictum est, procedatur.

IX. *Ne Clerici vel Religiosi trahantur ad judicium sæculare.*

Item cum Clerici vel Religiosi coram judicio sæculari non debeant in causam trahi, suo vel Ecclesiæ, vel alicujus alterius nomine, nec a laicis contra eos sententia dictari; hoc fieri sub interminatione excommunicationis (quam ferimus in his scriptis) firmiter prohibemus: statuentes, ut si laicus Clericum vel religiosum ad forum traxerit sæculare, idem laicus omnino cadat a causa: & nihilominus per Ordinarium ipsius excommunicatus denuntietur publice usque ad satisfactionem condignam. Præterea Judex sæcularis & scabini loci, in quo contingit hoc, per Ordinarium ipsius loci moneantur, ut de tali se causa nullatenus intromittant: penitus desistendo & revocando intra triduum, si in aliquo occasione hujusmodi in præjudicium ipsius Clerici vel religiosi est processum. Alioqui

qui ipsi judices & scabini per eundem Ordinarium sine dilatione qualibet excommunicentur, excommunicati publice usque ad condignam satisfactionem nuntientur. In qua excommunicatione si per quindenam perduraverint, locus ille sit ex tunc Ecclesiastico suppositus interdicto: quod non relaxetur, nisi prius sufficienter sit satisfactum passo injuriam, ac nobis & Ecclesiæ. Et judicatum, si quod contra ipsum Clericum & Religiosum est factum, & si quid aliud subsecutum est, sit penitus revocatum.

X. *Contra Clericos, qui personas Ecclesiasticas ratione bonorum suorum vocant ad judicium sæculare.*

Si vero Clericus Clericum in foro sæculari, suo vel Ecclesiæ, vel alterius cujuscunque nomine in causam traxerit, causam amittat. Et si monitus ab Ordinario, in continenti non destiterit, ac intra septem dies non satisfecerit in causam tracto, nobis & Ecclesiæ competenter; ab officio vel beneficio sit suspensus ipso facto, donec satisfecerit competenter. Et si in suspensione hujusmodi durante, se ingesserit beneficio vel officio, ab eodem Ordinario excommunicetur, & excommunicatus publice nuntietur. Et si in hujusmodi contumacia & excommunicatione per tres septimanas permanserit, ex tunc beneficio, si quod habet, cum cura, vel sine cura, ipso facto sit privatus, & ad idem beneficium nihilominus inhabilis ad rehabendum existat. Si vero beneficium aliquod non habuerit, sit inhabilis ad habendum. Contra judicem vero & scabinos, qui se de hujusmodi judicio vel causa intromiserint, procedatur sicut superius in proximo capitulo est expressum.

XI. *Contra eos, qui Clericos occasione quacunque ad forum sæculare traxerint.*

Item damnamus, & sub interminatione anathematis prohibemus detestabile statutum, immo errorem, a quibusdam laicis contra libertatem Ecclesiasticam introductum, videlicet, ut si laicus causam habet contra Clericum, vel Ecclesiam conventualem, seu Monasterium, seu quamcunque aliam domum religiosam, idemque Clericus vel Ecclesia possessiones vel alia bona habet in districtu judicis sæcularis, laicus ipse, vel judex compellit Clericum, vel Ecclesiam coram sæculari judicio litigare ratione possessionum vel bonorum eorundem. Et ipse judex sæcularis diem assignat Clerico vel Ecclesiæ ad litigandum coram eo: ad quem si non venerit, sicut nec tenetur, vel veniens coram eo noluerit litigare; bonis suis privat eundem, plurimas alias abusiones in his & consimilibus committendo: statuimus in hoc casu idem tam contra actorem, quam judicem & scabinos, observari, quod diximus de Clerico Clericum trahente ad judicium sæculare. Et judicibus ipsis & scabinis hujusmodi factum non revocantibus, & alias non satisfacientibus competenter intra biduum post monitionem ab Ordinario faciendam, locus, ubi hoc contingit, Ecclesiastico sit suppositus interdicto. Quo durante per quindenam, superior, sive Dominus illius judicis & scabinorum, moneatur per Ordinarium, ut tale forefactum procuret revocari, & faciat intra septem dies post ipsam monitionem emendari. Alioqui contra ipsum superiorem sive Dominum procedatur, prout in statuto contra injectores manuum in Clericos, de Nobilibus & Dominis est expressum.

XII. *Ut similiter contra occupantes & arrestantes bona Ecclesiarum procedatur.*

Et eodem modo statuimus contra occupantes, seu sæculari judicio arrestantes bona Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum, sive religiosarum procedi & idem observari.

XIII. *Ut Judices Ecclesiastici & Prælati Ecclesiarum, laicis contra Clericos causam habentibus justitiam faciant expeditam.*

Ne vero laici occasionem habeant de defectu justitiæ contra Clericos querulandi, statuimus sub pœna excommunicationis firmiter præcipientes, ut Prælati seu Ordinarii Clericorum & Ecclesiarum, laicis contra ipsos Clericos vel Ecclesias causam habentibus faciant (cum requisiti fuerint) secundum consuetudinem capitulorum, si fuerit in Ecclesia collegiata: & alias de Clericis, non existentibus de collegio, secundum jus scriptum vel consuetudinarium, justitiam expeditam.

XIV. *Contra impedientes & turbantes celebrationes Sanctarum Synodorum.*

Statuimus etiam, ut Prælati & ordinarii judices noſtræ civitatis & Diœceſis, in terminis eorum jurisdictioni ſubjectis, Synodum ſuam (qui ad hoc tenentur) obſervent per ſe vel per alios, congruis temporibus, ab ipſis Prælatis, prout expedire viderint, præfigendis, & quæ corrigenda vel reformanda occurrunt, corrigant & reforment: & omnes in Eccleſia illa & Parochia, in qua Synodus celebranda fuerit, quandocunque eis fuerit denuntiata, ad Eccleſiam & Synodum veniant obedienter, & jura Synodalia obſervent reverenter, non obſtante aliqua occaſione vel conſuetudine contraria, quam corruptelam reputamus & penitus reprobamus. Soli tamen nobiles excipiantur, qui ad noſtram Synodum noſcuntur ſpecialiter pertinere. Si qui vero laicorum contra hoc venire præſumpſerint, & in hoc mandato ipſius Prælati, ſive Ordinarii non obediverint, ſententiam excommunicationis (quam in his ſcriptis in ipſos ferimus) ipſo facto vel omiſſione incurrant, & excommunicati ſingulis diebus Dominicis & feſtivis per Plebanos eorum & alios, prout hoc Prælato ipſi expedire videbitur, uſque ad ſatisfactionem condignam publice nuntientur. Si vero multitudo Parochiæ fuerit in cauſa, ſeu in culpa, locus ille, in quo Synodum vel jura Synodalia impediri contingit, ſit ipſo facto Eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto: quod non relaxetur, niſi de hoc ſatisfactum fuerit competenter. Nobilibus vero, ne hujusmodi Synodos vel jura Synodalia impediant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter prohibemus.

XV. *Ut Prælati jurisdictione ſua libere utantur, in terminis eorum jurisdictioni ſubjectis.*

Sed ne delicta, ſeu commiſſa ſubditorum maneant impunita, & ex hoc tribuatur audacia delinquendi: ſtatuimus, ut Prælati in terminis eorum jurisdictioni ſubjectis ſua jurisdictione libere utantur, tam in correctione, quam in judicio, & animadverſione, ac aliis, quæ ad hoc videbuntur expedire: nec in his alter ab altero impediatur, ſed juvetur. Et ſi aliquæ ſententiæ a Prælato in ſuum ſubditum propter ipſius exceſſus prolatæ fuerint, illæ ſententiæ ab aliis Prælatis inviolabiliter uſque ad ſatisfactionem condignam obſerventur, & etiam executioni, ſi opus fuerit, demandentur.

XVI. *Ut Judices Eccleſiaſtici fraudem in judiciis ſuis non committant.*

Item ſtatuimus, ut Judices Eccleſiaſtici in judiciis, ſive cauſis officium ſuum (ſolum Deum & juſtitiam præ oculis habentes) fideliter exequantur. Et ſi ſcienter per gratiam, vel per ſordes aliquam partium in cauſis contra juſtitiam læſerint, præter pœnas a jure ſtatutas (quibus ſubjaceant) ipſo facto incurrant ſententiam excommunicationis, a nobis latam in his ſcriptis: & nihilominus per ſuperiorem contra eos, ſi opus fuerit, ad graviora procedatur.

XVII. *Ne Judices Eccleſiaſtici ſe de cauſis, ad forum ſæculare ſpectantibus, intromittant.*

Statuimus & hoc, ut de cauſis ad forum ſæculare ſpectantibus Judices Eccleſiaſtici ſe nullatenus intromittant: ſed quam cito inter litigantes de hoc exceptum fuerit coram ipſis Judicibus Eccleſiaſticis, & oſtenſum, ſicut de jure fuerit faciendum, cauſam ad judicem ſæcularem remittere non poſtponant.

XVIII. *Contra impedientes Eccleſiaſticorum Judicum jurisdictionem & executionem ſententiarum.*

Ne vero jurisdictionem Judicum Eccleſiaſticorum, ſive Ordinarii fuerint, ſive delegati, a ſæcularibus judicibus vel perſonis impediri, & ex hoc (ſicut a pluribus intentatur) diſſolvi contingat nervum Eccleſiaſticæ diſciplinæ: ſtatuimus, ut nullus ſæcularium, ſive nobilis fuerit, ſive alter qualiscunque, Eccleſiaſticorum Judicum jurisdictionem in citationibus, monitionibus, denuntiationibus, executionibus, ac aliis modis, quibus jurisdictio Eccleſiaſtica exercetur, per ſe, vel per alium impediat aliquatenus vel retardet: & qui contra hoc auſu temerario venire præſumpſerit, & monitus ab Ordinario, vel delegato, intra ſeptem dies a tempore monitionis factæ non deſtiterit omnino, nec revocaverit, ſi quid in præjudicium præmiſſorum atten-

attentaverit, ſententiam excommunicationis (quam in his ſcriptis ferimus in hujusmodi præſumptores) incurrat ipſo facto. Quam excommunicationem, ſi per quindecim ſequentes dies contumaciter ſuſtinuerit, extunc, ſi Nobilis, aut Dominus eſt, terra ipſius & diſtrictus, ſi quem habet, ſit ipſo facto Eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto. Et nihilominus in loco, ubi faciens impedimentum prædictum, vel procurans, domicilium habet, ceſſetur a Divinis, quouſque impedimentum ſit revocatum, & alias legitime ſatisfactum.

XIX. *Contra eos, qui Clericos non ſine violenta manuum injectione capiunt & detinent.*

Quia vero in tantam veſaniam plerumque prorumpit quorundam perverſitas perverſorum, ut auſu ſacrilego Clericos & Eccleſiaſticas perſonas non ſine violenta manuum injectione damnabiliter capere, & captivos execrabiliter detinere non formident: ſtatuimus, ut Clericorum captivatores, quicunque fuerint, aut cujuscunque dignitatis aut conditionis, cum omnibus, conſilium, auxilium, opem vel operam adhibentibus, per omnes Eccleſias conventuales, parochiales, & capellas civitatis & Diœceſis Colonienſis (cum ipſo facto excommunicatione canonis ſint ligati) excommunicati nominatim, ſi eorum nomina ſciri poterunt, alioqui in genere, publice denuntientur, donec captivus ſit liberatus, & de forefacto fuerit læſo, Nobis & Eccleſiæ ſatisfactum: & ſi intra octo dies poſt hujusmodi denuntiationem captivus non fuerit liberatus, extunc iidem captivatores cum adhibentibus conſilium, auxilium, opem & operam, ut prædictum eſt, nominatim, quorum nomina ſciri potuerint, alioqui in genere, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, campanis pulſatis, & candelis extinctis, per easdem Eccleſias & Capellas excommunicati ſolenniter & publice nuntientur. Idemque obſervetur, ſi captivo liberato, non fuerit læſo, Nobis & Eccleſiæ intra menſem ſatisfactum. Et nihilominus evitentur, donec per auctoritatem Apoſtolicam abſolvantur.

XX. *Proceſſus forma contra eoſdem.*

Statuimus etiam, quod in omni loco, videlicet civitate, oppido, caſtro ſeu munitione, vel villa, vel alio quocunque nomine vocetur, ubi Clericus captivus fuerit adductus, receptus, vel detentus, eodem die cum illuc deductus, receptus vel detentus fuerit, & quam diu ibidem exſtiterit, ceſſetur penitus a Divinis; & ſit ipſe locus ipſo facto Eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto. Et ſi per triduum ibidem manſerit captivus, nec fuerit liberatus, locus ipſe, quamvis poſtmodum captivus de eodem fuerit deductus, nihilominus maneat interdictus, donec captivus liberetur, & modo præmiſſo fuerit ſatisfactum. Ut ſic tam Nobiles, quam Magnates, ac etiam populares cum plebe, contra malefactores & ſacrilegos hujuſmodi ex Divinorum carentia provocati, conſurgant, ad liberationem illius, qui auſu ſacrilego captivus detinetur, auxilium præſtituri.

XXI. *Si propter captivitatem Clerici, locus aliquis per menſem manſerit interdictus.*

Item ſi propter captivitatem, vel detentionem Clerici captivi, locus, ubi detinetur; vel ubi captivans habet domicilium, per menſem unum manſerit interdictus, ita quod Clericus liberatus non fuerit, nec alias ſatisfactum: ex tunc interdictum ipſum, ad totum Decanatum, in quo locus ille conſiſtit, extendatur, & ſit ipſe Decanatus totus interdictus.

XXII. *Si Decanatus per quindenam maneat interdictus.*

Et ſi hujuſmodi interdicto durante per quindenam, Clericus captivus non fuerit liberatus, extunc, ſi nobilis fuerit, vel potens, vel alius quicunque habens terram, jurisdictionem vel diſtrictum, qui Clericum captivavit, vel detinet, terra & diſtrictus ejus, ubicumque fuerit, Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Et idem interdictum eademque pœna obſervetur, ſi Dominus, aut nobilis, aut alius quicumque, in cujus diſtrictu vel jurisdictione captivans, vel detinens Clericum, quamvis ab alio captivatum, habuerit domicilium vel receptaculum, monitus ab Ordinario loci, intra quindenam a die monitionis factæ, ipſum Clericum non procuraverit liberari.

XXIII.

XXIII. *Si captivantes Clericum per duos menſes excommunicati fuerint.*

Sed & poſtquam captivans Clericum, vel detinens captivatum, per duos menſes in excommunicatione perſtiterit, Clerico non liberato, omnis locus, ad quem captivans vel detinens pervenerit, vel quia tranſierit, ibidem comedendo vel bibendo, fit per continuum ſequens triduum interdictus. Sic & per ſeptem ſequentes dies ſit interdictus, ubi ipſum contigerit pernoctare.

XXIV. *Ne filii vel filiæ Clericos captivantium & per annum excommunicatorum, ad ordines, vel ad beneficia Eccleſiaſtica admittantur.*

Porro ſi captivans Clericum vel Religioſum, vel detinens ac ſacrilegus, hujusmodi pœnis ſupradictis vilipenſis, congrua ſatisfactione neglecta, per annum unum in excommunicatione hujusmodi perdurare animo præſumpſerit indurato ſive obſtinato: ſtatuimus, ut nulli de filiis & filiabus, fratribus & ſororibus, ſeu filiis vel filiabus fratrum vel ſororum, uſque ad tertium gradum incluſive in linea deſcendenti & collaterali, & illi etiam, qui ad hujusmodi captivitatem opem vel operam impenderint, vel captivum Clericum in ſuis domiciliis detinuerint, ad ordines ſeu beneficia, aut etiam Prælaturas admittantur: cum ex delicto Parentum, ipſo facto reddantur inhabiles ad hujusmodi conſequenda: ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſtatuentes & mandantes examinatoribus Clericorum, Capitulis, Patronis, & Archi-Diaconis, ac Prælatis, ut nullum ex talibus ad ordines admittant: Capitula nullum ex eis ad Præbendam eligant, Patroni nullum ex eis præſentent: Archi-Diaconi ac Prælati tales non inveſtiant ullo modo. Alioqui Capitula, Patroni & Archi-Diaconi, ac Prælati ipſo facto, jus ſuum amittant ea vice, & ad proximum ſuperiorem devolvatur. Examinatores vero & Archi-Diaconi aliquem ex talibus ſcienter ad ordines vel beneficia admittentes, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Idem de filiabus, ſororibus & filiabus ſororum & filiarum prædictarum, uſque ad gradum prædictum, ſtatuimus obſervandum, ut in clauſtris vel cœnobiis cujuscunque ordinis nullatenus admittantur. Idem etiam, quo ad excluſionem hujusmodi, in filiis, filiabus, nepotibus & neptibus eorum, qui Eccleſias vel Monaſteria incenderint, ſi per annum in excommunicatione, neglecta ſatisfactione, perſtiterint contumaciter, contra tales ſtatuimus obſervandum.

XXV. *Ut feuda Eccleſiaſtica ab his, qui per annum contumaciter excommunicationem ſuſtinuerint, ad Eccleſias revertantur.*

Feuda etiam, ſiqua prædicti ſacrilegi ab Eccleſiis vel Eccleſiaſticis Perſonis tenuerint, poſt lapſum anni, per quem excommunicationem ſuſtinuerunt, ad Eccleſias & Perſonas Eccleſiaſticas libere revertantur, ita ut ſi ipſi ſacrilegi ultra ſe de hujusmodi feudis ingeſſerint, contra eos tanquam invaſores bonorum Eccleſiæ procedatur.

XXVI. *Mitigationes pro fratribus & ſororibus, ac aliis perſonis factæ, ſi ſe voluerint intra annum canonice expurgare.*

Volentes nihilominus, ut fratres & ſorores, filii & filiæ fratrum & ſororum, & alii in linea collaterali gradus ſupradicti, qui ſacrilegis & excommunicatis hujusmodi in ſuis maleficiis non aſſiſtunt, nec adſtiterunt, & ad ipſa maleficia opem vel operam, aut favorem non impenderunt, nec impendunt, ſine culpa eorum, aut ſine cauſa non graventur ex maleficiis aliorum: ſtatuimus, ut iidem fratres & ſorores, filii & filiæ fratrum & ſororum, & aliæ perſonæ lineæ collateralis, pœnis ſupradictis, quoad excluſionem ab ordinibus, & beneficiis, & prælaturis hujusmodi non ſubjaceant, nec adſtringantur eisdem, ſi intra eundem annum coram Nobis aut Capitulo, & Prioribus Colonienſibus, ſe canonice expurgaverint, quilibet quarta manu, quod prædictis ſacrilegis hujusmodi maleficiis conſilio vel auxilio, ope vel opera non adſtiterint, & juramento corporali firmaverint, quod eis ulterius non adſtabunt.

XXVII. *Si Clericum in alia Diœceſi capi, vel in iſta captum, ad aliam Diœceſim deduci contingat.*

Statuimus item, ut ſi Clericum Colonienſis civitatis aut Diœceſis, in alia Diœceſi capi contingat, vel in noſtra civitate aut Diœceſi captum ad aliam Diœ-

cesim deduci vel transferri, quod per Capitulum & Priores Colonienses, & alia Capitula, ad liberationem captivi, & ad procedendum contra sacrilegum illius Diœcesis, qui in hoc culpabilis fuerit, apud loci Diœcesanum affectuose laboretur, prout visum fuerit expedire.

XXVIII. *Contra occisores & mutilatores Clericorum.*

De occisoribus & mutilatoribus Clericorum, & Clericos in captivitate usque ad mortem detinentibus, seu alias enormiter lædentibus: statuimus, ut per omnes Ecclesias conventuales, parochiales & capellas civitatis & Diœcesis Coloniensis, ipsi occisores, & mutilatores, & omnes opem & operam seu consilium ad hoc adhibentes, singulis diebus Dominicis & Festivis, campanis pulsatis, & candelis extinctis, nominatim, quorum nomina sciuntur, alioqui in genere, excommunicati denuntientur ab omnibus arctius evitandi, donec sufficienter satisfecerint, & a Sede Apostolica redierint absoluti. Præterea locus omnis, ad quem venerint, sit interdictus, quamdiu ibi fuerint: & per sequens triduum, si ibi biberint vel comederint: & per septem sequentes dies, ubi eos pernoctare contigerit. Cæterum si nobiles fuerint, vel alii, terram & jurisdictionem, vel districtum habentes, & intra tres menses a tempore perpetrati sceleris, ad arbitrium Nostrum, aut Capituli, & Priorum Coloniensium non satisfecerint, terra eorum & districtus ex tunc sit ipso facto, Ecclesiastico suppositus interdicto: & feuda, seu officia, vel possessiones, (a) si quas habent ab Ecclesiis & Ecclesiasticis personis, amittant, & ad Ecclesias, a quibus eas habuerint, revertantur, ita, quod ipsorum sacrilegorum hæredes ad feuda hujusmodi vel aliqua alia ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis descendentia, nunquam in perpetuum amittantur. De quibus, si ultra se ingesserint, contra eos procedatur tanquam bonorum Ecclesiarum invasores, prout superius est, expressum. Et hoc etiam in aliis personis, quæ non sunt nobiles, feuda habentibus, volumus observari. Præterea si Domini terræ, in quorum districtibus manent, vel domicilium habent, vel ubi tam enorme scelus commissum extiterit, tam nefarios, sacrilegos & nefandos, in suis districtibus sustinuerint, & contra eos ad bonorum privationem & proscriptionem de terra, non processerint, contra ipsos Dominos tanquam contra consentientes malo hujusmodi, monitione præmissa, procedatur.

XXIX. *Contra occisores Clericorum, per annum in excommunicatione existentes.*

Si autem intra annum absolutionem a Sede Apostolica impetrare, & alias congrue satisfacere neglexerint, statuimus, ut ex tunc nullus filiorum aut nepotum eorundem sacrilegorum, ad ordines vel ad beneficium Ecclesiasticum, vel dignitatem usque ad quartum gradum, admittatur. Et idem fiat de filiabus & neptibus eorundem. Et si quis eos vel eas admiserint, incurrant pœnas, quæ superius de filiis & nepotibus Clericos captivantium, sunt expressæ.

XXX. *Contra eos, qui minas intulerint personis Ecclesiasticis de corpore, vel de rebus.*

Volentes item malo, antequam eveniat, quantum possumus obviare: statuimus, ut si quis Ecclesiasticæ personæ minas intulerit de corpore, vel de rebus: & monitus a judice Ordinario, ipsam personam Ecclesiasticam non assecuraverit, a tempore monitionis intra septem dies, ab ipso Ordinario ex tunc excommunicetur, & excommunicatus publice nuntietur, donec assecuret ipsam personam Ecclesiasticam, & de ea coram suo judice accipiat rationem.

XXXI. *Contra eos Clericos, qui sacrilegium in Clericos committere non verentur.*

Cum vero magnum sit scandalum & plerisque laicis (qui alioqui Clericis sunt infesti) similia committendi existat quamplurimum incentivum, quod Clerici in Clericos sacrilegium committere non verentur: statuimus, ut Clericus vel Canonicus injiciens manus violentas in Clericum vel Ecclesiam suam vel aliam, aut Ecclesiasticam personam spolians, vel violentiam in immunitate committens, vel bona eorum sæculari judicio occupans, vel ad aliquod horum, consilium seu auxilium, vel operam dans, pro

(a) *forte:* pensiones.

pro hujusmodi injectione in continenti per omnes Ecclesias & Capellas civitatis & Dioecesis excommunicatus nuntietur. Et cum de aliis constiterit per evidentiam vel famam publicam, vel juramentum, injuriam, vel damnum passi, si fuerit persona fide digna, vel per fidem testium summarie faciendam, per Ordinarium moneatur, ut intra septem dies a tempore monitionis factæ, de forefacto perpetrato satisfaciat competenter: alioqui a nobis excommunicatus excommunicatione (quam ferimus in his scriptis) ex tunc per omnes Ecclesias (ut suprascriptum est) publice nuntietur.

Quod si intra quindecim dies non satisfecerit, ex tunc nuntietur, campanis pulsatis, & candelis extinctis, singulis diebus Dominicis & festivis excommunicatus. Quod si per annum in hujusmodi excommunicatione perstiterit, ex tunc omnibus beneficiis Ecclesiasticis, siqua habuerit, ipso facto sit privatus. Et illi, ad quos pectat beneficiorum ipsorum collatio, ea conferant intra mensem: alioqui per Superiorem ex tunc conferantur. Et nihilominus sit inhabilis ad aliqua alia consequenda.

XXXII. *Contra Clericum, qui occasione alicujus quæstionis Clericum captivaverit.*

Si autem Clericus Clericum occasione alicujus quæstionis, quam habeat, captivaverit, vel ad capiendum ipsum, consilium auxilium vel operam adhibuerit: statuimus, ut caussam amittat ipso facto, & excommunicatus publice, ut de aliis captivatoribus præmissum est, nuntietur: & si intra septem dies liberationem ipsius captivi non procuraverit, ac intra alios quindecim dies læso, nobis, & Ecclesiæ non satisfecerit, ex tunc omnibus beneficiis Ecclesiasticis, si quæ habet, sit ipso facto privatus, & inhabilis in perpetuum ad aliquod beneficium consequendum. Et si ille, ad quem collatio beneficiorum hujusmodi pertinuerit, intra mensem non de eis ordinaverit, ea aliis vel alii conferendo, collatio ac ordinatio eorundem ad proximum Superiorem sit ipso facto devoluta. Si vero beneficium non habuerit, sit inhabilis in perpetuum ad aliquod obtinendum. Præterea omnis locus, ad quem hujusmodi sacrilegus pervenerit, vel ubi biberit, aut comederit, aut pernoctaverit, sit ipso facto interdictus eo modo, sicut de laicis captivatoribus Clericorum est præmissum.

XXXXIII. *Contra Clericos, qui mutilant, vel occidunt Clericum.*

Statuimus etiam, ut Clericus occidens vel mutilans Clericum, vel eum usque ad mortem captivum detinens, sit ipso facto ab omnibus beneficiis Ecclesiasticis habitis, & a spe habendorum penitus destitutus, & excommunicatus in omnibus Ecclesiis, ut superius dictum est, nuntietur: locis, ad quæ venerit, vel ubi biberit, comederit, aut pernoctaverit, ut superius dictum est, suppositis ipso facto Ecclesiastico interdicto: & nihilominus ad alias personas per nos aut Capitulum & Priores Colonienses, sicut opus fuerit, procedatur.

XXXIV. *De litigantibus super una præbenda in aliqua Ecclesia Diœcesis Coloniensis.*

Quum vero plerumque contingat, quod vacante præbenda in aliqua Ecclesia civitatis vel Diœcesis Coloniensis, in qua duo vel plures auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus, aut quavis alia auctoritate, jus se asserunt habere, & per executores suos, seu quoscunque alios se procurant mitti in possessionem corporalem præbendæ ipsius, cujus occasione missionis, de hujusmodi præbenda contendentes bona, res, & jura ipsius Ecclesiæ tam intra immunitatem, quam extra, indifferenter rapiunt, & invadunt, seu per sæculare judicium occupari, vel arrestari procurant, sententias excommunicationis in (*b*) certas personas de capitulo, & suspensionis in capitulum, nihilominus a suis executoribus fulminari facientes, propter quod in rebus & personis tam spiritualibus, quam in temporalibus Ecclesiæ non modicum detrimentum sustinent & jacturam: statuimus, ut cum in aliqua Ecclesia casus hujusmodi emerserit, Decanus & Capitulum illius Ecclesiæ auctoritate hujusmodi constitutionis sibi faciant literas authenticas & instrumenta, quibus sic contendentes uti volue-

(*b*) tertias

voluerint pro jure ſuo, hinc inde a partibus exhiberi, & convocatis Capitulo & prioribus Colonienſibus, qui præſentes fuerint, & haberi commode potuerint, per eos ad hoc vocatis juriſperitis, qui viſi fuerint expedire, per quos hujuſmodi quæſtio & diſcordia decidatur, & eorum diſcuſſioni ſeu ſententiæ ſtetur, & inviolabiliter obſervetur. Et ſi Capitulum & Priores propter difficultatem juris vel alias cauſas legitimas, quæſtionem hujusmodi decidere non poterunt, nec decidunt, cauſam eandem ad curiam Domini Papæ decidendam transmittant, præfigentes partibus terminum competentem, quo ſe conſpectui Papæ repræſentent, cum omnibus ſuis monumentis & documentis juſtitiam recepturæ. Cauſa vero & quæſtione hujuſmodi durante, medietas fructus præbendæ vacantis in uſus cedat Eccleſiæ, & reliqua pars alicui idoneæ perſonæ, quæ deſerviat in ordine, quem defuncti præbenda requiſierit, deputetur: & ſiqua partium ſententiam pro ſe in curia habuerit, & in cauſa evicerit, fructus ejuſdem præbendæ de mandato Domini Papæ Capitulo præſentato, ceſſante occaſione qualibet, miniſtretur. Si qua vero partium, litterarum ſuarum copiam facere, & hoc ſtatutum ſubire contumaciter renuerit, & de ſua potentia vel malitia confiſa, bona Eccleſiæ invadere ac rapere temere & irreverenter, Dei timore poſtpoſito, præſumpſerit, contra ipſam partem, tanquam contra raptorem bonorum Eccleſiæ, ut ſupradictum eſt, procedatur. Statuimus etiam, ut hæc non ſolum ad futura hujuſmodi negocia, ſed etiam ad præſentia & præterita a tempore electionis noſtræ extendantur.

XXXV. *Ne aliquis Clericus ſacrilegis, excommunicatis, aut uſurariis aſſiſtat, vel eos defendat.*

Cum ſalvis pœnis ſtatutis tam in jure Canonico, quam civili & coercitione noſtræ ordinariæ poteſtatis contra injuriatores Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, prædictis modis & aliis, qui ad hoc videbuntur expedire, providerimus procedendum: ſtatuimus, ut perſonis quibuſcunque, qui manus in Clericos aut Religioſos injiciunt, vel (c) alias ſpoliant & capiunt, aut in aliquo ſupradictorum modorum vel exceſſuum contra Eccleſias vel Eccleſiaſticas perſonas exceſſerint, ſeu ſententiis excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti, aut aliis modis ſupradictis ſe involverint, Clerici, ſive in dignitate conſtituti, ſive alii, vel etiam advocati, conſilio, vel auxilio in aperto, vel in occulto non aſſiſtant: & qui contra venerint verbo vel facto, ſententiam excommunicationis (quam in eos ferimus in his ſcriptis) incurrant ipſo facto, & excommunicati publice, qui de hoc convicti fuerint, vel confeſſi, uſque ad ſatisfactionem condignam nuntientur: & ſi publice pro hujuſmodi perſonis præſumpſerint in judicio poſtulare, earum injurias defendendo, & moniti ab eorum Ordinariis, non deſtiterint, excommunicati publice, tanquam illi, quorum exceſſus vel injurias nituntur defendere, nuntientur, & alias etiam contra eos, ſi opus fuerit, procedatur. Idem ſtatuimus fieri de his, qui uſurariis manifeſtis aſſiſtunt patrocinio, vel defendunt eoſdem.

XXXVI. *Ne Clerici Capellani nobilium excommunicatorum cum ipſis Dominis ſuis* (d) *ultra menſem permaneant.*

Statuimus, ut Clerici ſeu Capellani Dominorum ſuorum, aut nobilium, vel aliarum perſonarum, qui fuerint propter aliquem prædictorum exceſſuum, ſententia excommunicationis innodati, Dominis ſuis in hujuſmodi injuriis conſilium vel auxilium verbo vel facto non impendant: alioqui ſe noverint eadem excommunicatione involutos. Præterea ipſos Dominos ſuos modis, quibus poterunt inducant, ut de eis, pro quibus excommunicati exiſtunt, ſatisfaciant, & ad reconciliationem ſanctæ Matris Eccleſiæ revertantur: quod ſi intra menſem eoſdem Dominos ſuos ad hoc inducere nequiverint, ex tunc omnino recedant ab eiſdem, nec eis communicent: alioqui ipſos Clericos ſeu Capellanos, qui ultra id cum Dominis ſuis permanſerint, & eis communicaverint, majori excommunicatione in his ſcriptis latæ ſententiæ innodamus, & præcipimus eos per locorum Ordinarios, excommunicatos publice nuntiari.

In

(c) eos. (d) per *loco* ultra.

In qua excommunicatione si per duos menses contumaciter perduraverint, & a Dominis suis non recesserint ex tunc ipso facto omnibus beneficiis Ecclesiasticis, cum cura vel sine cura, quæ habent, sint privati: & eadem beneficia per illos, ad quorum collationem pertinent, aliis personis idoneis intra mensem conferantur: alioqui ex tunc per Superiorem proximum conferantur, & nihilominus sint inhabiles ad alia beneficia obtinenda.

XXXVII. *Contra eos, qui sententiam excommunicationis damnabiliter vilipendunt.*

Cumque nonnulli sententiam excommunicationis damnabiliter vilipendant, statuimus, ut quicunque excommunicatus, & in Parochia sua denuntiatus, per annum in ipsa excommunicatione perstiterit, & de hoc fides facta fuerit, per litteras excommunicatoris (quas sufficere volumus in hac parte, si fuerit Ordinarius, & alias per aliam fidem sufficientem) si hujusmodi fuerit nobilis, vel alius habens terram vel districtum, illa terra vel districtus per Ordinarium loci, super hoc requisitum, ab excommunicatore vel actore, Ecclesiastico sine difficultate supponatur interdicto. Et si fuerit alius quam nobilis, Dominus temporalis seu judex, in cujus districtu excommunicatus manserit, seu domicilium habuerit, moneatur per Ordinarium ipsius, ut compellat ipsum excommunicatum redire ad Sanctæ Matris Ecclesiæ unitatem. Alioqui idem Dominus sive judex, per ipsum Ordinarium excommunicationis sententia percellatur.

XXXVIII. *Contra computrescentes in excommunicatione ultra annum, quomodo procedendum.*

Ipsi autem excommunicati, cum per annum in excommunicatione perstiterint, in Synodis accusentur, tanquam clavium Ecclesiæ contemptores, & satisfacere compellantur, adhibito etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

XXXIX. *Ut Prælati, & quælibet Ecclesiasticæ personæ, ad observationem statutorum istorum fideliter teneantur.*

Quia vero omnibus per statuta hujusmodi paterna solicitudine intendimus providere, ut videlicet quies procuretur Ecclesiis & Ecclesiasticis personis, & pacis turbatores pœnæ formidine cohibeantur a peccatis, præcipimus, & mandamus sub pœna excommunicationis, ut statuta ipsa ab omnibus tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus personis inviolabiliter observentur: statuentes, ut Capitulum, Prælati, Archi-Diaconi, Præpositi, Decani capitulorum, & alia capitula, & singuli de capitulis, Decani Christianitatum, Rectores Ecclesiarum & Capellarum, nec non & Vicarii, & omnes Clerici civitatis & Diœcesis Coloniensis ad observationem sententiarum prædictarum, scilicet excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ad earum executionem, quandocunque & quotiescunque opus fuerit, & aliquod forefactorum prædictorum committi contigerit in civitate aut Diœcesi Coloniensi, omni fraude & dolo penitus exclusis, fideliter teneantur. Si quis autem Prælatus in his remissus fuerit, & ex parte Ecclesiæ, vel personæ injuriam, vel damnum passæ, tertio requisitus ad executionem præmissorum, prout in superioribus continetur, per se vel per alium procedere neglexerit, sententiam suspensionis a nobis latam in his scriptis, incurrat ipsa omissione: quam scilicet suspensionis sententiam si per octo dies in negligentia perdurando sustinuerit, ex tunc incurrat excommunicationis sententiam, a nobis latam in his scriptis. Et nihilominus contra eum ad ulteriora per Nos, de consilio Capituli & Priorum Coloniensium, procedatur.

XL. *Contra Clericos in executionibus sententiarum remissos, & sententias ipsas debito modo non servantes.*

Hebdomadarii item in Ecclesiis conventualibus, Plebani, Rectores seu Provisores Parochialium ecclesiarum & Capellarum civitatis & Diœcesis Coloniensis, qui in suis Ecclesiis seu Capellis illos, qui ex aliquibus causis, de quibus supradictum est, excommunicationem inciderint, vel juris (*f*) vel hominis; & fuerint (ut præmissum est) excommunicati nuntiandi, denuntiare omiserint, ipsa omissione se sciant excommunicationis sententiam, in his scriptis a

 nobis

(*f*) Canonis.

nobis latam, incurrisse, & poterunt depositionis periculum formidare, si Divinis se ingesserint sic ligati: ita ut, nisi celeri satisfactione sibi prospexerint, monitione præmissa a suis Ordinariis, priventur beneficiis quæ habent, & illa aliis personis idoneis per eos, ad quorum spectant collationem conferantur.

XLI. *Contra eos, qui in loco interdicto celebraverint.*

Si quis autem Sacerdos in loco propter captivitatem Clerici vel propter spolium Ecclesiæ vel Ecclesiasticæ personæ, vel propter aliquam aliarum causarum prædictarum interdicto, celebraverit, & sic irregularis, in continenti non destiterit, aut intra quindecim dies non satisfecerit nobis & Ecclesiæ, ex tunc incurrat ipso facto excommunicationis sententiam, quam in hujusmodi præsumptores ferimus in his scriptis. In qua excommunicatione si per quindecim dies contumaciter perduraverit negligens satisfacere: ex tunc sit ipso facto omnibus beneficiis Ecclesiasticis, quæ habet, destitutus: Et si illi, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio pertinuerit, ea aliis personis non contulerint intra mensem, eorum collatio ad proximum superiorem devolvatur. Si vero beneficium Sacerdos non habuerit, hujusmodi sit post tempus prædictum inhabilis in perpetuum ad aliquod obtinendum.

XLII. *Ut percepto forefacto, statim cessetur a Divinis, ne quis per crassam ignorantiam possit excusari.*

Cæterum ne aliquis Prælatus, Archi-Diaconus, Præpositus, Decanus (g) Capitulorum & Christianitatum, aut Rector Ecclesiæ vel Capellæ, per crassam ignorantiam ab observationibus prædictarum sententiarum se valeat excusare, cum difficile sit singulari denuntiatione singulorum auribus inculcari captivationem Clerici vel spolium Ecclesiæ vel Ecclesiasticæ personæ, aut aliud quodcunque forefactum, propter quod loca aliqua contingit esse interdicta, sicut superius in pluribus locis est expressum: statuimus ut Prælati, Archi-Diaconi, Præpositi, Decani, & Rectores, seu Vicarii, quam cito captivitas Clerici vel spolium, aut aliquod forefactum (de quibus est supra dictum) ad eorum notitiam, vel fama deferente, vel alio quocunque modo pervenerit, statim cessent a Divinis, ubi hoc juxta præmissa fuerit faciendum, & ad observationem & excusationem dictarum sententiarum per se vel per alios teneantur: alioqui non obstante excusatione crassæ ignorantiæ, pœnis & sententiis subjaceat supradictis.

XLIII. *Ut hæc statuta ad personas Ecclesiasticas cujuscunque ordinis extendantur.*

Statuimus etiam, ut ad Monasteria & bona eorum, & ad Monachos, & alias religiosas personas cujuscunque ordinis, civitatis & Diœcesis Coloniensis, hujusmodi statuta extendantur. Et Monachorum Prælati, & Monachi, ac aliæ personæ religiosæ ad observationem & executionem teneantur eorundem. Et si aliquæ personæ religiosæ, cujuscunque ordinis existant, se voluerint occasione alicujus privilegii, ab executione seu observatione statutorum istorum tueri vel excusare, prædictorum statutorum auxilio non juventur.

XLIV. *Ut hæc statuta, ne aliquem latere possint tam in Capitulis, quam in aliis locis, sæpius publicentur.*

Statuimus item & mandamus in virtute sanctæ Obedientiæ, ut hæc eadem statuta per omnes Ecclesias conventuales & parochiales & capellas civitatis & Diœcesis Coloniensis, singulis annis, ne aliquem latere possint, sæpius publicentur, & in Capitulis ruralibus perlegantur.

XLV. *Ut nomina sacrilegorum posita in registro sæpius recitentur.*

Et nomina eorum, qui contra Ecclesias seu personas Ecclesiasticas aliquo modorum supradictorum excesserint, vel deliquerint, statim, cum hoc factum fuerit, ponantur in registro, & sæpius recitentur in publico, ut sciri possit ex qualitate facti, & ejus circumstantiis, nec non ex dilatione satisfactionis, qualiter sit contra excedentes & delinquentes hujusmodi procedendum, nec deleantur eorum nomina, nisi congrua satisfactione præcedente. Si quid vero dubii aut difficul-

(g) Decani.

difficultatis super præmissis emerserit, hoc Nobis, Capitulo & Prioribus Coloniensibus reservamus declarandum.

Nos vero, Capitulum, Prælati, & alia Capitula majoris & aliarum Ecclesiarum civitatis & Diœcesis Coloniensis, plenam in Domino fiduciam obtinentes, quod per Statuta hujusmodi Ecclesiis & Monasteriis, & personis tam Ecclesiasticis quam Religiosis, in spiritualibus & temporalibus provisum sit, & debeat provideri, ad observationem eorundem statutorum, bona fide, omni fraude & dolo exclusis, firmiter obligamus, sigilla Ecclesiarum nostrarum eisdem statutis in testimonium apponentes. Datum anno Domini Millesimo, ducentesimo, sexagesimo sexto, sexto Idus Maji.

Statuta Coloniensis Ecclesiæ impressa 1554.

Schatenus *in annalibus Paderanis* anno MCCLXVI. adscribit hanc Synodum; Mörckensius *in Conatu* annum non addit servatæ Synodi, sed in indice apponit annum MCCLXVI.

Videtur autem hic annus non esse verus, eo quod Archi-Episcopus Engelbertus II. ab anno MCCLXIII. ad MCCLXX. continuo in bello & discordia esset cum civitate, & civibus Coloniæ, nec nisi anno MCCLXX. interventu Alberti Magni reconciliatio facta sit Archi-Episcopi cum civitate Colonia. *Teste Chronico Germanico Coloniæ pag. CCXXXVI. aversâ.* Hinc non credo Synodum celebratam fuisse ante hunc annum, vel verosimilius anno MCCLXXI. aut MCCLXXII. Certe Mörckensius ante annum MCCLXXIII. & post reconciliationem jam memoratam scribit Engelbertum studuisse lapsæ Cleri disciplinæ restaurandæ, & legibus a Decessore latis renovandis.

CONCILIUM VRATISLAVIENSE

Anno Christi MCCLXVII. Clementis IV. Papæ III. Interregno magno Germaniæ.

SUMMA. De subsidio terræ sanctæ procurando.

GUIDO Frater Cisterciensis Ordinis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter, Cardinalis Sancti Laurentii in Lucina, Legatus de latere a Clemente IV. in Poloniam missus, anno MCCLXVII, primum in Cracoviam venit IV. Kal. Julii a Boleslao pudico, & Paulo Episcopo Cracoviensi, processionatim veneratus & exceptus.

Dehinc Vratislaviam divertens, in festo Purificationis MARIÆ *generalem Synodum*, in qua erant Episcopi Ecclesiæ Poloniæ, Janussius Archi-Episcopus *Posnaniensis*, Paulus *Cracoviensis*, Thomas *Vratislaviensis*, Vollmirus *Uladislaviensis*, Nicolaus *Posnaniensis*, Thomas *Plocensis*, Wilhelmus *Lubucensis*, Henricus *Culmensis* Episcopi, tenuit: pro subveniendo terræ sanctæ, anni Jubilæi gratiam, & Crucem contra Saracenos prædicavit. Constitutæque in majoribus Ecclesiis capsæ fuerunt, pro pecunia a merentibus Jubilæum colligenda.

Matthias Michoviensis Lib. III. Historiæ Cap. LVII. ex quo Harduinus Tom. VII. Concil.



CON-

CONCILIUM VIENNENSE
IN AUSTRIA,
AUCTORITATE GUIDONIS, LEGATI SEDIS APOSTOLICÆ, CAUSA REFORMANDÆ ECCLESIÆ, CELEBRATUM
Anno Christi MCCLXVII. Clementis IV. Papæ III. Sub Interregno Germaniæ.

TITULI CAPITULORUM.

I. De vita & honestate Clericorum.
II. De modo visitandi.
III. De castitate Clericorum.
IV. De violentiis, quæ inferuntur rebus Ecclesiasticis.
V. De læsionibus Ecclesiasticarum personarum.
VI. De his, qui habent plura beneficia.
VII. De decimis contra laicos.
VIII. De usurariis.
IX. De correctione & contumacia Clericorum.
X. De rapina defunctorum Clericorum.
XI. De beneficiorum susceptione.
XII. De personali residentia curatorum.
XIII. De visitatione nigrorum Monachorum.
XIV. Ne Abbates consecrent Calices.
XV. De habitu Judæorum.
XVI. De mancipiis Judæorum.
XVII. De coitu Judæi cum Christiana.
XVIII. De conviviis eorumdem.
XIX. De Synagogis Judæorum.

CONSTITUTIONES CONCILII VIENNENSIS.

FRater GUIDO, (a) Tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, Concilium celebravit *in Vienna VI. Idus Maji*; cui interfuerunt Joannes Pragensis, Petrus Pataviensis, Conradus Frisingensis, Leo Ratisponensis, Bruno Brixinensis, Amalricus Lavendinus, Episcopi, & quamplures Abbates, Præpositi, Archi-Diaconi, & Decani, ubi subscriptæ Constitutiones sunt editæ, & ab eodem Concilio approbatæ.

FRATER GUIDO, MISERATIONE DIVINA, TITULI SANCTI LAURENTII IN LUCINA PRESBYTER CARDINALIS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

POstquam Deus formavit hominem ad imaginem & similitudinem suam, & in ætate virili, cum ipso etiam jus naturale produxit. Juris enim naturalis origo a creaturæ rationalis simul cœpit exordio: quod quidem ad disponendum omnem mundi nascentis, & temporis motum sufficeret, si non sibi mortem, quam Deus non fecit, rationalis creatura propriis manibus & pedibus quæsivisset. Hæc juris instituta primævi protinus justitia positiva ab eodem regulariter auctore procedens, qui sub mortis interminatione morsum pomi noxialis prohibuit; qua prohibitione contempta, certa maledictionis sententia prodiit ab auctore; ut non solum ultio ferretur in auctores scelerum, verum etiam in progeniem damnatorum. Ex hinc usu hominum exigente, & rerum Dominio introducto, quod juris regula nesciebat, ex humanis necessitatibus quædam sibi homines jura condiderunt. Traditæ sunt a Domino per Moysen justitiæ leges, cujus singulis pœne syllabis Christus includitur. Deinde Prophetæ subsequntur & Reges, qui Christi præconia evidentiori sermone describunt; donec temporis plenitudine veniente, impleta veritate, figurisque cessantibus, Rex noster in æternum jura mansura disposuit. Datæ sunt enim Petro claves perpetuæ, a quo totius juris Ecclesiastici pulchritudo manavit, quæ ad singulas Provincias, ob vindictam in nationibus & increpationes in popu-

(a) Hæc Præfatio descripta ex *Henrici Steronis Annalium Libro*, edito ab *Henrico Canisio Tomo I. antiquarum Lectionum. pag.* 614.

populis faciendas, nunc per Summorum Pontificum, nunc per Sedis Apoſtolicæ Legatos ſtatuta; tamquam per quosdam rivulos derivatur; ut, hominum quotidie creſcente malitia, & effrænata cupiditate, quæ nova litigia generare non ceſſant, ſub diſtrictione jurium coarctatis, diſcant honeſte vivere, alterum non lædere, jus ſuum unicuique tribuere. Hinc eſt, quod cum Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter Clemens Papa IV. ad Saltzburgenſem Provinciam, & civitatem & Diœceſim Pragenſem cum plenæ Legationis officio nos duxerit transmittendos, officii noſtri debitum libenter exſequimur, evellendo videlicet evellenda, plantando plantanda, recta regendo & dirigendo ſalubriter indirecta.

CAPITULA.

I. *De vita & honeſtate Clericorum.*

VErum, quantum expedit ad profectum & robur fidei Chriſtianæ, ut Sacramenta Eccleſiæ, in quibus, tamquam in vaſis medicinalibus, populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere conſuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur: cum ea plerumque contingat effici vilia, propter vilem & abominabilem Miniſtrorum Eccleſiæ converſationem; univerſis Eccleſiaſticis perſonis Provinciæ Saltzburgenſis, & civitatis & Diœceſis Pragenſis præcipimus, ut in victu, geſtu, & aliis operibus ac circumſtantiis ſtatus ſui, ſic honeſte ſe habeant & decenter, ne propter ipſos nomen Eccleſiaſticum inter laicos blaſphemetur: eisdem (*a*) diſtrictius inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos ſe faciant crucis Chriſti; ſicut illi, quorum Deus venter eſt, qui terrena ſapiunt, non Divina: in conviviis ſuis modeſtiam & mediocritatem obſervent, ſuperfluitatem indebitam reſecantes, & ebrietatem omnium vitiorum fomitem & nutricem devitent.

II. *De modo viſitandi.*

Prælati vero à gravaminibus ſuorum abſtineant ſubditorum; & maxime cum Eccleſias viſitant, moderentur expenſas, coerceant evectionum numerum, prout in generali Concilio exſtitit diffinitum.

III. *De caſtitate Clericorum.*

Præſentis igitur Concilii approbatione præcipimus, ut Clerici continenter & caſte vivere ſtudeant; quatenus puro corde & mundo corde Deo poſſint in officio Eccleſiaſtico miniſtrare. Si qui vero de cætero deprehenſi fuerint detinere publice concubinas, niſi infra menſem ſe ab eis, & ab eorum conſortio ſeparaverint; ita quod in domibus ipſorum, aut propriis, aut aliis quibuscumque non cohabitent, nec ad illas accedant: ex tunc enim beneficio Eccleſiaſtico ſint privati, ut per eos, ad quos beneficiorum prædictorum ſpectat collatio, perſonis idoneis conferantur.

IV. *Contra Laicos.*

Item cum in plerisque locis, quorundam Laicorum iniquitas invaluerit, quod in rebus Eccleſiæ furtum reputatur ſagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo; Synodali judicio diffinimus: ut qui bona Eccleſiarum ſcienter detinent occupata, niſi infra inſtans feſtum S. Joannis Bapt. reſtituerint, & de damnis & injuriis ſatisfecerint competenter; ex tunc introitum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum, nec ab Epiſcopis, aut aliis Eccleſiarum Prælatis, ad communionem Domini (*b*) Corporis, & Sanguinis, admittantur; Qui vero obſtinata mente, dum vixerint, ſatisfacere non curaverint, nullus Clericus ſæcularis, vel regularis, ſepulturæ ipſorum intereſſe præſumat; adjicientes: ut ſingulis annis in *Synodo*, illi, qui Clericos rapiunt, verberant, vel occidunt, vel alias manus injiciunt (*c*) violentas, excommunicati denuntientur, & nominatim hi, de quibus conſtiterit manifeſte.

V. *De læſione* (d) *Clericorum.*

Quicumque vero perſonam Eccleſiaſticam enormiter vulneraverit, (*e*) occiderit, vel captivaverit, non niſi per Sedem Apoſtolicam abſolvatur: & ipſo facto, ſi quid tenebat ab Eccleſia, illud perdat, & in utilitatem Eccleſiæ con-

(*a*) *al.* diſtricte. (*b*) Dominici. (*c*) in ipſos.
(*d*) De læſionibus Eccleſiaſticarum perſonarum. [*e*] mutilaverit, vel.

convertatur; adjicientes: (*f*) Kathedralis Ecclesiæ, vel in dignitate Ecclesiastica constitutum, si capi contigerit, vel captum detineri; usque ad liberationem ipsius, & exhibitionem debitæ satisfactionis, cessetur generaliter a Divinis, firmiter in illa Parochia, in qua res Clericis violenter ablatas capi, vel detineri (*g*) contigerit, usque ad restitutionem, & satisfactionem congruam, cessetur a Divinis.

VI. *De detentoribus plurium personatuum vel dignitatum, seu beneficiorum.*

Item, cum detentores plurium personatuum, vel dignitatum, seu beneficiorum cum cura, sine dispensatione, sint sacrorum canonum transgressores, & fructus talium beneficiorum percipiendo, furtum committere (*h*) dinoscantur, decreto præsenti statuimus; ut omnes, qui hujusmodi dignitatum, personatuum, seu beneficiorum cum cura, pluralitatem detinent, illi, qui sunt per *Provinciam Salzburgensem*, nisi per hoc secum dispensatum fuisse, coram venerabili Patre, Dei gratia, *Electo Salzburgensi*, infra instans festum Beati Joannis Bapt. doceant manifeste; (*i*) per illos, ad quos dictorum beneficiorum collatio pertinet, personis idoneis conferantur, & ex tunc ultimo beneficio recepto sint contenti: si vero utrumque retinere contenderint, ipsos Nos, & primis & ultimis, decrevimus ex tunc esse privandos.

VII. *De decimis contra laicos.*

Item, cum Levitis, seu Ecclesiasticis personis, *jure Divino* decimæ (*k*) libere deputantur; dolentes referimus, quod quorundam laicorum cupiditas, jus hujusmodi, quod sibi Dominus in signum generalis Dominii, retinuit, (*l*) abolere, & pro sua voluntate de his, quæ ad eos non pertinent, ordinare, imo deordinare (*m*) præsumunt, quasi a se Divini servitii velint jugum excutere, quod in Baptismate sunt professi. Hujus igitur approbatione Concilii, districte præcipimus: ut, juxta laudabilem consuetudinem Patriæ, decimæ tam antiquæ, quam etiam de novalibus, majores & minutæ, plenarie persolvantur: nec liceat alicui laico nobili, vel ignobili, (*n*) sibi decimas, maxime de Novalibus, & minutis, usurpare; alioquin, si contra fecerit, se ab ingressu Ecclesiæ, usque ad satisfactionem condignam (*o*) noverit esse suspensum.

VIII. *De Usura contra Laicos, & Clericos.*

Item dolentes referimus, quod quidam salutis suæ immemores, & prodigi famæ suæ, per Provinciam *Salzburgensem*, constituti, tam Clerici, quam Laici, usuras exposcere (*p*) præsumunt: ad quorum cupiditatem salubriter reformandam, statuimus: quod ipsi super excessibus (*q*) hoc sacro Concilio præmoniti, a talibus abstineant, alioquin nos ipsos excommunicamus, (*r*) & ter in anno, videlicet: *in Cœna Domini*, *in Assumptione Beatæ Virginis*, & *in Nativitate Domini*, præcipimus per Plebanos, & Majores suos, in locis suis (*s*) excommunicatos publice nunciari. Clerici quoque (*t*) beneficiati, qui per tempus trium mensium sententiam excommunicationis sustinere præsumpserint animo indurato, per Diœcesanos suos suis beneficiis spolientur, salvis aliis pœnis contra usurarios editis. (*u*)

IX. *De correctione*, (x) *item de collatione Beneficiorum.*

Item ordinamus, & statuimus; ut Clerici, & Ecclesiasticæ personæ, tam sæculares, quam Regulares, Prælatorum suorum correctiones legitimas, cum debita humilitate, suscipiant: & si qui ex eis, ex hac occasione, contra suos correctores, auxilium brachii sæcularis invocaverint, vel potentum preces armatas impetraverint, vel impetratis uti præ-

(*f*) Quod in illa Diœcesi, in qua aliquem Canonicum Cathedralis Ecclesiæ, vel in dignitate Ecclesiastica constitutum, capi contigerit,
(*g*) vel Clericos ipsos capi.
(*h*) dignoscantur.
(*i*) Alioquin ex tunc ultimo beneficio recepto sint contenti, & alia, quæ prius habuerunt, per illos &c.
(*k*) debeantur,
(*l*) nititur.
(*m*) præsumit.
(*n*) cujuscunque dignitatis vel Principatus existat, sibi.
(*o*) se.
(*p*) & usurarios contractus exercere.
(*q*) in hoc.
(*r*) in scriptis.
(*s*) publice
(*t*) vero *pro* quoque
(*u*) secundum Canonicas Sanctiones.
(*x*) & contumacia Clericorum.

præſumpſerint ; a ſuis beneficiis deponantur. Ipſis quoque Prælatis diſtricte inhibemus : ne pueris minoris ætatis, videlicet XVIII. annorum, dignitates, perſonatus, ſeu beneficia curam animarum habentia, conferre præſumant, vel ad ipſa recipere præſentatos, niſi cum eis ſuper hoc a Sede Apoſtolica vel Legatis ejuſdem, exſtiterit diſpenſatum.

X. (y) *Contra Patronos laicos.*

Item ad aures noſtras, per clamoſam inſinuationem multorum, devenit, quod Patroni Eccleſiarum, (z) Advocati, & judices, (a) bona decedentium Clericorum occupant, & uſurpant, volentes ſibi ab inteſtato (b) ſuccedere, pro ſuæ voluntatis arbitrio, non judicio rationis ; quare, procedere (c) duximus : ut patroni Eccleſiarum, & alii ſupradicti, a talibus de cætero abſtineant, & niſi abſtinere voluerint, quouſque ſic ablata reſtituant, excommunicationis vinculo innodentur.

XI. (d) *Ne Clericus recipiat a Laico Beneficium.*

Item diſtricte inhibemus, ne aliquis Clericus Eccleſiam Parochialem a laico Patrono recipere audeat, niſi ab Epiſcopo, vel Archi-Diacono fuerit inſtitutus; alioquin ab officio, & beneficio abſtineat, & ſe noverit (f) ſuſpenſum. Et laicus, qui autoritate propria inſtituere præſumpſerint (g) ipſo facto (h) jure Patronatus cadat ; adjicientes: quod nullus Patronus Clericus, vel laicus, dotem Eccleſiæ, in qua jus obtinet Patronatus, alienare præſumat ; quod ſi contra fecerit, ipſo facto a jure cadat Patronatus, & res alienata ad jus, & proprietatem Eccleſiæ (i) reſtituatur.

XII. *De Reſidentia* (k) *Plebanorum.*

Item ordinamus, atque ſtatuimus: ut Prælati, & Clerici, curam animarum habentes ; in ſuis Eccleſiis corporaliter reſideant, & ad hoc a ſuis Epiſcopis per ſubtractionem fructuum compellantur, niſi cauſa legitima ſe potuerint excuſare.

XIII. *De Religioſis.* (l)

Item, cum clamoſa inſinuatio noſtrum percuſſerit animum, & auditum, Abbates, & Monachos Ordinis S. Benedicti, in quamplurimis locis, ab obſervatione ſanctæ Regulæ temere recedentes, vitam nimis diſſolutam ducere, in ſuarum periculum animarum, & ſcandalum plurimorum ; volentes igitur, ut contra hujusmodi corruptelam ſalubre remedium opponatur, univerſis Epiſcopis *Saltzburgenſis Provinciæ*, & *Epiſcopo Pragenſi*, diſtricte præcipimus, ut quilibet ipſorum, infra (m) dictum annum, aſſumptis ſecum duobus Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis, omnia clauſtra nigrorum Monachorum, ſuæ Diœceſis viſitent, corrigant, & (n) emendent, tam in capite, quam in membris ; iſtis (o) tamen exceptis, qui Romanæ Eccleſiæ nullo medio ſubeſſe noſcuntur, quos per nos, vel per alios deputandos, ſpecialiter intendimus viſitare.

XIV.

Prohibemus autem Abbatibus, ne calices, vel patenas, vel ſacras veſtes benedicere, vel conſecrare, vel alia Epiſcopalia præſumant officia exercere ; niſi ſuper hoc, a Sede Apoſtolica, privilegium habuerint ſpeciale.

XV. *De Judæis.* (p)

Item, cum in tantum inſolentiæ Judæorum excreverint, ut per eos, in quampluribus Chriſtianis jam dicatur infici puritas Catholicæ Sanctitatis ; nos, non tam nova cudentes, quam Summorum Pontificum ſtatuta vetera renovantes, præcipimus : quod Judæi diſcerni debent in habitu a Chriſtianis. Cornutum pileum, quem quidem in iſtis partibus conſueverant, deferre, & ſua temeritate deponere præſumpſerunt, reſumant, ut a Chriſtianis diſcerni valeant evidenter. (q) Quicumque vero Judæus, ſine tali ſigno, fuerit

(y) De rapina defunctorum Clericorum, *titulus eſt in MS. Viennenſis Bibliothecæ.*
(z) tam Clerici, quam Laici. (a) & præcones. (b) decedere.
(c) provide duximus ſtatuendum. (d) De Beneficiorum ſuſceptione.
(f) eſſe. (g) præſumpſerit. (h) a jure.
(i) revertatur. (k) Perſonali Curatorum.
(l) De viſitatione nigrorum Monachorum. (m) intra dimidium.
(n) & reforment. (o) tantum *habet aliud MS.* (p) De habitu Judæorum.
(q) ſicut olim in generali Concilio extitit diffinitum.

fuerit deprehenfus incedere, a Domino terræ pœna pecuniaria puniatur. (r)

XVI. *De Mancipiis Judæorum.*

Prohibemus etiam, ne ftupas (s) & balnea, feu tabernas Chriftianorum frequentent, feu intrare præfumant, nec fervos, vel ancillas, aut nutrices, feu quæcunque Chriftiana mancipia die noctuve in domibus fuis retinere præfumant, nec ad recipiendum teloneum, aut aliqua publica officia, aliquatenus affumantur.

XVII. *De coitu Judæi cum Chriftiana.*

Si quis Judæus cum aliqua Chriftiana vitium fornicationis deprehenfus fuerit commififfe, quoadufque X. marcas argenti ad minus, pro emendatione admiffi, folverit, diftricte carceribus mancipetur, & mulier Chriftiana, quæ tam damnatum coitum elegerit, per civitatem fuftigata, de civitate, fine fpe redeundi, penitus expellatur.

XVIII. *De conviviis eorundem.*

Item omnibus Chriftianis Provinciæ Saltzburgenfis, & civitatis, & Diœcefis Pragenfis, diftricte inhibemus: ne Judæos, vel Judæas, fecum ad convivia recipiant, & cum eis manducare audeant, aut cum ipfis, in fuis nuptiis (t) tripudiare præfumant: nec Chriftiani carnes venales, feu alia cibaria a Judæis emant; ne forte per hæc Judæi, Chriftianos, quos hoftes reputant, fraudulenta machinatione, (u) interficiant; (x) unde & Chriftiani, fi opus fuerit, per cenfuram Ecclefiafticam, compellantur ab eorum commerciis abftinere.

Item fi Sacramentum Altaris ante domos Judæorum deferri contigerit, ipfi Judæi, audito fonitu prævio, intra domos fuas fe contineant, & feneftras, ac oftia fua, claudant, (y) quod per Plebanos, vel Prælatos Ecclefiæ, facere compellantur: nec præfumant de fide Catholica cum fimplicibus difputare, nec filias, aut uxores, ad fidem Chriftianam venientium, invitas audeant detinere; nec Chriftianos ad Judaismum alliciant, aut aliquo aufu temerario circumcidant, nec Chriftianos infirmos vifitent, vel circa ipfos exerceant opera medicinæ.

XIX. *De Synagoga Judæorum.*

Synagogam novam non erigant, & fi quas erexerint, eas removeant, & deponant: Vetuftam, fi opus fuerit, reficiant, non ampliorem, nec pretiofiorem, nec altiorem. Carnes in Quadragefima, quando Chriftiani a carnibus abftinent, & jejunant, in aperto & publico non deportent.

Ipfos Principes, ac Judices diftricte ammonemus, ne Judæis, hujusmodi ftatuta noftra fervare nolentibus, alicujus protectionis, feu defenfionis, favorem impendant; fed, fi aliqua eis a perfonis Ecclefiafticis injungantur, ea fideliter exequantur; alioquin introitum Ecclefiæ, & communionem Divinorum Officiorum fibi noverint interdictum.

Volumus, & fub pœna excommunicationis præcipimus, ut Dominus Saltzburgenfis Electus, ejusque Suffraganei, nec non & Epifcopus Pragenfis, has Conftitutiones noftras, figillo noftro figillatas, habeant, easque fingulis annis, in Synodis *Epifcopalibus*, (z) faciant recitari, & diligentius obfervari, & ea, quæ tangunt Laicos, faciant per Parochiales Ecclefias fuarum Diœcefium publicari.

Acta funt hæc (a) anno Domini MCCLXVII. menfe Majo; Pontificatus Domini noftri *Clementis IV.* Anno III.

Ex veteri codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ No. 4401. defcripfit Cl. Schannatus.

Anno

(r) *Adjicientes:* Ut Judæi Sacerdoti parochiali, infra cujus Parochiæ terminos manferint, pro eo, quod loca, in quibus Chriftiani habitare deberent, occupant, juxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium Diœcefani loci omnes proventus, quos ex Chriftianis, fi ibidem manerent, Sacerdos perciperet, refundere compellantur. Decimas etiam prædiales cum omni integritate perfolvant.

(s) ftubas. (t) vel Neomeniis, vel ludis faltare, vel. (u) venenent.

(x) *Hic incipit §. XIX. in Viennenfi MS.: Hoc pacto:* adjicientes, ut fi de cætero quocumque prætextu Judæi a Chriftianis graves feu immoderatas ufuras extorferint; Chriftianorum eis participium fubtrahatur, donec de immoderato gravamine fatisfecerint competenter. Unde & Chriftiani &c.

(y) Hoc etiam in quolibet die Parafceves per Prælatos Ecclefiæ facere compellantur.

(z) & in Provincialibus Conciliis.

(a) Wiennæ in Auftria, *addit MS. Biblioth. Cæfareæ, apud Lambecium Tom. II. Biblioth. Vindobon.:* ex quo variantes noftræ defumptæ funt, & Vaticano codici collatæ.

Anno MCCLXXIII. apud LEODIUM (a) celebrata est Synodus sub Papa Gregorio X., qui III. Julii 1274. deposuit Henricum Gelrensem, Episcopum Leodiensem, post Sedis annos 27.

HEnricus Gelder, Episcopus Leodiensis, anno MCCLXXIV. ad Concilium Lugdunense a Gregorio X. vocatus, Annulum Episcopi in manus deposuit, sperans restitutionem. Sed spe sua lusus, Joannem Engiensem, Tornacensem Episcopum sibi a Papa suffectum videre debuit.

(a) *Chronicon Elwangense, editum a Petzio Tomo IV. Thesauri Anecdotorum Parte III. pag.* 772. *Acta Synodi Leodiensis anni hujus nos latent. Franciscus Pagi in Breviario gestorum Pontificiorum Tomo III. pag.* 404.

Statuta Domini PETRI, Cardinalis Episcopi Albanensis, & Hugonis, Tit. Sanctæ Sabinæ Presbyteri Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatorum, super diversis Ordinationibus Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, edita anno 1250, publicata coram Clero in Ecclesia Leodiensi

Anno Christi MCCLXXIV. Gregorii X. Papæ III. Rudolphi I. Imp. II.

IN Nomine Domini, Amen. Anno Nativitatis ejusdem Millesimo (a) septuagesimo quarto, Indictione secunda, V. Cal. Junii, Pontificatus Domini Gregorii decimi, Præsentibus me Rogero de Leodio Clerico, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate, Notario publico, & testibus infra scriptis, vocatis propter hoc specialiter & rogatis. Viri Venerabiles & discreti Magistri F. Decanus, J. de Cambiis, & H. de altera Ecclesia Canonici Leodienses ex parte Capituli Leodiensis, in Ecclesia Leodiensi publicaverunt, & ad exemplandum sub manu publica mihi exhibuerunt instrumentum, cujus tenor talis est:

FRATER HUGO, MISERATIONE DIVINA TIT. SANCTÆ SABINÆ PRESBYTER CARDINALIS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS: UNIVERSIS PRÆSENTES LITERAS INSPECTURIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

NOveritis, quod nos super Capitulum Sancti Lamberti Leodiensis, juxta officii nostri debitum visitantes, multa, quæ correctione indigebant, invenimus, ad quorum reformationem hæc, quæ sequuntur, duximus ordinanda. Inprimis siquidem ordinamus, & statuimus &c.

Vide hæc ipsa Statuta supra pag. 579. *a Petro Albanensi Episcopo condita* 1250.

Sub finem Statutorum, in instrumento publicationis hæc subjunguntur: Huic Litteræ appensum erat sigillum oblongum satis, curialiter magnum, habens impressam imaginem hominis, quasi induti Pontificalibus, & tenentis librum duabus manibus ante pectus suum. Circumferentia ipsius sigilli, ut melius legi potuit, erat talis: *Sigillum fratris Hugonis, tit. Sanctæ Sabinæ, Presbyteri Cardinalis.*

Præmissæ publicationi & ad exemplandum exhibitioni interfuerunt in Ecclesia Leodiensi superius nominati exhibitores: Renerus Archi-Presbyter Leodiensis, Joannes Custos Thesaurarii, Magister Petrus Joannes de Sardegnees, Ge-

(a) Erravit Librarius designando annum 1074. Scribendus erat annus 1274. hoc enim anno adhuc sedebat Gregorius X., electus anno 1271, defunctus 1276. Eundem annum 1274. denotat Indictio II, quæ tunc currebat. Igitur Statuta Hugonis Cardinalis, Legati Apostolici anno 1252. edita, publicata primum fuere in Ecclesia Leodiensi 1274. V. Cal. Junii.

Gerardus de Dynanto; Gerardus de Sabuleto, Capellani in Ecclesia, & plures alii vocati propter hoc, & specialiter rogati.

Et ego Rogerus Notarius ante dictus, præmissæ publicationi, & ad exemplandum exhibitioni, interfui in dicta Ecclesia, rogatus & vocatus, ipsum instrumentum sub præsenti publico instrumento exemplavi, & meo signo signavi, Anno, Indictione, & die prædictis. Et ante præsentis publici instrumenti confectionem erat charta ipsius ferro radenti perforata, sicut est in præsenti. Hæc dico, ne vitio si placet, rasura talis ascribatur.

CONCILIUM LUGDUNENSE II.

OECUMENICUM XIV.

Anno Christi MCCLXXIV. Gregorii X. Papæ III.

INTERFUIT PP. GREGORIUS X. EPISCOPI D. ABBATES LXX. ALII PRÆLATI M.

SEX ACTIONES TRIUM MENSIUM SPATIO ABSOLUTÆ,

Præcipuæ hæ: I. Primatus Sedis Romanæ agnitus, & in Missæ Sacrificio Papa cum aliis quatuor Patriarchis in diptycha relatus memoretur.

II. Confessio Spiritus S. procedentis a Patre, Filioque, quarta jam vice facta.

III. Appellatio ad S. Sedem, ut ad majus & augustius tribunal omnibus permissa.

IV. Auxilia terræ sanctæ decreta, decima bonorum Ecclesiæ ad 6. annos concessa, cruciatæ prædicatio.

V. Rudolphus Germaniæ Rex agnitus.

VI. Electio Pontificum accelerata, & variis Legibus promota. Canones XXXI.

Ex Germania interfuere Concilio huic hi Archi- & Episcopi:

Wernerus Moguntinus Archi-Episcopus.
Henricus Treverensis Archi-Episc.
Engelbertus Coloniensis Archi-Episc.
Fridericus Salisburgensis Archi-Episc.
Conradus Magdeburgensis Archi-Episc.
Giselbertus Bremensis Archi-Episc.
Conradus Argentinensis Episcopus.
Leo Ratisbonensis Episc.
Otto Mindensis Episc.
Fridericus Merseburgensis Episc.
Widego Misniensis Episc.
Idobrandus Eistadensis Episc.
Bertholdus Herbipolensis Episc.
Hermannus Zuerinensis Episc.
Volradus Halberstadensis Episc.

Omnes Abbates Ordinis S. Benedicti, Archi-Diœcesis Coloniensis, scribunt Gregorio X. delectum a se Abbatem Brunvillarensem, ut nomine omnium Concilio intersit.

Martene & Durand. Tom. I. amplissimæ Collectionis pag. 1377. & Schatenus Annal. Paderborn. Part. II.

Anno MCCLXXIV. contribuentibus ad fabricam ædificandæ Basilicæ Misnensis donatæ fuêre Indulgentiæ XL. dierum ab his germanis Lugduni Concilio interessentibus:

Friderico Saltzburgensi, Wernero Moguntino, Engelberto Coloniensi, Giselberto Bremensi — Archiepiscopis VIII. Kal. Junii.
Wernhardo Seccoviensi Episc. XV. Kal. Ap.
Petro Passaviensi Episc. Pridie Idus Maji.
Hilbrando Eistetensi Episc.
Hartmanno Augustano Episc. Nonis Maji.
Joanne Kyemensi. Idus Junii.

Singuli singularibus Chartis donaverunt in ipso Concilio.

CON-

CONCILIUM SALTZBURGENSE

PRO RECIPIENDIS LUGDUNENSIS SYNODI CONSTITUTIONIBUS, ALIISQUE DE CAUSIS CONGREGATUM.

Anno Chrifti MCCLXXIV. Gregorii X. Papæ III. Rudolphi I. Imp. II.

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

AD honorem & gloriam Sponfæ Chrifti & fidei Chriftianæ. Nos Dei gratia (*a*) F. Saltzburgenfis Ecclefiæ Archi-Epifcopus, Apoftolicæ Sedis Legatus, Leo, Petrus, Bruno, Wernhardus, & Joannes, Ratisponenfis, Patavienfis, Brixinenfis, Secowenfis, & Chimenfis Ecclefiarum Epifcopi, in *Provinciali hoc Sancto Concilio* congregati, de confilio venerabilium Prælatorum Salzburgenfis Provinciæ, qui præfenti interfunt Concilio: abfentium etiam fratrum tam Epifcoporum, quam aliorum Prælatorum accedente confenfu, diffiniendo præcipimus: ut Epifcopi, Abbates, Archi-Diaconi, & alii Ecclefiarum Prælati, ftatuta facri Generalis Concilii celebrati proxime in Lugduno, in Ecclefiis & fubditis fuis, Clericis & laicis, fecundum quod eadem ftatuta iftis & illis conveniunt, & quantum eos tangunt, fic folicite & frequenter ftudeant publicare; ut ipforum pronuntiantium & fubditorum memoriæ & obfervantiæ imprimantur. Sed & conftitutiones venerandæ memoriæ quondam Domini (*b*) Guidonis, tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis, in Provincia Salzburgenfi Apoftolicæ Sedis Legati; quæ, licet Ecclefiarum utilitatem contineant, & falutem fuadeant animarum, in diffuetudinem tranfierunt, cum prædicti Generalis Concilii ordinationibus & ftatutis, nec non & his, quæ pro utilitate locorum & temporum in hoc Provinciali Concilio apponentur a nobis, ad notitiam fubditorum taliter deducantur, ne quemquam totius Provinciæ probabilis error ac ignorantia valeant excufare.

CAPITULA.

I. *De Capitulis Provincialibus Abbatum, ac aliorum Prælatorum.*

CUm Abbates ordinis Sancti Benedicti Salzburgenfis Provinciæ, Capitula fua Provincialia longis retro temporibus non curaverint celebrare, propter

(*a*) Fridericus.

(*b*) *in Concilio Vienn. anno* 1267.

ter quod circa regulares observantias idem ordo non mediocriter est collapsus: Nos eisdem Abbatibus nostræ Provinciæ firmiter & districte præcipiendo mandamus, ut Provinciale Capitulum suum infra festum resurrectionis venturum proxime celebrent, juxta formam a sacris canonibus eis datam. In quo de moribus corrigendis, tam in se ipsis, quam in suis subditis, tractent & ordinent diligenter: alioquin nos in proximo Provinciali Concilio ad reformationem prædicti ordinis, quantum de jure possumus, procedemus.

II. *De revocatione Monachorum fugitivorum.*

Ex nunc tamen eisdem Abbatibus præcipimus & mandamus, ut Monachos fugitivos in sæculo divagantes revocari procurent. Et quod in singulis Monasteriis carcer fiat, in quo incorrigibiles, seu alias delinquentes enormiter Monachi, prout culpæ qualitas exigit, recludantur. Sed nec licitum sit Abbatibus, cum nec umquam licuerit, Monachos ad ordinem strictiorem transeuntes minime absolvere ab obedientia; quæ Monachorum ossibus inseparabiliter est affixa.

III. *De prava consuetudine Abbatum erga Monachos.*

Illam & pravam Abbatum consuetudinem reprobamus, qua Abbates pro excessibus levibus, & nonnunquam simulatis offensis, passim & indifferenter de Monasteriis ad Monasteria Monachos suos mittunt: cum delictum potius illic puniri & mori debeat, ubi committitur & patratur: cum nec tales missi ad alia Monasteria peccata sua lugeant, sed vagentur potius dissolute. Quodsi necessitas exigit, ut Monachus ad Monasterium aliud transmittatur: hoc Abbati non liceat: nisi causa Missionis & tempus reditus per loci Episcopum ordinentur.

IV. *De dignitatibus Abbatum.*

Sunt insuper quidam Abbates, qui indulgentiis & remissionibus faciendis, in Mitris, annulis, (*c*) sedibus deferendis, nec non in benedictione sacrarum vestium, & Ecclesiasticorum vasorum & cæteris, quæ ordinem & officium Ecclesiæ requirunt, sibi Pontificum potestates usurpant. His districte præcipiendo mandamus, ut de cetero talia non attentent: aut in proximo Provinciali Concilio fidem nobis faciant privilegiorum, quibus sibi talem vindicant potestatem.

V. *De correctionibus Capitulorum Provincialium.*

Hæc eadem in Canonicis regularibus, quantum diversitas religionum sustinet, volumus observari: salva dignitate & privilegio Saltzburgensis Capituli, cujus ordinationem Nos Archi-Episcopus nobis specialiter reservamus. Cæterum in aliis, quæ ad morum correctionem & observantias pertinent, regulares sibi in Provinciali Capitulo sic provideant, ne nos ipsis in hoc difficientibus providere cogamur: maxime in moderandis eorum evectionibus, & quibusdam vanitatibus, quæ ad pompam labentis sæculi pertinent, refrænandis in ipsis.

VI. *De indulgentiis & remissionibus.*

Ad hæc, cum prædecessores nostri bonæ memoriæ Pontifices, diversarum religionum fratribus, in confessionibus audiendis, remissionibus & indulgentiis largiendis, & aliis pluribus faciendis, quæ ad Sacerdotale & Pontificale ministerium pertinent, potestatem suam duxerint committendam: quarum religionum nonnullæ in proximo Generali Concilio sunt sublatæ, (*d*) quorum & fratrum aliqui potestate sibi tradita sunt abusi; nos auctoritate præsentis Concilii, omnium auctoritatem, potestatem, sive licentiam, a nobis, vel a nostris prædecessoribus cuicumque religioni vel ordini, aut fratribus ordinum quorumcunque traditam, in præmissis, aut aliquo præmissorum, revocamus in totum. Si quis autem ex vobis novam super his commissionem decrevit facere: in hoc illud, quod saluti animarum expedit, & alieno juri non detrahat, arbitretur. Præterea, cum prædicti nostri antecessores, Clericorum Episcoporum remissiones & indulgentias in Diœcesibus suis datas diversis locis, ordinibus & personis, ratas habere consueverint indistincte, ac per hoc formam modosque correctionis debitæ, sicut experimento didicimus, in locis pluribus enumerentur (*e*); præsentis Syno-

(*c*) *forte*: sandalibus.
(*e*) *forte*: enervent.

(*d*) *forte*: quoniam.

(e) Synodi omnes & ſingulas ratihabitiones tam noſtras, quam prædeceſſorum noſtrorum in hujusmodi indulgentiis manere volumus in ſuſpenſo: & ne quis eis utatur, ſub anathemate prohibemus: donec Epiſcopus loci Ordinarius plene diſcutiat, quas & in quibus locis ratas habere conveniat, aut quas magis expediat revocari. Et hoc maxime in perſonis quæſtuariorum volumus obſervari, qui per hujuſmodi indulgentias indiſcretas ad contemptum clavium & errorem longe plures præcipitant, quam erigant ad ſalutem. Hos & nullo modo recipi volumus vel admitti, niſi cum Diœceſani Epiſcopi nuntio litteratorio deſtinato.

VII. *De pluribus beneficiis Clericorum.*

Cum in Provincia Saltzburgenſi diverſi Clerici ſæculares, non ponentes terminum avaritiæ, nec ſalutem propriam prætendentes, onerare ſe pluribus beneficiis Eccleſiaſticis non formident; nos, qui aliorum indigentiis & ſaluti occurrere cupimus, & Eccleſiarum neceſſitatibus providere, auctoritate præſentis Concilii firmiter & diſtricte præcipimus: ut ſinguli plura beneficia poſſidentes, aut recepto ultimo ſint contenti: aut in ipſo proximo Provinciali Concilio, ſeu Epiſcopali Synodo, quem terminum ipſis peremptorium aſſignamus, legitimis documentis edoceant, ſecum eſſe per eum, qui de jure hoc facere potuerit, diſpenſatum. Alioquin nos tam formam (f) canonum circa hoc traditam, quam ſtatutum bonæ memoriæ Domini Guidonis Cardinalis, quondam in Provincia noſtra Apoſtolicæ Sedis Legati, providere curabimus beneficiis & perſonis.

VIII. *De reſidentia Plebanorum.*

Ceterum cum per mercenarios temporales, quos Eccleſiarum Rectores & Plebani in Eccleſiis Parochialibus inſtituunt & deſtituunt; nonnumquam interpoſito turpi pacto, animarum ſalus, & Eccleſiarum utilitas damnabiliter negligantur: nos omnes & ſingulos Clericos in Saltzburgenſi Provincia curam animarum habentes, hujus auctoritate Concilii, ad perſonalem in beneficiis reſidentiam revocamus: terminum eis peremptorium feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis venturum proximè aſſignantes: omnibus & ſingulis licentiis pro diſſimulanda eorum abſentia ipſis datis, penitus revocatis; ſalva nobis auctoritate dandi licentiam iis, quibus viſum fuerit expedire. Quodſi præmiſſa contempſerint, aut neglexerint adimplere, ex tunc ipſos a perceptione fructuum & adminiſtratione temporalium ſuſpendimus & volumus remanere ſuſpenſos. Quod ſi temere ſe ingeſſerint, privati ſint beneficiis ipſo jure: fructus autem per locorum Archi-Diaconos in utilitatem illius Eccleſiæ convertantur; ſalva Vicarii ſufficienti & debita portione.

IX. *De ordinatione Clericorum.*

Eiſdem inſuper Eccleſiarum Rectoribus præcipimus, ut ad ordinem, quem beneficii ſui cura requirit, ſe faciant ordinari infra rempus a canone inſtitutum. Alioquin, quod de non reſidentibus eſt prædictum, circa fructus non percipiendos & privationem beneficii, intelligi volumus de eiſdem.

X. *De Præſentatione Vicariorum.*

In beneficiis vero, quibus licet per Vicarios deſervire, volumus ſic ſervari, ut viri idonei loci Epiſcopo præſententur, qui per ſe vel per alios, ipſos in hujuſmodi Vicariis perpetuet, & ſufficientem ſuis neceſſitatibus de Eccleſiarum redditibus eis conſtituat portionem: alioquin ſinguli Epiſcopi per ſuas Diœceſes elapſo trimeſtri tempore providere curabunt.

XI. *De tonſura & veſte Clericorum.*

Edicto perpetuo prohibemus, ne Clerici comam nutriant: maxime Sacerdotes, qui taliter tondeantur; ut pateant eis aures. Ceteri inferioris ordinis Clerici, in tonſura non multum diſcrepent ab eiſdem, coronam & deſuper congruentem habeant. Veſtes non deferant niſi clauſas, quas omnimodo prohibemus a latere aperiri. Argentatis aut quocumque metallo (g) ordinatis cingulis, fibulis, modulis, in manicis & capitiis, non utantur: ſed nec procedant in publicum (h) circumcincti veſte ſuprema. In pileis ſuffurraturas non habeant,

(e) *forte:* Synodi auctoritate.
(f) *forte:* ſecundum formam.
(g) *corrige:* ornatis,
(h) *forte:* niſi circumcincti.

beant, nisi forte de nigro cenlato, vel panno aut nigra pelle (*i*) aguna. Caudata, pilea districtissime prohibemus.

XII. *De Tabernis.*

Clericus non viator in sacris ordinibus constitutus, aut Monachus, vel Canonicus regularis, si tabernam intraverit sine causa evidenti rationabili & honesta, ibique bibens aut comedens, aut in vicino loco servienti tabernæ, vel alias publico, aliquantulum moram traxerit: ab officio sit suspensus, donec unum diem in pane & aqua jejunet: si ibidem luserit ad aleas vel taxillos, ab officio sit suspensus, donec duos dies in pane & aqua jejunet; sed (*k*) in his tertio deprehensus consuetudinem non amittat, aut si suspensus ingesserit se Divinis: per sententiam Episcopi privetur beneficio, si quod habet; si non habet, pro Episcopi arbitrio puniatur.

XIII. *De Sacerdote suspenso ab officio.*

Sacerdos, qui excommunicatione aut officii suspensione ligatus, animo indurato præsumpserit profanare Divina, Episcopali carceri mancipetur, usque ad expiationem tanti criminis puniendus: & hoc idem in Clerico, seu Religioso, in furto vel alias in enormi crimine deprehenso, volumus observari.

XIV. *De captivitate Monachorum vel Clericorum.*

Qui Clericum vel Monachum pro excessibus suis a Prælato suo rationabiliter captivatum præsumpserit fracto carcere liberare, ipso facto sententia excommunicationis, quam ex nunc in ipsum proferimus, sit ligatus: & si possibile fuerit, qui non liberandum liberat, pœnam patiatur, & carcerem; & in locum subeat injuste liberati.

XV. *De conversis vagabundis.*

Nullus deinceps Prælatus, nullus Plebanus, nullus alius, cujuscumque ordinis vel religionis exsistat, masculum aut fœminam tonsurare, aut benedicere sibi vestes præsumat, nisi certam de approbatis profiteatur regulam, & se destinet certo loco. Eos vero vel eas, qui vel quæ contrarium fecerint, a locorum Rectoribus vel Plebanis per censuram Ecclesiasticam, monitione præmissa, compelli præcipimus, (*l*) aut certæ religioni se conferant, aut religionis vestem, quæ vagandi eis præstat materiam & opportunitatem accommodat delinquendi, abjiciant; ne irregularem vitam religiosa vestis obumbret. Hoc statutum tantum extendi volumus in futurum.

XVI. *De vagis scholaribus.*

Sub vagorum scholarium nomine quidam per Saltzburgensem Provinciam discurrentes, Monasteriis & Ecclesiis se exhibent adeo onerosos, quod per eorum importunitatis audaciam nonnumquam Clerici illud eis erogare coguntur, de quo sit necessitatibus pauperum providendum: denegantibus sibi suffragia, per quæ occasionem nutriunt malæ vitæ, calumnias inferunt: conferentibus sibi, quod postulant, vituperium existunt: reverentiæ Clericali utique multum detrahitur, dum blasphemi hujusmodi se personas Ecclesiasticas profitentur. Ut autem viri hujusmodi per subtractionem nostri & nobis subditorum suffragii resipiscere compellantur: auctoritate sacri Concilii prohibemus, ne quis Prælatorum, Plebanorum, aut Vicariorum, seu quæcumque persona Ecclesiastica, post spatium duorum mensium, infra quem terminum, de ordinata sibi vita provideant, ipsis aliquid beneficii vel juvaminis erogare præsumat. Qui contrarium fecerit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ sit suspensus, donec in subsidium terræ sanctæ, usualis monetæ conferat unam libram. Hanc tamen constitutionem extendi (*m*) volumus ad pauperes advenas & pro necessitatibus suis publice mendicantes.

XVII. *De Episcopis puerorum.*

Ad hæc quidam ludi noxii, quos vulgaris elocutio (*n*) eptus puor appellat, in quibusdam Ecclesiis (*o*) exercentes adeo insolenter, quod nonumquam enormes culpæ & damna gravia subsequuntur. Ex ipsis hos ludos in Ecclesiis & a personis Ecclesiasticis de cetero fieri prohibemus, nisi forte parvi sexdecim annorum & infra fuerint, qui hujusmodi ludos exercent: quibus alii seniores ipsis nullatenus se misceant aut intersint.

XVIII.

(*i*) *forte*: agmina. (*k*) *adde*: si. (*l*) *corrige*: ut certæ.
(*m*) *forte*: nolumus. (*n*) *lege*: Episcopatus puerorum. (*o*) *forte*: exercentur.

XVIII. *De sententiis excommunicationis a nobis traditis.*

Sententias excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, quas unus ex nobis juste protulerit, ceteri per civitates suas publicabunt, & a suis facient subditis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter. observari; sic, ut ad puniendum scelera perversorum celeritate communi nobis invicem succurramus.

XIX. *De veneratione Patrum sive Patronorum.*

Patres nostros venerabiliter honorandos *RUPERTUM*, *VIRGILIUM* & *AUGUSTINUM* honoribus debitis, nostræ humilitatis obsequiis venerantes, dies festorum suorum celebres esse volumus, & sub pœna excommunicationis præcipimus in eisdem diebus ab omni servili opere abstineri.

XX. *De Confessione Religiosorum.*

Nulli Religioso liceat extra suam professionem vel ordinem sibi eligere confessorem, nisi de Prælati sui licentia speciali.

XXI. *De correctione Religiosorum, aut aliorum Monachorm.*

Si adversus correctionem Superioris sui Monachus aut Religiosus quicumque, sæcularis personæ adjutorium aut potentiam duxerit invocandam; si hujusmodi invocatione usus fuerit, carcerali custodia tanto tempore concludatur, donec præsumptionem hujusmodi pro Superioris arbitrio pœna sufficiens recompenset. Et ut aliis talia præsumendi pœnæ duritia sit terrori, præsumptionem hujusmodi nullo umquam tempore, in eadem Ecclesia seu Monasterio, cujuscumque dignitatis vel administrationis officium consequatur. Alias etiam pro Superioris arbitrio legitime puniendus.

XXII. *De captivatione Episcoporum seu Monachorum.*

Statutum venerandæ memoriæ Domini GUIDONIS *quondam tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis*, quondam in nostra Provincia Apostolicæ Sedis Legati, quo salubriter est provisum, ut in Diœcesi, in qua contingit Prælatum aliquem aut Canonicum Cathedralis Ecclesiæ captivari, cessetur generaliter a Divinis, pro necessitate (*p*) corporis ad nos Archi-Episcopum & Episcopos extendentes præsenti constituimus edicto: ut, si (quod absit) Archi-Episcopum vel Episcopum ex nobis captivari contingat, aut Ecclesias nostras vel alterius nostrum sic hostiliter & injuriose invadi, ut de subversione status ipsius probabiliter timeatur; ex tunc per totam Provinciam Saltzburgensem cessetur generaliter a Divinis, postquam de captivitate aut persecutione hujusmodi per Provinciam innotuerit manifeste. Personis tamen illustribus, decoratis Principum dignitate pro ipsorum reverentia deferentes, præsens edictum ad eos & terras eorum extendi nolumus; nisi prius admoniti cessare contempserint ab offensis hujusmodi, nec emendare voluerint infra unius mensis spatium, quod fecerunt.

XXIII. *Ne Clerici sumant Ecclesiastica beneficia de manibus laicorum.*

Adversus præsumptionem damnabilem Clericorum, Prælaturas aut Parochiales Ecclesias temeritate propria occupantium, aut recipientium de manibus laicorum, antequam per Diœcesanum loci vel Superiorem ejus, si ipse facere, quod tenetur, neglexerit, fuit investitus: auctoritate præsentis Concilii, jure, si quod habet in beneficio eodem, sit ipso jure privatus; & nihilominus ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: in qua si per annum persstiterit contumaciter animo indurato, ab omni Ecclesiastico beneficio removeatur, tamquam inhabilis & indignus, numquam de cetero ad aliquod aliud beneficium admittendus. Hanc & constitutionem (*q*) incidere volumus, qui jam in præmissis delinquere præsumpserunt.

XXIV. *De Avocatis Ecclesiarum.*

Præsentis auctoritate Concilii, Ecclesiarum Advocatos, qui Ecclesias onerant ultra consuetam, & debitam servitutem, ac per hoc Ecclesiarum libertates violant, & infringunt, publice commonemus; ut ab indebitis vexationibus

(*p*) *forte:* temporis. (*q*) *locus mendosus.*

nibus Ecclesiarum & bonis ipsarum abstineant, & (r) juris debitis sint contenti: alioquin adversus eorum injuriam mediante justitia refrenandam, ad concessa nobis juris beneficia recurremus.

Canisius Tomo I. antiquarum Lectionum pag. 604. *ad* 613.
Hardouinus Tomo VII. Conciliorum a pag. 721. *ad* 727.

(r) *corrige:* juribus.

CONCILIUM BASILEENSE

ANNO CHRISTI MCCLXXV. GREGORII X. PAPÆ IV. RUDOLPHI I. IMP. III.

SUMMA. Adhortatio ad Crucem, & subsidium pro recuperanda Palæstina.

HEnricus, Pistore patre natus, Isnæ in Algovia fuerat Lector Lucernæ, & Basileæ, & sacræ Scripturæ Doctor; is, vel quia discordes Canonici Cathedralis ablegârunt Notarium ad Fratres Minores, ut primum obvium ad Cathedram raperent: vel quia Petrus Reiff Moguntinæ & Basileensis Ecclesiarum Præpositus hunc ablegavit ad Gregorium X. PP. pro obtinenda Cathedra vacante, creatus fuit Pontifex Basileensis, suasu Rudolphi Regis, & Papa eidem Henrico Pedum & Mitram dedit, Lausannæ, ubi hi Principes anno 1275. una erant. Hic anno 1276. Basileam venit, jam a Papa confirmatus, & prandium fecit in domo Prædicatorum. Primam Missam celebravit quà Episcopus & SYNODUM.

Annales Colmarienses Dominicanorum, edente Urstisio Tomo II. Urspergensis appendice. Acta Concilii periere.

CONCILIUM MONASTERIENSE IN WESTPHALIA,

Anno Christi MCCLXXIX. Nicolai III. Papæ II. Rudolphi I. Imp. VII.

Reverendi in Christo Patris & Domini, Domini EVERHARDI, Episcopi MONASTERIENSIS, Statuta Synodalia sive Diœcesana feliciter incipiunt.

STATUTA XXIII.

EVERHARDUS, DEI GRATIA, MONASTERIENSIS EPISCOPUS, UNIVERSIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, ARCHI-DIACONIS, PROVISORIBUS RELIGIOSARUM DOMORUM, ECCLESIARUM RECTORIBUS, SACERDOTIBUS, ET ECCLESIIS ORDINIS, SEU STATUS, CUJUSCUNQUE CIVITATIS, ET DIOECESIS MONASTERIENSIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

MEminimus nos plura statuta pro honestate & defensione nostri Cleri edidisse, quamvis per Sacros Canones, & Sanctorum Patrum traditiones sufficien-

Gerdhardus, Comes Marcanus, Monasteriensis Antistes. bello & toga clarus: hic ob Cleri disciplinam frequenter Synodos habuisse traditur: Successor hujus fuit Everhardus de Diest anno 1275: cujus hoc Concilium Diœcesanum superest.

ſufficienter Clericis ſit proviſum, quomodo ipſos tamen modeſtia, ſobrietate, vitæ munditia oporteat converſari, ut ſibi & aliis verbo proficiant & exemplo. Quia tamen plures ex ipſis Clericis maxime per illos, qui per Eccleſias poſiti ſunt ad regimen animarum, in hujusmodi obſervatione proviſionis contingit non ſine nota transgreſſionis & ſtatum ipſorum multipliciter deformari, quorum deſidiæ & negligentiæ pro poſſe occurrere cupientes, & quod dignum eſt, in eorundem Sacerdotum & Cleri converſationibus vita & moribus reprehendi per innovationem, quæ circa hæc ſtatuta ſunt tam a nobis, noſtrisque prædeceſſoribus, & ſacros Canones ab antiquo, & appoſitione, quæ ſtatus temporis addere nos inducit, ipſos Clericos in omnibus Deo placitis ſalubriter reformare intendimus toto poſſe.

I. *Ut omnes Clerici interſint celebrationi ſanctæ Synodi deputatis habitibus.*

IN hac ſancta generali Synodo ſtatuimus, ut omnes Abbates, Præpoſiti, Priores religioſarum Eccleſiarum, & Prælati, Præpoſiti, Decani ſæcularium Eccleſiarum, & Rectores noſtræ civitatis & Diœceſis, ex nunc antea omni anno in craſtino *Lætare*, & in *feria ſecunda poſt feſtum Beatorum Gereonis & Victoris*, ad ſanctas Synodos noſtras per Nos, & Succeſſores Præſidentes, ſeu a Nobis, ſeu a noſtris Succeſſoribus ad hoc deputatos conveniant celebrandas. Abbates vero cum albis & cappis de ſerico choralibus deſuper, baculum in manibus, prout eorum congruit dignitati. Alii vero præſentes & Decani ordinis & ſtatus cujuscunque cum ſuperpelliciis & cappis choralibus de ſerico deſuper. Item Canonici, Rectores Eccleſiarum, Vicarii, Capellani, ac Beneficiati quicunque in ſuperpelliciis aut cappis ſuis nigris, prout tempus expoſcit, incedant reverenter. Item mandamus, quod Clerici caſte vivant, a vitio libidinis præcaventes, & qui incontinenter vixerint, prout magis vel minus peccaverint, ab eorum Prælatis debite puniantur. Alioquin nos Prælatorum negligentiam ſupplentes, talia puniemus ſecundum Canonicas Sanctiones, & qui ea de cauſa per Nos vel Prælatos ſuos ſuſpenſus vel excommunicatus Divina Officia præſumpſerit celebrare, beneficio Eccleſiaſtico ſpolietur. Prælati etiam, qui tales præſumpſerint, in ſuis iniquitatibus ſcienter ſuſtinere, maxime obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari ultioni formidabunt ſe ſubjacere. Item a crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant: cum ebrietas inducat mentis exilium, & libidinis provocet incentivum. Item quamlibet cohabitationem manifeſtam in ſacris ordinibus conſtitutis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibemus, mandantes, ut hujusmodi Cohabitatores, ſi qui ſunt, concubinas a ſe de domibus, & parochiis, ubi manent, infra octo dies ex nunc omnino amoveant & repellant; ammodo non recepturi easdem, nec filias, aut filios, aut concubinas detineant de patrimonio, vel deſcendentes a patrimonio crucifixi. Item Clerici in ſacris, officia & commercia ſæcularia non exerceant: vinum, nec cereviſiam per ſe, vel per alios, in ſuis domibus & parochiis, vel alias vendant, nec tabernas frequentent, ſed devitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Contrarium facientes ſecundum ſtatuta noſtra ſuper hoc edita, excommunicationis ſententiis innodamus.

II. *Aliud ſtatutum de inceſſu Clericorum.*

Item Clerici volentes privilegio uti clericali, coronam & tonſuram habeant clericalem: arma non ferant, nec gladios, niſi hoc faciant ex cauſa legitima, & expreſſa licentia Prælatorum. Nec Canonici, nec Clerici vagentur nocturno tempore per plateas, & ſi quos ex juſta & legitima cauſa tranſire contingat, hoc decenter faciant, ſine clamore, ſine fiſtulis, ſine tympanis, & quolibet ſtrepitu & chorea. Canonicos contrarium facientes, Decani eorum Præbendas ſuſpendant per quindenam: aliorumque Clericorum in hoc transgredientium pœnam nobis, ſeu Officiali noſtro reſervamus.

III. *Qualiter ſe Clerici habere debeant in legendis Horis.*

Item ſtatuimus, ut Clerici in Divinis Officiis conſtituti decenter & diſcrete ſe habeant: ut eorum vita & converſatio laicis ad ſimilia præſtet incentivum, atque Horas Canonicas, & Dominæ noſtræ Beatæ Mariæ Virginis omni die nullus eorum dicere prætermittat.

IV. *Quomodo se debeat habere Clericus ante suam Missam celebrandam.*

Item nullus Sacerdos Missam dicat de die nisi unam, & prius suas Matutinas & Primam dixerit, nisi in casibus a jure permissis hoc faciat, necessitate incumbente, ut puta unam de die, & unam pro defunctis funere præsente, vel ex alia justa causa, & in Nativitate Domini. Nec utatur ablutione primæ Missæ, sed reservet, vel alicui discretæ personæ det ad sumendum: & in secunda Missa, si non dederit, ut est dictum, utatur illa ablutione. Nec celebratio fiat sine socio, vel scholari, qui respondere valeat celebranti, nec mulier serviat ad altare.

V. *Ne aliquis Sacerdos admittatur in Ecclesia ignotus, nisi constet de Ordinibus.*

Item propter apostatas discursores, vagos & ignotos Clericos, de quibus an Sacerdotes sint, non immerito dubitatur, statuimus, ut nullus Beneficiatus, seu Rector Ecclesiæ, vel Altaris, tacite vel expresse admittat aliquem in socium, vel ad celebrandum Missam, vel ministrandum Sacramenta, aut sacerdotale officium exercendum, nisi notum de ordinibus, moribus, conversatione, & alias commendatus fuerit: & omnino si extraneus, vel peregrinus, per Nos, vel gerentem vices nostras cum examinatione debita approbatum, & ad Missam, ad hujusmodi officia exercenda. Si quis autem Rector Ecclesiæ, vel Capellæ, aliquem contra hæc admiserit, sententiam excommunicationis se noverit incursurum: eo salvo, quod peregrini, & honestæ personæ & religiosæ, pietatis & devotionis intuitu Missam dicere cupientes, admitti poterunt, si requirunt.

VI. *Quando non debet celebrare Sacerdos.*

Item statuimus, ut nullus Clericus, vel Sacerdos in Ecclesia parochiali, vel Capella celebret, aut parochialem Ecclesiam teneat, sine nostra, vel Archi-Diaconi loci, vel alterius, ad quos hæc pertinet auctoritas, investitura, quantumcunque a Patronis vel ab eis, qui Patronos se fore contendunt, ad hoc licentientur: & quicunque Sacerdos vel Clericus contrarium fecerit, sententiam excommunicationis, quam propter hoc in ipsum ferimus in his scriptis, incurrat ipso jure.

VII. *Statutum de personali residentia Clericorum in propriis beneficiis.*

Item prohibemus, ne aliquis Sacerdos, competens beneficium habens cum cura vel sine, de quo valeat commode sustentari, eo beneficio dimisso, ad alienam Ecclesiam tanquam Vicarius, vel Mercenarius audeat se transferre. Contrarium facientes per nostrum Officialem, vel per Archi-Diaconum loci per censuram Ecclesiasticam præcipimus amoveri.

VIII. *In quibus habitibus Sacerdotes celebrabunt.*

De Sacramento Eucharistiæ, sive viatici, præcipiendo mandamus, ut omnes Sacerdotes in vestibus mundis sacerdotalibus & benedictis reverenter, mundo & contrito corde, & confessi, si commode fieri potest, accedant ad Missam celebrandam: & Matutinâ, & Primâ de die, primo dictis, ut est supradictum. Item statuimus sub pœna excommunicationis, ne aliquis Sacerdos sine calceamentis, vel caligis, ad altare pro celebratione Missæ audeat accedere. Item diligenter caveant Sacerdotes, ne cum conscientia in mortali peccato constituti ad celebrandam Missam accedant: quod si taliter manducaverint corpus Christi, & biberint ejus sanguinem, judicium æternæ damnationis sibi manducant & bibunt. Item Missale semper involvatur pannis lineis & mundis, & apponatur manutergium parvum, quo Presbyteri nares & faciem detergant, ne contingat sacra vestimenta maculari, quæ munda & integra præcipimus observari. Item loca circa altare ab aranearum telis, & pulveribus, & cæteris immunditiis sæpius emundentur. Item præcipimus, ut sursum super altare ad longitudinem & altitudinem altaris pannus lineus albus extendatur, qui protegat & defendat altare ab omnibus immunditiis & pulveribus descendentibus, prout hoc sacri altaris cujuslibet erectio patitur & requirit. Item cortinæ a lateribus altaris utrimque appendantur. Item præcipimus, ut calix sit integer cum firmo pede, non titubans. Item ampullæ vini & aquæ integræ & mundæ intus & exterius observentur, & aliquo signo notabili distinguantur, & vinum in ampullis ad minus de tertio in tertium diem, si com-

si commode haberi poterit, renovetur. Item Sacerdos sit diligens in electione hostiæ consecrandæ: ut sit integra, solida, non nimis vetusta. Item discernat Sacerdos in appositione vini per odorem, quid sit utrumque, & de aqua apponantur duæ guttulæ, vel tres in calicem.

Præcipimus ut Sacerdotes attente reverenter & distincte legant, & dicant in Canone, quæ sunt dicenda: & expediant se, quantocius poterunt, propter tædium astantium, & alia, quæ occurrere possunt: & faciant signa sua distincte & reverenter. Item nullus Sacerdos elevet hostiam ad ostendendum populo, nisi postquam dixerit hæc verba: *Hoc est enim corpus meum*: & pulsetur campana tribus vicibus, ut fideles, qui audierint, ubicunque fuerit adorent.

Item, si Sacerdos cum venerit ad consecrationem sanguinis, vel etiam ad perceptionem, & nihil in calice inveniat; innuat, ut ei afferatur vinum & aqua: dicat verba canonis ab illo loco: *Simili modo*, *postquam cœnatum*, usque ad finem & faciat signa, quæ fieri solent super sanguinem: illa autem, quæ facta sunt super Eucharistiam, non reiteret, sed transeat consueto modo. Sed ille, per cujus negligentiam hoc evenerit, tribus diebus jejunet in pane & aqua.

Item, si per casum mortis, ægritudinis, vel passionis, aliquid inopinatum & subitaneum contingat, quod Sacerdos inceptum Ministerium explere nequeat; licitum sit alteri Sacerdoti præsenti exequi & perficere consecrationem officii incepti: quod ibidem incipiat, si sciri potest, ubi alter destitit: nisi incepta collecta necdum perlecta, vel inceptis verbis Sacramenti necdum perlectis, prædictus casus contingat: tunc enim a capite illam collectam, vel Sacramenti verba reincipiat, ut sit saluti humanæ fragilitatis, & sacris Ministeriis, ne interrupta & incompleta permaneant, consulatur. Si autem dubitetur, an hostia a primo Sacerdote casum hujusmodi passo, consecrata fuerit, nec ne; substitutus Sacerdos novam oblationem faciat vel offerat, & solito more conficiat, & post Missam primam hostiam sumat, item de calice bibat & de eo quod in calice reperitur.

IX.

Item præcipimus sub excommunicationis pœna; quam ferimus in his scriptis, ne aliquis Sacerdos Missam in die celebrare bis præsumat, nisi ut supra dictum est & distinctim, & in casibus a jure permissis. Item, si quid de sanguine, aut corpore Christi ceciderit super corporale vel pallam Altaris, illa pars abscindatur & comburatur, & cinis ad sacram piscinam reponatur. Si super lignum, lapidem, vel terram solidam, sanguis ceciderit; illa pars si fieri potest, commode, a Sacerdote ablingatur, & postmodum radatur: & illa rasura in sacram piscinam mittatur. Item si in sanguine musca, vel arena, vel aliquod abominabile ceciderit, quod vix sine vomitu, vel periculo corporis sumi possit, caute extrahatur, & super patenam, vel calicem abluatur cum vino, & post sanguinis sumptionem & ablutionem illa lotio in piscinam mittatur: & bestia vel vermis supra piscinam comburatur, & cinis mittatur in piscinam sive lavacrum.

X.

Item statuimus, ut pixis in qua corpus Domini reservatur, vel ad infirmos defertur, sit aurea, argentea, eburnea, vel ad minus cuprea, bene elimata, & semper pannus lineus, albus, & mundus, infra pixidem ponatur, supra quem corpus Domini in pixide collocetur.

XI.

Item præcipimus, ut cum aliquis infirmus communicare voluerit, quod Sacerdos, si commode fieri potest, prius eum visitet sine corpore Domini, & diligenter confessionem infirmi audiat, & postea redeat ad Ecclesiam allaturus corpus Domini, & communicaturus infirmum. Sacerdos autem eat, dicendo septem Psalmos, & si via fuerit longior, legat Lytaniam & alias orationes. Incedat autem Sacerdos ad communicandum infirmum cum campanula, si infirmus est extra villam, ubi est Ecclesia Parochialis: si vero infirmus est in villa, ubi Parochia sita est, Sacerdos incedat ad infirmum cum campana, & lucerna præcedente: & fideles qui cum devotione ibi fuerint, expectent ante ostium infirmi, donec communicatus fuerit, & redeant

redeant ufque ad Ecclefiam poft Sacerdotem, & reverenter adorent.

XII.

Quilibet etiam fidelis, fi devote fecerit hanc proceffionem, quinque dies indulgentiæ pro eundo & redeundo habeat. Cum autem de nocte Sacerdos corpus Chrifti portaverit, mulieres nullatenus ipfum fequantur: qui etiam hanc proceffionem turbaverit, vel minus reverenter & decenter in ea fe habuerit, per cenfuram Ecclefiafticam compefcatur. Item cum corpus Domini defertur, fideles, coram quibus defertur, fi commode fieri poteft genu flectant, pectora tundant, & inclinato capite junctis & levatis manibus reverenter adorent. Equitantes vero non dedignentur de equis fuis defcendere ad adorandum eum, qui pro ipfis defcendit de Cœlis. Item præcipimus, quod Sacerdos venerabiliter & fubtiliter fuppofito decenti coopertorio, fuper vas, in quo defertur corpus Domini, deferat ad infirmum. Si infirmus frequenter & ex levi occafione vomitum patiatur, nullatenus ei corpus Domini conferatur, fed credat, & fufficit, quia fpiritualiter accipit. Item præcipimus, quod quilibet antequam infirmum communicet, interroget eum, fi credat, quod fub illa forma & fpecie panis fit corpus Chrifti, natum de Virgine, paffum in cruce, & tertia die fufcitatum; quod fi infirmus confeffus fuerit verbo & evidenti figno, communicet eum Sacerdos, fi alia caufa, vel impedimentum non obftat. Item fi communicatus evomuerit; partes caute & diligenter, quæ repereri poffunt colligantur: contritæ cum vino ab aliquo fideli fumantur: refiduum autem vomitûs comburatur & ponatur in terra juxta Altare, vel alibi, ubi commode fieri poteft.

XIII. *De renovatione Euchariftiæ.*

Item præcipimus, ut Euchariftia fervata pro infirmis fingulis quindenis Dominicis diebus renovetur, & corpus Domini fuper Altare in loco honefto claufum cum clave follicite & diligenter cuftodiatur. Item præcipimus, ut Sacerdotes fubditos fuos doceant, ut cum venerint ad communicandum in die Pafchæ, vel alias, jejuni devoti & confeffi accedant: & caveant Sacerdotes, ne alienum Parochianum, vel extraneum communicent, nifi fit viator vel peregrinus, vel nifi communicandus licentiam fui proprii Sacerdotis habeat, quam licentiam quilibet viator, vel peregrinus petere debet a proprio Sacerdote in fuo receffu: quod, fi non fecerit, propter hoc fibi communicatio non denegetur, fed pro negligentia pœnitentia ei injungatur. Item nullus confeffus arcendus & removendus eft a communione, nifi publice excommunicatus, vel interdictus, vel in aliquo enormi crimine notatus. Item præcipimus, ut fumpta Euchariftia Sacerdos habeat calicem paratum cum vino & aqua, de qua fumant communicantes.

XIV.

Item præcipimus, quod Sacerdotes Parochialium Ecclefiarum fubditos frequenter admoneant & pœnitentiam injungant eis, ut ad confeffionem fæpe veniant, & priusquam veniant ad confeffionem, diligenter fcrutentur corda fua confiteri volentes, & peccata fua follicite rememorentur, & cum dolore & vultu fupplici ad confitendum accedant, quafi ad Dei judicium: Sacerdotes autem, ut Dei Miniftri, circa confeffionem audiendam & pœnitentiam injungendam maximam adhibeant diligentiam, & attente, diligenter, & cum modeftia audiant confitentem.

XV.

Item præcipimus, quod Sacerdotes ad audiendam confeffionem communem & aptum locum in Ecclefia, ut ab omnibus videri poffint, fibi eligant: in locis autem obfcuris & tenebrofis confeffionem non audiant, nec extra Ecclefiam, nifi ex magna neceffitate, vel infirmitate; contrarium facientes fententiam excommunicationis fe noverint incurfuros. Item præcipimus, quod Sacerdotes ad confeffionem audiendam ante folis ortum, vel poft folis occafum nullatenus fedeant, nifi in magna neceffitate, vel infirmitate, & in loco illuminato, & aliquibus præfentibus. Item præcipimus, ut Sacerdotes induti fuperpellicio, vel cappa, ftola fuperpofita ad confeffionem fedeant. Item præcipimus, ut Sacerdotes in audiendis confeffionibus vultum humilem habeant, & ocu-

& oculos ad terram, nec faciem respiciant confitentis, & maxime mulieris. Item Sacerdotes moneant & doceant subditos suos, ut humiliter, & corde contrito confiteantur, & mulieres coopertis capitibus & collis, submissa voce, pure, & integraliter confiteantur peccata sua. Item Sacerdotes mulierem, quæ sola est in Ecclesia, nullatenus audiant confitentem, sed in conspectu honestæ societatis. Item ne aliquis Sacerdos audiat confessionem mulieris, cum qua peccavit, nec etiam conscios, mediatores, aut fautores peccati; sed mittat eos, vel eas ad honestos Confessores. Item præcipimus, ut Sacerdotes mansuete audiant confessiones, & de consuetis peccatis sigillatim, & diligenter interrogent de circumstantiis peccatorum: de inusitatis autem nominatim non inquirant, sed communia verba, ex quibus confitens, si reus est peccati, possit intelligere, quid dicatur: ut sic intelligens confiteatur; si reus autem non fuerit, de illo non tentetur. Item Sacerdotes diligenter instruant & moneant confitentes, ut integraliter & distincte mortalia peccata, & circumstantias peccatorum, quæ peccata aggravant, & peccatum per se patenter confiteantur, ut est sacer ordo, sacer locus, circa peccatum luxuriæ & concupiscentiæ: quæ omnia notantur in hoc versu: *Quis, quid, ubi, cum quo, quoties, cur, quomodo, quando.* Venialia autem peccata sufficit generaliter confiteri. Item præcipimus, ut Sacerdotes Nobis, vel illi, cui vices nostras in spiritualibus pro tempore committimus, majora peccata & injunctionem pœnitentiæ pro eisdem reservent, ut sunt homicidia, sortilegia, incendia Ecclesiarum, peccata contra naturam, defloratio virginum cum violentia, concubitus Sanctimonialium, conversarum vel aliarum religiosarum mulierum, incestus, injectiones manuum in parentes, vel in Ecclesiasticas personas, sortilegia, perjuria manifesta, fidei & votorum transgressiones, symonia, hæresis, apostasia, magnæ blasphemiæ seriose factæ.

XVI.

In dubiis autem Sacerdotes consulant Nos, vel vices nostras in spiritualibus gerentem, aut alios sapientes viros, non prodendo vel revelando confitentem: sed in genere, quorum consilio pœnitentem absolvant, aut ad alium mittant. Item audita confessione Sacerdos semper interroget confitentem, si velit abstinere ab omni mortali peccato, & hoc ei consulat, & quibus modis potest inducat. Et si confitens dixerit, se nolle abstinere, non absolvat eum, nec ei pœnitentiam injungat Sacerdos: sed moneat, ut interim faciat, quidquid boni possit, ut Deus citius cor ejus illustret, & ad pœnitentiam reducat. Consulat etiam ei Sacerdos cum diligentia modum vivendi, per quem facilius abstinere possit a peccato. Sacerdotes in injungenda pœnitentia discretionem habeant, ut pœnitentias secundum magnitudinem & qualitatem peccati & possibilitatem confitentis peccatoribus injungant: pro peccatis carnalibus injungant pœnitentias corporales, sicut est jejunium, peregrinatio, disciplina, & similia; pro spiritualibus & neglectis injungant orationes, & eleemosynas, & meditationes peccatis suis contrarias; in assumptione rei alienæ, vel in damno alteri illato per furtum, rapinam, usuram, per fraudem, per injustam vexationem, per falsam testificationem, & alios modos, de quibus diligenter inquirant Sacerdotes, primo & præcipue injungant restitutiones fieri eis, quos prædictis modis damnificaverunt, vel læserunt, si facultatem habeant, vel cum facultatem habuerint, si in præsenti non possunt, aliter eos non absolvant. Item præcipimus sub pœna excommunicationis, quam in his scriptis ferimus in Sacerdotes, qui contrarium fecerint, ne confessores cujuscunque conditionis, vel status confitentibus nomine restitutionis pro pœnitentia injungant, ut Ecclesias, Capellas, & Cœnobia instituant, vel Ecclesiis legata faciant; sed prius restitutiones, ut prædictum est, faciant illis, a quibus extorta sunt, si inveniantur, vel hæredibus eorum; alioquin ad arbitrium nostrum vel nostri Primarii erogentur. Item diligenter caveant Sacerdotes, ut, si confitentes peccata aliorum revelaverint, vel nomina eorum indicaverint, cum quibus peccaverint, secrete caveant, sicut peccatum confitentis. Item inhibemus sub pœna excommunicationis Sacerdotibus omnibus, ne a confitentibus nomina eorum,

eorum, cum quibus peccaverunt, inquirant, vel circumstantias, per quas possunt nomina eorum sciri: quod si fecerint, ab officio confessionis audiendæ & sacrorum misteriorum ipso facto noverint se esse suspendendos: & in principio confessionis districte inhibeant confitentibus, ne peccata aliorum confiteantur, nec revelent, vel nomina eorum, cum quibus, ut dictum est, peccaverunt, exprimant specialiter, sed generaliter sufficit designari. Item nullus Sacerdos ex ira, vel etiam metu corporis audeat revelare confessionem confitentis signo vel verbo generaliter, vel specialiter dicendo: *Ego scio te talem, qualis es*; & si revelaverit aliquo modo, de hoc convictus, debet absque omni misericordia degradari. Sed, cum indiget consilio, illud, ut est dictum, absque expressione personæ tacite requirat.

XVII.

Item præcipimus, quod omnes Sacerdotes parochialium Ecclesiarum frequenter & diligenter subditos suos utriusque sexûs admoneant, ut postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia peccata sua integre, & ad minus semel in anno confiteantur Sacerdoti proprio parochiali, & injunctam eis pœnitentiam studeant adimplere, suscipiendo reverenter & ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi de consilio Sacerdotis proprii, ob aliquam rationabilem causam duxerint abstinendum. Alioquin viventes ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & morientes Christiana careant sepultura. Item Sacerdotes diligenter attendant, qui ad Parochiam eorum in anno saltem semel ad Communionem veniant, nisi justa de causa abstineant, & nomina illorum ad Nos, vel Officialem nostrum referant; ut debite puniantur, ne ab ipsis notam negligentiæ requiramus. Hoc autem statutum frequenter in Ecclesiis præcipimus publicari, ne aliquis excusationis ignorantiæ occasionem sumat.

XVIII. *Statutum de sepeliendis in cemiteriis.*

Statuimus, ut nullus excommunicatus, & publice denuntiatus, in cemiterio sepeliatur: & si factum fuerit, cemiterium illud, donec extumuletur mortuus, maneat interdictum, si discerni possit corpus, vel ossa ejusdem. Item prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne aliquis in cemiterio interdicto sepeliatur, & ne aliquis sepulturæ tali intersit: Laici autem, quicunque tali sepulturæ interfuerint, excommunicationis sententiam, quam super hoc ferimus in his scriptis, incurrant ipso facto, & excommunicati publice nuntientur. Clerici vero, qui interfuerint, sententiam suspensionis ab officio se noverint incursuros. Item statuimus, immunitates Ecclesiarum & cemiteriorum inviolatas & incontaminatas observari mandamus, ut cemiteria clausa & munita custodiantur, ne a porcis, vel aliis animalibus ossa mortuorum comedantur, & volumus, in speciali loco ossa mortuorum fideliter custodiri.

Item statuimus & præcipimus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut quoties quis in loco Religioso, vel alio sepulturam elegerit; corpus illud sine consensu Rectoris Ecclesiæ non deferatur: qui consensus, si haberi non potest, tunc corpus primo præsentetur Missæ Parochiali, & tunc demum celebrata Missa, sine præjudicio Rectoris, mortuus deferatur in locum; in quo elegit sepulturam. Item Ecclesias, vel cemiteria a laicis cujuscunque conditionis, vel status fuerint, muniri vel incastellari sub pœna excommunicationis latæ sententiæ firmiter prohibemus: & quicunque contra fecerint, excommunicati publice nuntientur: & quia plures homicidia, mutilationes membrorum, & plura maleficia perpetrantes, ad immunitates Ecclesiarum confugiunt, quæ non essent perpetraturi, nisi quod sperant ab Ecclesia se tueri, & suorum excessuum impunitatem obtinere; statuimus, quod confugientes hujusmodi ad Ecclesias, vel immunitates abinde sine speciali nostra licentia, vel gerentis vices nostras nullatenus extrahantur; sed delictum eorum nobis vel vices nostras gerenti nuntietur, ipsisque confugientibus demum, si decrevimus, nobis præsentatis, & eo quod perpetratum fuerit, auctoritate nostra examinato, ad veniam, vel ad pœnam circa ipsos, prout qualitas facti exegerit, procedatur. Alia autem omnia & singula, quæ a jure, vel prædecessoribus nostris, de conservandis immuni-

munitatibus Ecclesiarum & immunitatum, & de violatoribus earundem sunt statuta Synodali sanctione, mandamus & præcipimus inviolabiliter observari: & præcipimus, hoc statutum de immunitate in Ecclesia a Sacerdotibus frequentius publicari.

XIX.

Illud, quod statutum est per nos, de Clericis, in suis beneficiis non residentibus, innovamus & præcipimus firmiter observari. Item præcipimus, omnes & singulas constitutiones nostras, & a nostris prædecessoribus latas, contra publicos usurarios, & novalium detentores, præter scitum nostrum, ut singulis diebus Dominicis & festivis denuntientur publice excommunicati in Ecclesiis Parochialibus. Item statuimus & præcipimus universis Clericis nostræ civitatis & Diœcesis, cujuscunque ordinis vel status fuerint, ne mandatum alicujus delegati vel subdelegati exequantur, nisi prius viso rescripto Apostolico in prima sui forma, vel vera bulla, & si hæsitaverint, an ipsum mandatum in stilo, filo, seu bulla falsum, seu alias vitiosum & tale quid in ea contineatur, super quo si executioni demandandum sit, dubitetur; in hoc articulo, antequam exequantur, salubre consilium discretorum requirant & exspectent.

XX. *Aliud statutum.*

EVERHARDUS Dei gratia, Monasteriensis Ecclesiæ Episcopus, Præpositis, Decanis, tam Religiosis quam sæcularibus, nec non toti Clero civitatis & Diœceseos Monasteriensis, salutem. Meminimus, nos ad instar eorum, quæ jam dudum statuta & ordinata fuerunt per venerabilem Dominum *Conradum*, felicis recordationis Coloniensis Archi-Episcopum in *Provinciali* consilio Coloniensi proinde statuisse & ordinasse, quod Clerici officia, vel commercia sæcularia maxime inhonesta non exerceant: Item manifestam cohabitationem Clericis inhibuisse firmissime, & præsentibus inhibemus, contrarium facientes super hoc a nobis editis innodantes. Item ne arma portent præter necessitatem. Item districte prohibemus sub pœna excommunicationis, ne laici se de decimis novalium intromittant, sive usurpare præsumant; cum non nisi Episcopus in illis jus habeat secundum Canonicas sanctiones. Item Ecclesiarum incendiarios & immunitatum, ac dotium Ecclesiasticarum, & qui mittunt manus violentas in Clericos, vel Ecclesiasticas personas quascunque & captivatores & detentores earundem, & quorum autoritate, procuratione, seu opera, hæc fiunt, cum ipso facto incidant in sententiam excommunicationis, uti sacrilegos denunciamus. Item quod in Parochia illa, ad quam ductus fuerit Clericus captivatus, vel persona Ecclesiastica quæcunque, cessent Divina, quamdiu ibi contigerit detineri, & ad biduum post ejus recessum. Item omnes & singulos, qui incendunt bona Ecclesiarum extra immunitatem, & qui surrexerint a rapina & deprædatione bonorum Ecclesiasticorum, & pignorum captione, præter judicis auctoritatem: illos nisi infra octo dies, postquam moniti fuerint, satisfecerint condigne, excommunicamus, & præsentibus excommunicamus; & quod nihilominus cessent Divina in Parochiis illis, ubi spolia fuerint, quamdiu detinentur ibidem, & similiter, ubi tales malefactores se receperint ad manendum & post eorum recessum ad triduum.

XXI.

Item statuimus, quod in jure cautum est, quod, si quis Clericus, vel laicus, pensionem suam, quam tenetur Ecclesiæ solvere, neglexerit infra biennium; nisi celeri satisfactione sibi prospexerit, videlicet infra sex septimanas a tempore biennii elapsi, cadat a jure suo, quod in bonis habebat, unde debuit solvere pensionem, & si ultra contumaciter atque violenter bona hujusmodi detinuerit, in sententiam excommunicationis incidat ipso facto, & nihilominus in Parochia illa, ubi tales manent, cessent Divina usque ad satisfactionem condignam. Item si quis arrestaverit, seu obligaverit personas, pensiones, seu reditus Ecclesiasticos judicio sæculari, nisi tam judex, quam actor resipuerint & emendaverint ipso die, excommunicationis sententiam incidant ipso facto. Item qui bona Ecclesiarum, seu Monasteriorum, spoliis, rapinis, incendiis, & pigno-

pignorum captionibus invadunt, sive judicis autoritate occasione quæstionis alicujus, quam se adversus Advocatum, seu Officialem ipsius Ecclesiæ, seu Monasterii dicunt habere, excommunicationis sententiam incidant ipso facto: & nihilominus, si resipuerint, & emendaverint infra quindenam in Parochia ubi manent, cessent Divina: & licet hujusmodi, & alia plurima, innovando aliorum Sanctorum Patrum & Canonum decreta per nos in nostra civitate & Diœcesi Monasteriensi sunt statuta, malitia hujusmodi maxime Clericorum nostræ Diœceseos hæc surdis auribus dissimulantium: & immemores suæ salutis & Ecclesiasticæ libertatis, cum religiosæ personæ, nec non Clerici sæculares capiuntur, offenduntur, rebus eorum spoliantur ac alias multipliciter aggravantur; fovent, manutenent ipsos sacrilegos scienter ad eorum Parochias convolantes, prætendentes, eis constare non posse, cum in alienis Parochiis & Ecclesiis præmissa perpetrantur: ea occasione non servantes sententiam excommunicationis & interdicti prædicti latas in talia committentes tam a *Canone*, quam *a Nobis*, unde nos evidens invitat ratio, ut quæ periculosa sunt, nequaquam absque remedio reformationis relinquamus.

XXII.

Statuimus itaque, ut ubicunque locorum nostræ civitatis & Diœceseos persona religiosa, Clericus, seu laicus infra septa immunitatis, nec non Ecclesiæ & cemiterii enormiter læditur, vulneratur, seu deinde extrahitur, aut per minas, terrores, & subtractiones cibariorum exire hac necessitate cogitur, vel eædem personæ in eisdem rebus suis, vel Ecclesiæ inibi spoliantur manu violenta, ibidem sive sit Ecclesia conventualis, vel parochialis, cessetur a Divinis, nullatenus ea sine Nostra vel Officialis nostri licentia resumendo: ut sic maleficium ibidem perpetratum nobis innotescat, & ad ulteriora contra ipsos sacrilegos, si opus fuerit, procedamus. Insuper præcipimus, in quibus locis & Parochiis hujusmodi sacrilegos perpetrantes maleficia prædicta, vel aliquod præmissorum, manere, vel personas prædictas, & rapinas detinere, contigerit: seu domicilia habeant, & quamdiu ibi fuerint, ad triduum inde post eorum recessum cessetur penitus a Divinis. Insuper præcipimus districte sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, quod Sacerdotes Parochialium Ecclesiarum, vel vices eorum gerentes, & omnes alii Clerici, cujuscunque sunt conditionis & & status, ut mandata nostræ causæ, & Archi-Diaconorum nostrorum, prout eis subsunt, fideliter & viriliter exequantur; & si timeant, quod malum aliquod per adversarium, vel sæcularem justitiam, vel quemcunque alium debeat inferri portatori mandatorum, caute ipsum expediant.

XXIII. *Statutum aliud pro jurisdictione.*

Insuper vobis Ecclesiarum Rectoribus sub eisdem pœnis mandamus, quatenus singulis diebus Dominicis & festivis, cum opus fuerit, vestros subditos moneatis, & authoritate nostra præcipiatis, ne perturbent, vel impediant jurisdictionem nostræ curiæ Monasteriensis, & exponatis eis, in quibus & qualiter intelligatur jurisdictio hujusmodi perturbari: videlicet interdicendo, prohibendo, inhiberi faciendo, vel statuendo, ne aliqui in curia nostra causam suam persequantur: Item arrestando, accipiendo, vel capi faciendo latores mandatorum curiæ nostræ per justitiam sæcularem, vel illos, qui in curia nostra adversarios suos trahunt minis, vel verberando, vel verberari faciendo, vel comminando, vel literas Curiæ nostræ rapiendo, vel lacerando, aut etiam alia faciendo, per quæ processus negocii valeat retardari: contrarium quoque facientes in his scriptis excommunicamus per Plebanos locorum, ubi præmissa perpetrata dinoscuntur, quos in his scriptis excommunicamus nominatim, de quorum nominibus constat: alias in genere excommunicati publice in earum Ecclesiis nuntientur. Et si in ipsa excommunicatione per septem dies manserint, ipsum locum & Ecclesiam, quem vel quam ex nunc, ut ex tunc in his scriptis ecclesiasticis interdicto supponimus, denuncientur ab eorum Ecclesiarum Rectoribus Ecclesiasticis interdicto subjacere, salvis aliis constitutionibus nostris de Abbatibus, Præpositis, Archi-Diaconis, & Decanis, qualiter in nostra

noſtra *Sancta Synodo* comparere debeant, & de audienda confeſſione, & ne Sacerdos de caſibus a jure nobis reſervatis ſe intromittat, ſine noſtra licentia: ac de funeribus ſine præjudicio Plebanorum in locis aliis, quam in propriis Parochiis ſepeliendis: & de Clericis vagis, & ne aliquis Eccleſiæ Rector aliquem Sacerdotem in ſocium, niſi notum, & de cujus receptione ordinum conſtet per ſui Diœceſani literas competentes. Item de litteris libenter antequam exequantur, & ſi quis contigerit executioni demandari, præcipimus univerſis noſtris ſubditis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut accipiat executor copiam earundem, ac aliarum, quarumcunque executionem fecerit, citato, monito, ſeu excommunicato copiam ipſo die executionis dent, & aſſignent, ac aliis pluribus articulis contentis & conſtitutionibus memoratis. Hæc univerſis vobis ſub ſigillo Curiæ noſtræ ſignavimus. Datum & pronuntiatum feria ſecunda poſt Gereonis & Victoris Martyrum, anno Domini Milleſimo CC. LXXIX.

Deſcripta ex Libro Statutorum impreſſo Monaſterii Weſtphaliæ 1486. *in 4to.*

CONCILIUM SALTZBURGENSE

In cauſa Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, tempore Friderici Archi-Epiſcopi habitum Anno Domini MCCLXXXI. Sub Martino Papa IV.

TITULI CAPITULORUM.

Hæc ſunt inſtituta Venerabilis Domini Friderici, Archi-Epiſcopi Eccleſiæ Saltzburgenſis, Apoſtolicæ Sedis Legati, in Provinciali Concilio Saltzburgenſi, Anno Domini MCCLXXXI.

PRÆFATIO.

CUm inſtantia noſtra quotidiana eſſe debeat ſolicitudo Eccleſiarum nobis commiſſarum, ideo ad laudem & gloriam Domini noſtri JESU Chriſti, qui eſt omnium bonorum ſolidum firmamentum, Nos Fridericus, Dei gratia, ſanctæ Saltzburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Hanno, Willelmus, Bruno, (*b*) Thimon, Bernhardus, Gerardus, Friſingenſis, Ratiſponenſis, Pataviensis, Brixinenſis, Chimenſis, Secovenſis, Laventinenſis, Epiſcopi, Saltzburgæ in Provinciali Concilio congregati, infra ſcriptas conſtitutiones ex cauſis rationabilibus ſolemniter ac communiter edidimus, & promulgatas publice mandamus per eamdem Provinciam inviolabiliter obſervari.

(*b*) *forte:* Timoleon.

CAPITULA.

I. *De alienationibus Ecclesiarum.*

QUia multi Prælati bona Ecclesiastica alienant, vendunt, vel distrahunt minus juste, vel etiam locationes longi temporis & nocivas faciunt: de eisdem statuimus, ut nihil talium de cætero attentare præsumant; nisi expresse auctoritate Episcopi, & consensu Conventus Monasterii accedente; alias locatio & alienatio prorsus sit irrita; & alienator ab administratione temporalium, & ab ingressu Ecclesiæ tamdiu sit suspensus, donec Ecclesiam reddat indemnem. Et ut circa hæc fraus & alienationis materia præcludatur; volumus, ut sigillum Capituli, non apud Abbatem, vel apud Prælatum, sed apud maturiores, & fide digniores tres fratres Capituli reservetur.

II. *De Dispensatione & Prælatorum ratione facienda.*

Item, ne etiam res Ecclesiasticæ in usus indebitos convertantur, & fidelis dispensatio Prælatorum apparentius elucescat; diffinimus, ut de bonis Ecclesiæ, semel in anno Prælatus cujuslibet Conventus Ecclesiæ convenientium, suo de omnibus redditibus & proventibus Monasterio plenam faciat rationem, præsente Episcopo, vel ejus Nuntio, ad hoc specialiter deputato, si Episcopus fuerit ad hoc requisitus: & bis vel ter in anno a suis Officialibus, Monachis & laicis computationem discretam faciat & fidelem: alioquin incidit supradictam. (c)

III. *De jejunio Religiosorum.*

Item a festo Sancti Martini ab omnibus Religiosis usque ad Nativitatem Domini, jejunium observetur: & a Quinquagesima eisdem præcipimus jejunium in cibis quadragesimalibus inchoari; salvis omnibus jejuniis aliis a suorum Regulis institutis.

IV. *De Monachis & Regularibus proprietatum.*

Item statuimus, ut Monachi vel Regulares, nisi a notitia præsentium infra dies quindecim vel ante, ad manus suorum offerant Prælatorum, usque ad restitutionem debitam, ab officio sint suspensi: si manifesta sit proprietas, carcerali custodiæ mancipentur.

V. *De habitu Religiosorum.*

Item, ut habitus unicuique debitus, Religiosos & Religiosas distinguat a sæcularibus, a quibus debent esse vitâ & moribus separati; volumus etiam, ut quilibet Religiosi & Religiosæ, tam Monachi, quam extra Monasteria, veste suæ religionis utantur, & vestes sæculares nullatenus assumere præsumant.

VI. *De discursu Religiosorum.*

Item inhonestos & indecentes Religiosorum discursus amputare volentes; determinamus, ut quicumque Prælatus Monachum fugitivum vel ejectum ad admonitionem Episcopi, Rectorum, vel Visitatorum Ordinis, non receperit, ex tunc sit a temporalium administratione suspensus, donec recipiat Monachum vagabundum: ut inquietos & inobedientes coercere possint per pœnas in sua regula constitutas, & mancipare carceribus penitus incorrigibiliter obstinatos, ubi magis visum fuerit expedire, quod de consilio Ordinarii ad alia sui ordinis claustra destinentur.

VII. *De Capitulis Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum.*

Item, licet felicis recordationis Gregorius Papa IX. (d) providere statuerit, ut in singulis Regnis seu Provinciis, Prælati Ordinis Sancti Benedicti de triennio in triennium Capitula regularia celebrare deberent, & nos idem statutum in Provinciali duxerimus innovandum: quia tamen nullus fructus adhuc est ex prædicto statuto, & innovatione; repetita vice decrevimus eadem Capitula celebrari, jure tamen Ordinariorum per omnia salvo.

VIII. *De immoderatis sumptibus Visitatorum.*

Item, ne Monasteria immoderatis Visitatorum sumptibus graviter onerentur; statuimus, ut quilibet Abbas, qui pro tempore Visitator fuerit, vel etiam Capitulum generale accesserit, octo evectionum numerum non excedat: inferiores vero Abbates, paucioribus sint contenti.

IX. *De*

(c) *forte:* pœnam.

(d) *corrige:* provide.

IX. *De Monialibus in claustris communem vitam non ducentibus.*

Item, cum dolore accepimus, quod quædam Moniales, in eodem Monasterio communiter habitantes, communem vitam non ducunt, nec in eodem comedunt refectorio, sed seorsum per cameras speciales. Volumus igitur, ut communiter regularia loca frequentent, & in eodem refectorio communiter cibis utantur. Et quod Abbatissæ ab Adventu Domini usque in octavam Epiphaniæ, & a Septuagesima usque in octavam Paschæ, in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant cum eisdem.

X. *De pluribus beneficiis curam animarum habentibus.*

Item, cum in nostro Provinciali Concilio proxime celebrato, Clericis plura beneficia curam animarum habentibus duxerimus injungendum, ut infra certum terminum & tempus, dispensationis suæ fidem nobis facerent; ut ultimo eis remanente beneficio juxta (*e*) Lateranense Concilium prioribus essent ipso jure privati: ex superabundanti exspectantes exspectavimus usque modo. Quare volumus districte præcipientes, ut durante tempore præsentis nostri Concilii, litteras suæ dispensationis nobis exhibeant: alioquin quod prius contra tales beneficiatos statutum est, efficaciter exsequemur; hujusmodi beneficia, tanquam de jure vacantia, personis idoneis conferendo.

XI. *De residentia Plebanorum.*

Item, licet Rectoribus Ecclesiarum, qui a residentia excusantur, mandaverimus in proximo Concilio, quatenus personas idoneas ordinarent in Ecclesiis suis in perpetuos Vicarios institui ac locari, trimestri tempore ad hoc exsequendum indulto: tamen quia in hoc exhibuerunt, se aliqui negligentes; nos institutionem hujusmodi Vicariorum, seu locationem Ecclesiarum, simul & moderamen præbendarum, præcise ad nostram providentiam revocamus, sublata eis omni circa provisionem hujusmodi potestate: ut sic puniantur ex eo, in quo delinquere præsumpserunt.

XII. *De Advocatis Ecclesiarum.*

Item sub velamento Advocationis nonnunquam gravantur Monasteria; conventualium, parochialium, & aliarum Ecclesiarum libertas & (*f*) immunitas perturbantur: decrevimus, ut omnes, qui occasione hujusmodi aliquod jus sibi vindicant in Ecclesiis, nisi de jure suo Ordinarium loci (*g*) contractum fecerint, ante festum Sancti Joannis Baptistæ, quem eis ad hoc terminum peremptorium adsignamus; ex tunc super hoc de cætero nullatenus audiantur: & Clericus, qui se non opposuerit, taliter usurpanti, pœnam sustineat nuper in (*h*) Lugdunensi Concilio statutam.

XIII. *De his, qui violentas manus mittunt in Clericos.*

Item, cum hi, qui violentas manus mittunt in Clericos, incidant ipso facto canonem legitime promulgatum; districte præcipimus, ut in Parochia, in qua tale delictum commissum fuerit, vel talis malefactor domicilium habuerit, Rectores illarum Ecclesiarum ipsum excommunicatum devitent, & denuntient singulis diebus Dominicis, & festivis: ut sic rubore perfusus, ad matrem Ecclesiam citius revertatur. Illos vero Clericos, qui vel alios nominatim excommunicatos vel interdictos ad Divina vel Ecclesiasticam sepulturam scienter receperint, ab omni officio Ecclesiastico suspensos decernimus remanere: utpote, qui sua temeritate nituntur frangere nervum Ecclesiasticæ disciplinæ. Et eum, qui in prædicta denuntiatione, postquam sibi per Ordinarium fuerit demandatum, negligens fuerit aut remissus, per quindecim dies ab ingressu Ecclesiæ, & ab officio sit suspensus, & culpam reiteratam pœnæ reiteratio subsequatur. Monemus etiam Religiosos quoslibet, ut circa prædictum statutum, ordinationem recolendæ (*i*) memoriæ Domini Guidonis curent inviolabiliter observare.

XIV. *De his, qui loca sacra exsecraverint violenta sanguinis effusione.*

Item statuimus, ut quicumque violenta sanguinis effusione cœmiterium vel Eccle-

(*e*) Lateran. IV. Cap. 29.
(*f*) *MS. habet:* emunitas, *emendavit BINIUS, qui vocem illam relinquere debuisset; barbaram quidem, at minus politis sæculis receptissimam.*
(*g*) *forte:* certum fecerint. (*h*) Cap. 22.
(*i*) Concil. Viennens. anno MCCLXVII. Cap. 4.

Ecclesiam exsecraverint, ad expensas pro reconciliatione impendendas, exsesecrationibus hujusmodi (k) teneatur. Si solvendo fuerit rebellis, per censuram Ecclesiasticam a Rectore loci, auctoritate hujus Concilii arctetur: si vero solvendo non fuerit, alias pro ipsius Diœcesani arbitrio puniatur.

XV. *Contra Patronos & Judices, qui bona decedentium Clericorum invadunt.*

Item statutum bonæ memoriæ Guidonis contra Patronos & Judices, & præcones editum, qui bona invadunt decedentium Clericorum, pro necessitate temporis aggravantes statuimus, ut raptores rerum hujusmodi vacantium Ecclesiarum ipso jure excommunicationem incurrant: & in locis, ad quæ eadem bona violenter ablata, deducta (l) illa eo fuerint, postquam hoc ecclesiarum Rectoribus innotuerit, cessetur tamdiu a Divinis; donec subrepta eadem successori defuncti reddantur, & in loca pristina reportentur, & alias satisfactio competens subsequatur. Et hoc statutum non solum ad futura, sed ad præterita extendatur.

XVI. *De Psalmo*: Domine quid multiplicati.

Item reminiscentes Moysis servi Domini, qui hostes populi sui non ferro pugnando, sed prece orando dejecit; statuimus, ut per præsentis anni decursum, in instanti adventu Domini inchoandum, in singulis Cathedralibus, Conventualibus & Parochialibus Ecclesiis Psalmus: *Domine* (m) *quid multiplicati.* cum oratione Dominica, & versu: *Fiat pax in virtute tua, Esto nobis turris fortitudinis.* & Collecta: *Deus, a quo sancta desideria.* Clerus, provolutis in terram genibus, & erectis in cœlum cordibus, in Missa post tertium Agnus Dei, quotidie semel dicat: quatenus Dominus noster Jesus Christus, Rex Pacificus, sedatis tribulationibus, & Ecclesiarum persecutoribus & invasoribus humiliatis, pacem in populo suo multiplicatis intercessoribus largiatur.

XVII. *De falsariis Clericis & laicis quocumque modo.*

Item ad falsariorum malitiam reprimendam diffinimus, ut qui Clerici vel laici sigilla vel litteras Principum vel Prælatorum falsare, vel falsis scienter uti præsumunt; aut etiam falsam monetam cudere, vel quodcunque æs seu metallum adulterine fabrefacere, aut his omnibus vel similibus uti scienter præsumserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Clericis nihilominus, si de hoc convicti fuerint, carcere Episcopali mancipandis; laicis autem sæculari judicio condemnandis.

XVIII. *De his, qui a laicis instituuntur.*

Item constitutio Concilii proxime celebrati, quæ Clericis, de manibus laicorum, antequam per Ordinarios instituantur, Ecclesias recipientibus, pœnas ingerit & infligit, in eo, quod experientia deesse docuit, supplere volentes; statuimus, ut quicumque Clericus contra processus, pœnas & ordinationes Ordinarii, contra eum habens defensionem præsidio laicorum, illaque ausus fuerit uti; ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Verum cum parum sit jura concedere, nisi sint, qui eadem tueantur; præcipimus, quatenus salutaria nostra monita, ut moribus utentium approbentur, in quatuor temporibus anni, in singulis cathedralibus & conventualibus Ecclesiis recitentur. Rectores vero Ecclesiarum ipsa scripta habeant, & per *singulas Synodos* ab Archi-Diacono de earum rerum observantia interrogari præcipimus & inquiri, & nihilominus sine delectu personarum (n) præviemus in obedientiam, qui nostrarum sanctionum inventi fuerint contemptores.

Ex Binio & Labbeo edidit Harduinus Tomo VII. Concil. pag. 859.

(k) *hæc vocula in MS. desiderabatur, inquit BINIUS, qui hæc primus edidit.*
(l) *forte:* deducta illico. (m) Psalm. 3.
(n) Vox corrupta, *forte:* procedemus ad puniendam inobedientiam.

SYNO-

SYNODUS COLONIENSIS

Anno Christi MCCLXXXI. Martini IV. Papæ I. Rudolphi I. Imp. IX.

CAPITULA SEU RUBRICÆ STATUTORUM ECCLESIÆ COLONIENSIS, EDITORUM A BONÆ MEMORIÆ D. SIFRIDO, ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI, IN GENERALI SYNODO EX CONSILIO PRÆLATORUM SUORUM &c.

STATUTA XVIII.

STATUTA D. SIFRIDI ARCHI-EPISCOPI COLONIENSIS.

Licet Clericis, qualiter eos cum modestia, sobrietate, vitæ munditia in domo Domini oporteat conversari, ut sibi & aliis verbo proficiant & exemplo, per sacros Canones & Sanctorum Patrum & Prædecessorum nostrorum traditiones sufficienter sit provisum, tamen quia nonnullos ex ipsis Clericis, præsertim illos, qui per Ecclesias positi sunt ad regimen animarum, in observatione dictæ provisionis, contingit non sine nota transgressionis desides inveniri, & ipsarum statum multipliciter deformari: Nos SIFRIDUS, Dei gratia, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-episcopus, sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, huic desidiæ, immo negligentiæ, quantum possumus, occurrere cupientes, & quod dignum est in eorum conversationibus, vita & moribus reprehendi, per innovationem eorum, quæ circa hæc statuta sunt ab antiquo, & appositionem, quæ qualitas temporum addere nos compellit (*a*) nostros Clericos in omnibus Deo placitos, salubriter reformare, cum firma spe & fiducia, quod si integrum fuerit Sacerdotium, Ecclesia Dei florebit sicut lilium, & in Spiritualibus & in temporalibus benedictionem a Domino recipiet salutare n

Siffridus Westerburgius, a Gregorio X. in Concilio Lugdunensi in Dominica Palmarum anno MCCLXXIV. consecratur Episcopus, ab Engelberto II. antecessore successor designatus. Moritur Bonnæ 7. Aprilis 1297, Colonia Metropoli adhuc interdicto subjecta.

(*a*) ipsos.

tatem: ſanctam & generalem Synodum, propter periculoſum ſtatum Eccleſiæ Colonienſis & prædeceſſorum noſtrorum occupationes, aliquantis temporibus prætermiſſam, de conſilio Prælatorum noſtrorum & Capituli noſtri duximus indicendam: ad quam convocatis & convenientibus omnibus Prælatis monaſteriorum, & Eccleſiarum, ac Clericis noſtris ſubditis, ſtatuimus & ordinavimus, ut Synodus generalis ex tunc in antea in Eccleſia Colonienſi, in craſtino Dominicæ INVOCAVIT, ab omnibus Prælatis & Clero annis ſingulis in perpetuum celebretur: & omnes Prælati & Clerici tam Religioſarum quam ſæcularium Eccleſiarum, & Clerici ſæculares noſtræ civitatis & Diœceſis ad ipſam Synodum ſanctam accedant reverenter: Et in veniendo, ſtando, morando, & redeundo in via & in hoſpitiis ſe decenter habeant, ne laicis ex eorum verbis vel factis ſcandalum generetur: Et intrent Synodum Abbates cum albis ſtolis & cappis choralibus, deſuper de ſerico vel ſamitto, cum baculis & mitris, prout hoc eorum congruit dignitati. Alii vero Prælati ſæculares, cum pelliciis, & ſuperpelliciis & cappis de ſerico vel ſamitto. Priores item Religioſorum locorum, cum albis & ſtolis. Decani Chriſtianitatum, & Archi-Presbyteri, ſimiliter cum albis & ſtolis. Reliqui vero Presbyteri & Clerici, in ſuperpelliciis. Nec aliquis Clericus vel Religioſus ibi compareat ſine habitu religionis vel chorali. Omneſque ſic induti, in ipſa Synodo, quouſque per nos licentientur, permaneant, audituri cum manſuetudine & ſilentio, quæ ibi præcepta fuerint vel ſtatuta. Si qui vero infirmitate, vel alia inevitabili neceſſitate ad Synodum venire non poterunt, mittant cum ſuis litteris, & propriis ſigillis (quæ præcipimus ut ſinguli habeant) procuratorem pro ſe, qui habeat poteſtatem de hujuſmodi impedimendo faciendi fidem, ſi opus fuerit juramento: & in ipſis litteris ſe obligent, quod ſtatuta hujuſmodi obſervabunt.

Capitula autem, & quælibet collegia, per unicum vel per duos Procuratores de ipſorum collegiis comparebunt, ad obſervationem ſtatutorum in Procuratoriis ſe ſimiliter obligantes. Et omnes jejuni comparebunt in Synodo, quod ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipimus, niſi modiciſſimam ſumi conſolationem infirmitas urgeat corporalis.

Item ne ignorantia ſtatutorum vel præceptorum Synodi, aliquem valeat excuſare, ſtatuimus & præcipimus ſub pœna excommunicationis, quam in hoc caſu in omnes & ſingulos contravenientes in his ſcriptis ferimus, quod quilibet Sacerdos Eccleſiam vel capellam officians vel plebem regens, procuret & efficiat cum effectu, quod intra unum menſem ab hac die numerandum, ſtatutorum & præceptorum Synodalium copiam habeat, de verbo ad verbum, ut ea frequenter legens & volvens, ſciat inexcuſabiliter & ſcire poſſit, ad quid teneatur, & qualiter in omnibus debeat ſe habere. Et in proximis deinde ſingulis Synodis generalibus in manu ſua ſecum deferat, & publice repræſentet, ſciens, quod cum excommunicatione ſequetur pœna alia, hujuſmodi mandati transgreſſorem.

I. *De vita, & honeſtate, & officio Clericorum.*

EX Concilio generali ſtatuimus & præcipimus, quod univerſi Clerici continenter & caſte vivant, ab omni libidinis vitio præcaventes, quatenus in conſpectu Omnipotentis Dei, puro corde & mundo corpore valeant miniſtrare: & qui comprehenſi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis vel minus peccaverint, ab eorum Ordinariis ſeu Prælatis debite puniantur. Alioqui nos Prælatorum negligentiam ſupplentes, tales puniemus ſecundum Canonicas ſanctiones, ut pœna docente, deinceps abſtineant a peccato: & qui ea de cauſa per nos vel Prælatos ſuos ſuſpenſus, Divina officia celebrare præſumpſerit, beneficio Eccleſiaſtico ſpolietur, & pro duplici cauſa perpetuo deponatur. Prælati autem noſtri, qui tales præſumpſerint in eorum iniquitatibus ſuſtinere, maxime obtentu pecuniæ vel alterius commodi temporalis, juris ſubjaceant ultioni. Item a crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant, unde vinum ſibi temperent, & ſe vino: nec ad bibendum quiſpiam incitetur, cum

cum ebrietas inducat mentis exilium, & libidinis provocet incentivum.

Item nullus Sacerdos aut Clericus in ſacris conſtitutus ordinibus, fœminas, de quibus ſuſpicio poteſt eſſe, in domo ſua teneat: & nullas omnino, niſi ſint illæ perſonæ, de quibus naturale fœdus nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari. Et quamlibet cohabitationem mulierum & Clericorum manifeſtorum, maxime Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis, & Sacerdotibus ſub pœna anathematis diſtrictius inhibemus. Item Clerici officia vel commercia ſæcularia non exerceant per ſe, alios vel alias. Mimis, hiſtrionibus, vel joculatoribus non intendant: tabernas prorſus evitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti.

Item ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis interſint. Coronam & tonſuram habeant congruentem. Clauſa deferant indumenta, maxime Sacerdotes, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, nec non manicis aut calceis conſutitiis non utantur. Intra Eccleſiam incedant cum ſuperpelliciis, niſi forte aliquid ibi fuerit manibus operandum. Fibulas omnino non ferant. Item arma non ferant, neque gladios, niſi hoc faciant ex cauſa neceſſitatis, & expreſſa licentia Prælatorum. Item ſtatuimus, quod neque Canonici, neque Clerici vagentur nocturno tempore per plateas, pſallentes, & ſi aliquos tranſire oporteat ex legitima & juſta cauſa, hoc faciant ſine clamore, & ſine cantu, ſine citharis, ſine tympanis, & ſine quolibet ſtrepitu, vel chorea: & volumus, quod contrarium facientes, Decani ſuſpendant a præbendis eorum per unum menſem. Item ſtatuimus, quod quicunque Sacerdotes, ſeu Clerici beneficiati, ſententias excommunicationis ſeu ſuſpenſionis per annum & diem animo ſuſtinuerint indurato, beneficiis ſuis eo ipſo priventur per locorum Ordinarios, & alias propter hoc nihilominus canonice puniantur. Item ſtatuimus, ut Clerici ubique & maxime in Divinis Officiis decenter, & diſcrete ſe habeant: & tales ſe in moribus, vita, converſatione, verbis, & factis, ſocietatibus, corporis compoſitione, lectionum & orationum aſſiduitate, & in quibuslibet honeſtatibus exhibeant, ut verecundia, quæ & laicis eſt indicta, in ipſis Clericis præcipue commendetur. Nullus horas Canonicas & horas de Domina noſtra, ulla unquam die diſtincte & diſcrete dicere prætermittat, maxime, qui eſt in ſacris ordinibus conſtitutus. Nullus dicat Miſſam, niſi unam in die, & præcipue de die: niſi in caſibus a jure permiſſis, ut hoc faciat neceſſitate imminente, utpote Miſſam pro defunctis. Nec celebratio fiat ſine ſocio vel ſcholari, qui reſpondere valeat celebranti. Nec mulier ad altare permittatur aliquatenus miniſtrare. Item propter apoſtatas, diſcurſores, vagos, & ignotos Clericos, de quibus an Sacerdotes ſint, non immerito dubitatur: ſtatuimus, ut nullus Beneficiatus, ſeu Rector Eccleſiæ, vel Altaris, tacite vel expreſſe aliquem admittat in ſocium vel ad celebrandum Miſſam, vel miniſtrandum Sacramenta, vel aliquod ſacerdotale officium exercendum, niſi notum ſit de ordinibus, moribus & converſatione, ac alias commendatum: & ſi omnino extraneus vel peregrinus fuerit, per nos vel gerentem vices noſtras, ſeu loci Archi-Diaconum, cum examinatione debita approbatum, & admiſſum ad hujusmodi officia exercenda. Et ſi quis Rector Eccleſiæ, vel Altaris, aut Capellæ aliquem contra hoc admiſerit, excommunicationis ſententiam (quam in ipſum in hoc caſu ferimus in his ſcriptis) incurrat ipſo facto. Eo ſalvo, quod peregrinantes & honeſtæ perſonæ non pro quæſtu, ſed pietatis & devotionis intuitu, Miſſam dicere volentes, admitti poterunt, ſi requirunt.

II. *De Clericis cohabitatoribus mulierum, & concubinariis.*

Ex Concilio bonæ memoriæ CONRADI Archi-Epiſcopi prædeceſſoris noſtri, innovando ſtatuimus, ut Sacerdotes manifeſti mulierum cohabitatores, concubinas a ſe de domibus & Parochiis ſuis intra decem dies poſt publicationem præſentium, omnino removeant & repellant. Alioqui excommunicationis ſententiam (quam propter hoc in eos ferimus in his ſcriptis) ſe noverit incurriſſe. Mulieres autem, ſi poſt ipſos decem dies repertæ fuerint in Parochiis, horum Sacerdotum remanere, per Decanos Chriſtianitatum ipſorum locorum excommunicentur, & excommunicatæ

publice nuntientur, invocato super remotione earum, si opus fuerit, auxilio sæculari. Inhibemus etiam, ne Sacerdotes filios, aut filias, vel concubinas dotent, aut ditent de patrimonio vel descendentibus a patrimonio CRUCIFIXI, aut talium nuptiis vel etiam exequiis audeant interesse: & qui contra fecerint, pœna canonica percellantur.

III. *De statu Claustralium vel Religiosorum.*

Statuimus, ut nullus Monachus aut Monialis claustrum suum exeat, per civitates, villas vel oppida discurrendo, aut in villa Monasterio adjacente comedere, (*a*) nisi ex causa rationabili & urgente: & id tunc fiat, cum sui Prælati vel Prælatæ licentia speciali, quam licentiam volumus, ut Prælatus vel Prælata non det, nisi causa examinata, quod sit evidens, & non possit sine scandalo evitari.

Item in oratorio, refectorio, & dormitorio per Monachos semper continuum silentium observetur. In claustris vero illis horis servent silentium, quod observantia præcipit regularis. In refectorio omnes comedent, sed non carnes, nec extra, nisi in infirmaria. Una sit omnibus coquina, & communis cibus, nisi de licentia Abbatis vel Prioris, & ex causa. Speciales cameras & comestiones ibidem districtius inhibemus. In communi dormitorio omnes dormiant, nisi debiles fuerint vel infirmi. Divinum Officium secundum regulam beati Benedicti, vel beati Augustini per institutiones sanctorum Patrum celebrent. Item sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus, ut omnes Religiosi & præcipue Sanctimoniales, habitum, velum & peplum secundum regulam ferant, ubicunque fuerint constituti, cappas, manicatas, tunicas, phalas, (*b*) indumenta, tabbardos, calceos, vel caligas non ferant, nisi beati Benedicti vel beati Augustini regulæ congruentes. Et sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus ab omnibus tam Monachis, quam Monialibus, firmiter observari, ut proprium non habeant, nec pecuniam, nisi cui hoc permittitur ex ratione officii, vel administrationis sibi commissæ per Abbatem. Item officia vel administrationes habentes contractus non ineant, locationes, emptiones, venditiones & alienationes, quarumcunque rerum mobilium vel immobilium, non faciant, mutuum aliquatenus non recipiant a quocunque, præter scitum & consensum Abbatis vel Conventus. Et si contra fecerint, sciant contractum hujusmodi non valere, sed sententiam excommunicationis etiam in eos in hoc casu a nobis latam in his scriptis, se noverint, incurrisse. Et hæc eadem extendi volumus ad Prælatos & Canonicos regulares, & præmonstratenses, & alios quoslibet Religiosos. Item Abbatibus & Prioribus districte præcipimus, ut omnia & singula, quæ ad ordinem & regulam pertinent, faciant ab omnibus & singulis inviolabiliter observari, cum appositione pœnæ, quæ in regula continetur. Rebelles vero & incorrigibiles ad nos deferentes, ut ipsorum per nos rebellio compescatur. Item statuimus, ut secundum statutum Concilii Generalis Domini Innocentii Papæ tertii, per Abbates, Priores, & Præpositos nigri Ordinis S. Benedicti nostræ civitatis & Diœcesis, de triennio in triennium commune Capitulum servare teneantur. Et quia hujusmodi statutum negligenter est observatum, licet Dominus Conradus prædecessor noster antedictus, hoc mandaverit, nos pœnam adjicimus, & non servantes excommunicamus in his scriptis.

IV. *Qualiter Clerici & maxime Sacerdotes, populum vel plebem regentes, in administratione septem Sacramentorum se habere debeant, & primo de Baptismo.*

Statuimus, ut Baptismus honorabiliter celebretur cum distinctione verborum, in quibus salus pendet baptizati, ut ille, qui baptizat, cum immergit baptizandum in aqua, nihil addendo vel subtrahendo, vel mutando, dicat hæc verba: Petre (vel Johannes) *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Item Sacerdos eandem formam doceat mares & fœminas observare, cum in necessitate baptizant infantes, etiam parentes, si alii defuerint. Item Sacerdos, ad quem infans sic in necessitate baptizatus, deferendus est, quanto citius interroget de forma, quam baptizans servavit. Et si invenerit eam servatam, & rite baptizatum puerum, faciat ei, quæ post Baptismum fieri consueverunt. Si autem

(*a*) *lego:* comedendo.

(*b*) phala vestis muliebris. *Du Fresne* v. *phala*.

autem cognoverit ipſum non baptizatum vel dubitaverit, baptizet eum ſub hac forma: Petre (vel Johannes) *ſi es baptizatus, ego te non baptizo; ſed ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Item, ſi timeatur de morte infantis, antequam naſcatur, & caput ejusdem naſcentis appareat extra uterum, infundat aquam, quæ adfuerit, ſuper caput naſcentis; dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et ſi infans ſic moritur, ſepeliatur corpus ejus in cœmiterio. Si autem pervenerit vivus ad ortum, & de forma dubitetur, de novo baptizetur ſub hac forma: Petre (vel Johannes) *ego te non baptizo, ſi es baptizatus: ſed, ſi tu non es baptizatus, tunc ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, &c.* Item mulieri in partu mortuæ nullatenus negentur jura Chriſtianitatis, nec Eccleſiaſtica ſepultura. Et ſi certum ſit, quod mulier prægnans moriatur, teneatur os ejus apertum: & cum magna cautela uterus ejus aperiatur: & ſi infans fuerit vivus, educatur & baptizetur, ſi autem inventus fuerit mortuus, ipſe puer extra cœmiterium tumuletur. Et iſte modus & forma frequentius Parochianis imprimatur, ut ſciant, quomodo in talibus debeant ſe habere. Item duo vel tres tantum admittantur ad levandum puerum de Baptismo, qui intra quartum gradum parentibus pueri non ſint juncti, niſi in neceſſitate. Item in Paſcha & Pentecoſte, & etiam ſæpius fons Baptiſmi, ſi opus fuerit, renovetur: & amota aqua veteri, ipſe fons lavetur, & bene mundificetur, & nova aqua impoſita, & benedicatur & chriſmetur.

Item fons ſub operculo & ſub ſera firmiter conſervetur, propter ſortilegia & truſas, quæ ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter prohibemus. Item Chriſma, Oleum ſacrum, & Oleum infirmorum, in ampullis metallinis per certos titulos deſignatis ſub clave cuſtodiantur. Si autem aliud oleum Chriſmati vel Oleo ſacro apponi oporteat, hoc fiat caute: & id, quod apponitur, cum Chriſmate & Oleo ſacro diligenter cum virgula miſceatur.

V. *De Sacramento Confirmationis.*

Moneant Presbyteri parentes baptizatorum nondum confirmatorum, ut eos ad Epiſcopum, qui ſolus poteſt confirmare, ducant ſeptennes vel majoris ætatis, & tondeantur capilli, maxime contra frontes dependentes & laventur frontes diligenter, & habeant bandellos de panno lineo ſpiſſo ſine fractura, & ſine nodo, latitudinis trium digitorum, & longitudinis competentis, albos & bene mundos. Exceptis autem Patre & Matre, offerant pueros illi, qui eorum notitiam habent & melius noverunt, quod non ſint vel fuerint confirmati. Et tertia die poſt confirmationem ducant eos ad Eccleſiam, & Presbyter frontes eorum lavet, & comburet bandellos, & cineres bandellorum, & aqua lotionis in ſacrum locum vel piſcinam ſive lavatorium reponantur. Confirmandi vero, ſi fuerint decem annorum vel ultra, prius ſuis Sacerdotibus confiteantur, quod confirmentur. Parentes vero confirmatorum eis, & ipſi confirmati, ſibi ſæpe ad memoriam revocent, quando, a quo, & ubi fuerint confirmati. Nullus Clericus ad primam tonſuram accedat, niſi prius fuerit confirmatus.

VI. *De Sacramento extremæ Unctionis.*

Cum reverentia, aqua benedicta & cruce præcedentibus, Sacerdos deferat oleum ſacrum ad infirmos, & dicat diligenter ſeptem Pſalmos. Si via fuerit longa, addat Litaniam, & alias orationes ad hoc conſtitutas. Et cum inungit infirmum, proferat iſta verba: per iſtam unctionem &c. & inungatur cum reverentia ac diligenter cum diſtinctione verborum. Et nihil pro inunctione exigatur. Et ſi quid datum fuerit gratis, accipiatur. Laudabilem tamen conſuetudinem in talibus præcipimus obſervari. Moneant Presbyteri populum, ut infirmi quatuordecim annos & ſupra habentes, cum opus fuerit, inungantur. Nec propter paupertatem ſeu defectum candelarum vel indumentorum lineorum, quæ in hoc Sacramento ſolent cauſa reverentiæ exhiberi, a Sacerdote vel quovis alio inunctio dimittatur. Sufficit enim una candela, & quod infirmi inuncta membra ſingulariter & diligenter extergantur cum ſtuppa, quæ poſt exterſionem in igne comburatur.

VII. *De Sacramento Eucharistiæ sive Altaris.*

Præcipimus, ut omnes Sacerdotes in vestibus albis sacerdotalibus & benedictis, reverenter mundo & contrito corde & confessi (si commode fieri potest) accedant ad Missam celebrandam.

Item statuimus sub pœna excommunicationis, ne aliquis Sacerdos Missam celebrare audeat, nisi prius dixerit Matutinas & Primam de die. Item præcipimus, ne aliquis Sacerdos sine calceamentis vel caligis pro celebratione Missæ ad Altare accedere audeat.

Item diligenter caveant Sacerdotes, ne cum conscientia mortalis peccati accedant ad Missam celebrandum, quod si taliter manducaverint corpus Domini, & biberint ejus sanguinem, judicium æternæ damnationis sibi manducant & bibunt.

Item Missale semper involvatur camisia vel panno lineo & mundo, & apponatur parvum manutergium, quo Presbyteri nares vel faciem detergant, ne contingat sacra vestimenta maculari, quæ integra & munda (ut dictum est) præcipimus custodiri. Item loca circa Altare, ab araneorum telis ac pulveribus & cæteris immunditiis sæpius emundentur.

Item præcipimus, ut sursum super Altare ad latitudinem & longitudinem Altaris, pannus lineus albus extendatur, ut protegat & defendat Altare ab omnibus immunditiis & pulveribus descendentibus. Item cortinæ in lateribus Altaris (*f*) utrisque appendantur, nec in aliquo tempore sacrificii retro trahantur. Item præcipimus, ut calix sit integer cum firmo pede, non titubans. Et Sacerdos sine Clerico ministrante, celebrare in Altari aliquatenus non præsumat. Item ampullæ vini & aquæ integræ & mundæ intus & exterius observentur, & aliquo signo notabili distinguantur, ut vinum ab aqua dignosci possit. Et vinum in ampullis ad minus de tertio in tertium diem renovetur. Item Sacerdos sit diligens in delectu hostiæ consecrandæ, ut sit integra, solida, & non nimis vetusta: & in appositione vini & aquæ, discernat Sacerdos per odorem, quid sit unumquodque. Et de aqua duæ guttulæ vel tres apponantur.

Item præcipimus, ut Sacerdotes attente, reverenter & distincte legant, & dicant in canone, quæ sunt dicenda. Et expediant se, quanto citius possunt, propter tædium adstantium, & alia, quæ occurrere possent, & faciant signa sua distincte & reverenter. Item nullus Sacerdos elevet hostiam ad ostendendum populo, nisi postquam dixerit hæc verba: HOC EST ENIM CORPUS MEUM. & pulsetur nola tribus ictibus ex una parte, ut fideles, qui audierint, ubicunque fuerint, veniant, & adorent. Item si Sacerdos cum venerit ad consecrationem sanguinis vel etiam ad perceptionem, & nihil in calice inveniat, innuat, ut offeratur ei vinum, & aqua: quibus appositis, dicat verba canonis ab illo loco: *Simili modo postquam cœnatum est*, & cætera usque ad finem, & faciat signa, quæ fieri solent super sanguinem. Alia autem, quæ facta sunt super Eucharistiam, non reiteret, sed modo consueto transeat. Ille autem, per cujus negligentiam hoc evenerit, tribus diebus in pane & aqua jejunet, & unum Psalterium dicat. Item si per causam mortis, ægritudinis vel passionis, aliquid inopinatum evenerit, & subitaneum contingat, quod Sacerdos inceptum ministerium explere non valeat, licitum sit alteri Sacerdoti exequi & perficere consecrationem officii incepti: quod ibidem incipiat (si scire poterit) ubi alter destitit: nisi incepta collecta, necdum perlecta, vel inceptis verbis Sacramenti nondum perlectis, prædictus casus contingat. Tunc enim a capite illam collectam vel Sacramenti verba reincipiat, ut sic saluti humanæ fragilitatis & sacris mysteriis, ne interrupta vel incompleta remaneant, consulatur. Si autem dubitetur, an hostia a primo Sacerdote casum passo, consecrata fuerit, nec ne, substitutus Sacerdos novam oblationem offerat, & solito more conficiat, & post Missam, primam hostiam sumat. Idem de Calice fiat, & de eo, quod in Calice reperitur. Item præcipimus sub pœna excommunicationis, quam ferimus in his scriptis, ne aliquis Sacerdos bis in die Missam celebret, nisi in casu urgentis & maximæ necessitatis, & in quibus permittit. Et tunc in prima Missa post perceptionem sanguinis, non utatur ablutione vini & aquæ: sed reser-

(*f*) utrinque.

reſervet in tuto ac honeſtò loco, ut eam accipiat in ſecunda Miſſa, vel det honeſtæ perſonæ jejunæ, quam noverit ad hoc eſſe paratam.

Item ſi quid de ſanguine vel corpore Domini ceciderit ſuper pallam Altaris, illa pars abſcindatur, & comburatur, & cinis in ſacrum locum vel piſcinam reponatur. Et ſi pars corporalis intincta fuerit ſanguine, ter diligenter abluatur: & aqua ablutionis, a Presbytero vel alia perſona Religioſa & jejuna ſumatur. Et poterit dicto anno poſt ablutionem uti ſicut prius.

Item ſi gutta ſanguinis ſuper veſtimentum ceciderit, illà pars abſcindatur & comburatur, & cinis in ſacrum locum reponatur, ut dictum eſt, ſi ſupra lignum vel lapidem aut terram ſolidam ſanguis ceciderit, illa pars (ſi commode fieri poteſt) (g) ablingatur a Sacerdote, & poſtmodum radatur, & illa raſura in ſacrum locum vel ſacram piſcinam reponatur.

Item ſi in ſanguinem muſca vel aranea vel aliquod abominabile ceciderit, quod vix ſine vomitu (h) & periculo corporis ſumi poſſit, caute extrahatur. Et ſuper patenam vel calicem alium abluatur cum vino, & poſt ſanguinis ſumptionem & ablutionem, illa lotio in piſcinam mittatur, & beſtia vel vermis ſuper piſcinam comburatur, & cinis in piſcinam ſive lavatorium mittatur. Item ſtatuimus, ut pyxis, in qua corpus Domini reſervatur, vel ad infirmos defertur, ſit aurea, argentea, vel ad minus cuprea, bene elimata: & ſemper lineus pannus albus & mundus, intra pyxidem ponatur, ſupra quem corpus Domini in pyxide collocetur. Item præcipimus, ut cum aliquis infirmus communicare voluerit, quod Sacerdos (ſi commode fieri poterit) prius eum viſitet ſine corpore Domini, & diligenter confeſſionem infirmi audiat: & poſt ad Eccleſiam redeat, ad communicandum infirmum, corpus Domini allaturus: & eat Sacerdos dicendo ſeptem Pſalmos: & ſi via fuerit longior, addat Litaniam & alias orationes. Incedat autem Sacerdos ad communicandum infirmum, cum campanula & lucerna & candela præcedente. Et fideles, qui pro devotione occurrere voluerint, exſpectent ante oſtium infirmi, donec communicatus fuerit: & redeant ad Eccleſiam poſt Sacerdotem orando reverenter. Quilibet autem fidelis, ſi devote fecerit hanc proceſſionem, decem dies indulgentiæ præeundo & redeundo habeat. Cum autem Sacerdos corpus Domini de nocte portaverit, mulieres ipſum aliquatenus non ſequantur. Qui autem hanc proceſſionem turbaverit, vel minus reverenter ſe in ea habuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcatur.

Item præcipimus, ut Sacerdotes venerabiliter & ſublimiter, ſuperpoſito decenti cooperculo ſupra vas, in quo corpus Domini defertur, deferant ad infirmum. Si infirmus frequenter & ex levi cauſa vomitum patiatur, nullatenus ei corpus Domini conferatur, ſed credat, & ſufficit, quod ſpiritualiter accipit. Item præcipimus, quod quilibet Sacerdos, antequam communicet infirmum, interroget eum, ſi credat, quod ſub illa forma & ſpecie panis ſit corpus Domini, natum de virgine, paſſum in cruce, & tertia die ſuſcitatum. Quod ſi infirmus fuerit confeſſus verbo vel evidenti ſigno, communicet eum Sacerdos, ſi alia cauſa non obſiſtat. Item ſi communicatus evomuerit, partes diligenter & caute, quæ reperiri poterunt, colligantur: & contritæ cum vino, ab aliquo fideli ſumantur: reſiduum vero vomitus comburatur, & ponatur (i) in terram juxta Altare vel alibi, ubi commode fieri poterit.

Item cum corpus Domini defertur, fideles, coram quibus defertur (ſi commode fieri poteſt) genua flectant, pectora ſua tundant, & inclinato capite junctis manibus, & levatis reverenter adorent. Equitantes vero non dedignentur deſcendere de equis ſuis ad adorandum eum, qui pro eis deſcendit de cœlis. Item præcipimus, ut Euchariſtia ſervata pro infirmis, ſingulis quindenis renovetur, & corpus Domini ſuper Altare in honeſto loco clauſum cum clave ſolicite & diligenter cuſtodiatur. Item præcipimus, ut Sacerdotes ſubditos ſuos doceant, ut, cum venerint ad communicandum in die Paſchæ vel alias, jejuni, devoti, & confeſſi accedant: & caveant Sacerdotes, ne alienum vel extraneum Parochianum

(g) abluatur. (h) vel. (i) ſubtus.

anum communicent, nisi sit viator & peregrinus, vel nisi communicandus licentiam sui proprii Sacerdotis habeat: quam licentiam quilibet viator vel peregrinus petere debet à proprio Sacerdote in suo recessu: quod si non fecerit, propter hoc ei communio non denegetur, sed pro negligentia, ei pœnitentia injungatur. Item nullus fidelis arcendus vel removendus est communione, nisi fuerit publice excommunicatus vel interdictus vel aliquo notorio crimine notatus. Item præcipimus, ut sumpta Eucharistia Sacerdos habeat calicem præparatum cum vino & aqua, de quo sumant communicantes.

VIII. *De Sacramento Pœnitentiæ & Confessionis, & eorum attinentiis.*

Præcipimus, ut Sacerdos parochialium Ecclesiarum subditos suos frequenter admoneant; & (k) etiam pœnitentiam injungant, ut ad confessionem sæpe veniant. Et priusquam veniant ad confessionem, diligenter scrutentur corda sua confiteri volentes, & peccata sua sollicite rememorent, & cum dolore & cum vultu supplici ad confitendum accedant, quasi ad Dei judicium. Sacerdotes autem, ut Dei ministri, circa confessionem audiendam, & pœnitentiam injungendam, maximam adhibeant diligentiam, ut attente, diligenter, & cum modestia audiant confitentem. Item ad confessionem audiendam, communem, & aptum locum in Ecclesia, ut ab omnibus videri possint, sibi eligant Sacerdotes. In locis autem obscuris & tenebrosis confessiones non audiant, nec extra Ecclesiam, nisi in magna necessitate vel infirmitate. Contrarium facientes, sententiam excommunicationis se noverint incursuros. Item præcipimus, ut Sacerdotes ante solis ortum & post solis occasum nullatenus ad confessionem audiendam sedeant, nisi in magna necessitate, & in loco illuminato, & aliquibus præsentibus.

Item præcipimus sub pœna excommunicationis, ut Sacerdotes in audiendis confessionibus vultum humilem habeant & oculos ad terram: nec faciem respiciant confitentis, & maxime mulierum. Item Sacerdotes moneant & doceant subditos suos, ut humiliter & corde contrito, oculis in terram defixis, confiteantur. Et mulieres coopertis capitibus & collis, submissa voce pure & integraliter peccata sua confiteantur. Item Sacerdos mulierem, quæ sola sit in Ecclesia, nullatenus audiat confitentem, sed in conspectu honestæ societatis. Contrarium facientes ipso facto sententiam excommunicationis se noverint incursuros & insuper tribus diebus in pane & aqua jejunent. Item præcipimus, ut Sacerdotes induti superpelliciis, vel cappa, stola superposita ad confessionem sedeant. Item sub pœna excommunicationis præcipimus, ne aliquis Sacerdos audiat confessionem mulieris, cum qua peccavit; nec etiam consocias aut fautores aut mediatores peccati sui, sed mittat eos vel eas ad honestos & discretos confessores. Item præcipimus, ut Sacerdotes mansuete audiant confessiones, & de consuetis peccatis singulatim & diligenter interrogent, & de circumstantiis peccatorum. De inusitatis autem nominatim non inquirant, sed per communia verba, ex quibus confitens, si reus est peccati, possit intelligere, quid dicatur, ut sic intelligens confiteatur. Si autem reus non fuerit, de illo non tenetur. Item Sacerdotes diligenter instruant & moneant confitentes, ut integraliter & distincte mortalia peccata & eorum circumstantias, quæ peccata aggravant, & peccatum per se faciunt, confiteantur, ut est facer ordo, facer locus circa peccatum luxuriæ & concupiscentiæ, quæ omnia notantur in hoc versu: *Quis: quid, ubi, cum quo, quoties, cur, quomodo, quando.*

Venialia autem peccata sufficit summatim ac generaliter confiteri.

Item præcipimus, ut Sacerdotes nobis vel illi, cui vices nostras pro tempore in spiritualibus committimus, majora peccata & injunctionem pœnitentiæ pro eisdem, reservent, ut sunt: *homicidia, sacrilegia, incendia Ecclesiarum, peccata contra naturam, defloratio virginum cum violentia, concubitus Sanctimonialium, conversarum, inclusarum, vel aliarum mulierum religiosarum, incestus, injectiones manuum in Parentes vel Ecclesiasticas personas, sortilegia, veneficia, perjuria manifesta, fidei & votorum trans-*

(k) in pœnitentia. (l) cui.

*transgressiones, simonia, *hæresis, apostasia, & magnæ blasphemiæ seriose factæ.* In dubiis autem Sacerdotes semper consulant Nos, vel vices nostras in Spiritualibus gerentem, aut alios sapientes viros, non prodendo aut revelando confitentem, sed in genere, quorum consilio pœnitentem absolvant, aut ad alium mittant. Item audita confessione Sacerdos semper interroget confitentem, si velit abstinere ab omni mortali peccato? & hoc ei persuadeat, & modis, quibus potest, inducat: & si confitens dixerit se nolle, vel non posse abstinere, non absolvat eum, nec pœnitentiam ei injungat, sed moneat, ut interim faciat, quicquid boni possit, ut Deus cor ejus citius illustret, & ad pœnitentiam reducat. Consulat ei etiam & indicet Sacerdos cum diligentia modum vivendi, per quem possit a peccato facilius abstinere. Sacerdotes etiam in injungendis pœnitentiis discretionem habeant, ut pœnitentias secundum magnitudinem & qualitatem peccati, & possibilitatem confitentis, peccatoribus injungant. Pro peccatis carnalibus injungant pœnitentias corporales, sicut est jejunium, peregrinatio, disciplina, & similia. Pro spiritualibus autem negligentiis injungant orationes, & eleemosynas, & meditationes peccatis eorum contrarias. In contrectatione rei alienæ, vel in damno alii illato per furtum, rapinam, usuram, per fraudem, per injustam exactionem, per falsam testificationem, per falsam monetam, vel alios modos, de quibus Sacerdotes diligenter inquirant: & primo & præcipue injungant restitutiones fieri his, quos prædictis modis damnificaverunt vel læserunt, si facultatem habent, vel cum facultatem habebunt, si in præsenti non possunt: aliter eos non absolvant. Item præcipimus sub pœna excommunicationis, quam in his scriptis ferimus in Sacerdotes, qui contrarium fecerint, ne confessis cujuscunque conditionis vel statûs, aut confitentibus, nomine restitutionis pro pœnitentia injungant, ut Ecclesias, Capellas, vel Cœnobia instituant, (m) vel Ecclesiis legata faciant, sed prius restitutionem (ut prædictum est) faciant illis, a quibus extorta sunt, si inveniantur, vel hæredibus eorundem. Alioqui ad arbitrium nostrum, vel nostri pœnitentiarii erogentur. Item sub pœna prædicta prohibemus Sacerdotibus, ne Missas, quas pœnitentibus, ut celebrari faciant, injunxerint, aliquatenus celebrent, sed ad alios mittant. Neque Sacerdotes inter se faciant conventionem de Missis celebrandis, ut sic mutuo sibi parochianos pro celebrandis Missis transmittant. Item diligenter in confessione caveant Sacerdotes, ut, si confitentes peccata aliquorum revelaverint, vel nomina eorum indicaverint, cum quibus peccaverunt, ea secrete teneant; sicut peccatum confitentis. Item sub pœna excommunicationis omnibus Sacerdotibus inhibemus, ne a confitentibus nomina eorum, cum quibus peccaverint, inquirant, vel circumstantias, per quas possint nomina eorum sciri. Quod si fecerint, ab officio confessionis audiendæ & sacrorum ministeriorum ipso facto se noverint esse suspensos. Et in principio confessionis Sacerdotes districte inhibeant confitentibus, ne peccata aliorum confiteantur vel revelent, aut nomina eorum, cum quibus peccaverint, exprimant, ut supra dictum est. Item nullus Sacerdos ex ira, odio, vel etiam metu corporis, confessionem confitentis audeat revelare verbo vel signo, generaliter vel specialiter dicendo: *Ego te scio talem, qualis es.* Et si revelaverit aliquo modo, de hoc convictus, debet absque omni misericordia degradari. Si tamen indigeat consilio, illud (ut dictum est) sine expressione personæ caute requirat. Item præcipimus, ut omnes Sacerdotes parochialium Ecclesiarum frequenter & diligenter subditos suos utriusque sexûs admoneant, ut postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia peccata sua integre & ad minus semel in anno confiteantur proprio Sacerdoti parochiali, & injunctam eis pœnitentiam studeant adimplere, suscipiendo ad minus reverenter in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam causam rationabilem, duxerint abstinendum. Alioqui viventes ab ingressu Ecclesiæ arceantur; morientes Christiana careant sepultura. Si quis autem proprio Sacerdoti parochiali ad minus semel in

(m) *forte*: construant.

in anno plene & integre confeſſus non fuerit, præcipimus, quod Sacerdos in Paſcha ei Sacramentum minime adminiſtret. Item Sacerdotes diligenter attendant, qui Parochiani eorum, ſaltem in anno ſemel ad confeſſionem non veniant: & nomina illorum ad Nos, vel ad Officialem noſtrum, ſeu ad Ordinarium loci referant, ut debite puniantur, ne ab ipſis Sacerdotibus notam negligentiæ requiramus. Hoc autem ſtatutum frequenter in Eccleſiis præcipimus publicari, ne aliquis ex ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis tamen alieno Sacerdoti, vel alicui Religioſo, juſta de cauſa voluerit confiteri, licentiam primo poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote: ita tamen, quod ſemel ad minus in anno proprio Sacerdoti plene & integre (ut dictum eſt) confiteatur. Sacerdos autem cautus & diſcretus ſit, ut more periti medici ſuper infundat oleum & vinum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens peccatoris circumſtantias & peccati: ex quibus prudenter intelliget, quale debeat peccatori præbere conſilium ad ſanandum ægrotum.

IX. *De Ordinibus, & qui ad Ordines admitti debeant?*

Statuimus, ut omnes Clerici ad aliquem ſacrum ordinem ordinandi, jejuni, diligenter ante ordines vel ordinis ſusceptionem, integraliter peccata ſua confiteantur, ut mundi, mente, & corde, & corpore gratiam accipiant ampliorem. Item præcipimus ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, ne aliquis ad ſacrum ordinem præficiendus (ut hactenus aliquoties viſum eſt) Epiſtola vel Evangelio lecto, & ordine ſuo recepto, recedere audeat prius, quam officium Miſſæ totaliter ſit expletum.

Item omnes illi, qui ordinem aliquem ſacrum vel non ſacrum, ab alienis Epiſcopis receperint, noſtra ſuper hoc ſpeciali licentia non obtenta, executionem ordinis ſibi noverint interdictam. Item præcipimus, & denuntiamus omnibus, qui gaudere volunt privilegio alicujus ordinis clericalis, quod nos ipſos non defendemus prætextu privilegii clericalis vel ordinis, niſi tempore, quo paſſi fuerint injuriam, tonſuram & habitum detulerint clericalem. Item præcipimus, ne aliquis Decanus Chriſtianitatis, Presbyteros ab alienis Epiſcopis quibuscunque, extra Diœceſin Colonienſem ordinatos, permittat in ſuo Decanatu aliquatenus celebrare, niſi per litteras noſtras oſtendere poſſint, a nobis ſuper hoc ſe licentiam vel diſpenſationem habuiſſe. Item diſtricte prohibemus ſub pœna excommunicationis, ne aliquis furtive ad aliquem ordinem accedere audeat, nec (z) plures ordines una die aliquis recipiat. Qui contrarium fecerit, ſciat ſe executionem ſuſcepti ordinis non habere: & irregularis efficitur, ſi miniſtraverit in ordine ſic ſuſcepto. Item prohibemus, ne aliquis *per ſaltum* ſe faciat promoveri.

X. *De Matrimonio & ejus attinentiis.*

Prohibeant frequenter Sacerdotes omnibus ſubditis ſuis ſub pœna excommunicationis, ne fidem ſibi dent mutuo clandeſtine, & in occulto ſuper matrimonio contrahendo, vel etiam clam contrahant matrimonium, ſed publice coram Presbytero, & coram pluribus hoc faciant: & ſi aliter fidem dederint de contrahendo, vel contraxerint, ipſi (quos in his ſcriptis excommunicamus) denuntientur excommunicati. Item excommunicamus omnes illos, qui clandeſtinis nuptiis interfuerint: Nos, vel Officialis noſter, vel Ordinarius loci, ſi ſcire poterimus, eos ſeveriſſime puniemus. Item præcipimus, quod omnes Sacerdotes ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis excommunicent omnes illos & illas, qui vel quæ contra matrimonium jam contractum, vel etiam ſuper matrimonio contrahendo, teſtimonium falſum (a) tulerunt. Præcipimus etiam & diſtricte Officiali noſtro, & Ordinariis locorum, qui pro tempore fuerint, injungimus, quod ſi tales invenerint, qui vel quæ (ut dictum eſt) falſum teſtimonium tulerint contra matrimonium jam contractum, vel etiam contrahendum, eos vel eas, ligatis a tergo manibus, & charta in collo, ſupra ſcalam in loco publico poni faciant, ut per hoc eorum falſitas omnibus innoteſcat. Et volumus, quod in ſcala permaneant ab hora primæ, usque ad horam veſperarum. Et ſi neceſſe fuerit in hujusmodi caſu, volumus invo-

(z) *id eſt:* ne. (a) ferunt.

invocari brachium ſæculare. Quod ſi invocatum fuerit, ſub pœna excommunicationis præcipimus exhiberi. Item excommunicamus omnes illos & illas, qui (b) aliquid dederint, vel aliquid acceperint pro impedimentis matrimonii non revelandis, vel qui prece, precio, gratia vel favore impedimentum matrimonii celaverint. Et iſta excommunicatio a Sacerdotibus in Eccleſiis frequenter recitetur. Item præcipimus excommunicari omnes illos & illas, qui vel quæ contra matrimonium jam contractum vel etiam contrahendum, ſortilegia, incantationes (c) & maleficia faciunt, vel fieri procurant. Item præcipimus, cum aliquod matrimonium fuerit celebrandum, ut tribus diebus feſtivis in Eccleſia poſt Evangelium a Sacerdote, in cujus Parochia eſt celebrandum (d) matrimonium, publice proclametur, quod tales volunt contrahere matrimonium: ſi aliquis ſit, qui ſciat, legitimum impedimentum inter illos, hoc proponat, antequam hujuſmodi matrimonium contrahatur. Et hoc ſub pœna excommunicationis, ſubditis ſuis præcipiant Sacerdotes. Et ipſi Sacerdotes ſimiliter de hujuſmodi impedimentis inquirant. Si autem apparuerit probabilis conjectura contra matrimonium contrahendum, contractus interdicatur expreſſe, donec Nos, vel Officialis noſter, ſeu Ordinarius loci, quid ſuper hoc fieri debeat, conſulatur.

XI. *De Sepulturis & Cœmiteriis.*

Statuimus, ut nullus excommunicatus & publice nuntiatus, in cœmiterio ſepeliatur. Et ſi factum fuerit, cœmiterium illud, donec mortuus extumuletur, maneat interdictum. Item præcipimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne aliquis in cœmiterio interdicto ſepeliatur, & ne aliquis ſepulturæ tali interſit. Laici autem quicunque tali ſepulturæ interfuerint, excommunicationis ſententiam (quam ſuper fieri (e) volumus in his ſcriptis) incurrant ipſo facto; & excommunicati publice nuntientur. Clerici vero, qui interfuerint, ſententiam ſuſpenſionis ab officio, quam in eos ferimus, ipſo facto ſe noverint incurriſſe. Item immunitates Eccleſiarum & cœmiteriorum inviolatas & incontaminatas præcipimus ab omnibus obſervari, pœnas contra violatores ipſarum immunitatum innovantes, & ſervari mandantes, quas felicis recordationis prædeceſſor noſter Dominus ENGILBERTUS Archi-Epiſcopus in ſuis conſtitutionibus ordinavit. Item cœmiteria clauſa & munita cuſtodiantur, ne a porcis vel aliis animalibus oſſa mortuorum comedantur. Et volumus, ut in ſpeciali loco oſſa mortuorum fideliter reponantur. Item Eccleſias vel cœmiteria a laicis cujuscunque conditionis vel ſtatus fuerint, ad læſiones aliorum muniri vel incaſtellari, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter prohibemus: & qui contra fecerint, per locorum Ordinarios excommunicati publice nuntientur. Item ſtatuimus, & ſub pœna excommunicationis præcipimus obſervari. Ut quoties quis in loco religioſo ſepulturam elegerit, corpus primo præſentetur parochiali Miſſæ: & tunc demum celebrata Miſſa deferatur ad locum, in quo elegit ſepulturam.

XII. *De Bonis Eccleſiarum non alienandis.*

Præcipimus diſtricte ſub pœna excommunicationis, quam ferimus in his ſcriptis in hujus mandati transgreſſores, ne Præpoſiti, Decani, vel Presbyteri conventualium vel parochialium Eccleſiarum, aliqua bona de bonis Eccleſiarum alienent, noſtra ſuper hoc ſpeciali licentiâ, vel Capituli noſtri non obtentâ: & ſi aliter factum fuerit, contractum decernimus non valere. Item præcipimus ſub eadem pœna, ut prædictæ perſonæ, ſi ſciverint aliqua bona ab Eccleſiis alienata, ea fideliter & diligenter repetant: & ſi forte propter perſonarum potentiam, in quas hujusmodi alienatio facta eſt, repetere non valeant, volumus hoc Nobis, vel Officiali noſtro nunciari, ut ſuper hoc competens remedium præbeat. Item excommunicamus in his ſcriptis omnes illos, qui occupant & detinent ſine Noſtro & Eccleſiæ noſtræ conſenſu & voluntate, vel etiam celaverint feuda, redditus vel jura, quæ ad Nos, vel ad Eccleſiam noſtram Colonienſem pertinent, niſi intra menſem poſt publicationem hujus mandati, prædicta Nobis reſignent vel revelent.

Item

(b) fidem. (c) vel. (d) contrahendum fuerit. (e) ferimus.

Item excommunicamus omnes Advocatos Ecclesiarum, & alios quoscunque & quocunque nomine censeantur, qui exactiones vel servitia indebita Ecclesiæ vel Ecclesiasticis personis imponunt. Item excommunicamus in his scriptis omnes illos, cujuscunque sint dignitatis vel status, qui Ecclesiæ nostræ Majoris, vel aliarum Ecclesiarum nostræ Diœcesis homines, censum capitalem ipsis Ecclesiis solventes, prætextu advocationis vel alterius coloris, exactionibus vel captionibus opprimunt vel molestant, aut bona eorum mobilia vel immobilia, post mortem ipsorum invadunt vel accipiunt violenter.

XIII. *De malefactoribus ad Ecclesiam confugientibus.*

Quia nonnulli homicidia, mutilationes membrorum, & alia maleficia perpetrant, quæ non essent perpetraturi, nisi quia sperant, quod ab Ecclesiis, ad quas confugiunt, se tueri possint, & impunitatem suorum excessuum obtinere: Statuimus quod confugientes hujusmodi ad Ecclesias vel immunitates, abinde sine speciali licentia nostra, vel gerentis vices nostras, nullatenus extrahantur, sed stricte custodiantur ibidem, ne inde effugiant, donec factum vel ejus qualitas, Nobis vel vices nostras gerenti nuntietur. Ipsisque confugientibus Nobis præsentatis & eo, quod perpetratum fuerit, auctoritate nostra examinato, ad veniam vel ad pœnam (*f*) circa ipsos, prout qualitas facti exegerit, procedatur. Alia autem omnia & singula, quæ a jure vel a prædecessoribus nostris de conservandis libertatibus Ecclesiarum & immunitatum, & de violatoribus earundem sunt statuta, Synodali sanctione innovamus, & præcipimus inviolabiliter observari. Item præcipimus, hujusmodi statutum in Ecclesiis a Sacerdotibus frequentius publicari.

XIV. *De usurariis manifestis.*

Statuimus, ut usurarii manifesti (quos nos in his scriptis excommunicamus) excommunicati singulis diebus Dominicis per Parochialium Ecclesiarum Sacerdotes publice nuntientur: nec ad communionem Altaris admittantur, nec oblationes eorum, nec eleemosynas quispiam recipiat, nec Christianam (si in hoc peccato decesserint) recipiant sepulturam. Manifestos autem usurarios esse dicimus, & vocamus, qui per sententiam vel confessionem factam in jure, vel evidentiam rei, quæ tergiversatione celari non poterit, comprobantur. Circa usurarios autem, qui de receptis usuris satisfieri saltem ultima voluntate mandaverint, servetur constitutio Domini Gregorii Papæ X. Concilii generalis, quæ est talis. Quanquam usurarii manifesti de usuris, quas receperant, satisfieri expressa quantitate vel indistincte in ultima voluntate mandaverint, nihilominus tamen eis Ecclesiastica sepultura denegetur, donec vel de usuris ipsis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie satisfactum, vel illis, quibus facienda restitutio, si præsto sint ipsi, vel aliis, qui possint eis acquirere, vel eis absentibus, loci ordinario, vel ejus vices gerenti, vel Rectori Parochiæ, in qua testator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipsa Parochia (quibus quidem Ordinario, Vicario, vel Rectori, cautionem hujusmodi eorum nomine liceat præsentis constitutionis auctoritate recipere, ita quod illis perinde actio acquiratur, ac servo publico) de ipsius Ordinarii mandato, idonee de restitutione sit cautum: cæterum si receptarum usurarum sit quantitas manifesta, illam semper in cautione prædicta exprimi volumus: alioqui aliam recipientes cautionem, hujusmodi arbitrio moderandam. Ipse tamen scienter non minorem, quam verisimiliter creditur, moderetur; si secus fecerit, ad satisfactionem residui teneatur. Omnes autem Religiosos & alios, qui manifestos usurarios contra præsentis sanctionis formam, ad Ecclesiasticam admittere ausi fuerint sepulturam, pœnæ in *Lateranensi Concilio* contra usurarios promulgatæ statuimus subjacere. Nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit, aut eos ad confessionem audiat vel admittat, sive eos absolvat, nisi de usuris satisfaciant, vel satisfaciendo pro suarum viribus facultatum, præstent (ut præmittitur) idoneam cautionem.

Item statuimus, quod nullus omnino

(*f*) contra.

nino Advocatus, usurario in usurarum causis patrocinium præstet, nisi juramentum (g) faciat, quod quam cito sciverit, vel scire potuerit causam esse usurariam, (h) eam ulterius non fovebit, nec patrocinium aliquod usurario ipsi clam vel aperte impertietur.

XV. *De Clericis in Ecclesiis, vel Capellis celebrantibus sine Nostra vel Archidiaconorum licentia.*

Statuimus, ut nullus Sacerdos vel Clericus in Ecclesia parochiali, vel Capella audeat celebrare, sine Nostra, vel Archi Diaconorum licentia, vel aliorum, ad quos hoc pertinet, auctoritate & consensu, quantumcunque a Patronis, vel ab eis, qui se Patronos esse contendunt, ad hoc licentientur vel etiam permittantur. Et quicunque Clericus vel Sacerdos contrarium fecerit, excommunicationis sententiam (quam propter hoc in (i) ipsum ferimus in his scriptis) incurrat ipso facto. Et si in delicto perseverando, excommunicationem ipsam sustinuerit per septem dies, ex tunc tanquam irregularis, ad Beneficium Ecclesiasticum, vel Divinorum celebrationem non admittatur, nisi prius cum enarratione facti, dispensationis litteras a Sede Apostolica ipsum contingat reportare. Item prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne aliquis Sacerdos secularis vel Regularis Parochiam aliquam teneat, vel de cætero tenere audeat, ad quam legitime non sit præsentatus, & per Nos vel Archi-Diaconos locorum vel alios, prout hoc ad (k) Nos pertinet, institutus. Item præcipimus, ne aliquis beneficium accipiat de Laicorum manibus. Qui vero contrarium fecerit, cum amissione beneficii, periculo subjaceat sui gradus. Præsentationes tamen Laicorum non reprobamus, in quibus jus obtinent Patronatus.

Item prohibemus, ne aliquis Sacerdos competens beneficium habens cum cura vel sine cura, de quo valeat commode sustentari, eo beneficio dimisso, ad Ecclesiam alienam, tanquam Vicarius vel Mercenarius audeat se transferre. Contrarium facientes, per Archi-Diaconos locorum vel alios, prout hoc ad eos pertinet, volumus per censuram Ecclesiasticam ab ipsis Vicariis, si necesse fuerit, removeri.

XVI. *De executione mandatorum nostrorum & Curiæ nostræ Coloniensis.*

Præcipimus districte sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, quod Decani Christianitatum & Sacerdotes Parochialium Ecclesiarum, vel vices eorum gerentes, & omnes alii, cujuscunque sint dignitatis, conditionis & status, quod mandata nostra & Curiæ nostræ & Archi-Diaconorum nostrorum, prout eis subsunt, fideliter, & viriliter exequantur. Et si timeant, quod malum aliquod per adversarium vel secularem justitiam, vel quemcunque alium, debeat inferri portitori mandatorum, caute ipsum expediant, & postmodum mandata Curiæ nostræ adimplere procurent. Item præcipimus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, omnibus & singulis Sacerdotibus Parochialibus vel eorum vices gerentibus, quod singulis diebus Dominicis, accensis candelis & pulsatis campanis, publice & solenniter excommunicent omnes illos, qui perturbant jurisdictionem Curiæ nostræ Coloniensis, vel Archi-Diaconorum nostrorum, & qui impediunt, quo minus Nos jurisdictione nostra utamur libere & quiete. Et exponant Presbyteri singuli in suis Ecclesiis suis Parochianis, in quibus intelligatur jurisdictio hujusmodi perturbari, videlicet interdicendo, prohibendo, inhiberi faciendo, vel statuendo, ne aliqui in Curia nostra causam suam prosequantur. Item arrestando, capiendo, vel capi faciendo per justitiam secularem latores mandatorum Curiæ nostræ (l) vel illos, qui in Curia nostra suos adversarios trahunt in jus vel verberando vel verberari faciendo vel comminando, vel litteras Curiæ nostræ rapiendo vel lacerando, vel etiam alia faciendo, per quæ processus negotii valeat retardari. Contrarium facientes, quos in his scriptis excommunicamus, per Plebanos locorum, ubi præmissa perpetrata dinoscuntur, excommunicati nominatim & publice in ipsorum Ecclesiis nuntientur. Et si dicti excommuni-

 cati

(g) præstet. (h) causam. (i) ipsos.
(k) eum. (l) & alios qui.

cati in ipſa excommunicatione per ſeptem dies manſerint, ipſe locus & Eccleſia (quem & quam in his ſcriptis Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto) denuntientur publice ab eiſdem locorum Plebanis interdicto Eccleſiaſtico ſubjacere.

Item præcipimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut Eccleſiarum Rectores vel eorum vices gerentes, ſigilla propria habeant, & procurent intra menſem unum ab hac die numerandum. Et quod nihil recipiant, nec exigant a litigatoribus, pro executione mandatorum hujusmodi facienda.

XVII. *De Teſtamentis.*

Quia executores Teſtamentorum nonnunquam negligenter, nonnunquam malitioſe in bonis defunctorum verſantur, & quia hæc & his ſimilia debent diligentia Epiſcopi emendari: præcipimus, ut coram duobus in ſingulis Archi-Diaconatibus a nobis deputandis, executores teſtamentorum ſingulorum Archi-Diaconatuum, in numero & valore bonorum defuncti, de erogatis ab ipſis reddant debitam rationem. Et concedimus his, qui a nobis ſuper hoc erunt deputati, poteſtatem vocandi coram ſe executores prædictos, & eorum contumaciam, ſi venire noluerint, per cenſuram Eccleſiaſticam puniendi, & exigendi ab eis debitam rationem. Si quid autem fraudis vel negligentiæ perceperint, ad nos referre procurent.

XVIII. *De interdicto Eccleſiaſtico qualiter ſit obſervandum.*

Cum plerumque & communiter circa obſervationem interdictorum, pernitioſe hactenus ſit erratum, communi morbo communem volentes adhibere medelam, ſtatuimus, ut quotieſcunque locum aliquem auctoritate noſtra ordinaria vel delegata, Eccleſiaſtico interdicto ſupponi contigerit, omnibus tam extrema unctio, quam ſepultura & alia Sacramenta Eccleſiaſtica penitus denegentur, exceptis baptiſmo parvulorum & pœnitentia morientium, ac viatico, quod morientibus in pœnitentia non negatur. Clericos autem decedentes, qui cauſam interdicto non dederint, & qui reverenter interdictum ſervaverint, in cœmiterio ſine campanarum pulſatione, ceſſante omni ſolennitate, cum ſilentio concedimus tumulari. Item ſi in aliquam Eccleſiam conventualem latum fuerit interdictum, licitum ſit, duobus vel tribus ſimul, janius clauſis, voce ſubmiſſa, ita quod extra audiri non poſſint, excommunicatis & interdictis excluſis, horas canonicas dicere, ſi tamen ipſi interdicto cauſam aliquam non dederunt. Præterea tempore interdicti licitum eſt Eccleſiarum miniſtris, ſemel in ſeptimana voce ſubmiſſa, clauſis januis, excommunicatis, & interdictis penitus excluſis, Miſſam celebrare ad conficiendum corpus Domini, quod (ut dictum eſt) morientibus in pœnitentia conferri poteſt. Item ſi aliquibus per privilegium conceſſum ſit, ut non obſtante interdicto, Divinum poſſint celebrare officium, ſemper ſubintelligendum eſt, excommunicatis & interdictis excluſis, voce ſubmiſſa, januis clauſis, campanis non pulſatis, omni ſolennitate prætermiſſa: & ita deinceps præcipimus inviolabiliter obſervari. Et quia Nos intelleximus, quod fratres hoſpitalarii & quidam alii aſſerentes ſe habere privilegium, quod in locis interdictis poſſint Divina celebrare officia, excommunicatis & interdictis nominatim excluſis, abutentes hujuſmodi privilegio, in locis interdictis Divina officia celebrare præſumunt, & indifferenter quoscunque admittunt, niſi ſpecialiter expreſſis nominibus ipſorum excommunicatorum & interdictorum in ſententia interdicti fiat mentio, irregularitatem ex hoc damnabiliter incidendo. Unde ad vitandum deinceps hujuſmodi errorem, illos nominatim interdictos & excommunicatos ſecundum jura dicimus, ſi caſtrum, villa, civitas, vel oppidum ſint interdicta: Non nominatim interdicti vel excommunicati dicuntur, quando ſic fertur ſententia, *excommunico vel interdico tales cum ſuis participibus.* Participes enim non ſunt excommunicati vel interdicti nominatim, & ideo tales poſſunt admitti ad Divina, niſi notoria eſſet eorum participatio, tunc non poſſent admitti ad Divina. Præterea, quia (ut intellexius) quadam damnabili abuſione invaluit, quod loco aliquo ſuppoſito interdicto, populus, vel aliqui de populo loci interdicti, ad vicinas Eccleſias pro Divinis audiendis accedunt, & ibidem indifferenter ad Divina, & alia

alia Sacramenta Ecclesiastica a Plebanis admittuntur, id correctione dignissimum judicamus. Statuimus igitur, & sub pœna excommunicationis firmiter observari præcipimus, ut diebus Dominicis & festivis Presbyteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si aliquis de loco interdicto in Ecclesia sit: quem si invenerint statim ab Ecclesia abjiciant. Presbyter autem, qui proprium aut alienum Parochianum excommunicatum aut interdictum, scienter ad aliquod Sacramentum Ecclesiasticum admittit, ipso facto se noverit esse suspensum.

Impressa Coloniæ a pag. 31. *ad* 49.

STATUTORUM D. SIFRIDI, ARCHI-EPISCOPI COLONIENSIS, FINIS.

Quomodo & qualiter sit servandum interdictum, vide plenius postea in statutis Venerabilis Domini HENRICI Archi-Episcopi Coloniensis Capite IX. & X. & Constitutione BONIFACII Papæ VIII. quæ incipit: *Alma mater plerumque* &c. Hæc mitigat, moderatur & disponit ordinem & modum servandi interdictum, ne ex horum statutorum ordinatione, pericula insurgant animarum, nec Ecclesiis debita subtrahantur obsequia. Ponit & ordinat etiam hæc eadem Constitutio: *Alma mater*, dies ac festa, quibus solenniter in omnibus Ecclesiis, ob reverentiam ipsorum festorum Horæ ac Divina persolvantur Officia, januis apertis, campanis pulsatis, ac etiam interdictis admissis, ut in affectum reconciliationis inclinentur, exclusis tamen penitus excommunicatis. Approbat denique idem HENRICUS eadem Constitutione Prædecessorum suorum laudabiles de interdicto Constitutiones, non obstantibus privilegiis, ac indultis quibuscunque concessis. Ista patebunt Constitutionem ipsam inspicienti IN STATUTIS HENRICI secundario editis, Statutum nonum, quod est *de recipiendis quotidianis distributionibus tempore interdicti*, & XI. Statutum. *Impressa Coloniæ anno* 1554. *a pag.* 49.

CONCILIUM ASCHAFFENBURGENSE
Anno Christi MCCLXXXII. Martini IV. Papæ II. Rudolphi I. Imp. X.

De hoc Concilio hujus anni altum silentium apud Serarium, Latomum, aliosve Scriptores rerum Moguntinarum, etsi Concilii Aschaffenburgensis anni MCCXCII. meminerit Serarius. Ternæ tamen literæ concessæ Indulgentiæ XL. dierum variis Ecclesiis ab Episcopis, qui huic Concilio hoc anno interfuêre, certos nos faciunt illud fuisse celebratum. Alia acta hujus Synodi forte contra Judæos occisos Moguntiæ ob maleficia, nos latent.

Indulgentia XL. dierum

Ex Aschaffenburgensi Concilio ab HARTMANNO, Episcopo Augustensi, concessa.

HARTMANNUS, DEI GRATIA, AUGUSTENSIS EPISCOPUS, UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS SALUTEM IN DOMINO.

CUm ad promovenda gaudia sempiterna, Sanctorum suffragia quamplurimum sunt opportuna, ut quod nostra merita non obtinent, eorum mereamur meritis obtinere: cupientes igitur, ut Ecclesia Fratrum Ordinis S. Augustini in Munimgstad Herbipolensis Diœcesis congruis honoribus a Christo fidelibus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui dictis fratribus, seu per laborem, seu per eleemosynam manum adjutricem porrexerunt &c. XL. dies criminalium & annum venialium in Domino relaxamus &c. Dat. apud Aschaffenburc anno Domini MCCLXXXII. *in Concilio Provinciali* ibidem celebrato.

Idem per literas suas indulsit Sifridus Episcopus Hildenshemensis sub data eadem.

Fride-

Friderici, Spirensis Episcopi, Indulgentia XL. dierum, addito anno venialium, concessa visitantibus Ecclesiam Fuldensem S. Bonifacii, & per Octavas, & in anniversario die Dedicationis vere pœnitentibus & confessis.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, SPIRENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS SALUTEM IN FILIO DEI VIVI.

Licet is, de cujus munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne & laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit & vota, benefacientibus majora retribuat, quam valeant promereri; volumus tamen populum Domino reddere acceptabilem, & fideles Christi ad benefaciendum speciali præmio invitare. Cupientes igitur venerabile Fuldense Monasterium congruis honoribus exaltare, universis & singulis vere pœnitentibus & confessis, qui in festis Patronorum ipsius Sancti videlicet BONIFACII Archi Episcopi & Martyris, & sociorum ejus, *Simplicii*, *Fausti* & *Beatricis*, & per octavas eorundem, ac in anniversario Dedicationis dicti Monasterii die, in spiritu humilitatis ad præfatum Monasterium accesserint annuatim, Divinæ propitiationis gratiam petituri, vel qui ad structuram ipsius manum porrexerint adjutricem; de Misericordia DEI Omnipotentis, & Beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli meritis, & auctoritate confisi, XL. dies, addito anno venialium, de injuncta eis pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Aschaphenburgi in *Concilio*, anno Domini MCCLXXXII. in crastino Nativitatis Virginis gloriosæ. Et appendet sigillum.

Reimboto, Episcopus Eistetensis, eandem Indulgentiam concedit ad Ecclesiam S. Andreæ ibid.

REIMBOTO, DEI GRATIA, EYSTETENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS SALUTEM IN FILIO DEI VIVI.

SAnctorum meritis inclita gaudia, fideles Christi assequi minime dubitamus, qui eorum patrocinia per condignæ devotionis obsequia promerentur. Volumus igitur populum Domino reddere acceptabilem, & benefacientes præmio allicere, cupientes Ecclesiam *Beati ANDREÆ Apostoli apud Fuldam* congruis honoribus prævenire, universis ac singulis vere pœnitentibus ac confessis, qui in festis Patronorum ipsius, videlicet Andreæ Apostoli, Georgii Martyris, & per Octavas earundem Festivitatum, ac in anniversario Dedicationis dictæ Ecclesiæ die, in spiritu humilitatis ad præfatam Ecclesiam annuatim accesserint, Divinæ propitiationis gratiam petituri; de Misericordia DEI Omnipotentis, & Beatorum Apostolorum ejus meritis, & auctoritate confisi, XL. dies, & unum annum venialium de injuncta eis pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Aschaphenburg in *Concilio*, anno Domini MCCLXXXII. in crastino Nativitatis Virginis gloriosæ.

Friderici, Episcopi Spirensis, eidem Ecclesiæ S. Andreæ concessa XL. dierum & unius anni de injuncta pœnitentia.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, SPIRENSIS EPISCOPUS, UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS SALUTEM IN FILIO DEI VIVI &c.

CUpientes Ecclesiam *Beati ANDREÆ apud Fuldam* congruis honoribus prævenire, universis & singulis pœnitentibus & confessis, qui in festis Patronorum ipsius Sancti in spiritu humilitatis ad præfatam Ecclesiam annuatim accesserint,

ſerint, Divinæ propitiationis gratiam petituri; de Miſericordia DEI Omnipotentis, & Beatorum Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate confiſi, XL. dies, & unum annum de injuncta eis pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Aſchaphenburg in *Concilio*, anno Domini MCCLXXXII. in craſtino Nativitatis Virginis glorioſæ.

In Concilio Moguntino D. Petri anni MCCCX. multa ſtatuta referuntur: horum alia Wernero, alia Gerardo (qui MCCXCII. Aſchaffenburgi Concilium celebravit) alia Petro adſcribuntur. Ea inter ſe diſcernere videtur difficile & meræ conjecturæ: hinc nos ad annum MCCCX. ea referemus.

Epiſcopum Curienſem Rhetiæ Provinciæ, Conradum Baronem de Bellmont anno MCCLXXXII. diem ultimum vitæ clauſiſſe in arce ſua Furſtenbergica, ſcribit *Joannes Gulerus*, cum ſe itineri Moguntiam verſus accingeret, ut ibidem Provinciali Concilio, a Wernero de Falckenſtein Archi-Epiſcopo Moguntino indicto, aſſiſteret.

Joannes Gulerus in Deſcriptione Germanica Rhetiæ anno MDCXVI. edita.

Utrum Concilium anno MCCLXXXII. in Provincia Moguntina celebratum, ſit idem cum Aſchaffenburgenſi: an aliud intra mœnia civitatis Moguntiæ; non habeo dicere, cum SERARIUS, & LATOMUS, & SCHMIDIUS taceant de Concilio in urbe Moguntina anno MCCLXXXII. celebrato.

SYNODUS PATAVIENSIS
APUD S. HIPPOLYTUM,
Anno Chriſti MCCLXXXIV. Martini IV. Papæ IV. Rudolphi I. Imp. XII. XIV. Kal. Aprilis.
COMPLECTITUR CANONES XXXIV.

QUoniam Sedes Apoſtolica nos in partem ſolicitudinis evocavit, ut ſuper reformatione Patavienſis Diœceſis providere debeamus afflictis Eccleſiis & perſonis; ne injunctum nobis Miniſterium negligamus, & tamen gravamini poſſimus parcere ſubditorum, hac vice non multas intendimus addere *Conſtitutiones*, ſed antiquas, quas minus obſervatas invenimus, auribus ſingulorum & memoriæ inculcare, quas etiam ab omnibus in noſtra Diœceſi volumus inviolabiliter obſervari. Ut igitur ab eo ſumamus exordium, qui omnium finis eſt & principium; quæ circa ipſius cultum & obſequium negligenter hactenus ſunt omiſſa, primo duximus corrigenda; ne propter incuriam eorum, qui Eccleſiaſticis ſunt officiis mancipati, Divina contra nos indignatio graviter exardeſcat.

I. *De cuſtodia Euchariſtiæ.*

STatuimus igitur, ut ſecundum conſtitutionem Lateranenſis Concilii Chriſma & Oleum ſacrum, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia, & lampadibus adhibitis conſerventur: ne poſſit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia, & nefaria exercenda, quorum etiam cuſtodia nunquam Laicis communicatur. Si vero is, ad quem ſpectat cuſtodia, incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur: & ſi per ejus incuriam aliquid nefarium inde contingit, graviori ſubjaceat ultioni juxta ordinationem noſtram, quam juxta qualitatem delicti ſtudebimus moderari.

II. *Campana in geſtatione Sacramenti.*

Item ſtatuimus, ut ſecundum ſtatuta Canonum Sacerdotes, & non alii infirmos in extremis laborantes, in viatico & confeſſione viſitent; & præeuntem campanam ſecum deferentes, ex cujus ſono primo devotio fidelium excitetur ad tanti reverentiam Sacramenti, & ipſi Sacerdotes portantes Sacramenta, Hoſtiam, Chriſma, & Oleum infirmorum ſuperpellicio & ſarcocio ſint induti cum candela accenſa & lucerna, reve-

reverentia debita incedentes. Omnibus etiam, qui ob reverentiam tanti Sacramenti Sacerdotem infra civitatem & villam congrua devotione sequuntur, sive unum infirmum communicet, sive plures, XX. dies injunctæ pœnitentiæ relaxamus, si autem ad aliam villam sequuti sunt, indulgentia duplicetur.

III. *Clerici ludos, & tabernas vitent.*

Item districtissime inhibemus, ne Clerici ludos alearum & taxillorum inordinatos & indecentes, & turpia lucra, & inhonesta mercimonia præsumant de cætero exercere: ne tabernas nisi necessitatis causa, vel in itinere constituti ingrediantur; alioquin pœnam eis Canonicam infligemus.

IV. *Quod quæstuarii non admittantur.*

Item præcipiendo mandamus, ut ad petendam eleemosynam nulli prorsus de cœtero quæstuarii admittantur: Ecclesiæ vero, vel domus, sive hospitalia, pro quorum subventione indulgentias, & literas nostras petitorias concedimus, per suos fratres, vel notos, & constitutos nuncios easdem transmittant literas pro eleemosyna colligenda: & tales admittantur secundum continentias literarum; Si qui vero talium inventi fuerint, falsum videlicet Religionis habitum deferentes, ut tabernarii, lusores, seu apostatæ; tanquam falsarii ab omnibus repellantur: & quicunque Plebanorum, Vicariorum, seu Rectorum prætextu pecuniæ, vel cujuscunque lucri, seu commodi, tales non repulerit; toties in hoc casu deliquit: & nisi infra mensem, postquam incidit in talem pœnam, nobis vel Archi-Diacono, seu Decano suo, de hoc recognoverit, ex tunc elapso eodem mense ab officio sit jure ipso suspensus. Item inhærentes vestigiis prædecessorum nostrorum, monitis ipsorum, ac ordinationibus ipsorum salubrius, aliqua addenda esse decernimus quæ saluti subditorum & nostræ sollicitudini declarat ratio temporis plurimum opportuna.

V. *Quod curas animarum habentes per se resideant.*

Omnes igitur & singulos curam animarum habentes, ad receptionem Ordinum, quos ipsorum cura & officium, ac sollicitudo requirit, nec non ad personalem in suis beneficiis residentiam mandato districtissimo evocamus. Si autem aliqui defuerint in ipsis, per alios, quod ex justa causa & de nostra licentia speciali oportere fieri, & debere intelligimus, illi in suis Ecclesiis tales instituant, sive locent, quos notos, dignos, & idoneos sciverint evidenter. Qui vero scienter Clericos peregrinos, concubinarios, vel alios indignos collegerint in socios vel Vicarios: vel si eos, quos tanquam dignos assumpserint & & bonos, postmodum malos effectos non removerint; ex tunc tam illi, qui tales colligunt, quam isti, qui collectos non removent, integrum mensem, postquam iniquitas ipsorum detecta fuerit, ab ingressu Ecclesiæ suspendantur.

VI. *Quod Clerici noti ignotis præferantur.*

Item cum scriptum sit, quantum quisque meretur, non quantum dare sufficit, æstimetur; districte prohibemus, ne aliquis in locationibus Ecclesiarum amplioris lucri gratia bonis & idoneis, atque notis, minus idoneos sive ignotos, seu male meritos anteponat, si postquam id nobis constitit, gravem a nobis effugere voluerit ultionem.

VII. *Quod Rectores in filialibus Ecclesiis locent idoneos.*

Adhæc statuimus; ut Rectores Ecclesiarum in suis filialibus subjectis Ecclesiis notos; & idoneos de sui Decani conscientia instituant Sacerdotes, neutiquam diminuendo Præbendam, antiquitus deputatam, neque exactione aliqua seu conditione, vel servitiis extraordinariis oneranda: ubi vero non inveniuntur Præbendæ antiquitus deputatæ, vel deputandæ hactenus Præbendæ non sufficiunt Parochiis, per guerras, vel ex causis aliis desolatis; in eisdem Præbendæ de Archi-Diaconi, vel Decani consilio statuantur.

VIII. *Quod peregrini Clerici non admittantur in Ecclesiis.*

Item cum plerumque infames loca consueverint suæ relinquere nationis; statuimus; ne Clerici peregrini & ignoti per nostram Diœcesim de cetero ad officiandum tanquam Vicarii, & socii

cii in Ecclesiis, vel Capellis aliquibus admittantur, nisi nostras exhibeant literas, quibus eis officiandi in nostra Diœcesi licentiam concedimus. Præcipimus etiam, ex nunc omnes dictos Clericos, peregrinos & ignotos, nostras non habentes literas super admissione sua, a Vicariis Ecclesiarum, seu Capellarum, castrorum, civitatum, villarum quarumcunque Diœcesis nostræ, & a societate domestica penitus removeri. Qui autem in utroque, vel altero hujus mandati nostri articulo transgressor extiterit; ab ingressu Ecclesiæ & Divinis per Nos se noverit suspendendum, graviori pœna, si ejus culpa exegerit, nihilominus puniendus.

IX. *Quod Clerici nuptias non celebrent.*

Item statuimus, ut si quis Presbyter de suis filiis & filiabus solemnes nuptias præsumpserit celebrare; ab executione sui Ordinis suspendatur, & nisi infra duos menses se de hoc apud nos, vel suum Archi Diaconum recognoscat, Ecclesia, vel aliquod beneficium, si quod habet, aufferatur ab eo.

X. *Quod Excommunicati sint; qui tollunt res Clerico pertinentes.*

Item, quia quidam Ecclesiarum Patroni tam Clerici, quam laici, Advocati, judices, vel alias potentes, bona mobilia, seu immobilia decedentium Clericorum occupant, rapiunt, & usurpant, volentes ipsis ab intestato succedere, pro suæ voluntatis arbitrio, non judicio rationis; provide duximus statuendum, ut decedentibus Clericis ab intestato, tam Plebanis, quam aliis Clericis, bona eorum mobilia & immobilia, in quocunque loco fuerint, in nostra protectione & potestate consistant: & quicunque laicorum bona hujusmodi usurpaverint, rapuerint, vel distraxerint, occasione quacunque non post trinam admonitionem ablata, taliter plene restituerint; excommunicationis vinculo sint obligati. Imo cum gravius sit peccare in mortuum, quam in vivum; præcipimus, ut non solum talibus, sed & eorum familiaribus servientibus, seu colonis, ubicunque fuerint residentes, nulla Divina penitus ministrentur, exceptis pœnitentiis morientium & Baptismate parvulorum, nisi infra mensem ab ejus familiaritate, & servitio se subtrahant, vel cultura.

XI. *Quod excommunicati non sepeliantur.*

Item statuendo interdicimus firmiter, & districte, ne aliqui Plebani, Prælati, Rectores Ecclesiarum, vel Vicarii, de cætero excommunicatos, vel interdictos ad Ecclesiasticam recipiant sepulturam. Si qui vero contrarium fecerint, ex tunc omnibus suis beneficiis noverint se privandos: Religiosi vero pro transgressione hujusmodi constitutionis, excommunicationis se sciant vinculo innodandos, & nihilominus pro qualitate sui delicti secundum nostrum arbitrium puniendos. Qui autem tales sepeliverunt, nisi infra mensem cadavera extumulent eorundem, suis se sciant privandos omnino beneficiis, & excommunicationis sententiæ nihilominus innodandos.

XII. *Quod excommunicati ab Ecclesia repellantur.*

Districte etiam inhibendo mandamus, ne de cætero in locis non consecratis, vel in Ecclesiis violatis Divina celebrentur, nisi ex nostra permissione & licentia speciali; nec in Cœmiteriis non consecratis, vel violatis corpora defunctorum sine nostra speciali licentia tumulentur.

XIII. *Quod Divina non fiant in præsentia excommunicati.*

Item inhibemus, ne Plebani, vel Sacerdotes aliqui excommunicatis a D. Papa, vel a nobis, vel ab aliquo judice ordinario, seu delegato, ante obtentum absolutionis beneficium in festis diebus, vel privatis, de cætero introitum Ecclesiæ indulgeant, vel eos recipiant ad Divina; cum ante absolutionem excommunicationis vinculum non possint ad tempus suspendere, nec sine peccato medio tempore, possint eis, nisi in certis casibus, communicare: qui vero contrarium fecerit, ipso jure ab officio sit suspensus.

XIV. *Unus Clericus unam regat Vicariam.*

Item statuimus, ut nullus Clericus plures, quam unam sibi præsumat regendam assumere Vicariam, & qui contra fecerit, se per pœnam graviter sciat deliquisse.

XV. *Quod Rector Ecclesiæ non sit Vicarius.*

Item ſtatuimus & ordinamus, ut quicunque Clericorum noſtræ Diœceſis beneficium cum cura animarum, vel ſine cura habuerit, non præſumat ullam ſibi aſſumere Vicariam regendam; ſed in ſuis non omittat beneficiis reſidere. Item, qui tales in Clero noſtro fuerint, ex nunc infra unius menſis ſpatium, ad eadem ſua beneficia revertantur, alioquin ex tunc ſuis ſe beneficiis noverint privandos.

XVI. *Quod Beneficia Eccleſiaſtica libere conferantur.*

Item ſtatuimus, ut Beneficia Eccleſiaſtica abſque omni pacto, & diminutione per eos, ad quos eorum collatio pertinet, conferantur. Si quod factum hactenus in contrarium extitit, quaſi irritum, penitus revocamus.

XVII. *Quod Clerici de matrimoniis non cognoſcant.*

Item ſtatuimus, & ſub pœna excommunicationis firmiter inhibemus omnibus Prælatis & Clericis, univerſis & ſingulis, per noſtram Diœceſim conſtitutis, ne de cognitione cauſarum matrimonialium ſe aliquatenus intromittant, niſi a Sede Apoſtolica, vel a nobis mandatum deſuper receperint ſpeciale: excepto Decano Batavienſis Eccleſiæ, cui volumus antiquam & approbatam conſuetudinem obſervari.

XVIII. *Quod nulli contrahant, niſi publicentur.*

Item decernimus ſtatuendo, ut Plebani, aliique Eccleſiarum Rectores, ac Vicarii noſtræ Diœceſis; inhibeant publice in Eccleſiis ſuis, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis ſub pœna excommunicationis, ne aliqui matrimonialiter conjungantur, niſi ſit prius diebus tribus Dominicis in Eccleſia publice inſinuatum, quod tales ſimul contrahere velint: in qua inſinuatione populus moneatur, & per pœnam excommunicationis arceatur, ut, ſi quis ſciverit impedimentum inter eos, qui matrimonialiter volunt conjungi, illud proponat publice, ſi ſine periculo & ſcandalo hoc fieri poteſt; alioquin proponat occulte Sacerdoti: & poſt trinam inſinuationem, ſi nullum proponitur impedimentum, tunc in nomine Domini conjungantur. Si autem impedimentum evidens & legitimum proponatur; tunc nullatenus contrahere permittantur. Si vero dubium ſit, an impedimentum ſit ſufficiens ad matrimonium impediendum, in hoc caſu non permittantur contrahere, donec per nos, quid fieri debeat, decidatur. Denuntient quoque Plebani, quod, quicunque contra ſolemnitatem hujusmodi contraxerit matrimonium extra faciem Eccleſiæ, propter pœnam inobedientiæ, quam noſtro arbitrio reſervamus, proles ex tali matrimonio ſuſcepta, prorſus eſt illegitima, ſi ex impedimento aliquo poſtmodum contigerit matrimonium ſeparari, in illo nullam prorſus excuſationem de parentum ignorantia valere.

XIX. *Quod Confirmatio recipiatur ab Epiſcopo.*

Item, quia Confirmatio eſt unum de Sacramentis Eccleſiæ, volumus & præcipiendo mandamus omnibus Eccleſiarum Rectoribus, ut diebus Dominicis & feſtivis ſubditas ſibi plebes tam in publico, quam privato moneant, & inducant, ut ad recipiendam Confirmationem de manibus Epiſcopi feſtinent, vice qualibet, quando poſſunt, declarando & lucidius exponendo, quod quicunque ex negligentia vel contemptu Sacramentum Confirmationis non receperit, non erit de numero ſalvandorum.

Item ſtatuimus, quod quilibet in ſua Eccleſia vel Capella, ſive ſit Plebanus, Vicarius, vel Capellanus, ſibi ſubjectis præcipiat & injungat, ut ſaltem ſemel in anno confiteantur peccata ſua omnia proprio Sacerdoti, vel de licentia ſua alteri, cum ad hoc Chriſtianus quilibet teneatur: & ſi quis in hac parte ſe recognoverit hactenus deliquiſſe, hoc ante diem Palmarum corrigat, & emendet; alioquin ipſo die Palmarum omnes tales, quos ex nunc excommunicamus, excommunicationis ſententiæ denuntiet ſubjacere.

XX. *Quod Eccleſiarum Rectores Decanis confiteantur.*

Item ſtatuimus, ut ſinguli Plebani, Rectores, Vicarii, & Capellani noſtræ Diœceſis de gravioribus, ſeu majoribus ſuis peccatis confiteantur ſuo Decano: Decani

Decani Nobis, ac etiam Archi-Diacono, seu iis, quos eis dederimus Confessores. De minoribus autem & venialibus confiteantur aliis Sacerdotibus, prout sibi viderint expedire, si suos commode accedere non possint Confessores.

Item cum summa sit ratio, quæ pro religione facit, hortamur, & præcipiendo mandamus; ut nullus nostræ Diœcesis Clericus cujuscunque Religionis hominem, præsertim *Prædicatores & Minores* verbis injuriosis afficere, vel malignis detractionibus infamare audeat vel præsumat, cum scriptum sit; *Maledici Regnum Dei non possidebunt.* Imo Prædicatores & Minores, quos evidens utilitas ex eis generali Ecclesiæ veniens approbatos prohibet, caritate pariter, & honeste recipi & tractari ab omnibus volumus, & mandamus.

XXI. *Quod Rectores hæreticos excommunicent.*

Volumus insuper, & in virtute S. obedientiæ districte prohibendo mandamus, ut omnes & Plebani & Ecclesiarum Rectores, seu Vicarii nostræ Diœcesis, omnes hæreticos, fautores, receptores, & credentes, nec non & defensores eorum denuntient quater in anno, videlicet in Nativitate Domini, in die Palmarum, in Pentecoste, in festo omnium Sanctorum, excommunicationis sententiæ subjacere: & nihilominus omnes eos, cujusque status & condiditionis existant, tales esse scientes, vel ex verisimili conjectura, vel alia suspicione probabili, non accusaverint, vel denunciaverint publice, vel si publice hoc non audent metu personæ, vel eorum Plebano, Rectori, vel Vicario loci, vel si ex quacunque causa eos denunciare secrete non possent, ad nostram hoc notitiam non detulerint; tanquam fautores & conservatores eorum, quos ex nunc excommunicamus, excommunicatos volumus eisdem temporibus nuntiari.

XXII. *Quod Christiani servientes Judæis excommunicentur.*

Item cum dudum Judæis prohibita & interdicta sint mancipia Christiana; volumus, & præcipimus, ut Plebani, & alii Rectores Ecclesiarum, ubi sunt domicilia Judæorum, diebus Dominicis omnes de fide Catholica judæorum nutrices, & servientes denuntient excommunicatos: etiam denuntient omnes alios Christianos, qui apud judæos pecuniam suam locant, aut a judæis usuram recipiunt, vel, ut judæi, eandem pecuniam mutuent ad usuram.

XXIII. *Quod incendiarii sint excommunicati.*

Item omnes incendiarios nocturnos, quos ex nunc excommunicamus, singuli in Ecclesiis suis & Capellis quater in anno, scilicet in die Palmarum, in Pentecoste, in Assumptione S. Mariæ, & in Nativitate Domini denuntient excommunicatione esse ligatos.

XXIV. *Granaria non fiant in Ecclesiis.*

Item Tabernas & omnem venditionem vini in Ecclesiis & cœmiteriis penitus prohibemus sub pœna excommunicationis. Item granaria & receptacula in Ecclesiis & cœmiteriis, nisi necessitatis tempore, sub eadem pœna similiter prohibemus.

XXV. *Quod Divina non fiant in Ecclesia, ubi adulteria facta sunt.*

Item si necessitatis tempore, quæ lege caret, homines ad Ecclesias & cœmiteria incastellata confugiant, & & uxoribus ibidem convivant, & quod pejus est, adulteria & stupra committant, ac etiam vagas mulieres inverecunde adducant, ex quibus & tunc cœmiteria execrantur; statuimus, ut Plebani, & Rectores talium Ecclesiarum statim, cum factum hujusmodi, quasi pro notorio & publico prædicatur, idem faciant & observent, quod de execratis Ecclesiis & cœmiteriis in aliis Constitutionibus est expressum: scilicet, quod in Ecclesia non celebrent, nisi de nostra licentia in Altari mobili, nec in cœmiteriis tumulent corpora defunctorum, donec reconciliationis gratiam mereantur. Si autem extra terram constituti essemus, ut ad nos non posset de facili recursus haberi, tunc admittimus, ut usque ad nostrum adventum ad terram, Rectores talium Ecclesiarum possint in ipsis Ecclesiis in Altari portatili celebrare, sed a nobis ad terram venientibus, statim licentia est petenda.

XXVI. *De vagis scholaribus.*

Item de vagis scholaribus duximus statuen-

ſtatuendum, diſtricte præcipientes, ut cultellos longos, & gladios, ac arma deferentes non recipiantur omnino, nec aliquales eisdem exhibeantur conſolationes. Aliis autem humanitatis cauſa uni vel duobus tantummodo venientibus & non pluribus, detur modicus paſtus in caritate, & ſi importuni, vel infeſti fuerint, vel alia dona petiverint, puta denarios, vel veſtes, penitus repellantur. Quicunque vero contrarium fecerint, ſi ſit Paſtor Eccleſiæ Dominicalis, ſive Vicarius, LX. denarios ſolvere teneatur: & niſi apud ſuum Archi-Diaconum, vel Decanum ſe de hoc recognoverit infra menſem; totiens, quotiens deliquerit in præmiſſis, ab ingreſſu Eccleſiæ poſt menſem ſe noverit eſſe ſuſpenſum. Admittimus tamen, ſi quis, neceſſitate ſuadente, ex liberalitate veſtem aliquam ſcholari pauperi dare voluerit propter Deum. Vagos autem ſcholares, detrahentes Clericis, nullus omnino Clericorum modo aliquo recipiat, vel ad panem admittat, cui hoc conſtiterit. Quod qui non fecerit, pœnæ ſubjaceat prædictæ. De vagis vero Sacerdotibus idem, quod vagis ſcholaribus ſtatuimus, & ſub eadem pœna volumus per omnia obſervari.

XXVII. *De Depoſitariis.*

Item, cum occaſione depoſiti ſæpe ſæpius, prout cognovimus, multa pericula & quam plurima ſcandala deponentibus, ac depoſitum recipientibus perſonis & Eccleſiis, ad quas eæ res de jure pertinere deberent, obvenerint & occurrant, depoſitario tam in vita, quam poſt mortem deponentis quandoque negante depoſitum, in grave deponentis & Eccleſiæ, de cujus ſtipendiis hujusmodi depoſitum eſt collectum, diſpendium: alio quoque proponente ſe quandoque depoſuiſſe, quod non depoſuit: ex quo proborum fama plerumque gravatur, & opinio minuitur; Nos huic morbo volentes, quanto poſſumus cautius, proviſionis remedio obviare, ſtatuimus, ut ſub pœna excommunicationis, quam ex nunc ferimus in rebelles, nullus Clericorum, Prælatorum, ſeu Religioſorum, vel Sæcularium noſtræ Diœceſis, depoſitum ultra decem libras æſtimationem earum faciat vel ſuſcipiat, ſine duorum fide dignorum ad minus præſentia & notitia, per quos neceſſitate ſuadente in vita vel morte deponentis poſſit veritas comprobari.

Teſtes enim hujus ſub habita pœna, ſcilicet ex nunc excommunicationis latæ & juramento adſtringi volumus, quod in vita deponentis contra voluntatem ipſius hoc nulli communicent vel revelent: poſt mortem autem deponentis, ſive teſtatus, ſive inteſtatus deceſſerit, infra menſem prædicti teſtes, & depoſitarius, vel ejus ſucceſſor, aut vicem gerens ipſius, ad noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum notitiam quantitatem depoſiti, vel qualiter ſit depoſitum, ſub prædictis pœnis, ſcilicet juramenti, & excommunicationis, quas ipſo facto eos incurrere volumus, ſi negligentes fuerint, deferent; ut & defuncti voluntas & Eccleſiarum utilitas impleatur, & ſalubrius procuretur. Et ſi unus vel ambo teſtes adjuncti deceſſerint, infra menſem alium, vel alios illi, vel illis deponens ſurroget, coram quo, vel quibus depoſitum ſub forma præhabita renovetur: quos etiam ad ea ſub pœnis præmiſſis teneri volumus, ad quæ ille, vel illi, in quorum loca ſubrogantur, fuerint adſtricti. Et hoc non ſolum ad futura, ſed etiam ad præſentia, & præterita extendi volumus, indulgentes unius menſis ſpatium, qui ex tunc incipiat currere his, qui ex præterito depoſuerunt, vel depoſita ſuſceperunt, infra quem ſolemnitatem teſtium adhibeant ſuperius memoratam. Et quia conſtitutionem hujusmodi volumus inviolabiliter obſervari propter utilitatem & evidentem neceſſitatem, ſtatuimus, ut ſi quis in fraudem ipſius ſtatuti depoſitum dividere præſumpſerit, vel in terra recondere, ſeu in muro, prædicta ſententia ipſo facto ligetur.

XXVIII. *Quod Epiſcopo Novales Decimæ ſerventur.*

Item, cum ad nos omnium novalium Decimæ per noſtram Diœceſim pertineant, & a noſtris ſint prædeceſſoribus repetitæ; ſtatuimus, & nihilominus diſtricte præcipiendo mandamus, ut omnes Plebani, Vicarii, & Eccleſiarum Rectores Decimas novalium per ſuas Parochias ortas, vel tunc orituras, Noſtro, & Eccleſiæ noſtræ nomine ſuis temporibus repetant, colligant, & requirant, nobis eas fideliter & ſolicite conſervando, nec alicui præſcriptionem, vel privilegium, ſeu infeudatio-

dationem prætendenti deferant in hac parte: ſed rebelles & impedientes, Nobis, quam cito potuerint, vel ſuis Archi-Diaconis, vel Decanis denuncient, ut adhúc de parte noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam arceantur. Quicunque autem in executione hujusmodi mandati noſtri ſe negligenter habuerint, vel easdem Decimas novales, ſuis propriis uſibus uſurpare præſumpſerint, illorum negligentiam, ac etiam temeritatem graviſſime puniemus.

XXIX. *Quod Capellani Jura parochialia non uſurpent.*

Item de Capellis in caſtris, in civitatibus, ſeu villis, ubi parochiales Eccleſiæ ſunt vicinæ, ſtatuimus, ut earum Capellani ſe de cætero de juribus parochialibus nullatenus intromittant, videlicet benedictione nubentium, de introductionibus mulierum poſt partum, vel nuptias, de collationibus Sacramentorum, de benedictionibus cereorum, cinerum, palmarum, & ſolemnis Baptiſmatis ac carnium: & feſta non indicent, niſi doceant, ſibi prædicta, vel aliqua alia eorum, de privilegio competere ſpeciali; in Capellis vero caſtrorum & villarum a ſua parochiali Eccleſia remotarum, permittimus feſta indici, & conſecrationem fontis fieri diebus Dominicis & cineres, & carnes benedici, niſi ulteriora competant de privilegio ſpeciali, de quo debent fidem facere coram Plebanis.

XXX. *Quod Rectores Eccleſiarum vicinos accuſent.*

Item cum ſanguis ſubditorum requiratur de manibus Prælatorum, nec poſſit eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus comedit oves, & Paſtor neſcit; tanto diligentius correctioni ſubditorum volumus & debemus intendere, quanto damnabilius errores deſerimùs incorrectos. Statuimus igitur, ut Plebani, Vicarii & Eccleſiarum ſeu Capellarum Rectores univerſaliter ſinguli & ſingulariter univerſi ſuis Decanis denuncient omnes in ſcriptis, quos defectibus ſeu criminibus noverint laborare, infra unum menſem, poſtquam eis claruit; Decani vero, poſtquam circa Anaſum ad partes Auſtriæ nos veniſſe conſtitit, infra unum menſem nobis denuncient de ſingulis, & accuſent, quæ fuerint accuſanda: ſi vero Rectores Decanis, Nobisque Decani, ut præmiſſum eſt, occaſione quacunque neglexerint accuſare, noverint ſe per nos graviter puniendos. Ne autem ex tali noſtro mandato malitiis aditus reſeretur, vel calumniandi materia ſuggeratur, volumus & mandamus, eos defectus, delicta ſeu crimina duntaxat nobis inſinuari; quæ ſi opus foret, poſſent probari legitimis documentis.

XXXI. *Accuſandi ſunt circa infra ſcripta.*

Hi ſunt defectus, & culpæ, crimina & articuli, de quibus ſunt Clerici quilibet accuſandi, contra quos poterunt comprobari: abſentes a Capitulo tam Plebani, quam Vicarii, item abſentes a ſuis beneficiis, item vocati ad ordines & non venientes, item ordinati ab aliis Epiſcopis, item cohabitantes manifeſte; item concubinas in aliis domibus habentes publice; item Tabernarii, Luſores, & alias diſſolutæ vitæ; item Clerici Tabernas in ſuis domibus habentes; item Plebani, qui Vicarios ſuos ſuſtinent cohabitare; item Clerici uſurarii, anticipatores, & antiquam monetam pro nova mutuantes; item Alchimiſtæ, & qui utuntur falſa moneta, & argento; item qui peregrinos & ignotos recipiunt in ſocios; item qui Sacramenta Eccleſiæ vendunt, & ſuper remediis decedentium conventionem faciunt, antequam ſepeliatnr defunctus; item qui propter augendum cenſum conſuetum amovent idoneos ab Eccleſiis, & inſtituunt minus dignos; item qui Decimas & Proventus, ſive redditus Eccleſiarum ſuarum laicis conferunt, quibus inpoſterum Eccleſiæ defraudantur; item Capellani caſtrorum, villarum, ſeu civitatum, qui non veniunt ad Capitula & Conventus; item Apoſtatæ & de Apoſtaſia ſuſpecti; item qui interdicti, ſuſpenſi, vel excommunicati celebraverunt, vel ſe ingeſſerunt Divinis; item qui voluntarie laicos ſibi conſtituunt Advocatos; item qui in foro ſæculari præſumunt Advocatiæ officium exercere; item habentes pluralitatem beneficiorum; item qui Corpus Chriſti & Chriſma ſub fideli cuſtodia non conſervant; item ſine Miniſtro celebrantes; item Religioſi ſine licentia Epiſcopi plebes regentes; item Plebani, qui ſuas aliis locant Eccleſias, & Vicarias aſſu-

assumunt regendas; item dilapidatores suarum Ecclesiarum; item, qui simoniace Ordines & beneficium susceperunt; item illegitimi habentes beneficia cum cura animarum; item qui sine investitura Episcopi & institutione Canonica Ecclesias recipiunt atque regunt; item qui per Subdiaconum vel Decanum plebes suas in viatico & confessione procurari permittunt; item, qui excommunicatos vel interdictos recipiunt ad Ecclesiasticam sepulturam; item, qui sine licentia nostra in Oratoriis vel Ecclesiis non consecratis, vel violatis Missas celebrant; item, qui in Cœmiteriis non consecratis vel violatis permittunt mortuos sepeliri; item, qui Subplantatores sunt, & Anticipatores; item transgressores omnium prædictorum Statutorum.

XXXII. *Quod non fiat pactum de mediis ante sepulturam.*

Cæterum districtissime inhibemus, ne super defunctorum mediis ante exequias & sepulturam defuncti aliqua pactio vel conventio intercedat: defuncto autem, sicut convenit sepulto, quidquid ex testamento, vel laudabili consuetudine Sacerdoti debetur, vel Ecclesiæ suæ convenit persolvendum ab hæredibus defuncti, vel ab illis, qui in bonis ejus succedunt, præstetur, & ad ejus solutionem, si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur.

XXXIII. *Excommunicati sunt, qui occupant Possessiones alienas.*

Item, quia sunt quamplures per Diœcesim nostram, qui feuda Ecclesiæ nostræ Pataviensis, & proprietates, quæ vulgo MINDER AIGN dicuntur, tanquam suas proprietates usurpant; & sunt, qui feuda Ecclesiæ ab aliis Dominis recognoscunt, sunt autem, qui feuda & proprietates Ecclesiæ nostræ, sine Prædecessorum nostrorum & nostro consensu & conscientia per venditionem, vel alio modo in alios transtulerunt; præcipiendo statuimus, ut omnes Ecclesiarum Plebani, Rectores & Vicarii omnes tales prædictos, nec non & eos, qui scienter alios feuda Ecclesiæ nostræ a se recipere, & recognoscere, vel violentiam, vel modum alium induxerunt, vel qui sine Nostro, & Prædecessorum nostrorum consensu, & conscientia proprietates Ecclesiæ nostræ vel feuda scienter ab aliis comparaverunt, proxime die Dominico vel festivo moneant & inducant, ut infra mensem, quem eis terminum peremptorium deputamus, apud Nos jus Ecclesiæ nostræ in prædictis recognoscant; alioquin mense finito singulis diebus Dominicis & festivis tales publice denuntient excommunicatos, quam excommunicationis sententiam ex nunc ferimus in eosdem; omnes autem, qui ad cor redeuntes jura Ecclesiæ nostræ apud nos recognoverint in præmissis, promittimus benigne recipere, & cum eis agere gratiose; quod statutum non solum ad Nos & Ecclesiam nostram, sed etiam ad Principem terræ, & omnes Prælatos nostræ Diœcesis extendi volumus & mandamus.

XXXIV. *Omnes Clerici Horas Canonicas dicere tenentur.*

Item, cum nil sit Divino operi præponendum, præcipimus universis Ecclesiarum Rectoribus, & omnibus in sacris Ordinibus constitutis, ut nulla omnino occupatione Horas Canonicas, ad quas tenentur, omittant; imo diebus omnibus & singulis cum devotione debita eas dicant. *Acta sunt hæc apud S. Hippolytum Anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo quarto. XVI. Cal. Aprilis.*

Hansitz. German. Sacræ Tom. I. a pag. 427. *ad* 435. *post Hieron. Petz. Tomo II. Scriptorum Austriæ. Lunig. in Spicilegio Ecclesiastico. Item extat MS. in Bibliotheca Cæsarea Juris Canonici No. CXXXIV.*

ADDITIO
AD
CONCILIUM PATAVIENSE.

ANno Domini Millesimo ducentesimo, octogesimo quarto. Nos GOTFRIDUS, Dei gratia, Ecclesiæ Pataviensis Episcopus, apud S. Ypolitum Capitulum celebrantes, & de consilio Fratrum nostrorum Prælatorum ac ArchiDiaconorum nostrorum, statutis & ordinationibus Prædecessorum nostrorum, quæ ibidem publicari fecimus, declarationes quasdam, ordinationes, ac statuta addenda decrevimus, quæ pro instantia temporis cognovimus expedire. Salvis autem Constitutionibus Conciliorum Provincia-

vincialium, nec non Reverendi Patris Domini Gwidonis titulo Sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis: ac etiam salvis statutis & ordinationibus Prædecessorum nostrorum, quibus derogari nolumus, ac debemus. De accusatis nobis in Capitulo misericordiam poscentibus & judicium non requirentibus ad excusandas excusationes in peccatis, & correctioni, ac emendæ se exponentibus, eligentes misereri potius, quam irasci; ejus exemplo, qui in ira misericordiam non restringit, duximus, decernendum, ut in primo Capitulo præsenti, scilicet, quod post nostram promotionem celebravimus, ipsis misericorditer parcendo pro commissis delictis, quibus accusati fuerant, injungeremus pœnitentiam salutarem. Accusatis itaque de cohabitatione extra domum, pro commissis præteritis injungimus pro pœnitentia Missas duodecim, pro peccatis sex sextas ferias in pane & aqua, & sex Psalteria, accusatio vero de cohabitatione in domo sua propria vel hospitio, injungimus pro commissis præteritis viginti Missas, pro peccatis XII. Psalteria, & VI. ferias sextas in pane & aqua, complenda omnia infra annum: ita tamen, ut tam diu ab officio sint suspensi, donec a domibus suis & ab aliis se removerint cum effectu, ad quas si pari modo rediverint, tam officio, quam beneficio sunt privandi. Tabernarius vero Sacerdos sex Missas & sex ferias sextas in pane & aqua pro culpa præterita compleat infra annum. Tabernarius autem non Sacerdos sex ferias sextas, & sex psalteria similiter pro culpa præterita compleat infra annum. Quas pœnitentias illis similiter injungimus, qui, licet non sint accusati in Capitulo, in eisdem tamen se cognoscunt culpis & defectibus deliquisse.

Item absentibus a Capitulo, tam accusatis, quam non accusatis, ad præsens parcere volumus, & deferre quoad absentiam ita, quod in antea se corrigant; ne contra eos tanquam contumaces ratione absentiæ procedere compellamur. Omnes etiam ad Capitula & conventus Archi-Diaconorum, & Decanorum vocatos venire præcipimus & mandamus. Et qui sine causa legitima se absentaverint ab eisdem, si Plebanus fuerit . . . . vel unum, si Vicarius fuerit, domui Hospitalis S. Ypoliti solvere teneantur. Quod si infra mensem non persolverint, per suos Archi-Diaconos vel Decanos ab officio suspendantur. Eis etiam, qui ad ordines vocati fuerant, & non venerunt, parcimus ista vice: ita tamen, ut in proximis ordinibus procedere ad ordinem, quem cura ipsorum exigit, non obmittant; si pœnam Canonicam voluerint evitare.

Item absentes temere a beneficiis, si sint infra Provinciam usque ad festum S. Georgii, ad personalem residentiam revocamus. Si vero sint extra Provinciam temere constituti, usque ad festum S. Michaëlis, ad residentiam revocamus eosdem. Eos vero, qui sunt de culpis & defectibus majoribus & gravioribus accusati, sub pœna præcipientes prohibemus abhinc recedere, sine nostra licentia & permissione speciali.

Item præcipimus, ut, præter Religiosos, omnes in sacris ordinibus constituti ad executionem ordinis & officii nullatenus admittantur, nisi suas *formatas* habeant exhibere. Et ne ab hoc modo aliquo excusentur, de dandis formatis certum salarium statuimus statuendum, ut Subdiaconus det octo denarios, Diaconus duodecim, Sacerdos non habens beneficium sedecim; & habens beneficium viginti quatuor usualis monetæ.

Ut autem statuta Prædecessorum nostrorum, quibus aliqua addidimus pro necessitate temporis opportuna, diligentius observentur, & observari, & memoriæ commendari valeant, districte præcipimus & decernimus statuendo, quatenus monita nostra & statuta salutaria, quæ volumus utentium moribus approbari, à Decanis quibuslibet præsentibus recipiantur in scriptis, in nostra Synodo constitutis. Decani vero singulis Ecclesiarum Rectoribus, & Vicariis eorum copiam faciant infra mensem, quatenus in libris Ecclesiarum redigi ordinent & inscribi, in quibus statuta ipsa lecta, & sæpius repetita singulorum memoriæ inculcentur.

Item, quia sunt quamplures per Diœcesim nostram, qui feuda Ecclesiæ nostræ Pataviensis, & proprietates, quæ vulgo EIN VEST-AIGEN dicuntur, tanquam suas proprietates usurpant, & sunt, qui feuda & proprietates Ecclesiæ ab aliis Dominis recognoscunt, sunt etiam, qui feuda & proprietates Ecclesiæ, sine Prædecessorum nostrorum,

& nostro consensu & conscientia, per venditionem vel alio modo in alios transtulerunt. Quare præcipiendo statuimus, ut omnes Ecclesiarum Plebani, Rectores & Vicarii omnes tales prædictos, nec non & eos, qu scienter alios feuda Ecclesiæ nostræ a se recipere & recognoscere per violentiam vel modum alium induxerunt, vel qui sine nostra, & Prædecessorum nostrorum conscientia & consensu proprietates Ecclesiæ nostræ vel feuda ab aliis comparaverunt, vel qui proprietates Ecclesiæ sub certa annuali pensione & etiam sine omni pensione pro tempore vitæ suæ ipsis concessas vel eorum Prædecessoribus tanquam sua feuda, vel tanquam proprietates detinent & usurpant, proximo die Dominico vel festivo moneant & inducant, ut infra mensem (quem eis terminum peremptorium deputavimus) apud Nos jus Ecclesiæ nostræ in prædictis recognoscant, alioquin mense finito, singulis diebus Dominicis & festivis tales publice denuntient excommunicatos, quam excommunicationis sententiam ex nunc ferimus in eosdem. Omnes autem, qui ad cor redeuntes, jura Ecclesiæ nostræ apud nos recognoverint, in prædictis, promittimus benigne recipere, & cum eis agere gratiose. Quod statutum non solum ad nos & Ecclesiam nostram, sed etiam ad Principem terræ, nec non ad omnes Prælatos terræ Diœcesis nostræ extendi per omnia volumus & mandamus.

Item quia omnibus Vasallis nostris feuda a Nobis recipientibus præcepimus sub debito juramenti, ut infra sex Septimanas, a receptione computandas, feuda, quæ a nobis recognoscerent, in scriptis nobis assignare deberent, quod quia quamplures in eis facere neglexerunt, vobis omnibus præcise injungimus & mandamus, quatenus omnes Parochianos vestros sollicite moneatis, ut infra Dominicam JUDICA nobis feuda sua omnia, quæ a nobis recognoverint, dent in scriptis, alioquin ex tunc denuntietis omnes hoc exequi negligentes, excommunicationis sententiæ subjacere, & eisdem denegetis Ecclesiastica Sacramenta.

Item omnes alios, qui nostræ Pataviensi Ecclesiæ attinent, & Dominis adhærent alienis, eisdem tanquam sui proprii servientes, & eos, qui tales Ecclesiæ nostræ homines, per violentiam sibi servire & adhærere compellunt, præcipimus in omnibus præcipuis festivitatibus anni excommunicatos publice nuntiari, videlicet in Nativitate Domini, in Cœna, in Ascensione, & Pentecoste, in festivitatibus S. MARIÆ, & in festo S. Joannis Baptistæ, Michaëlis, & omnium Sanctorum.

Item quia per nostros Prædecessores primus annus vacantium Ecclesiarum ad nostram collationem pertinentium, fabricæ Pataviensis Ecclesiæ deputatus fuit, præcipimus sub pœna excommunicationis omnibus, qui tales habent Ecclesias, ut infra spatium quatuor mensium pecuniam pro anno prædicto debitam seu proventus doceant se solvisse vel solvant.

Hansiz. Tomo I. Germaniæ sacræ p. 435. *ad* 437.

Eodem anno Synodum aliam GODEFRIDUS Pataviæ colligit, in qua decreta sententia in Monachos quosdem Altabenses, seditionis sacrilegæ auctores.

SYNODUS NAUMBURGENSIS
Anno Christi MCCLXXXVI. Martini IV. Papæ VI. Rudolphi I. Regis XIV.

Erant mali homines, qui nec Deum, nec Ministros suos reverenter habebant, sed multa damna, molestias & injurias iis faciebant: convocavit ergo Bruno noster, (*a*) (Nicenburgensis Episcopus) Vicinos & Coepiscopos suos *Wittich* (b) *Misenensem*, & *Heinricum* (c) *Merse-*

(*a*) Bruno, Nobilis de Querfurt, Episcopus XXI. Naumburgensis.
(*b*) Wittigo, primus ex Canonico Northusano, & Erfurdiano, ex Præposito Wurcinensi, fit Episcopus Misnensis XXV. anno 1266. natus ex generosa Camenitiorum familia.
(*c*) Henricus, Merseborgensis Episcopus.

Merseborgensem in *Nuenborg*, ubi in unitate Spiritus Sancti promulgarunt mandatum seu Bullam Sanctissimi Domini *Honorii IV.* contra istos Ecclesiæ turbatores, raptores & contemtores sacrarum personarum sub formidabili anathemate, anno Domini MCCLXXXVI. VI. Idus Septembris.

Acta Præsulum Nuenburgensium apud Paullinum in Syntagmate antiquit. Germaniæ.
Langius in Chronico Citizensi.
Fabritius.

WItigo Misnensis, Henricus Merseburg, & Bruno Naumburg Episcopi, inter se convenerunt Naumburgi, ut, quod de violatoribus & invasoribus Episcoporum & Clericorum conclusum erat, & quod Pontificius Legatus & Concilium Magdeburgense ordinavit, in suis Diœcesibus executioni darent: nempe, ut filii eorum, qui Episcoporum aut Clericorum aliquem caperent, aut captum detinerent, ad ordines vel beneficia: filiæ vero ad cœnobia virginum non admitterentur: Abbates autem & Abbatissæ, si secus facerent, a Sacris & Divinis Officiis suspenderentur, donec jam susceptos eorum liberos a cœnobiis amandarent: demum ut ii, qui templa & cœmiteria (a) ut spoliarent aut cremarent, nisi pro damnis prius satisfecerint, ne ad pœnitentiam quidem admitterentur. Actum Naumburgi. VI. Idus Septembris.

Codex MS. Misnensium Literarum Breviator, citatus a P. Calles S. J. in Serie Episcoporum Misnensium.

(*a*) *lego*: aut.

In eadem Synodo hoc Decretum prodiit contra invasores Præsulum & Clericorum.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

NOS WITIGO, Dei gratia, Misnensis, & FRIDERICUS (*secundum alios HENRICUS, Friderici Successor*) Merseburgensis, & BRUNO Nuenburgensis Episcopi, recognovimus, & tenore præsentium protestamur, quod ad succurrendum pressuris tam Nobis, quam Clero, & Religiosis cujuscunque Ordinis exemptis, & non exemptis ex hominum malitia imminentibus in hoc convenimus, & tenore præsentium nos mutuo obligamus, quod sententias tam auctoritate ordinaria a nobis latas, quam statuta Domini GUIDONIS Card. Sedis Apostolicæ Legati, & Magdeburgensis Concilii invicem exequemur. Et præterea, quæ in præmissis Conciliis de captivitate Episcoporum & Clericorum continentur, hæc in nostris Diœcesibus volumus observari: videlicet, quod filii captivantium Episcopos vel Clericos inhabiles sint ad Beneficia & sacros Ordines obtinendos, nec ipsorum filiæ in aliquo collegio Sanctimonialium admittantur. Abbates quoque, Abbatissæ, Præpositi & Conventus contra hanc inhibitionem nostram venientes per sententiam, quam in his scriptis ferimus, tam a Divinis noverint se suspensos, donec ejiciant sic receptos.

De incendiariis autem & invasoribus Ecclesiarum & Cœmiteriorum, quæ quidem Ecclesiæ & Cœmiteria non solum pro salute mortuorum, sed etiam, ut vivi pacis in eis refugium inveniant, consecrantur, sic observari volumus, ut, qui surrexerint in rapinam Ecclesiæ, vel Cœmiterii, nisi ablata restituant, vel emendandi firmam & plenam præstiterint securitatem, pœnitentiæ beneficium eis penitus denegetur: & singulis diebus Dominicis, pulsatis campanis, & incensis candelis excommunicati publice nuntientur. Et si obstinata mente usque ad mortem perseveraverit, Ecclesiastica careat sepultura, nisi sub testimonio Plebani, & aliorum trium damna restituerit universa. Si qui vero Clerici tales ad sepulturam receperint, aut eorum sepulturæ interfuerint, vel ipsorum eleemosynas receperint, Ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & ipso facto suis beneficiis sint privati.

Et quia ea, quæ præmissa sunt, de Prælatorum & Capitulorum nostrorum processerunt consensu, præsens scriptum tam Nostris, quam jam dictorum Capitulorum nostrorum sigillis fecimus communiri. Actum NUENBURCH. Anno Domini MCCLXXXVI. in Nativitate Mariæ Virginis.

Calles in Serie Episcoporum Misnensium pag. 198.
Labbé Concilior. Tom. XIV. col. 1017.
Lunig Continuatio II. Spicilegii Ecclesiastici pag. 259.

STATUTA SYNODALIA JOANNIS, EPISCOPI LEODIENSIS,

Anno MCCLXXXVII. edita.

Ex duobus Codicibus MSS. uno insignis Monasterii Parci prope Lovanium, altero Colbertino, a Martene in Thesauro Anecdotorum anno 1287.

JOHANNES, DEI GRATIA, LEODIENSIS EPISCOPUS, UNIVERSIS ABBATIBUS, ABBATISSIS, PRIORIBUS, PRIORISSIS, PRÆPOSITIS, ARCHIDIACONIS, DECANIS, CONVENTIBUS, CAPITULIS ECCLESIARUM, (*a*) SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

(*b*) A præcedentibus nostris Leodiensibus Episcopis temporibus retroactis ad conservandum & gubernandum libertatem Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum jus, & regimen Civitatis & Diœcesis Leodiensis, & ad reprimendam malitiam perversorum, multæ provisiones & constitutiones Synodales emanarunt; quia tamen postmodum, crescente hominum malitia nunquam in eodem permanentium, & continue novas malitias novasque rebelliones adinvenientium, & contra Ecclesiam Dei & justitiam malignantium, ipsæ Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ Civitatis & Diœcesis Leodiensis propter ipsorum malitiam perversorum adhuc nimium perturbantur; Nos auctoritate Pontificali dictis malitiis obviare, & ipsi libertati Ecclesiasticæ & Ecclesiasticarum personarum Civitatis & Diœcesis nostræ Leodiensis providere, in quantum poterimus, cupientes, hac GENERALI SYNODO de consensu & voluntate Capituli nostræ majoris Ecclesiæ Leodiensis, Constitutiones Synodales nostrorum PRÆDECESSORUM una cum nostris Constitutionibus, quas in præsenti Synodo statuimus, ipsas Antecessorum nostrorum Constitutiones Synodales, quas in ipsa compilatione nostra redigimus, resecatis aliis superfluis, approbamus & ratificamus, & una cum nostris Constitutionibus præcipimus inviolabiliter observari.

CAP. I. *De Synodo.*

I. Districte igitur, prout Antecessores nostri statuerunt, præcipimus & mandamus Decanis & Sacerdotibus & aliis, qui ipsi Synodo interesse tenentur, ut jejuni & cum magna devotione intrent Synodum, nec aliquis afferat in Synodo causas vel negotia impertinentia ad Synodum, & omnes personæ, quæ tenentur interesse Synodo, veniant ad Synodum audituræ salubria mandata synodalia: & Decani induti albis & stolis, Presbyteri autem cum superpelliciis intrent Synodum, nisi detineantur infirmitate gravi, vel inevitabili necessitate, & si qui venire nequiverint, mittant ad Synodum cum literis suis patentibus, causam infirmitatis vel necessitatis suæ expresse continentibus suo sigillo, aut alio authentico sigillatis, per quas (*) se obligent ad statuta synodalia observanda, Capellanum vel Clericum, vel alium idoneum habentem per ipsas literas potestatem dictum absentem excusandi, & canonicum impedimentum in animam ipsius (*c*), si necesse fuerit, jurandi, & mandata Synodi ad Dominum suum referendi.

II. Item præcipimus, quod ipsi Decani, Presbyteri, & alii, qui dictæ Synodo

Joannes, Guidonis, Comitis Flandriæ Filius, jam Metensis Episcopus, cassata electione duorum a Canonicis Electorum, nominatus fuit a Martino IV. Papa Episcopus XLII. Leodiensis. Ingressus est urbem 31. Octob. 1282. Synodum Generalem suæ Diœcesis instituit, & statuta promulgavit. Anno 1288. carceri mancipatus fuit a Noverca mensibus quinque. Obiit 14. Octobris 1292. apud Abbatiam Flines prope Duacum sepultus.

(*a*) Rectoribus, Clericis, & aliis sive Civitatis & Diœcesis Leodiensis.
(*b*) Licet. *Addit Editio anni posterioris.*
(*) personas.
(*c*) Domini.

nodo intereſſe tenebuntur, eundo, redeundo, & moram faciendo, in loco Synodi honeſta habeant hoſpitia, & honeſtam ſocietatem, & non recedant a Synodo, ſine noſtra licentia, & ipſi Decani, antequam recedant, habeant omnes Conſtitutiones præſentis Synodi ſcriptas, & eas legant & intelligant, & ſi ſuper aliquibus hæſitaverint vel dubitaverint, petant & requirant ea per Nos, vel Officialem noſtrum (*d*) exponi, antequam recedant a Synodo.

CAP. II. *De Baptiſmo.*

I. Baptiſmus honorabiliter & caute celebretur, cum aperta diſtinctione verborum, & forma verborum, in quo conſiſtit ſalus (*e*) baptizandi.

II. Ille, qui baptizat, quando immergit in aqua baptizandum, dicat hæc verba nihil addendo, ſubtrahendo, vel mutando, puerum nominando Petre, vel Johannes: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et ut caveatur periculum baptizandi, non mergatur caput pueri in aqua, ſed Sacerdos ſuper verticem pueri ter infundat aquam cum pelvi, vel alio mundo vaſe & honeſto, tenens puerum nihilominus una manu diſcrete.

III. Item juxta fontem inſtituatur piſcina apta, ubi laventur manus eorum, qui tenuerunt puerum, & ſuper piſcinam illam ponatur cooperculum.

IV. Item doceant Presbyteri frequenter viros & mulieres formam & verba baptizandi in propria lingua, quibus valeant in neceſſitate baptizare, etiam parentes, ſi alius defuerit, & poſtmodum referatur ad Sacerdotem, qui diligenter interroget, quid Baptizator fecerit, aut quid dixerit? & ſi inveniat omnia rite facta vel dicta, faciat puer (*f*) ea, quæ ſolent fieri poſt immerſionem. Si vero (*g*) invenerit, vel dubitârit puerum non eſſe rite baptizatum, baptizet puerum ſub hac forma: Petre! *ſi tu es baptizatus, ego te non baptizo; ſed ſi tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

V. Item doceant Presbyteri, quod ſi pater vel mater infantem ſuum in neceſſitate baptizaverint, non propter hoc dimittant, quin ut conjuges ſe habeant, ut ante.

VI. Item, ſi caput infantis naſcentis appareat, extra, vel membrum aliud principalius, & timeatur de morte infantis, antequam perfecte naſcatur, infundat, qui adfuerit, aquam ſuper caput naſcentis dicens: *Infans! Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Si autem pervenerit vivus ad ortum legitimum, de novo baptizetur ſub his verbis: *Non te baptizo, ſed, ſi non fuiſti baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

VII. Item, ſi mulier mortua fuerit in partu, non negentur ei aliqua jura Chriſtianitatis, ſed in Eccleſia deferatur, & in cœmiterio tumuletur, niſi aliud obſtiterit; quia pœnam non debemus ei convertere in culpam, & ſi certum ſit, quod parturiens (*h*) mortua fuerit, teneatur os ejus apertum, & cum magna cautela uterus ejus aperiatur, ut infans vivus, ſi poſſit, educatur, & baptizetur. Si autem mortuus reperiatur, extra cœmiterium ſepeliatur vel tumuletur.

VIII. Ad levandum puerum de ſacro fonte duo vel tres (*i*) ad plus admittantur, & ſi puer ſit maſculus, una mulier & duo viri interſint; ſi ſit fœmina, unus vir & duæ mulieres, & pater nullatenus admittatur.

IX. Parentes & Patrini filiolos doceant orationem Dominicam, ſcilicet: *Pater noſter*, & Symbolum Apoſtolorum, ſcilicet: *Credo in Deum*: & *Salutationem B. Mariæ*, id eſt: *Ave Maria*; & exhortentur eos ſæpe, pie, & juſte vivere.

X. Item fontes ſub cooperculo competenti, & ſub ſera cuſtodiantur propter immunditias & ſortilegia.

XI. Item renovetur (*k*) aqua fontium ſingulis annis in Paſcha & Pentecoſte, & ſæpius, ſi neceſſe fuerit, & tunc ſæpius diligenter inſpiciatur, ſi indigeat (*l*) renovari, & ſi indigeat, tunc excluſis laicis, & clauſis oſtiis renovetur, & amoveatur vetus aqua, & fontes bene mundificentur, & nova aqua imponatur, & benedicatur, & chriſmetur, ſed antequam nova aqua apponatur, fontes dili-

(*d*) ſibi. (*e*) Baptizati. (*f*) puero.
(*g*) non. (*h*) partus ejus mortuus non fuerit.
(*i*) vel plures. (*k*) renoventur aquæ. (*l*) renovatione.

diligenter mundificentur propter reverentiam Sacramenti.

XII. Chrisma, Oleum ſanctum, & Oleum infirmorum in ampullis metallinis & criſtallinis ſub clave & ſera cuſtodiantur, & deſuper diligenter obturentur, ſi autem oportuerit Chrismati vel Oleo ſancto aliud oleum apponi, caute & diligenter admiſceatur oleum appoſitum cum Chrismate & Oleo ſancto, & hoc cum virgula.

XIII. Excommunicamus omnes illos & illas, qui vel quæ de Sacramento Altaris, vel de Altari, vel in ipſo Altari, vel de Chriſmate, aut de alio Sacramento, ſeu Sacramentis aliis ſortilegia faciunt, ſeu fieri procurant.

CAP. III. *De Confirmatione.*

I. Moneant Presbyteri parentes baptizandorum (*m*) nondum confirmatorum, ut eos adducant ad Epiſcopum, qui ſolus poteſt confirmare. Adducant ſeptennes pueros vel (*n*) minoris ætatis, quibus abſcindantur capilli contra frontem dependentes, & frontes diligenter laventur, & habeant faſciolas ſive bandella de ſpiſſa tela, non tenui peplo, quæ ſint ſine ſutura, & ſine nodo intermedio, quæ habeant latitudinem trium digitorum, & longitudinem duorum pedum & dimidii, & ſint munda & alba.

II. Offerantur autem pueri Epiſcopo ab eis, qui curam eorum habent, qui melius noverunt, quod non ſunt vel fuerint confirmati. Et moneantur parentes, quod confirmatos pueros tertia die adducant ad Eccleſiam, ut Presbyter lavet frontes eorum, & comburat bandella, & aquam lotionis cum cinere bandellorum faciat in ſacram piſcinam reponi. Adulti autem, ſi ſint vel doli capaces, vel duodecim annorum & amplius, prius confiteantur ſuis Presbyteris, quam confirmentur. Diligenter autem doceantur a Presbyteris omnes confirmandi, quod ſe, ut dictum eſt, præparent ante diem præparationis, & quod nullus audeat ſe ingerere ad confirmandum, qui alias fuerit confirmatus. Parentes autem jam confirmatorum parvulos ſæpe reducant eos ad memoriam, quando, & a quo, & ubi fuerunt confirmati.

III. Doceant autem Sacerdotes, quod Epiſcopus in confirmatione confirmandorum nomina poteſt mutare.

IV. Nullus etiam ad primam tonſuram, vel ad minores Ordines audeat accedere, qui non prius fuerit confirmatus.

V. Moneantur confirmandi, ut ita tempeſtive veniant ad confirmationem, ut primæ orationi interſint, exſpectent uſque ad ultimam, quæ fuerit (*o*) ſupra confirmatos.

VI. Item præcipimus Sacerdotibus, quod in ſuis Eccleſiis publice & pluries denuntient ſuis Parochianis, quod in confirmatione, ſicut in baptismo, contrahitur compaternitas, quæ non ſolum impedit matrimonium contrahendum, ſed dirimit jam contractum.

CAP. IV. *De Confeſſione & Pœnitentia.*

I. Item Sacerdotes doceant vel moneant ſubditos, ac etiam eis in pœnitentiam injungant, ut ſæpe veniant ad confeſſionem, priusquam veniant, diligenter ſcrutentur corda ſua, peccata ſua apud ſe rememorent ſollicite cum dolore, & ſimplici vultu veniant ad confeſſionem, quaſi ad Dei judicium. Sacerdotes autem, ut Dei Miniſtri, circa confeſſionem audiendam & pœnitentiam injungendam maximam habeant diligentiam.

II. Ad audiendas confeſſiones communem & apertum locum in Eccleſia ſibi eligant Sacerdotes, ut communiter ab omnibus videri poſſint, & in locis abditis & obſcuris non audiant confeſſiones, non extra Eccleſiam, niſi ex magna neceſſitate vel infirmitate.

III. Item præcipimus, quod Sacerdotes non ſedeant ad confeſſionem ante ſolis ortum, nec poſt ſolis occaſum, niſi ex magna neceſſitate.

IV. Item præcipimus diſtricte, quod ſedendo ad confeſſionem Presbyteri habeant vultum humilem, oculos ad terram, nec faciem reſpiciant confitentis, & maxime mulieris.

V. Item Presbyteri in ſuperpellicio vel cappa rotunda confeſſiones audiant, & cum ſtola ſuperpoſita ad confeſſionem ſedeant.

VI. Sacerdotes etiam moneant ſubditos

(*m*) baptizatorum. (*n*) majoris ætatis. (*o*) ſuper confirmandos facienda.

ditos suos, ut humili habitu & geſtu, oculis in terram defixis confiteantur. Mulieres cooperto capite & collo ſubmiſſa facie confiteantur.

VII. Sacerdotes mulierem, quæ ſola ſit in Eccleſia, non audiant confitentem, ſed in aſpectu honeſtæ ſocietatis.

VIII. Præcipimus *ſub pœna excommunicationis* Presbyteris, ne audiant confeſſiones mulierum, cum quibus peccaverunt, de peccatis, quæ perpetraverunt cum eis; nec etiam conſcios & fautores peccati ſui vel mediatores audiant, ſed mittant eos ad honeſtos confeſſores, (*n*) niſi neceſſitas ex caſu hoc præcedente exegerit.

IX. Item præcipimus, quod Sacerdotes manſueti (*o*) audiant confitentem, & de conſuetis peccatis interrogent ſingillatim: de inuſitatis autem non nominatim, ſed per talia verba inquirant, ex quibus confitens, ſi reus eſt peccati, poſſit intelligere, quid dicatur, ut intelligens confiteatur, ſi autem reus non eſt, de illo non tentetur.

X. Item Sacerdotes moneant confitentes, (*p*) ut integre & diſtincte confiteantur omnia peccata mortalia & circumſtantias, quæ aggravant peccatum, ut Sacer ordo, Sacer locus, in peccato luxuriæ, & circumſtantiæ, quæ aggravant peccatum, notantur in hoc verſu: *Quis, quid, ubi, quotiens, per quos, cur, quomodo, quando.* Venialia autem ſummatim ſufficit confiteri.

XI. Item Sacerdotes reſervent Epiſcopo majora peccata, ut puta: *homicidia, ſacrilegia, incendia, peccata contra naturam, concubitus perſonarum conventualium in ſacris Ordinibus conſtitutarum, inceſtus,* videlicet *cum conſanguinea, vel affini, vel cum ea, quæ votum caſtitatis emiſit, injectionem manuum in parentes, oppreſſiones parvulorum, negligentias pereuntium in igne vel in aqua natos amittentium, veneficia, perjuria ſolemnia, fidei fractiones, votorum transgreſſores,* (q) *ſimoniam, adulteria manifeſta, hæreſes, apoſtaſia, maleficia,* (r) *eorumque maleſici, aut conjuges, ne poſſint coire, vel qui procurant ſterilitatem mulierum, vel qui procurant abortum, falſarios, qui litteram, ſigillum, vel monetam falſant.* In his autem mittant Presbyteri ad Epiſcopum abſolvendos, nec abſolvant eos, niſi de noſtra ſpeciali licentia, vel niſi in articulo mortis.

XII. Licentiam conceſſam a Nobis, ſeu authoritate noſtra quibuscumque ſive Religioſis, ſive aliis abſolvendi a prædictis peccatis (*s*) revocamus.

XIII. Intendimus etiam Nos (*t*) de prædictis peccatis (*u*) ſalubriter diſponere, & religioſis & aliis perſonis idoneis ſuper hoc committere vices noſtras, declarantes autem, quod illi, quibus duxerimus committendum, poteſtatem non habeant aliis perſonis idem committendi.

XIV. Item (*w*) dubiis autem confeſſor conſulat Epiſcopum vel ejus vices gerentem, vel alios ſapientes, quorum conſilio pœnitentem abſolvat, vel remittat ad alium.

XV. Audita confeſſione, ſemper confeſſor interroget confitentem, ſi velit ſe abſtinere ab omni peccato mortali? Quod ſi confeſſus non dixerit, eum Presbyter non abſolvat, nec injungat ei pœnitentiam, ne inde confidat, ſed eum moneat, & ſolicite hortetur, ut interim faciat, quidquid boni poterit, ut Deus cor ejus illuſtret ad pœnitentiam, & conſulat ei modum vivendi, per quem facilius abſtinere poſſit a peccato mortali.

XVI. Injungant Sacerdotes pœnitentias ſecundum quantitatem delicti ſive peccati, & poſſibilitatem confitentis, ſcilicet pro peccatis carnalibus magnas injungant pœnitentias corporales, ſicut jejunium, diſciplinam & hujusmodi. Item pro ſpiritualibus ſpirituales, ut orationes, etiam & meditationes ſuis peccatis contrarias.

XVII. Præcipimus ſtatuendo, quod quando aliquis recognoverit vel confeſſus fuerit Presbyteris, quod peccaverit in aſſumtione rei alienæ, vel damno alii (*x*) illatum per furtum, rapinam, uſuram,

(*n*) Super dicto peccato confitendas & abſolvendas, nec etiam Presbyteri conſcios & fautores peccati ſui vel mediatores audiant, ſed mittant eos vel eas ad honeſtos confeſſores: niſi neceſſitas hoc in caſu præcedente exegerit.
(*o*) manſuete. (*p*) ſubditos. (*q*) transgreſſiones.
(*r*) maleficia earum, quæ maleficiunt conjuges, ne poſſint coire;
(*s*) ſive aliis. (*t*) de novo. (*u*) peccatis *abeſt.*
(*w*) In dubiis. (*x*) illato.

ram, fraudem (y) inventionem, (z) injuſtam vexationem, falſam teſtificationem, & aliquos modos, pro eo injungant Sacerdotes, reſtitutionem fieri eis, quos prædictis modis damnificaverunt, vel ſi deceſſerint, eorum hæredibus; Quod ſi non inveniantur hæredes, fabricæ Eccleſiæ noſtræ Leodienſis reſtituendo applicent. Et concedimus, quod reſtitutio talium poſſit fieri dictæ fabricæ Eccleſiæ noſtræ S. Lamberti, qui vero reſtituendi facultatem non habent, promittant ſe reſtituturos prædictis modis, cum facultatem habuerint: aliter non abſolvantur.

XVIII. Item, declaramus, quod nomine reſtitutionis reſtituentes Eccleſias, Capellanias, vel cœnobia inſtituere non poſſint, vel eleëmoſynas vel legata, vel teſtamenta facere auctoritate propria, ſed reſtituenda dictæ fabricæ applicentur, vel alias de noſtra licentia ordinetur; ſed prius, unde poſſit fieri reſtitutio, aſſignetur. (a)

XIX. Et quia nonnulli falſo aſſerunt, quod privilegia habent a Sede Apoſtolica, quod reſtitutiones talium bonorum ipſis fieri poſſint; præcipimus omnibus Rectoribus Eccleſiarum, quod niſi ipſi religioſi, vel alii oſtendant talia privilegia ipſis Rectoribus, ipſi Rectores non permittant, ipſis fieri tales reſtitutiones, & eas ipſis fieri inhibeant ſub pœna excommunicationis; & denuntient ſuis ſubditis, quod non liberantur, ſi talibus religioſis, vel aliis non habentibus ſuper hoc privilegium injuſta reſtituant. Et nos excommunicamus, & excommunicatos denuntiamus omnes illos, qui dixerint, ſe habere privilegium, quod reſtitutiones tales ipſis fieri poſſint, cum non habeant privilegium & nihilominus recipiunt reſtitutiones tales.

XX. Item in confeſſione caveant Sacerdotes, ut ſi confitentes nomina eorum intimaverint, cum quibus peccaverunt, ſecretum teneant, ſicut confitentes (b) peccatum.

XXI. Item, nullus Sacerdos ira, vel odio, vel etiam metu mortis in aliquo audeat confeſſionem confitentis ſibi ſigno, vel verbo, generaliter, vel ſpecialiter aliquatenus revelare. Omnes enim Sacerdotes contrarium facientes, excommunicamus, & excommunicatos denuntiamus.

XXII. Sacerdotes Miſſas, quas pœnitentibus injunxerint vel injunxerunt, non celebrent, neque tricenarium, neque annuale, neque colluſionem cum alio Sacerdote faciant de Miſſis celebrandis, ut ſibi mutuo pro Miſſis celebrandis ſuos Parochianos transmittant.

XXIII. Item Presbyteri ſuos parochianos moneant frequenter, ut a feſto Purificationis omnes ab XIV. annis & ſupra veniant ad confeſſionem ante Dominicam in ramis Palmarum, & qui in hoc negligentes fuerunt, per octavam Paſchæ a carnibus abſtineant & jejunabunt (c) ſicut in quadrageſima, niſi neceſſitate fuerint excuſati, nec propter hoc ipſis confeſſio (d) denegetur.

XXIV. Item ſtatuimus, quod Presbyteri inhibeant parochianis ſuis, ne quis rem furtivam, vel furti (e) ſuſpectam emat, quod ſi emerit, ſciat ſe ad reſtituendum teneri.

XXV. Item inhibemus ſtatuendo Sacerdotibus & aliis confeſſoribus, ne a confitentibus nomina illorum, cum quibus peccaverunt, inquirant, vel circumſtantias, per quas poſſint nomina eorum deſignari: quod ſi fecerint, ab officio audiendi confeſſiones noverint ſe ipſo facto ſuſpenſos, & Sacerdotes primo inhibeant confitentibus, ne illorum nomina, cum quibus peccaverunt, exprimant, niſi forte confiteantur ſe deliquiſſe cum Patre Spirituali vel carnali, aut in alio caſu, ſine quo non poteſt plene confiteri, & tunc confitentes non dicant nomen proprium illius, cum quo peccaverunt, ſed in genere dicant, peccavi cum Sacerdote, Clerico, Monacho, (f) & ſimilibus.

XXVI. Item, Presbyteri attendant, quod ſi Parochiani eorum non veniant ſemel in anno ad confeſſionem, nomina eorum referri debent ad Epiſcopum, vel Officialem in ſcriptis, ut puniantur.

XXVII.

(y) fraudulentam inventionem. (z) menſuram injuſtam.
(a) aſſignent reſtituentes. (b) confitentis. (c) jejunent.
(d) vel communio. (e) *abeſt ab typo Leodii*: ſuſceptam vel.
(f) Monacha.

XXVII. Item, doceant Presbyteri subditos suos, quod ipsi ex præcepto tenentur observare jejunia ab Ecclesia instituta, etiamsi mortaliter non peccaverint, ut jejunia quadragesimæ, quatuor temporum, processionum, & in festo S. Marci, & rogationum sequentium & similia.

XXVIII. (g) Si festum S. Marci in hebdomada paschali venerit sive Dominica die, non deferetur, neque jejunetur, sed processio fiet generaliter cum Letania.

XXIX. Item, doceant Sacerdotes, quod ipsi & subditi sui tenentur jejunare *Vigilias Natalis Domini*, *Pentecoste*, *Natalis B. Joannis Baptistæ*, *B. Laurentii*, *Assumptionis B. MARIÆ*, & *omnium Sanctorum & Apostolorum*, de quibus inferius apparebit, & si aliqua Vigilia die Dominica evenit, jejunetur sabbatho præcedenti.

XXX. Item, si alicui imponenda est solemnis pœnitentia pro crimine (h) & peccato vulgarissimo, (i) quod totam villam (k) commoverit, remittendus est ad Episcopum, ut in die Cinerum ejiciatur ab Ecclesia, & in die Cœnæ recipiatur.

XXXI. Item præcipimus, quod Sacerdotes de mortalibus (l) confiteantur suis Decanis consiliorum, & Decani confessiones suorum Sacerdotum audiant, saltem semel in anno, & Decanus nomina Sacerdotum sibi non confitentium saltem semel in anno referat Nobis vel Officiali nostro, ut puniantur.

XXXII. Præcipimus etiam omnibus Sacerdotibus, quod in principio Missæ celebrandæ & Divini officii celebrandi ab eisdem, moneant etiam omnes fideles existentes in Ecclesia, ut si aliquem excommunicatum sciverint in Ecclesia, quod illum nuntient Sacerdoti, & cum Presbytero innotuerit, aliquem excommunicatum esse in Ecclesia, non celebret, nisi exeat excommunicatus; & si excommunicatus violenter persistere voluerit in Ecclesia tempore, quo Divinum officium celebratur, tunc Presbyter significet justitiæ sæculari loci, & petatur, ut dictum excommunicatum ab Ecclesia extrahat, & eundem ad hoc compellat, ut Divinum officium permittat excommunicatus celebrari, & si justitia sæcularis monita hoc facere noluerit, cum possit, & dictum excommunicatum in Ecclesia persistere permiserit, ex tunc statuimus dictam justitiam (m) exercentem, excommunicationis sententiam incurrere, vel incurrisse ipso facto. Et præcipimus Sacerdotibus, quod dictam excommunicationem publice denuntient in Ecclesia sua sic esse latam, & referant nomina dictam justitiam exercentium propter hoc excommunicatorum, Nobis, aut nostro Officiali & Decano, (n) & præcipimus Decanis, quod per totum decanatum suum dictam justitiam, quæ dictam excommunicationem incurrit, denuntient & denuntiari faciant singulis diebus Dominicis & festivis, candelis accensis ac campanis pulsatis publice sic (p) excommunicatam.

XXXIII. Item præcipimus, quod cum laici decimas tenentes, quas non tenent ab Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis ad confessionem venerint, sive sint sani, sive infirmi, Sacerdotes nullatenus absolvant eos nisi promiserint, quod quam cito poterint, illas decimas de nostro consilio resignabunt Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis assignandas; & si promittere noluerint, consulant eis, quod corpus Domini non recipiant in tali statu: intimantes eisdem, quod si illud receperint, magis peccabunt.

XXXIV. Item præcipimus statuendo, ut nullus Sacerdos audeat celebrare Missam, nisi postquam dixerit matutinas, primam Canonicam, & jejuno stomacho & post dormitionem. Sacerdotes cum accedunt ad Missam celebrandam, devote se habeant, & ante Altare dicant devote *Confiteor* suum. Et postquam Sacerdos Missam celebrare inchoaverit, se habeat humiliter & devote, nec fabuletur cum aliis extraneis personis, antequam sit Missa finita, & cum offertur, non inspiciant personas offerentes & maxime mulieres, sed vultum simul habeant fixum versus terram.

CAP.

(g) *Hic articulus XVIII. totus abest a primævo typo Leodiensi.* (h) publico. (i) vulgatissimo. (k) communiter. (l) peccatis. (m) & quemlibet ipsam justitiam. (n) & Decano suo. (o) excommunicationem. (p) esse.

CAP. V. *De Sacramento Altaris.*

I. Sacerdotes in veſtibus albis, mundis, ſacerdotalibus, & benedictis (*q*) accedant ad Miſſam celebrandam. Manipulus habeat in longitudine ſub brachio duos pedes, ſtola ad minus uſque ad paramentum albæ dependeat vel prope extremitatem albæ; alba & caſula (*r*) integra, & non diſſuta obſervetur. Amictus ſæpe mundetur, cingulum mundum, & integrum, & longum, & benedictum habeatur; Presbyteri ſub albis induti ſint ſuperpelliciis, vel tunica linea (*s*) quæ vulgariter *Sarobt*, vel *Rocbet* appellatur.

II. Præcipimus, ut ſingulis quatuor menſibus abluantur, ornamenta Eccleſiaſtica, quæ ablui debent.

III. Non cantent Sacerdotes ſine calceamentis vel caligis cum calceis attingentibus ſuper genua.

IV. Noverint Sacerdotes, quod ſi cum conſcientia peccati mortalis acceſſerint ad celebrandam Miſſam, & celebraverint, ad minus ter peccant mortaliter, primo, quia præſumunt indigne accedere, ſecundo, quia indigni conficiunt & contingunt Euchariſtiam & tenent ſacra vaſa: tertio, quia indigni manducant corpus Chriſti & ſanguinem bibunt.

V. Altare ad celebrandum ad minus paretur duobus pallis (*t*) benedictis.

VI. Duo Corporalia ad neceſſitatem unius altaris ad minus habeantur, quæ ſint mundiſſima, & benedicta, & aptæ plicaturæ.

VII. Pannus, quo calix extergitur, cum veneratione cuſtodiatur. Et in calice etiam ſuper altare, ſicut reliquiæ; cæteri panni, quibus calix, & patena involvuntur, mundi cuſtodiantur.

VIII. Miſſale ſemper involutum camiſia linea & munda altari imponatur, & habeat ſudariolum vel manutergium dependens, quo Presbyteri nares, os, & faciem detergant.

IX. Loca circa altare ab aranearum telis & pulveribus, & cæteris immunditiis ſæpius emundentur.

X. Sacerdotes abluti ante Canonem pollice vel indice nihil tangant (*u*) in Canone præter Corpus Domini, & corporale ante elevationem Corporis Chriſti.

XI. Cortinæ a lateribus altaris utrimque appendantur, nec ab aliquo tempore Sacrificii retrahantur. Cortina conveniens ſurſum ſuper altare extendatur, quæ protegat & defendat altare (*x*) ab immunditiis deſcendentibus.

XII. Calix & patena, in quibus conficitur Corpus Chriſti, ſint argentea, vel aurea, & integra, & calix ſit cum firmo pede, & non titubans.

XIII. Nullus Sacerdos ſine Clerico celebrare præſumat, qui Clericus habeat tunicam lineam, vel ſuperpellicium, vel cappam rotundam, & calceatus incedat.

XIV. Clericus autem & Sacerdos non faciant aperturas ſub aſellis (*y*) in tunica linea, vel ſuperpellicio, quibus ejiciant vel exeant brachia ſine manicis tunicæ lineæ, vel ſuperpellicii in miniſterio altaris.

XV. Ampullæ aquæ & vini integræ, & mundæ intus & exterius obſerventur, & ſigno (*z*) vocabuli diſtinguatur vas vini a vaſe aquæ.

XVI. Vinum ampullæ de tertio in tertium diem ad minus renovetur; vinum rubicundum, ſi commode poſſit haberi, miniſtretur ad celebrandum.

XVII. Piſcina, in qua lavat Sacerdos manus ſuas poſt ſanctam Conſecrationem, munda teneatur, & cooperiatur, & exterſorium poſt illam lotionem mundum habeatur, & reverenter alba tela, vel (*a*) corona linea, vel ſerica tegatur, & cum corporali, cum neceſſe fuerit, abluatur, ab aliquo Sacerdote, vel perſona religioſa, & aqua ablutionis in piſcinam ſacram mittatur.

XVIII. Idem fiat de exterſorio calicis, vel ipſum quando vetus vel minus honeſtum fuerit, ſuper piſcinam ſacram comburatur; & cinis in piſcinam (*b*) radatur.

XIX. Item, habeant Sacerdotes proprium manutergium, quo manus detergant ante celebrationem, vel ante contactum Sacrorum, ut Euchariſtiæ, Chriſmatis, & Olei ſancti.

XX. Clericus autem non extergat, (*c*) ad

(*q*) benedictis, *abeſt.* (*r*) integræ & non diſſutæ obſerventur.
(*s*) quæ, & *reliqua abſunt ab hoc articulo in typo Leodienſi.* (*t*) palliis.
(*u*) in Canone *abeſt.* (*x*) ab incommodis immunditiarum deſcendentium.
(*y*) axellis. (*z*) ſigno notabili, (*a*) cortina linea,
(*b*) recondatur. (*c*) manus ſuas.

ad prædicta manutergia vel exterſoria, ſed habeat aliud proprium.

XXI. Sacerdos ſit diligens in electione hoſtiæ conſecrandæ, ut ſit integra, ſolida, non nimis vetuſta, & in appoſitione vini & aquæ, ut diſcernat odore, quid ſint utrumque, vel ab aliquo faciat guſtu diſcerni. De aqua autem ponantur duæ guttæ vel tres.

XXII. Sacerdotes autem attente & diſtincte dicant & legant in Canone, quæ dicenda ſunt.

XXIII. Sacerdos non elevet hoſtiam ad oſtendendum populo, niſi poſtquam dixerit hæc verba: *Hoc eſt enim Corpus meum*: & tunc pulſetur campana magna tribus ictibus ex una parte, ut fideles, qui audiverint, ubicumque fuerint, adorent.

XXIV. Si Sacerdos, cum venerit ad Conſecrationem ſanguinis, vel ad perceptionem, nihil in calice invenerit, innuat, ut afferatur ei vinum & aqua, quibus appoſitis, dicat illa verba Canonis ab illo loco: *Simili modo, poſtquam cœnatum eſt*, uſque ad finem, & faciat ſignacula, quæ ex tunc ſolent fieri ſupra ſanguinem.

XXV. Illa autem, quæ facta ſunt ſuper Euchariſtiam, non reiteret. Quod, ſi aquam puram invenerit & guſtaverit, Sacramentum non (*d*) reiteret ſanguinis, ſed tranſeat cum conſueto modo.

XXVI. Ille autem, cui per ejus negligentiam hoc evenerit, tribus diebus (*e*) a ſe diſtantibus jejunet in pane & aqua.

XXVII. Si quid vero de ſanguine ceciderit ſuper corporale, vel ſuper pallam altaris, illa pars abſcindatur, & pro reliquiis habeatur, & recondatur, vel comburatur, & cinis in piſcina ſacra ponatur, vel pars corporalis vel pallæ intincta ſanguine, ter diligenter abluatur, & aqua ablutionis a Presbytero jejuno vel alia Religioſa perſona & jejuna ſumatur, & poterit dictis pannis uti, ſicut prius poſt ablutionem prædictam.

XXVIII. Si ſanguis ſupra aliud veſtimentum ceciderit, illà pars abſcindatur, & comburatur, & cinis in ſacra piſcina recondatur: Si ſupra lignum, lapidem, vel terram ſolidam ſanguis ceciderit, illa pars, ſi commode poſſit, a Sacerdote ablinguatur, (*f*) & poſtea radatur, & raſura cum ablutione vini & aquæ a Sacerdote ſumatur, vel combuſta in ſacram piſcinam ponatur.

XXIX. Item ſi in ſanguine (*g*) muſca vel aranea vel aliquid abominabile ceciderit, quod vix ſine vomitu vel periculo corporis poſſit ſumi, caute abſtrahatur ſupra patenam vel alium calicem, & abluatur vino; & poſt ſanguinis ſumptionem & ablutionem ſolitam illa lotio honeſte a Presbyteris ſumatur, vel ſaltem in piſcinam mittatur, & beſtia ſupra piſcinam comburatur.

XXX. Si corpus Domini ſupra pallam ceciderit, bis lavetur vino & aqua, & a Presbytero ſumatur. Si ſupra aliquod veſtimentum ceciderit, pars illa abſcindatur & comburatur, & cinis in piſcinam mittatur.

XXXI. Calix ad communicandum infirmos mundus & integer habeatur, & coopertus cuſtodiatur, & ſi facultas ſuppetat, fiat argenteus.

XXXII. Pixis, in qua Corpus Chriſti reſervatur, vel ad infirmos defertur, eburnea vel argentea, vel ad minus cuprea, bene elimata (*h*), & ſemper pannus lineus, albus, mundus, vel ſericus infra pixidem ponatur, ſupra quem Corpus Domini in pixide collocetur.

XXXIII. Cum infirmus communicari voluerit, prius viſitet eum Presbyter ſine corpore Domini, ſi commode fieri poteſt, & diligenter audiat confeſſionem ejus, & poſt redeat ad Eccleſiam, & cum iturus erit ad infirmum communicandum, prius aliquanto ſpatio pulſetur campana aliquo certo ſigno ad hoc diſtincto, ut fideles ad Eccleſiam veniant, & Sacerdotem, qui defert Dominum ſuum, reverenter & ordinate ſubſequantur, & orationes, quas ſciunt, dicant devote pro infirmo, eundo & redeundo. Sacerdos eat dicendo ſeptem Pſalmos, & ſi via erit longior, addat xv. Pſalmos & Letaniam & orationes.

XXXIV. Incedat autem Sacerdos ad communicandum cum campanula & lucerna præcedente. Exſpectent autem omnes fideles, donec infirmus communicetur, & redeant uſque ad Eccleſiam poſt Sacerdotem ſemper Corpus Domini defe-

(*d*) rejicietur ſanguinis. (*e*) a ſe diſtantibus, *abeſt.* (*f*) abluatur.
(*g*) ſanguinem. (*h*) ſit.

deferentem, ne populus in redeundo in vanum adoret, & ut populus in accedendo cum Deo suo reverentius vel libentius accedat; quilibet fidelis pœnitens, si devote fecerit, habeat quinque dies indulgentiæ pro eundo, & quinque pro redeundo; si qui autem maligni hanc processionem turbaverint, si moniti se non correxerint, per censuram Ecclesiasticam compescantur.

XXXV. Referatur (i) autem Corpus Domini venerabiliter & sublimiter, posito decenti cooperculo, super calice, quod sit cum cruce (k) supposita, & panno fimbriis sericis adornato.

XXXVI. Si infirmus frequentem vomitum levi occasione patiatur, non conferat ei Presbyter Corpus Domini, sed credat infirmus & spiritualiter accipiat.

XXXVII. Ante autem, quam Sacerdos communicet infirmum, Sacerdos dicat ei: *Si credat, quod sub illa forma panis sit Corpus Christi, natum de Virgine, passum in Cruce, suscitatum tertia die?* Quod si confessus fuerit verbo vel signo, communicet eum, si alia causa non obstiterit; alioquin non communicet eum. Si autem communicatus evomuerit, partes corporis diligenter & attente colligantur, & quæ reperiri possunt, cum vino a Sacerdote vel aliquo fideli sumantur, residuum vomitus comburatur & ponatur in terram juxta Altare, vel alibi in sacro loco, ubi commode poterit.

XXXVIII. Cum autem corpus Domini defertur, fideles, coram quibus defertur, si commode fieri possit, genua flectant, pectus (l) tondant, & inclinato capite, junctis manibus adorent. Equitantes autem non dedignentur descendere de equis, ut adorent eum, qui pro ipsis descendit de cœlis in terram.

XXXIX. Si per causam (m) mortis, vel ægritudinis, vel passionis alicujus inopinatum contingat, quod Sacerdos cœptum nequeat explere Mysterium, licitum sit alteri Sacerdoti exequi & perficere consecrationem cœpti officii, ita, quod incipiat ibidem, ubi alter destitit, nisi incepta collecta, necdum perfecta vel perlecta, vel inceptis verbis Sacramenti Eucharistiæ necdum perlectis, (n) prædictus casus contingat: tunc enim a capite collectam vel Sacramenti verba reincipiat, ut sic saluti fragilitatis humanæ consulatur, & sacris Mysteriis, ne inexpleta, & ne interrupta remaneant, provideatur sollicite.

XL. Si autem dubitetur, an hostia a primo Sacerdote sit consecrata, substitutus Sacerdos novam oblatam offerat, & solito more conficiat, & post Missam hostiam primam accipiat; idem dicimus de calice, id est, de eo, quod in calice recipitur. (o)

XLI. Eucharistia pro infirmis reservata, singulis diebus Dominicis renovetur.

XLII. Corpus Domini in honesto loco sub altari, vel in armariolo sub clave sollicite custodiatur. Similiter Chrisma, & Oleum in alio loco.

XLIII. Doceant Sacerdotes subditos suos, ut cum venerint ad communicandum in die Paschæ vel alias, jejuni, & devoti, & confessi accedant, & nullus extraneus, se immisceat, nisi viator, vel peregrinus, & hoc de licentia Sacerdotis.

XLIV. Item hostiæ non consecratæ, quæ dicuntur panis benedictus, nulli dentur, nec etiam parvis pueris. Pueri non communicentur, antequam discretionem fidei habere dinoscantur, ut circiter decennium.

XLV. Item præcipimus, ut in die Paschæ, & cœteris solemnibus, quibus fideles communicant, tot hostiæ consecrentur, quod non oporteat frangi formas, quando fideles communicant.

XLVI. Præcipimus, ut nullus Sacerdos bis in die celebret Missam, nisi ex magna necessitate & urgenti; & tunc in prima Missa post perceptionem sanguinis non utatur ablutione vini & aquæ, sed reservet in tuto & honesto loco, & eam accipiat post secundam Missam, vel det honestæ personæ jejunæ, quam noverit ad hoc esse paratam.

XLVII. Presbyteri non deserviant duabus Ecclesiis, nisi una dependeat ab altera.

XLVIII. Nullus fidelis arcendus est a Communione, nisi excommunicatus, vel interdictus, vel ab aliquo notorio crimine notatus; videlicet publicæ meretrices, mimi, histriones, usurarii notorii.

XLIX. Sacerdotes prohibeant sub pœna excommunicationis subditis suis, ne locent meretricibus vel receptatoribus earum,

(i) Deferatur. (k) superposita. (l) tundant. (m) casum mortis.
(n) *in Leodiensi typo hic est* punctum, *& sequitur*: si. (o) reperitur.

earum, vel turpitudinis mediatoribus domos aliquas: & si qui contra prohibitionem istam fecerint, Episcopo, vel ejus Officiali nomina eorum per Presbyterum nuntientur, & exhortentur Sacerdotes suos Parochianos, ut ipsis Presbyteris denuntient eos vel eas, qui deliquerunt in præmissis.

L. Excommunicamus Sacerdotes, Capellanos, qui scienter accedent ad Missam celebrandum præsentibus publicis excommunicatis.

LI. In Capellis Magnatum, vel aliorum de novo constructis, nisi ex licentia nostra nullus audeat celebrare, quod sub pœna excommunicationis fieri prohibemus.

VI. *De Ordinandis.*

I. Præcipimus statuendo Clericis habentibus Parochias vel Capellanias, vel Præposituras, vel alias curas animarum, ut ad singula tempora ordinum offerant se ordinandos, prout onus beneficii requirit, Episcopo, feria V. ante tempus ordinum etiam non vocati, ut possit interrogare Episcopus vel Archi-Diaconus de his, quæ pertinent ad sufficientiam ordinandi & hoc jurare debent, quando recipiuntur ad Parochias vel ad Ecclesias. Præsententur ordinandi Episcopo per Archi-Diaconos suos.

II. Statuimus, quod cedant fructus Parochiarum & Capellaniarum eorum, qui in propriis personis & in ordine Sacerdotali ibidem non deserviunt, & eorum, qui curam parochialem de manu Prælati sui non receperunt ad opus nostri (*p*), Archi-Diaconorum, seu aliorum, secundum quod se habet de consuetudine hactenus in nostra Diœcesi observata.

III. Excommunicamus, & excommunicatos denuntiamus omnes illos, qui fructus Ecclesiarum, Parochialium & Capellaniarum & Altarium earumdem, in quibus Rectores earum personaliter non deserviunt, pro illis temporibus Nobis, Archi-Diaconis & Decanis competentes receperint & levaverint præter Nostram, Archi-Diaconorum & Decanorum voluntatem.

IV. Excommunicamus etiam omnes, qui fructus Ecclesiarum Parochialium Capellaniarum vel Altarium, in quibus Rectores earum personaliter non deserviunt, pro illis temporibus levaverunt, & receperunt contra voluntatem nostram, Archi-Diaconorum, seu Decanorum, nisi infra mensem proximum satisfecerint de receptis.

V. Præcipimus Decanis, ut singuli in suis decanatibus de hujusmodi diligenter inquirant, & eos ad notitiam nostram referant, Officialis nostri vel Archi-Diaconi.

VI. Omnes ordinandi diligenter ante ordines confiteantur, ut mundi mente & corpore gratiam recipiant ampliorem.

VII. Præpositi & Decani, qui curam habent animarum ad sacros ordines, secundum quod beneficium requirit, se præsentent, & in Ecclesiis debitam faciant residentiam.

VIII. Excommunicamus omnes illos, qui tonsuram clericalem & quoscumque ordines sacros vel non sacros ab alienis Episcopis receperint, licentia nostra speciali super hoc non obtenta.

IX. Item excommunicamus omnes illos extraneos, qui a nobis, seu vices nostras gerente in nostra Diœcesi tonsuram Clericalem vel quoscumque ordines sacros vel non sacros furtive susceperint sine licentia Episcoporum suorum.

X. Item excommunicamus omnes illos, qui tonsuram clericalem ab alieno Episcopo sine nostra licentia susceptam deferre præsumpserint, vel radi fecerint nostra licentia super hoc non obtenta, etiamsi ab excommunicatione, quam ob hoc incurrerint, fuerint absoluti.

XI. Item præcipimus, quod nullus accedat ad ordines, nec per Archi-Diaconum præsentetur ordinandus, nisi ætate, moribus & scientia dignus existat, & sub certo titulo.

XII. Item nullus admittantur ad titulum Vicariæ, nisi sit perpetua Vicaria, a qua non possit amoveri.

VII. *De extrema Unctione.*

I. Cum reverentia, aqua benedicta, & cruce deferatur oleum sanctum ad infirmos, & diligenter dicantur VII. Psalmi prius cum Litania & orationes ad hoc institutæ: ille autem, qui inungit, proferat ista verba: *Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus,*

(*p*) nostrum Archi-Diaconi, Decanorum, & aliorum.

Deus, quidquid peccâsti per visum, & sic de aliis, & reverenter inungat, & verba distincte proferantur, & inde penitus nihil exigatur, & siquid datum fuerit, gratis recipiatur. Tamen consuetudo laudabilis observetur per Episcopum.

II. Item ad Sacramentum extremæ unctionis sæpe Presbyteri moneant populum, ut indifferenter a XIV. annis & supra, singuli, cum necesse fuerit, inungantur. Nec pauperes pro egestate se excusent.

III. Si non possit infirmus habere multitudinem candelarum, vel indumenta linea, quæ causa reverentiæ in hoc Sacramento haberi solent, non propter hoc dimittat Sacerdos inungere, sed sufficiat candela una.

IV. Inuncti cum stupa diligenter in singulis membris extergantur, & stupæ comburantur, & cinis in sacro loco reponatur.

V. Doceant Sacerdotes, quod hoc Sacramentum licite potest iterari in qualibet gravi & periculosa infirmitate.

VI. Item suscepturi quodcunque Sacramentum, prius confessione mundentur, istud Sacramentum valet ad tres, unde versus.

Ungor in extremis, ut sit mihi gratia major.
Et morbus levior, vel pœnitentia minor.

VIII. *De Cimiteriis, & Sepultura.*

I. Præcipimus & statuimus, quod nullus excommunicatus nuntiatus in cimiterio Ecclesiæ vel ipsa Ecclesia, vel ambitu sepeliatur; & si factum fuerit, corpus & ossa ejus excommunicati extumulentur, & ejiciantur ex cimiterio, dummodo discerni possint a corporibus & ossibus fidelium, & cimiterium, in quo corpus excommunicati sepultum est, maneat & sit interdictum, donec excommunicati corpus, si discerni possit, extumuletur.

II. Et præcipimus omnibus tam religiosis, quam aliis, dum ad ipsos aliquis, qui sepulturam suam elegerit, debeat sepeliri, interrogent a Sacerdote suo diligenter, utrum sepeliendus decesserit excommunicatus vel interdictus. Quod si per Presbyterum aut alias ipsis constiterit, nullo modo sepeliant corpus excommunicati vel interdicti in cimiterio Ecclesiæ vel ejus ambitu.

III. Item prohibemus sub pœna excommunicationis, ne aliquis in cimiterio interdicto sepeliatur, & ne aliquis sepulturæ tali intersit.

IV. Laici autem qui tali sepulturæ in cimiterio interdicto interfuerint scienter, excommunicationis sententiam, quam super hoc ferimus in his scriptis, incurrant ipso facto, & nuntientur publice excommunicati.

V. Clerici vero, qui interfuerint tali sepulturæ scienter, sententiam suspensionis ab officio, quam in eos ferimus ipso facto, se noverint incurrisse.

VI. Item statuimus & præcipimus sub pœna excommunicationis observari, ut quotiens quis in loco religioso sepulturam elegerit, corpus primo præsentetur parochiali Ecclesiæ, & tunc demum celebrata Missa Ecclesia in Parochiali, deferatur in locum, in quo elegerit sepulturam: & hoc nihilominus fiat salvo in omnibus jure Ecclesiæ Parochialis defuncti.

VII. Item cum a pluribus Sacerdotibus intelleximus; quod quidam religiosi (q) fraudulenter in damnum, & præjudicium Ecclesiarum Parochialium incitant & inducant infirmos divites & potentes precibus & promissionibus ad eligendum apud eos suam sepulturam: ut per hoc ipsi religiosi vel alii, apud quos tales sepulti fuerint, habeant magnam partem bonorum mortuorum, & munera parentum eorumdem (r) ex quibus Ecclesiæ Parochiales suis juribus defraudantur. Nos sub pœna suspensionis & excommmunicationis talia de cetero fieri prohibemus. Sed si ipsi infirmi sine fraude & sine dolo & precibus talibus suam ad locum religiosorum aut alias elegerint sepulturam, ibidem sepeliantur, salvo tamen jure parochialis Ecclesiæ, ut dictum est.

VIII. Et nos omnibus eligentibus suam sepulturam ad suam Parochialem Ecclesiam quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus.

IX. Sacerdotes audito obitu parochianorum suorum, absolvant eos statim cum Psalmo: *De profundis*, & Collecta, & dicant Vigilias, & alia, quæ defunctis debentur.

x. Cor-

(q) & alii multi lucris magis, quam devotioni inhærentes per se vel per alios.
(r) assequantur.

x. Corpora defunctorum de nocte in domibus non custodiantur, sed ad Ecclesiam deferantur, & omnibus exclusis ostia firmentur factis orationibus, & aliis, quæ in talibus fieri consueverunt.

xi. Item, Decani referant ad Synodum nomina Sacerdotum, qui eodem anno defuncti sunt, ut in Synodo absolvantur, & singuli Presbyteri faciant pro eis speciale servitium, ut similiter pro eisdem fiat tempore opportuno.

xii. Item, præcipimus, quod Sacerdotes in reditu de Synodo ad suas parochias unusquisque Sacerdos quam cito commode poterit, cantet Missam solemniter pro Sacerdotibus defunctis in illo anno.

xiii. Item statuimus, quod omnes Presbyteri annuatim in crastino octavarum Paschæ solemniter observent & celebrent anniversarium Sacerdotum omnium suorum & fratrum, & nuncient populo Dominica præsenti, quod quicumque anniversario prædicto intererit, si pœnitens fuerit, ei decem dies indulgentiæ concedimus.

xiv. Item statuimus, quod omnes portantes corpora pauperum mortuorum ad Ecclesiam & ad fossam, & omnes, qui intererunt sepulturæ eorumdem, habeant XX. dies & qui extremæ unctioni intererunt, habeant decem dies similiter indulgentiæ.

xv. Item cimiteria munda clausa muris, & sepibus vel aliis teneantur, ne a porcis vel aliis animalibus inquinentur.

xvi. Excommunicamus omnes illos, qui de novo in Ecclesia ædificaverint. Siquis partem cimiterii sibi attraxerit, vel appropriaverit, moneatur, ut restituat, quod si noluerit, Episcopo nuntietur. (s)

xvii. Nullus Presbyter pro sepultura, vel quocumque Ecclesiastico Sacramento conferendo aliquid exigat vel petat. Sed si sibi postea datum fuerit, illud Presbyteri recipere possunt, sed si in aliqua Parochia de consuetudine antiqua aliquid Presbytero consuevit dari, dum Sacramenta Ecclesiastica exhibuerit, vel aliquem sepelierit, & illud Presbytero non conferatur, denunciet ipse Presbyter Nobis vel nostro Officiali, vel Archi-Diacono loci, & nos vel ipsi talem consuetudinem laudabilem faciemus ex officio nostro observari.

xviii. Item, prohibemus, ne placita sæcularia in Ecclesia vel in porticu, vel in cimiterio ejusdem teneantur, & omnes processus judicum sæcularium, & specialiter sententias prolatas in eisdem locis a sæcularibus judicibus declaramus & pronunciamus ipso facto non tenere.

xix. Præcipimus etiam sub sententia excommunicationis omnibus Principibus & aliis laicis, ne sua parlamenta habeant vel teneant in Ecclesiis, vel earum cimeteriis, & quod nullus negotiationes, & præcipue nundinarum & fori cujuscumque tumultus exerceat in Ecclesiis vel earum cimiteriis.

xx. Præcipimus etiam, quod joculatores, histriones, saltatrices in Ecclesia, cimiterio, vel porticu ejusdem, vel in processionibus, vel in rogationibus joca vel ludibria sua non exerceant, nec in dictis locis aliquæ choræ fiant.

xxi. Item, statuimus, quod in Ecclesiis civitatis & Diœcesis Leodiensis laici, de cætero sæcularia, vel alios contractus sæculares non exerceant, nec merces vendantur ibidem, cum Domus Dei non negotiationis, sed orationis esse debeat, & vocari, alioquin ab his, qui Ecclesiis præerunt, excommunicentur.

IX. *De Matrimonio.*

i. Præcipimus Presbyteris, quod prohibeant subditis suis, ne dent sibi fidem de Matrimonio mutuo contrahendo, nisi coram Sacerdote alterius eorum, qui voluerit contrahere in loco celebri & publico, non in cameris, non in domibus, sed coram pluribus in facie Ecclesiæ, nisi sint tales personæ, quod Presbytero loci ex causa ad alium locum hoc visum fuerit expedire. Et si aliter fidem dederint de Matrimonio contrahendo, eos excommunicamus & eos etiam, qui clandestinas nuptias contrahunt, & tales denuncientur excommunicati. Et si aliqui sibi fidem dederint de Matrimonio contrahendo, sine Presbytero, & in Matri-

(s) Nullus Presbyter pro mercede sepulturæ corpus sepelire dimittat, neque purificationes puerperæ aliqua mala occasione differat, & nullus Presbyter pro sepultura &c.

Matrimonio poſtea voluerint procedere ulterius per Eccleſiam, coram Sacerdote fidem iterent. Et tunc Presbyter procedat ad proclamationem bannorum.

II. Cum autem Matrimonia fuerint celebranda, contrahentes prius coram Sacerdote contrahant, ſponſalia & poſtea tribus diebus feſtivis a ſe diſtantibus ſuper dicto Matrimonio contrahendo banni fiant in Eccleſia ad Miſſam poſt Evangelium & proclametur publice a Sacerdote, quod dicti contrahentes Matrimonium ſunt contracturi, & præcipiatur ab ipſo Sacerdote omnibus audientibus ſub pœna excommunicationis, ut, ſiqui ſciant legitimum impedimentum inter ipſos contrahere volentes, quare ad Matrimonium procedere non poſſint, videlicet conſanguinitatis, affinitatis vel compaternitatis, vel quodlibet aliud, quod id proponant, & id denuntient Presbytero, antequam Matrimonium contrahatur, & ipſi Presbyteri nihilominus inveſtigent diligenter, utrum aliquod impedimentum exiſtat, cum autem apparuerit probabilis conjectura contra matrimonium contrahendum, ad Matrimonium contrahendum non procedat Presbyter; & ipſis contrahere volentibus expreſſe Presbyter interdicat, ne procedant ad Matrimonium, donec, quid fieri debeat de præmiſſis, per Epiſcopum ſeu ejus Officialem, Archi-Diaconum, vel alium, qui in talibus cognoſcere poſſit, & conſuevit, declaretur, & tunc Presbyter contrahere volentes, & denuntiatorem, (*t*) ſi per eam ſe facere voluerint, citet coram Nobis, vel noſtro Officiali, Archi-Diacono, vel alio, ut ſupra, & quid ſuper hoc per ipſum Presbyterum actum fuerit in proclamationibus & aliis, & cauſam, quare ad Matrimonium non procedit, per literas ſuas ſignificet idem Presbyter Nobis vel noſtro Officiali, vel aliis, ut ſupra, & ſignificet Presbyter ſuis parochianis, quod quicumque impedimentum aliquod ſcit, vel famam ſuper hoc, quod mortaliter peccat, ſi hoc, antequam Matrimonium contrahatur, non denuntiat.

III. Excommunicamus & excommunicatos denuntiamus, qui poſt affidationem clandeſtinam, vel etiam in manu Presbyteri factam, antequam Matrimonium in conſpectu Eccleſiæ cum ſolemnitate debita ſit contractum, carnaliter ſe cognoſcunt.

IV. Item excommunicamus & excommunicati denuntientur, qui clandeſtina conjugia contrahunt. Item excommunicamus & excommunicati denuncientur, qui poſtquam eis per Presbyterum loci, vel Officialem noſtrum, ſeu loci Archi-Diaconum interdictum ſit, ne Matrimonium contrahant, nihilominus contraxerunt Matrimonium.

V. Excommunicamus & excommunicatos denunciamus Sacerdotes, Clericos, ſive laicos, vel etiam mulieres, & quoſcumque, qui aliquas perſonas clandeſtine modo prædicto præſumpſerint copulare.

VI. Item excommunicamus & excommunicati denuntientur, quicumque clandeſtinis Matrimoniis coram Presbytero vel aliis celebratis interfuerunt, niſi infra menſem ex tunc hoc denuntient Epiſcopo, vel ejus Officiali, Archi-Diacono, vel aliis &c. & nihilominus pœna debita puniantur.

VII. Item excommunicamus & excommunicatos denunciamus illos, qui fidem vel munera aliqua dederint ſeu acceperint pro celandis impedimentis Matrimonii, vel qui prece, pretio, gratia, favore, odio, vel timore impedimentum Matrimonii celaverint.

VIII. Item excommunicamus omnes illos, qui quomodolibet falſum impedimentum proponunt contra Matrimonia contracta vel contrahenda. Siqui vero clandeſtina Matrimonia, vel interdicta conjugia inire præſumpſerint in gradu prohibito, etiam ignorantes, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur, de Parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium; ſimiliter proles illegitima cenſeatur, ſi ambo parentes (*u*) ſcientes impedimentum legitimum, propter quod inter eos Matrimonium ſtare non poſſit, & nihilominus Matrimonium etiam in faciem Eccleſiæ contraxerint.

IX. Excommunicamus etiam & excommunicatos denuntiamus quoſcumque, qui rapuerunt aliquas mulieres, & abducunt invitas ad hoc, quod eis cohabitent, vel Matrimonium contrahant cum

(*t*) ſi ſe partem facere voluerit.

(*u*) ſciverint.

cum eisdem, licet poſtmodum de non volentibus fiant volentes. Et cum Matrimonia debeant eſſe libera, prohibemus ne pœna aliqua apponatur ſuper Matrimonio contrahendo, & pœnam appoſitam in Matrimonio declaramus non tenere, & ad eam ſolvendam pœnam promittentes non eſſe obligatos, cum Matrimonia metu pœnæ adſtringi non debent. Si qui autem ad invicem dederint fidem de Matrimonio contrahendo per verba de futuro, & ante carnalem copulam fidem velint remittere, non fiat hujusmodi remiſſio, niſi per Epiſcopum, ejus Officialem, vel Archi-Diaconum loci.

x. Presbyteri pro dandis literis teſtimonialibus nihil recipient, ſed ſolum pro labore ſcripturæ, ſigillatione & cera tres albi ſufficient.

xi. Excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes illos, qui contra Matrimonium contractum vel contrahendum ſortilegia vel maleficia procurant, vel per ſortilegium & maleficium faciunt vel conſilium ad hoc dant, quod conjuges ſe odio habeant, vel quod unus cum alio coire non poſſit.

xii. Matrimonia cum devotione contrahentium & benedictio nuptiarum in Miſſa hora debita celebrentur, nuptiæ non celebrentur niſi hora Miſſæ, & & conjuges in nuptiis celebrandis audiant totam Miſſam.

X. *De vita & honeſtate Clericorum.*

i. Præcipimus, quod univerſi Clerici & Presbyteri continenter & caſte vivant, a libidinis vitio præcaventes, quatenus in conſpectu Omnipotentis Dei puro corde & mundo corpore valeant adminiſtrare. Et qui comprehenſi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis vel minus peccaverint, ab eorum Ordinariis ſeu Prælatis puniantur; alioquin nos Prælatorum negligentiam ſupplebimus, & tales puniemus.

ii. Præcipimus etiam Prælatis eorum ſub pœna ſuſpenſionis, quod tales Clericos in ſuis iniquitatibus non ſuſtineant, maxime obtentu pecuniæ vel alterius commodi temporalis.

iii. Ab crapula & ebrietate Clerici omnes diligenter abſtineant.

iv. Præcipimus etiam omnibus Clericis ſub pœna ſuſpenſionis, & maxime Sacerdotibus & in ſacris ordinibus conſtitutis, ne feminam aliquam in domo ſua teneant, vel habeant, niſi ſorores, matres, amitas aut materteras vel filias earum, ſive avunculorum aut patruorum, aut alias ita maturas & antiquas, quod nulla ſuſpicio de illis habenda ſit. Antiquas autem reputamus ſexagenarias & ultra.

v. Prohibemus etiam ipſis Clericis ne mulieres alias a ſupradictis domus eorum frequentare, aut eisdem in domibus ſervire permittant, licet in eis (*a*) morentur.

vi. Clerici tonſuram & habitum habeant clericales & coronam rotundam competentem, & ſepties ad minus in anno radant coronam.

vii. Monemus primo, ſecundo, & tertio omnes Clericos noſtræ civitatis & Diœceſis Leodienſis, ut infra menſem proximum tonſuram & habitum habeant clericales, & ulterius portent & deferant competenter. Alioquin omnes & ſingulos Clericos ex tunc ulterius tonſuram & habitum clericales continue non gerentes, poſt monitionem ternam ſpecialiter factam, denunciamus gaudere non debere privilegio clericali, & ipſum privilegium amittere.

viii. Continue autem reputamus Clericos portare tonſuram & habitum clericales, qui in civitates, (*b*) vicos, Eccleſias, & alibi coram notis & ignotis palam portant eoſdem. Veruntamen ſi Clericus per vias vel loca aliqua procedens ad vitandum pericula, de quibus merito timere debuit, (*c*) tonſuram & habitus clericales diſſimulaverit & non portaverit, hujuſmodi privilegium non amittit.

ix. Clerici pannis rubeis, viridibus, & virgulatis indecentis menſuræ non utantur ſine cauſa; alioquin eos a laicali juſtitia ratione clericalis privilegii non defendemus.

x. Sacerdotes cappis manicatis non utantur. (*d*)

xi. Clerici in ſacris ordinibus conſtituti & beneficiati mitras non habeant in capite, dum ſunt in Eccleſia.

xii. Clerici ad aleas vel taxillos non ludant,

(*a*) non morentur. (*b*) civitate, vico, Eccleſia. (*c*) deberet.
(*d*) Alioquin a laica juſtitia ratione clericalis privilegii non defendemus.

ludant, nec participes ſint ludentibus ; & ſint Clerici in Eccleſia honeſte & ſine tumultu. Sine verboſitate & ſuſurratione nec habeant in domibus ſuis canes vel aves venaticos.

XIII. Item ſtatuimus, quod quicumque Sacerdotes ſeu Clerici beneficiati ſententiam ſuſpenſionis vel excommunicationis per annum & diem animo ſuſtinuerint indurato, beneficiis ſuis priventur per ſuos Ordinarios, & alias nihilominus propter hoc Canonice puniantur,

XIV. Item, ſtatuimus, ut Clerici ubique & maxime in Divinis officiis decenter & diſtricte ſe habeant, & tales ſe in moribus, vita, & converſatione, verbis, factis, ſocietatibus, corporis compoſitione & quibuscumque honeſtatibus exhibeant, ut verecundia, quæ etiam laicis eſt indicta, in ipſos (e) Clericos commendetur.

XV. Nullus Clericus in ſacris ordinibus conſtitutus vel beneficium habens Eccleſiaſticum, horas Canonicas & Beatæ Mariæ qualibet die diſtricte & diſcrete dicere prætermittat.

XVI. Item, ſtatuimus, quod nec Canonici, nec Clerici vagentur tempore nocturno per plateas, & ſi aliquos tranſire oporteat ex juſta & legitima cauſa, hoc faciant ſine clamore, ſine tympanis & chorea, & præcipimus, quod contrarium facientes exccommunicentur.

XVII. Nullus Presbyter dicat Miſſam, niſi unam in die & præcipue de die, niſi in caſibus a jure permiſſis vel hoc faciat neceſſitate imminente, utpote Miſſam pro defunctis, nec celebret Presbyter ſine Clerico vel Scholari, nec mulier permittatur aliquatenus ad Altare miniſtrare.

XVIII. Item, ſtatuimus, quod nequaquam laicus vel Clericus uxoratus inſtituatur matricularius, ubi matricula valet LX. Solidos Leodienſes vel amplius, ſed Clericus honeſtus, non uxoratus, ſi haberi poſſit. Et ſi in aliquibus Eccleſiis ſit laicus vel uxoratus Clericus matricularius, ille rejiciatur & recipiatur Clericus non uxoratus, & ubicumque haberi poſſit Clericus, non recipiatur laicus.

XI. *De Ordinario & feſtis.*

I. Item, ſtatuimus, ut in omnibus Eccleſiis noſtræ Diœceſis ſingulis noctibus in matutinis Pſalmi nocturnales, ſive feriales decantentur vel legantur ad nocturnos, niſi ea die ſit tale feſtum, quod Miſſam propriam habeat, vel collectam. Invitatoria reſponſoria & laudes, ac horæ diei de Sancto, cujus eſt feſtum, cantentur, quemadmodum in majori Eccleſia ſervatur.

II. Item, diſtricte præcipimus ſub pœna excommunicationis tam Decanis conventualium Eccleſiarum quam Sacerdotibus, & aliis civitatis & Diœceſis Leodienſis, quod Calendaria Eccleſiarum ſuarum corrigant ad Calendarium ejuſdem Eccleſiæ majoris Leodienſis, & Ordinarium (f) habeant & teneant majoris Eccleſiæ Leodienſis, & ſe in Divinis officiis celebrandis & faciendis, & in Ordinario conforment dictæ majoris Eccleſiæ tanquam membra ſuo Capiti, ſuo modo & ſuo poſſe. Volumus tamen, quod quælibet Eccleſia feſtum cujuslibet Sancti, cujus ſpecialiter in illa Eccleſia ſolet haberi reverentia, obſervet, prout hactenus conſuevit.

III. Item, ſtatuimus, quod quandocumque aliquod feſtum IX. lectionum occurrerit in Dominica infra quadrageſimam, vel adventum, dictum officium Dominicæ tam diurnum, quam nocturnum fiat in Dominica, & officium feſti transferatur uſque ad feriam ſecundam proxime ſequentem, & tunc fiat plenarie, nec tamen populo præcipiatur, quod dicta feſta celebret.

IV. Item, ſtatuimus, ſi feſtum Annunciationis venerit in Dominica *Lætare Jeruſalem* ſeu Dominica in Paſſione, tunc differtur uſque ad ſecundam feriam, & populo præcipiatur, & ſecunda feria feſtum Annuntiationis celebretur. Quando autem Annunciatio venerit in Dominica ſeu hebdomada Palmarum, tunc anticipabitur in Vigilia Palmarum, & celebrabitur. Quando autem venerit in hebdomada Paſchali videlicet feria ſecunda, tertia, vel quarta, anticipabitur in Vigilia Palmarum & celebrabitur.

V. Item, ſtatuimus, quod feſtum Trinitatis Dominicæ poſt octavam Pentecoſtes, quæ vocatur octava Trinitatis cum

(e) ipſis Clericis. (f) *Ordinarius*, dicitur liber, in quo ordinatur modus Divinum Officium ſolemnizandi: Nos vocamus Breviarium & Miſſale.

cum IX. Lectionibus, & debita ſolemnitate fiat. In hebdomada vero præcedente, videlicet ab octava Pentecoſtes in ſecundis veſperis uſque ad prædictam Dominicam cantetur & legatur de Trinitate, prout hactenus conſuevit, & poſt dictum feſtum Trinitatis per hebdomadam ſequentem cantetur officium Dominicæ ſcilicet *Domine ne in ira* &c. & & quinta feria ejuſdem hebdomadæ fiat ſolemniter feſtum Euchariſtiæ, prout hactenus a noſtris anteceſſoribus ſunt ſtatuta.

VI. Item, ſtatuimus, prout anteceſſores noſtri ſtatuerunt, quod in feſto Annunciationis & in feſto Purificationis B. Virginis, quando infra ſeptuageſimam evenerint, *Te Deum*, *Gloria in excelſis*, & *Sequentia* cantentur.

VII. Item, ſtatuimus, prout in Eccleſia Leodienſi obſervatur, quod per totam Diœceſim in ſingulis Eccleſiis celebrentur cum IX. Lectionibus feſta S. S. Gregorii, Benedicti, Ambroſii, Barnabæ, Dominici, Auguſtini, Jeronymi, Franciſci, Lucæ, Leonardi, & undecim millium Virginum. Nolumus tamen, quod populus in dictis feſtis ceſſet ab operibus ſuis.

VIII. Feſta etiam, quæ per totum annum nos præcipimus celebrari, ſunt hæc: *In Januario*: feſta Circumciſionis, Epiphaniæ, Converſionis S. Pauli. *In Februario*: feſta Purificationis, Cathedræ S. Petri, Matthiæ Apoſtoli. *In Martio*: feſtum Annuntiationis. *In Aprili*: nullum, niſi Paſcha. *In Majo*: feſtum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, Inventionis S. Crucis. *In Junio*: Nativitas B. Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli Apoſtolorum. *In Julio*: feſta S. Magdalenæ, Jacobi Apoſtoli. *In Auguſto*: feſta S. Petri ad Vincula, Laurentii, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, B. Bartholomæi Apoſtoli. *In Septembri*: Nativitatis B. Virginis, S. Lamberti, S. Matthæi Apoſtoli, S. Michaëlis. *In Octobri*: feſta S. Dionyſii, Ss. Simonis & Judæ. *In Novembri*: feſtum omnium Sanctorum, S. Huberti, S. Martini, Catharinæ & Andreæ. *In Decembri*: Sancti Nicolai, S. Thomæ, Nativitatis Domini, S. Stephani, & Joannis Evangeliſtæ, Sanctorum Innocentium. Feſtum Paſchæ Domini quocunque menſe accidat cum tribus diebus, & feſtum Pentecoſtes cum tribus ſequentibus ſolemniter celebrentur. Quælibet Eccleſia feſtum ſui Patroni, & ſuæ dedicationis celebret in ſua Parochia. Omnia vero alia feſta, exceptis prædictis non præcipiantur celebrari, nec proclamentur in Synodo, qui ea infringunt, ſed in ipſis devotioni hominum relinquatur; ita quod, qui noluerit ea celebrare, propter hoc nec pœnam incurrat, nec culpam; proviſo tamen, quod in Eccleſia eorum fiant officia a Clericis & Sacerdotibus modo debito & conſueto.

IX. Item præcipimus omnibus Sacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis excommunicationis, quod feria ſecunda & tertia ante diem cinerum ab eſu carnium abſtineant.

X. Item, ſtatuimus, quod in omnibus vigiliis, præterquam in vigiliis Joannis Evangeliſtæ, Philippi & Jacobi jejunetur. Et hoc Presbyteri præcipiant populo ſibi ſubjecto & in vigiliis omnium Sanctorum, Natalis Domini, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis jejunetur, & a lacticiniis abſtineatur.

XI. Item præcipimus omnibus Clericis uxoratis, qui beneficia Eccleſiaſtica detinent, quod infra menſem proximum poſt præſentis Synodi celebrationem reſignent ea, quod ſi forte neglexerint, ipſos excommunicamus & excommunicatos denuntiamus.

XII. *De bigamis.*

I. Item, præcipimus omnibus, qui fuerint Clerici & bigami ſunt effecti, quod tonſuram & habitum non deferant Clericalem: alioquin non ipſos excommunicamus, cum bigamus gaudere non debeat privilegio clericali.

II. Excommunicamus etiam & excommunicatos denunciamus omnes laicos & alios quoscumque, qui Clericos deaſſecuraverint, maxime coram ſuo judice, volentes facere juſtitiæ complementum niſi infra octo dies eoſdem aſſecurent, & a præmiſſis deſtiterint, & ulterius talia non attentaverint.

III. Et nos omnibus judicibus Eccleſiaſticis, Decanis Capitulis, Archi-Diaconis & aliis, præcipimus, quod cele-

celeriter laicis de Clericis faciant justistitiæ complementum. Alioquin Nos & Officialis noster justitiam faciemus.

IV. Item, cum in aliquibus locis Clerici in illo loco potentes consanguineos & amicos suos seu alios ad hoc inducunt, & incitant precibus, pretio, seu nutu vel signis, quod aliis Clericis minas inferant, vel noceant, eosdem lædant seu gravent; nos errori talium obviare volentes excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes illos Clericos, qui ulterius talia fecerint, & omnes illos, qui amicis suis consanguineis, & aliis mandaverint, præceperint vel injunxerint, incitaverint prece, pretio, nutu, vel aliquibus signis, vel ratum habeant, quod Clericis minas inferant, noceant, vel ipsos lædant in corpore vel rebus, nisi tales Clerici infra quindenam a tempore præsentis Synodi præmissa revocent, & faciant, quod propter ipsos talibus Clericis mala non fiant, & omnes etiam illos, qui de cetero talia facere præsumpserint, vel consilium seu auxilium adhibuerint.

V. Item prohibemus, ne Clerici exerceant negotia turpia & officia inhonesta, quæ non decent Clericos, qualia sunt hæc: Usura, & omnes species usuræ, turpis quæstus, scilicet cum aliquid carius venditur, sive propter diem, sive propter terminum. Officium cambitoris, (g) carnificis, (h) tabernarii, procenetæ, (i) fullonis, sutoris, textoris, nec sint histriones, joculatores, ballivi, forestarii sæculares, goliardi, thelonearii, unguentarii, triparii, molendinarii. Si vero Clerici aliqui officia talia exercuerint, a suo Prælato super hoc puniantur.

VI. Item nullus Presbyter permittat aliquem prædicare in Ecclesia vel Parochia sua, nisi sit authentica persona, vel de ordine Prædicatorum vel Fratrum Minorum, & habeat licentiam suorum Priorum vel Ministrorum suorum, vel licentiam super hoc a Nobis habeat specialem.

VII. Item statuimus, ut corpus Domini servetur tam in conventualibus Ecclesiis, quam etiam in Parochiis.

VIII. Item statuimus propter apostatas, desertores, (k) & vagos & ignotos Clericos, de quibus an Sacerdotes sint vel quales, non immerito dubitatur, ut nullus Rector Ecclesiæ vel Altaris tacite vel expresse aliquem admittat in socium, vel ad celebrandum Sacramentum, vel ad Divinum Officium exercendum, nisi notum de ordinibus, moribus, & conversatione, & alias commendatum, & si omnino extraneus vel peregrinus fuerit, per Nos, Officialem nostrum, seu loci Archi-Diaconum cum examinatione debita approbatus, & admissus ad hujusmodi officia exercenda admittatur. Et si quis Rector Ecclesiæ vel Altaris aliquem contra hoc admiserit, suspensus sit propter hoc ipso facto, eo salvo, quod honestæ personæ peregrinantes, qui non quæstu, sed pietatis & devotionis intuitu Missam dicere volentes, admitti poterunt, si requirant.

IX. Item, cum intellexerimus, quod quidam laici Capellas & Altaria in Ecclesiis construxerunt propria authoritate & sine licentia Episcopi sui, & easdem Capellas vel Altaria dotare non curant, sed de anno ad annum, de mense ad mensem, vel de tempore ad tempus conducunt Presbyteros vagabundos pro pretio, quanto potuerint, minori ad celebrandum in ipsis Capellis vel Altaribus, tales Presbyteros instituendo & removendo pro eorum voluntate: Nos talia sub pœna anathematis fieri prohibemus: præcipientes Rectoribus Ecclesiæ, sub quibus tales Capellæ vel Altaria consistunt, quod moneant illos, qui tales Capellas vel Altaria construxerunt, ut ipsas vel ipsa dotent, alioquin ipsos competenti monitione præmissa excommunicent, & nomina eorum Nobis, vel Officiali nostro remittant, & in ipsis Capellis ac Altaribus, quousque dotentur, aliquatenus Officia Divina celebrari non permittant, nisi per suum Archi-Diaconum.

XIII. *De Statu Religiosorum.*

I. Statuimus, ut nullus Monachus vel Monialis claustrum suum exeant per civitates, villas, & oppida discurrendo, aut in villa Monasterio adjacente comedere audeant, nisi ex causa rationabili & urgente, & id tunc fiat cum Prælati sui licentia (l) principali; quam licentiam Prælati non dent, nisi evidens & justa sit causa, & non possit sine scandalo denegari.

II. Item

(g) Campsoris. (h) carnificii. (i) procenetæ *abest.*
(k) discursores. (l) licentia speciali.

II. Item sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus, ut omnes Religiosi, sed præcipue Moniales, quicumque (*m*) fuerint constituti, habitum ferant secundum regulam eorumdem.

III. Item statuimus & præcipimus, quod Presbyteri & Decani rurales obediant Archi-Diaconis suis in omnibus licitis & honestis, eorum jura & nostra observent & faciant observari. Nolumus etiam, quod jura Archi-Diaconorum nostrorum per aliquos impediantur.

IV. Item sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus omnibus Monachis, Monialibus & Canonicis regularibus, cujuscunque ordinis nostræ civitatis & Diœcesis existant, ne habeant proprium nec pecuniam habeant, nisi, cui hoc permittitur, ratione officii vel administrationis sibi commissæ.

V. Item nullus Religiosus fidejubeat, vel pecuniam mutuo accipiat sine licentia sui Abbatis & Conventus: alioquin Abbas & Conventus non tenebuntur respondere, nec obligati erunt ex contractu hujusmodi; & nos omnes Religiosos fidejubentes, seu mutuum recipientes, vel contrahentes sine licentia Abbatis & Conventus, ipso facto suspendimus. Caveant ergo sibi laici & alii, ne de cetero cum talibus contrahant, & præcipimus omnibus Presbyteris hæc statuta in Ecclesiis suis pluries publicare.

VI. Item præcipimus, quod de cætero nec Monachi nigri, vel Canonici regulares in hiscis (*n*) vel tabardis equitent vel incedant, sed tantummodo in cappis rotundis vel cucullis: & si quis ex eis contra hoc fecerit, ipso facto ab ingressu Ecclesiæ tam diu sit suspensus, donec a Nobis beneficium absolutionis obtinuerit.

VII. Item statuimus, ut nigri Monachi in suis Monasteriis habeant statuta felicis recordationis Domini Gregorii Papæ, & ea observent, & Abbates eorum faciant observari, & frequenter in suis capitulis publicari.

VIII. Item statuimus, quod Religiosi, cujuscumque religionis existant, de cætero novam domum ædificare, vel oratorium novum construere, vel antiquam transponere non præsumant sine licentia nostra.

IX. Item præcipimus omnibus Abbatibus & Prioribus in virtute sanctæ obedientiæ, ut omnia & singula, quæ ad ordinem & regulam pertinent, faciant ab omnibus & singulis Monachis suis, seu Canonicis regularibus observari, cum appositione pœnæ, quæ in regula continetur.

X. Rebelles vero vel incorrigibiles ad Nos, vel Officialem nostrum referant, & inobedientiam & rebellionem ipsorum nobis ostendant, ut ipsorum rebellio per ipsorum (*o*) detentionem, seu alias per Nos compescatur.

XIV. *De Archi-Diaconis & Decanis.*

I. Statuimus & præcipimus, quod omnes Presbyteri & Decani rurales obediant Archi-Diaconis suis in omnibus licitis & honestis, & jura ipsorum, & nostra observent, & observari faciant. Nolumus autem, quod jura Archi-Diaconorum nostrorum per aliquos impediantur.

II. Archi-Diaconi visitent in suis Archi-Diaconatibus Ecclesias, & corrigant ea, quæ spectant ad suum officium, & in visitandis Ecclesiis subditorum recipiantur semel in anno, secundum quod in Generali Concilio continetur.

III. Archi-Diaconi vero V. aut VII. Decani vero duobus equis contenti existant, nec cum canibus venatoriis, & avibus proficiscantur, & ita procedant, ut non quæ sua sunt, sed quæ JESU CHRISTI sunt, quærere videantur, nec Archi-Diaconi, nec Decani recipiant procurationem aliquam in pecunia, nec permittant a suis servientibus, vel Clericis, aut Sacerdotibus aliquam pecuniam exigi, vel extorqueri; quod si contra fecerint, sciant se pœnam a Canone super hoc constitutam incursuros, & nihilominus sententias suspensionis excommunicationis, vel interdicti, si quas promulgaverint, contra hoc in Ecclesias vel personas decernimus non tenere, & cum Archi-Diaconi vel Decani visitaverint, & ad aliquam Ecclesiam pervenerint, quæ visitanti per se ad aliqua non sufficit, tunc duos vel plures conjungant, & eas uno die visitent, & tunc expensas illius visitationis ab ipsis Ecclesiis visitatis pro rata

(*m*) quæcunque fuerint constitutæ. (*n*) in honchis. (*o*) corporum, *addit typus Leodii.*

ta cujuslibet recipiant, nec aliquam pecuniam ab ipsis Ecclesiis habeant, quam quod expensæ illius visitationis solvantur.

IV. Cum Archi-Diaconi in Ecclesiis, & earum appendiciis, & Decani in Capellis in nostra Diœcesi habeant de consuetudine institutiones: præcipimus eisdem quod nullum ad regimen parochialis Ecclesiæ admittant vel instituant, nisi qui XXV. annum ætatis suæ attigerit, & si Archi-Diaconi vel Decani vel eorum Clerici scienter contrarium fecerint, nos ipso facto contrarium facientes, prout nostri antecessores fecerunt, suspendimus a Divinis, & nos collationes Ecclesiarum parochialium, admissiones & institutiones ad easdem faciendas, vel factas a tempore generalis Concilii ultimi Lugdunensis personis, qui vigesimum quintum annum ætatis suæ non attigerunt, pronunciamus & declaramus nullas esse ipso jure, & nullus admittatur ad regimen parochialis Ecclesiæ, nisi qui scientia & moribus idoneus existat, & infra tempus a jure statutum possit in Presbyterum ordinari.

V. Is etiam, qui ad regimen parochialis Ecclesiæ assumitur, si infra annum a tempore institutionis suæ non fuerit in Presbyterum ordinatus, & personaliter non resederit in eadem, ex tunc anno elapso, nulla etiam admonitione præmissa, dicta Ecclesia est privatus, poterit tamen super residentia dispensari per eum, qui super hoc habuerit potestatem.

VI. Nihil exhibeatur & detur Archi-Diaconis & Decanis, seu aliis ratione visitationis, nisi ad Ecclesias specialiter visitationis causa venerint, vel accesserint.

VII. Siquis autem Archi-Diaconus vel Decanus, vel alius loco Archi-Diaconi vel Decani Parochialis Ecclesiæ regimen cuiquam, qui nondum XXV. ætatis suæ annum attigerit, scienter contulerint, nos eos ipso facto suspensos declaramus.

VIII. Archi-Diaconi vel Decani nullum admittant ad aliquod beneficium Ecclesiasticum, nisi primo juret, quod ipsum beneficium Canonice sit adeptus, & quod alienata ipsius Ecclesiæ pro posse suo revocabit, & quod in adeptione illius beneficii Simoniam vel pactionem illicitam non commiserit, nec credit ab aliquo commissam & quod infra annum debet in Sacerdotium promoveri, & personaliter in Ecclesia residere.

IX. Nullus etiam Archi-Diaconus aliquem Presbyterorum qui in alio Archi-Diaconatu vel alia Diœcesi fuerit conversatus, recipiat vel celebrare permittat, nisi per literas Archi-Diaconi, in cujus Archi-Diaconatu conversatus est, constiterit ei de conversatione ejus, & eum non pati legitimum impedimentum, quominus valeat Divina celebrare.

X. Cum (*p*) enim a nostris antecessoribus quoddam statutum factum fuit, quod est tale: cum alia vice inhibuerimus, ne aliquis Archi-Diaconus ruralis officiales habeat, qui cognoscant de causis, cum ipsi Archi-Diaconi & Officiales eorum inveniri debeant in Cathedrali Ecclesia, ubi possunt subditis plenitudinem justitiæ exhibere & copiam habere consilii, denunciamus omnes illos excommunicatos, qui tale officium exercebant (*q*) sine nostra licentia. Nos præmissa sub pœna excommunicationis observari præcipimus.

XI. Cum autem ad parochialem Ecclesiam vel beneficium aliquod Archi-Diaconis vel Decano aliquis præsentatur, fiant tres proclamationes, ut in matrimonio super dicta præsentatione & citentur omnes, qui sua crediderint interesse, ad videndum admissionem ipsius, & dicendum quidquid velint proponere seu opponere de jure contra dictam præsentationem, & si nullus comparuerit contra dictam præsentationem, tunc examinetur præsentatus de scientia moribus & vita. Et si idoneus existat, admittatur: si non fuerit idoneus, non admittatur, & si aliquis comparuerit & se opposuerit dictæ præsentationi, vel si plures fuerint ad ipsum beneficium præsentati, tunc Archi-Diaconus vel Decanus causam oppositionis & de jure præsentatorum cognoscat, & qui potior fuerit in jure, ad ipsam Ecclesiam admittatur, nec occasione litis vel controversiæ per aliquam compositionem aut conventionem Ecclesiarum aut fructuum partitio fiat, & si contra hoc factum fuerit, illud decernimus irritum & inane.

XII. Præcipimus etiam Decanis ruralibus, quod in suis Decanatibus inquirant,

(*p*) etiam. (*q*) exercebunt.

rant, utrum aliqui filii Sacerdotum vel illegitime nati obtinent aliqua beneficia Ecclesiastica sine dispensatione Sedis Apostolicæ? quos si invenerint, nuncient Patronis beneficiorum, quod ipsa beneficia conferant personis idoneis, & nomina talium Superiori suo sub pœna excommunicationis remittant.

XIII. Nullus filius Sacerdotis obtineat beneficium, in quo pater suus immediate servivit.

XIV. Prohibemus etiam, ne fiant resignationes Ecclesiarum, nisi in manibus Prælati Ecclesiæ, alioquin resignatio non valet saltem quoad Ecclesiam.

XV. Decani etiam infra duos menses proximos faciant congregationem Presbyterorum suorum, & præcipiant cuilibet Presbytero, & curato maxime, quod hactenus (r) ista statuta Synodi hujus, & ea legant & intelligant, & si Presbyteri statuta non intelligant, (s) exponent ea Presbyteris.

XVI. Præcipimus omnibus Presbyteris curatis sub pœna excommunicationis, quod ista habeant statuta, & ea sæpius legant, & intelligant omnes articulos statutorum, per quos incurritur sententia suspensionis vel excommunicationis, & interdicti ipso facto, & quæ sub ipsis pœnis præcipiuntur observari, exponant suis subditis, tam in Ecclesiis suis, quam alibi in lingua propria, & doceant suos subditos, quam periculosa sit excommunicatio, quæ repellit hominem a participatione Sacramentorum, & a communione Fidelium, scilicet ab Ecclesia militante & triumphante, & doceant subditos suos, quia sententia excommunicationis, etiamsi sit injusta, timenda est & tenenda, & hoc ipsum Presbyteri faciant ad minus semel in mense, & ipsi Presbyteri admittant sive in Ecclesia sive extra excommunicatos & interdictos ad prædicationem, sed post prædicationem expellant eos ab Ecclesia.

XVII. Decani non faciant assisiam vel talliam super Presbyteros suos.

XVIII. Decani pro nuptiis consanguineorum suorum non mittant Presbyteris suis subditis joculatores remunerandos, nec Presbyteri suis subditis vel sociis, nec Clerici Clericis.

XIX. Decani & Presbyteri non emant a quæstuariis futuros proventus seu quæstus faciendos.

XX. Item præcipimus omnibus Decanis & Sacerdotibus (t) consiliorum sub pœna suspensionis & excommunicationis, quod quolibet anno excessus contingentes in Decanatibus & Parochiis eorum, & ad nostram correctionem spectantes, Officiali nostro, vel illi, qui erit ex parte ipsius referant fideliter, cum super hoc fuerint requisiti.

XXI. Item, prout Antecessores nostri statuerunt, præcipimus universis conciliorum Decanis, quod nisi (u) diligenter inquirant nomina & numerum Ecclesiarum, in quibus investiti personaliter non deserviunt, & Nobis, seu Officiali nostro remittant.

XXII. Item similiter inhibemus, ne aliquis Decanus Presbyteros extra Diœcesim Leodiensem ab alienis quibuscumque Episcopis ordinatos permittant in suis Decanatibus celebrare, nisi per literas nostras eis ostenderint, ipsos super hoc licentiatos, & tunc eos licentiæ concessæ terminos excedere non permittant.

XXIII. Item statuimus, prout nostri Antecessores statuerunt, quod Decani conciliorum singulis annis personaliter in cœna Domini consecrationi Chrismatis intersint reverenter & decenter, nisi legitimo detenti sint impedimento, & tunc Sacerdotes pro se mittant, qui eos legitime excusent, & eorum vices gerant.

XXIV. Decani vero Chrismate ad loca sua deputato, (x) illud Sacerdotibus suis personaliter reverenter, si fieri potest, venientibus tradant, alioquin Presbyteris notis & fide dignis, pro se missis in honesto habitu, munda vasa & honesta deferentibus sanctum Chrisma & Oleum sanctum infirmorum, sub debita distinctione signorum distribuant, sine exactione alicujus pecuniæ, pretii pro laboribus & expensis, mandantes, quod de cætero nulli laico prædicta tradantur referenda.

XXV. Præcipimus etiam, prout Antecessores nostri fecerunt, omnibus Archi-Diaconis, ne aliquem Vicarium in suis Archi-Diaconatibus ad Ecclesiam admittant, nisi prius Vicarius juraverit, quod

(r) habeant, *loco*: hactenus. (s) Decanus exponet ea Presbyteris.
(t) Conciliorum. (u) ipsi *pro* nisi. (x) deportato.

quod sine diminutione stipendii dari consueti admittitur, nec admittant aliquem Vicarium, qui in aliena Ecclesia est canonice investitus, vel Vicarius legitimus.

XXVI. Præcipimus omnibus Archi-Diaconis, ut Vicariis debitam faciant competentiam assignari.

XXVII. Suspendimus etiam ab officio omnes Vicarios, qui investitis aliquid dant, concedunt, vel promittunt, ad supplicandum (*y*) alios & obtinendum Vicarios.

XXVIII. Item præcipimus omnibus Archi-Diaconis, quod quando visitant Ecclesias Archi-Diaconatûs sui, & invenerint in Ecclesia defectum in libris missalibus, & aliis, ad quæ major decima Parochiæ tenetur, ipsi moneant detentores dictæ decimæ, quod prædictum defectum sive defectus suppleant infra terminum competentem: alioquin fructus decimæ dictæ inbanniant, (*z*) & saisiant (*a*) auctoritate nostra, donec de prædictis fuerit satisfactum, & quicumque de prædictis fructibus post hujusmodi inbannitionem se intromiserit, si est religiosa persona vel Ecclesiastica, ipsam a Divino Officio suspendimus ipso facto: si vero laica, ipsam ipso facto excommunicamus. Damus autem Archi-Diacono potestatem relaxandi sententias, quando de præmissis fuerit satisfactum.

XXIX. Item ordinamus & præcipimus omnibus Investitis & Rectoribus Ecclesiarum Parochialium & aliis Ecclesiarum Prælatis, quod statutis temporibus successive prout onus beneficii eorum requirit, se faciant in Presbyteros ordinari, & in eorum Ecclesiis personaliter deserviant; alioquin ipsos suspendimus ab officio, & si in ipsa suspensione per mensem steterint, ipsos excommunicamus nisi super hoc cum ipsis dispensatum fuerit ab eo, qui hoc faciendi habeat potestatem.

XXX. Item, inhibemus etiam, ne aliquis de beneficio Ecclesiastico in temporalibus seu spiritualibus spectantibus ad ipsum beneficium se aliquatenus intromittat, antequam ad ipsum beneficium Canonice admissus fuerit, vel receptus ad ipsum beneficium ab ipso Prælato habente super hoc potestatem: & Nos omnes intromittentes seu ingerentes se de beneficio Ecclesiastico in temporalibus seu spiritualibus, antequam ad ipsa admissi vel recepti canonice fuerint, excommunicamus & excommunicatos denuntiamus & nihilominus declaramus ipsos a jure, si quid (*b*) ex præsentatione vel collatione aliqua ad ipsum beneficium eis competebat, cecidisse ipso jure.

XXXI. Ordinamus etiam, quod Vicarii habeant competentiam XV. librarum alborum ad minus, nisi loca sint solemnia, vel habeant onera adeo magna, quod ratione prædicta eis plus debeant assignari, & hoc taxationi antiqui Archi-Diaconi committimus de consilio Ordinarii faciendæ; quam fieri volumus tam de Ecclesiis parochialibus, quæ subsunt Archi-Diacono, quam de aliis, quæ a jurisdictione Archi-Diaconi sunt exceptæ, quam etiam de Capellis.

XXXII. Volumus etiam, quod a prædictis Archi-Diaconis taxetur, de quibus bonis, & qualibus dicta competentia recipi debeat.

XXXIII. Item committimus (*c*) Decanis, quod inquirant de Ecclesiis defalcatis, & Nobis referant, quod (*d*) Ecclesiæ sunt defalcatæ, & per quos, & in quibus, & Nos omnes defalcationes Ecclesiarum minus legitime factas revocamus, & præcipimus sub pœna excommunicationis omnibus, qui bona Ecclesiarum habent per defalcationem minus legitime factam, quod ea Ecclesiis, a quibus sunt defalcata, restituant, & de receptis satisfaciant eisdem infra quatuor menses a tempore præsentis Concilii; alioquin omnes dicta bona sic defalcata detinentes, si sint personæ Ecclesiasticæ vel religiosæ, suspendimus a Divinis, si laicæ sint, eas excommunicamus.

XXXIV. Item committimus Archidiaconis, quod ubicumque Ecclesiæ sunt adeo tenues, quod investiti earum non possint de reditibus sustentari, de decimis, vel aliis bonis, quæ recipiuntur a Patronis, sive Patroni sint Ecclesiastici sive sæculares, ratione ipsarum Ecclesiarum, sive jure Patronatus competentem portionem investitis assignent: & si defectus fuerit in bonis Patronorum, cogantur Parochiani ad supplementum.

XXXV.

(*y*) supplantandum alios, & ad obtinendum Vicarias.
(*z*) imbanniant.
(*a*) *loco*: sequestrent.
(*b*) si quod.
(*c*) Archi-Diaconis &.
(*d*) quæ *pro* quod: sint *pro* sunt.

xxxv. Item in virtute ſanctæ obedientiæ inhibemus Officiali noſtro, Archi-Diacono, Decanis, & quibuscumque aliis Prælatis, Capitulis, & Conventibus civitatis & Diœceſis noſtræ Leodienſis, ad quos admiſſiones, inſtitutiones, curæ, collationes, ſeu receptiones aliquarum Eccleſiarum, Capellarum, ſeu Beneficiorum Eccleſiaſticorum de jure ſeu conſuetudine pertinent, ne pro admiſſione, inſtitutione curæ, collatione, ſeu receptione alicujus beneficii Eccleſiaſtici pecunias exigant, vel recipiant, aut aliquod commodum temporale; cum hoc fieri non poſſit ſine vitio ſimoniæ, & nos omnes & ſingulos Prælatos, cujuscumque conditionis vel ſtatus exiſtant, pro admiſſione, inſtitutione curæ, collatione, ſeu receptione alicujus beneficii Eccleſiaſtici faciendis pecuniam ſeu aliud commodum temporale petentes & recipientes, & omnes conſilium & auxilium ad hoc exhibentes, ſuſpendimus ab ipſo officio ipſo facto.

XV. *De ſententia Excommunicationis.*

I. Cum incendiarii & effractores Eccleſiarum & Monaſteriorum ſint ipſo facto auctoritate *Canonis* excommunicati, & incendiarii aliarum rerum & bonorum Eccleſiarum & Monaſteriorum ſint tanquam ſacrilegi excommunicandi, Nos ipſos incendiarios, invaſores, raptores, detentores grangiarum, domorum, & aliarum rerum & bonorum Eccleſiarum & Monaſteriorum, & eorum complices & fautores in hac parte excommunicamus & excommunicatos denuntiamus; & præcipimus omnibus Rectoribus Eccleſiarum, quod ſaltem quolibet menſe dictam *Canonis*, & noſtram excommunicationis ſententiam innovent, & aggravent in ipſos excommunicatos, candelis accenſis, campanæ pulſatione, in ſpeciali, de quibus conſtiterit, & in generali, de quibus eisdem non conſtiterit. Si autem a tempore perpetrati delicti hujusmodi malefactores non ſatisfecerint Eccleſiis, quibus damnum intulerunt, infra quindenam, ſi ſint Domini hujusmodi malefactores, habentes terram & diſtrictum eorum, tunc terras & diſtrictum ſtatuimus eſſe ſuppoſitos, & ſupponimus Eccleſiaſtico interdicto. Si vero terram vel diſtrictum non habent, ſtatuimus, quod per Decanum concilii, vel Presbyterum loci, in quo hujusmodi delictum eſt perpetratum, dum hoc eis innotuerit per evidentiam facti, teſtes idoneos, quos audiendi ipſis conferimus poteſtatem, aut famam publicam, denuntietur Judici ſeu Domino, ſub cujus diſtrictu iidem malefactores morantur, vel conſiſtunt, prædictum delictum ſic eſſe factum. Et ſi Dominus vel Judex, ſub quo dictus malefactor moratur vel conſiſtit, poſt dictam denuntiationem infra XV. dies juſtitiam non fecerit de dicto malefactore, ut dictum eſt, tunc dictum Dominum, & ejus juſtitiam excommunicamus & excommunicatos denuntiamus. Et ſi ipſe Dominus & ejus juſtitia dictam excommunicationem per quindecim dies ſuſtinuerint, præcipimus ex tunc per ſingulos Presbyteros dicti Decanatus in dictum Dominum & ejus juſtitiam innovari & aggravari dictam excommunicationem ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, candelis accenſis, campanis pulſatis, & uxores eorum & famulos extra Eccleſiam teneri. Et ſi ipſe Dominus, ejus juſtitia & complices dictam excommunicationis ſententiam per alios quindecim dies animo ſuſtinuerint indurato, ſtatuimus, quod ex tunc tota terra, & diſtrictus ipſius Domini ſint ſuppoſiti, & ſupponimus eosdem Eccleſiaſtico interdicto, & nihilominus in locis, in quibus hujusmodi violentia facta fuerit, & dicti malefactores commorentur, ceſſetur a Divinis, nec reſumantur organa ſine noſtro mandato, vel Officialis noſtri ſpeciali.

II. Item excommunicamus, & præcipimus excommunicatos denunciari omnes illos, qui immunitates Eccleſiarum violant, videlicet, qui hominem de Eccleſia vel ejus cimiterio extraxerint, vel quolibet alio modo violaverint Eccleſiam, & ſi ipſi violatores infra ſeptem dies a tempore perpetrati delicti non reſtituerint hominem Eccleſiæ prædictæ, a qua non (*a*) receperunt, ſtatuimus, quod ex tunc ſententia excommunicationis prædicta in eosdem, eorum complices, & fautores innovetur, & aggravetur ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, candelis accenſis, & campanis pulſatis. Et ſi dicti malefactores per alios XV. dies dictam excommunicationem animo indurato

(*a*) eum *pro* non.

durato ſuſtinuerint, ſtatuimus, quod ex tunc ceſſetur a Divinis in locis, in quibuscumque tales violatores fuerint vel morantur, & per triduum, poſtquam receſſerint de dicto loco. Et quia nonnulli judices, & alii, dum hominem, quem ab Eccleſia extrahere volunt pro delicto ſibi impoſito, non audent extrahere propter cenſuram Eccleſiaſticam vitandam ab eadem, per excogitatam malitiam obſident, & cuſtodiunt Eccleſiam manibus armatis, & defendunt, ne victualia homini exiſtenti in Eccleſia conferantur, ut ipſum hominem exiſtentem in Eccleſia fame compellant, exire Eccleſiam. Nos talia fieri ulterius prohibemus, & præcipimus Presbyteris Eccleſiæ, & aliis Chriſti fidelibus, in qua idem homo confugit, ut dicto homini alimenta & alia neceſſaria adminiſtrari faciant, & obſidentes Eccleſiam, ſi ad monitionem Presbyteri ejusdem ab obſeſſione prædicta non recedant, (b) ut ipſi homini alimenta adminiſtrari non permittant, nominatim eos excommunicet Presbyter loci auctoritate noſtra, & excommunicatos denuntiet, & nomina eorum, & ſeriem facti Officiali noſtro reſcribat, & ſi ipſi excommunicati perſtiterint in ſua malitia, nec receſſerint ab obſidione prædicta, ſtatuimus, quod in quibuscumque locis venerint, ſeu morentur dicti obſidentes ſeu cuſtodientes Eccleſiam, ceſſetur a Divinis, nec reſumantur organa ſine noſtro mandato vel Officialis noſtri ſpeciali. Et Nos Eccleſiam ſic obſeſſam, a qua ipſi obſidentes moniti, ut dictum eſt, non recedunt, ſupponimus Eccleſiaſtico interdicto. Si vero dubitetur, utrum fugiens ad Eccleſiam propter delictum ab eo commiſſum ſit ab Eccleſia defendendus, ſcribatur Officiali noſtro, & quod per ipſum Officialem decretum fuerit, obſervetur.

XVI. *De capientibus Clericos.*

I. Item præcipimus & mandamus, quod omnes capientes Clericos vel Eccleſiaſticas perſonas cum eorum complicibus & fautoribus in hac parte, propter hoc auctoritate *Canonis* excommunicati denuntientur nominatim, ſi nomina eorum ſcire potuerint, alioquin generaliter publice ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, candelis accenſis, & pulſata campana, excommunicati denuntientur. Statuentes, quod loca, in quibus Clerici vel Eccleſiaſticæ perſonæ capiuntur, ſeu loca, in quibus capti detinentur, dummodo per diem & noctem fuerint ibidem, ſuppoſita ſint Eccleſiaſtico interdicto, & in locis, in quibus Clerici & Eccleſiaſticæ perſonæ captivi deducuntur, ſine mora unius diei ibidem facienda, ceſſetur a Divinis per triduum: & in quibuscumque locis capientes ſeu detinentes Clericos venerint, dummodo Presbytero loci conſtiterit, quamdiu ibidem extiterit, ceſſetur a Divinis, & ſi ibidem pernoctaverit per biduum, poſt ejus receſſum ceſſetur in loco a Divinis.

II. Item excommunicamus omnes Judices, Scabinos, & juſtitiam exercentes, & Dominos temporales, per quorum loca & diſtrictum Clerici captivi deducuntur, ſeu in quorum locis detinentur, ſi Clericos a manibus dictorum capientium non liberaverint, ſeu arreſtaverint, & detineant, dummodo ipſi Domini Scabini, Juſtitia, & Judices ſciant, ipſos Clericos eſſe captos, & a manibus dictorum capientium per ſuam potentiam potuerint deliberare eosdem. Et ſi capientes Clericos ſint Domini temporales, & terram & diſtrictum habeant, ipſos Clericos infra triduum a tempore perpetrati delicti a dicta captivitate non deliberaverint, vel exire permiſerint, ex tunc tota terra eorum ſuppoſita ſit Eccleſiaſtico interdicto.

III. Præterea ſtatuimus, quod Clerici ſeu Capellani Dominorum ſeu Nobilium, vel aliarum perſonarum, qui fuerint pro injectione manuum in Clericum, vel cauſa aliquorum exceſſuum ſententia excommunicationis innodati, ſuis Dominis in hujusmodi injuriis conſilium vel auxilium verbo & facto non impendant, alioquin noverint ſe eadem ſententia innodatos; ſed ipſos Dominos ſuos excommunicatos modis omnibus, quibus potuerint, inducant, ut de his, pro quibus excommunicati exiſtunt, ſatisfaciant. Quod ſi infra menſem eosdem Dominos ſuos inducere nequiverint, ex tunc omnino recedant ab iisdem, nec eis communicent, alioquin ipſos Clericos & Capellanos, qui ultra id temporis

(b) & *pro* ut.

poris cum dictis Dominis suis excommunicatis permanserint, & eis communicaverint, majori excommunicatione excommunicamus, & statuimus excommunicatos, & eos præcipimus per similes Presbyteros publice candelis accensis campana pulsata denuntiari excommunicatos.

IV. Item excommunicamus & excommunicatos denuntiari mandamus omnes Dominos, Principes, & Judices, & alios quoscumque, cujuscumque conditionis vel status existunt, qui Rectoribus (c) investitis Ecclesiarum, & aliis personis Ecclesiasticis inhibent, & minas imponunt eisdem, ne morentur in Parochiis & locis suis, & ad Ecclesiam suam accedere & loca sua, propter quæ pluries Divina in sua Parochia vel nostra Diœcesi impediuntur. Et etiam excommunicamus omnes illos & excommunicatos denuntiamus, qui in præmissis consilium adhibent, & præmissa fieri procurant.

XVII. *De percussoribus Clericorum.*

I. Item statuimus, ut occisores, mutilatores, & percussores atrociter Clericorum & Ecclesiasticarum personarum, & Clericos capientes, & in captivitate detinentes, seu per captivitatem pecuniam aliquam ab eis extorquentes, propter hoc auctoritate *Canonis* excommunicati per omnes Ecclesias Civitatis & Diœcesis Leodiensis, & omnes operam seu consilium ad hoc adhibentes, ab omnibus Presbyteris, & Ecclesiarum Rectoribus, singulis diebus Dominicis & Festivis, candela accensa, campanis pulsatis, nominatim de quibus constiterit, excommunicati denuntientur, & ab omnibus arctius evitandi, donec sufficienter satisfecerint de commissis, & ab Sede Apostolica meruerint beneficium absolutionis obtinere.

II. Præterea locus ille, ad quem venerint tales excommunicati, quamdiu ibidem fuerint, & post duos dies sequentes immediate a recessu eorum, si in eodem loco biberint aut comederint, & per duos dies sequentes ulterius, si in eodem loco pernoctaverint, & locus, in quo talis violentia facta fuerit, & in quo dicti malefactores per octo dies moram traxerint, sit interdictus: & si hujusmodi sacrilegi seu malefactores terram, jurisdictionem & districtum habuerint, & si infra tres menses a tempore perpetrati delicti ad arbitrium nostrum non satisfecerint de delicto, eorumdem terra & districtus ex tunc Ecclesiastico, ipso facto, sit suppositus interdicto.

III. Præterea si Domini terræ, in quorum districtibus manent, & ubi domicilium habent hujusmodi sacrilegi, vel ubi tam enorme scelus commissum extiterit, tam nefarios sacrilegos & nefandos in suis districtibus sustinuerint, & contra eos ad privationem bonorum & præscriptionem de terra sua non processerint, & justitiam, prout ex officio suo tenentur, super hoc non fecerint infra quindecim dies, postquam de delicto hujusmodi constiterit eisdem per famam publicam vel per denuntiationem Decani vel Presbyteri loci, quam ab ipso Decano vel Presbytero loci fieri præcipimus, sub pœnis excommmunicationis: quam cito per famam, querimoniam alicujus, evidentiam rei, aut alio modo constiterit, seu alias legitime, statuimus, quod ex tunc ipsi Domini terræ, & eorum Judices, Scabini, & justitia excommunicationis sententiam incurrant; & si per quindecim dies dictam excommunicationem animo sustinuerint indurato, ex tunc tota eorum terra Ecclesiastico sit supposita interdicto & contra eos nihilominus procedatur, sicut requisiverit protervitas delinquentis.

IV. Item statuimus & præcipimus, ut ubicumque terra (d) Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum mobilia fuerint violenter accepta seu imbannita per Judicem sæcularem, vel immobilia arrestata vel occupata, si hoc Decano vel Presbytero loci innotuerit, quibus in hoc fidem adhibemus vel adhiberi præcipimus, cessetur a Divinis ibidem, donec bona legitime fuerint restituta, & dearrestata, & satisfactum fuerit de commissis; nec organa resumantur sine Nostro, vel Officialis nostri speciali mandato.

V. Et si Dominus vel Judex loci præmissa fecerit, ipso facto sit excommunicatus, & si per quindecim dies hujusmodi

(c) & investitis. (d) bona *pro* terra.

modi excommunicationem animo ſuſtinuerint indurato : tota terra dicti Domini vel Judicis ex tunc ſuppoſita ſit Eccleſiaſtico interdicto. Si vero perſona ſæcularis jurisdictionem in dicto loco non habens præmiſſa fecerit, ſententiam excommunicationis incurrat ipſo facto.

VI. Præcipimus Decano & Presbytero loci, ut Domino ſeu Judici loci præmiſſa denuntient, & ſi ipſe Dominus infra triduum, poſtquam de præmiſſis ei conſtiterit per denuntiationem Decani vel Presbyteri loci, evidentiam rei, famam publicam, ſeu alias legitime præmonitus, impedimenta vel injurias ceſſare non fecerit, ſtatuimus, quod ex tunc Domini & Juſtitia loci ſive villici, Scabini, & alii ſint ipſo facto excommunicati, & ſi ipſi Domini vel juſtitia ſua per quindecim dies dictam excommunicationem animo ſuſtinuerint indurato, ex tunc tota terra & diſtrictus ejusdem ſuppoſiti ſint Eccleſiaſtico interdicto.

VII. Intelligimus bona mobilia eſſe detenta, ubi per noctem & diem continue detinentur. Si vero per alia loca deferantur ſine interpoſitione temporis unius diei, ex tunc in dicto loco ceſſetur, quamdiu dicta bona fuerint ibidem, & ipſis bonis a (e) loco depoſitis, Presbyter organa reſumere poterit.

VIII. Item excommunicamus, & ipſo jure excommunicatos denuntiamus quoscumque Dominos Laicos, vel eorum Officiarios vel ballivos, aut villicos ſeu foreſtarios quorumlibet Dominorum, aut Conſiliarios eorumdem, qui aliqua ſtatuta ediderint, vel conſuetudinem introduxerint contra Eccleſiæ libertatem: & Scriptores dictorum ſtatutorum, & Judices, qui ſecundum ſtatuta vel conſuetudines hujusmodi præſumpſerint judicare, & nihilominus ſtatuta & conſuetudines contra libertatem Eccleſiaſticam inducta, & ſententias ex eis prolatas decernimus non tenere, & actionem ſeu exceptiones (f) ex talibus ſententiis non competere. Et ſi aliquis ſecundum ſtatuta vel conſuetudines inducta ſeu inducenda ulterius præſumpſerit judicare, ſententiam excommunicationis incurrat, & in quibus locis talis excommunicatus venerit & moram fecerit, ceſſetur a Divinis, quousque Nobis ſatisfecerit competenter.

IX. Item excommunicamus omnes illos, & denuntientur excommunicati, qui conſtituerunt, vel præceperunt, vel conſtitui & præcipi fecerint, & mandaverint, ſeu bannum aliquem ſuper hoc fecerint, quod extra terram illorum nullus laicus debet vocari in jus coram quocumque Judice Eccleſiaſtico, vel laicos quoslibet querimoniam deferentes coram Nobis, vel Officiali noſtro, vel quolibet Judice ordinario, vel delegato in rebus vel perſonis læſerint, vel aliquo modo propter hoc turbaverint, & illos & alios laicos, qui absque auctoritate res Eccleſiarum vel Eccleſiaſticarum perſonarum invaſerint vel imbanniverint per manum laicalem. Et quia nonnulli Judices & Domini temporales, cum aliquis Clericus vel laicus aliquem coram Nobis, ſeu noſtro Officiali, ſeu alio Judice ſpirituali in cauſam traxerit, patrem, matrem, fratres, ſeu conſanguineos ipſius in cauſam trahentes coram Judice ſpirituali capiunt & detinent, & bona eorumdem ſaiſiunt & arreſtant, ut per hoc agere volentem coram ſpirituali Judice cogant deſiſtere a perſecutione juris ſui: Nos talia anathematis interminatione fieri prohibemus, & excommunicamus, & excommunicatos denuntiamus omnes Dominos, ballivos, foreſtarios, & judices quoscumque, & omnes conſilium, & auxilium, & opem præſtantes, qui patrem, matrem, fratrem, ſeu quoscumque conſanguineos alios, & amicos trahentes, aliquem in cauſam coram Nobis propter hoc ceperint, detinuerint, & arreſtaverint, vel bona eorum ſaiſierint, vel occupaverint, & in locis, in quibus talia, & ea, quæ in ſtatuto proxime ſuprapoſito continentur, facta fuerint, ceſſetur a Divinis, nec reſumantur organa ſine mandato noſtro, vel Officialis noſtri ſpeciali.

XVIII. *De Executoribus mandatorum, & Portatoribus literarum.*

I. Inſuper excommunicamus illos, & denuntientur excommunicati, qui portatores literarum & executores mandatorum a Nobis, ſeu noſtro Officiali, vel quocumque Judice Eccleſiaſtico deſtinatos, & Sacerdotes mandata Judicum Eccleſiaſticorum exequentes capiunt, detinent, ſeu ſpoliant, aut bona eorum aut ali

(e) dicto loco. (f) exceptionem.

eis attinentium imbanniunt, vel occupant, & cessetur a Divinis, ubicumque executores mandatorum, vel portitores literarum a Nobis, seu Officiali nostro, vel quocumque Judice Ecclesiastico destinatarum, aut querimoniam coram Judice Ecclesiastico deponentes, vel Officialem nostrum adeuntes detinentur, vel eorum bona capiuntur, occupantur, & detinentur, quamdiu hujusmodi violentia duraverit, nec resumantur organa.

II. Et quia ut intelleximus, nonnulli Domini temporales, Judices, Scabini, ballivi & alii, cum portatores literarum, & executores mandatorum ad loca sua venerint, eosdem capiunt, & arrestant, seu bona eorum occupant, ad excusationem eorum dicentes, quod hoc non faciunt ratione literarum, & executionis prædictarum, sed ratione quorundam excessuum, seu debitorum aliquorum impositorum ipsis portatoribus, seu aliis executoribus ab eisdem Dominis, judicibus, ballivis, & aliis, cum fraus & dolus nulli patrocinari debeat: statuimus, quod non obstantibus excusationibus talibus ad executionis sententiam contra eos procedatur, & secundum formam superius expressam, nisi forte ipsi judices, ballivi, seu alii malefactores in hac parte coram Decano seu loci Presbytero, per juramentum proprium vel testes idoneos, seu alias legitime docuerint infra triduum a tempore captionis & arrestationis prædictorum, ipsos portitores, seu executores, si laici sint, aliquod delictum manifestum commisisse, & quod propter hoc, vel in aliam causam, & non in fraudem præsentis statuti nostri, & Ecclesiasticæ libertatis talia attentaverunt. Si vero ipsi portitores & executores Clerici fuerint, tunc, cum ipsi Domini vel judices, ballivi & alii non habent in eosdem Clericos jurisdictionem, a pœna dicti statuti non poterint excusari.

III. Item excommunicamus, & denuntientur excommunicati omnes illi, qui manus injecerint vel violentiam intulerint in rebus vel personis aliquorum prædictorum, vel, qui inhibent laicis, ne pro suorum negotiorum profectionibus quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent, Nos, vel Officialem nostrum, vel Ecclesiasticum Judicem adeant, seu per literas Apostolicas coram Judice Ecclesiastico experiantur.

IV. Item, cum causæ matrimoniales, nativitatis alicujus, usurarum, simoniæ, perjurii, adulterii, contra raptores rerum Ecclesiasticarum, & invasores decimarum, perjurii ac fidei violationis, patronatus, electionum, & plures aliæ ad forum Ecclesiasticum pertinent, secundum Canonicas Sanctiones; ita, quod sæcularis judex de talibus causis Ecclesiasticis cognoscere nec poterit, nec debet; nos excommunicamus, & excommunicatos denuntiamus omnes judices, & ballivos, & scabinos, & justitias quascumque sæculares, si de talibus causis cognoscere, & judicare præsumserint, & nihilominus sententias & processus judicum sæcularium quorumcumque habitos, & habendos super causis hujusmodi Ecclesiasticis, tanquam a non suo judice factos censemus, seu irritos, & penitus non tenere nec valere nunciamus.

V. Item excommunicamus & denuntientur excommunicati, qui conspirationem & colligationem aliquam seu fœdera (g) fecerint de non offerendo Sacerdoti, seu in nuptiis seu in exequiis mortuorum, aut alias, seu de non solvendo decimas debitas & consuetas, seu aliquid faciendo vel non faciendo, quod cedit contra jura Parochorum, & Ecclesiasticam libertatem.

VI. Item, cum nonnulli Principes, Domini, & judices sæculares Leodiensis Diœcesis tyrannica pravitate adeo gravent Ecclesias, & Ecclesiasticas personas molestent & perturbent, quod Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ sub dominio eorum constitutæ deterioris conditionis existunt, quam sub Pharaone fuerant, qui legis Divinæ notitiam non habebat; tallias, exactiones, petitiones, & servitia indebita dictis Ecclesiis & Ecclesiasticis personis imponere, & ab eisdem recipere, & exigere non verentur; adeo, quod quidam eorum abusum hujusmodi frequentibus actibus induxerunt per (h) consuetudinem faciendum, licet in talibus contra libertatem Ecclesiasticam perpetratis consuetudo aliqua induci non potest, quæ potius est dicenda corruptela, & cum tanto sint graviora pecca-

 ta,

(g) fidem *pro* fœdera.

(h) pro consuetudine facienda.

ta, quanto diutius detinent infelicem animam alligatam. Nos hac generali Synodo prædictis Principibus, Dominis, & judicibus sæcularibus quibuscumque inhibemus districtius, ne Ecclesiis vel Monasteriis, vel Ecclesiasticis personis hujusmodi exactiones, tallias illicitas, & servitia indebita, nomine petitionis, vel quocumque alio nomine vel colore imponant, vel ab eisdem exigant, seu (*i*) loci Presbytero.

XIX. *De sententia excommunicationis.*

I. Et sub pœna excommunicationis interdicimus ipsis Monasteriis, Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, ne ipsis Principibus, Dominis, & judicibus sæcularibus solvant vel conferant hujusmodi tallias, exactiones, & servicia sub nomine petitionis seu quocumque modo, cum hoc sit contra Ecclesiasticam libertatem: alioquin recipientes hujusmodi tallias, exactiones & servicia, & quorum consilio vel auxilio talia facta fuerint, statuimus esse vinculo excommunicationis ipso facto innodatos, & si ipsi Principes, Domini, & judices sæculares violenter contra voluntatem Monasteriorum, Ecclesiarum, & bona eorumdem receperunt, (*k*) invaserunt vel arrestaverunt, seu capi, invadi, arrestari fecerint vel mandaverint, ratione talliarum, exactionum & servitiorum prædictorum, ex tunc præcipimus eosdem & omnes eorum complices & fautores in hac parte excommunicari & excommunicatos denunciari; & si ipsi Principes, Domini & judices infra XV. dies ex tunc proxime sequentes ab invasione, receptione & arrestatione non destiterint & ea, quæ (*l*) de bonis Monasteriorum, Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, eisdem Monasteriis, Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis integraliter non restituerint, moniti, super hoc tota terra dictorum Principum, Dominorum, seu judicium, & districtus eorum supposita & suppositi sunt (*m*) Ecclesiastico interdicto, & in quibuscumque locis aliis ipsi ex tunc venerint, biberint, vel comederint pernoctando, per triduum cessetur a Divinis.

II. Item excomunicamus & excommunicatos denuntiamus omnes Dominos, judices sæculares, scabinos, & quascumque justitias sæculares, qui Clericos, vel Ecclesiasticas personas scienter super re mobili quocumque jure debitis, damnis, vel aliis actionibus personaliter citant, & in causam trahunt, seu litigare compellunt, coram justitia sæculari, & procurantem præmissa & omnes, qui consilium & auxilium in præmissis præstiterint, & omnes justitiarios, & alios, occasione judicii alicujus redditi, & pronuntiati contra Clericos modo prædicto & in foro prædicto manum imponent vel apponerent ad personas, res, & possessiones Clericorum: & nihilominus sententiam excommunicationis in dicto foro contra Clericos latam tanquam a non suo judice & ab excommunicatis prolatam decernimus nullam esse ipso jure; mandantes omnibus Sacerdotibus locorum, in quibus præmissa facta fuerint, sub pœna suspensionis latæ sententiæ, ut cum eisdem constiterit de violentiis prædictis per evidentiam rei, famam publicam, seu alias, statim cessent a Divinis sine alterius exspectatione mandati, & auctores hujus violentiæ excommunicent, & excommunicatos denuntient in generali, in quibus non constiterit, in speciali, de quibus constiterit.

III. Item cum nonnulli Principes, Domini & judices sæculares, dum directe propter censuram Ecclesiasticam & pœnas super hoc constitutas, contra Monasteria, Ecclesias vel Ecclesiasticas personas, vel eorum bona non audeant attentare; indirecte, excogitatis quibusdam malitiis inhibent suis subditis, ne aliqui colant terram dictorum Monasteriorum, Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum, nec alias quam proprias, vel ad eorum molendina molant, vel ad similia: propter quæ ipsa Monasteria, Ecclesiæ, vel Ecclesiasticæ personæ grave dispendium & gravamen incurrunt. Non nulli etiam de prædictis laicis per nequitias alias ponunt, seu poni faciunt dicta Monasteria, Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas extra tuitionem & defensionem eorumdem, concedentes malis & perversis licentiam, immo auctoritatem contra ipsa Monasteria, Ecclesias, & Ecclesiasticas personas insurgendi, vel malignandi, ut per hoc Principes, Domini, & judices sæculares, quod a Monasteriis, Ecclesiis, & Ecclesia-

(*i*) seu recipiant.
(*k*) receperint, invaserint, arrestaverint.
(*l*) abstulerint.
(*m*) sint.

clesiasticis personis requirunt, licet illicitum sit, consequantur. Nos tantis fraudibus & iniquitatibus obviare volentes, præcipimus omnibus Principibus, Dominis & judicibus sæcularibus Leodiensis Diœcesis, ne de cetero talia facere præsumant: statuentes, quod si qui eorundem per se, vel per alium terras, aut possessiones dictorum Monasteriorum, Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum, coli & arari inhibuerint, vel ad molendina eorum moli, vel aliquid simile mandaverint directe vel indirecte, vel ipsa Monasteria, Ecclesias & Ecclesiasticas personas extra tuitionem suam posuerint, & ab injuriatoribus, & invasoribus eorum non defenderint super hoc requisiti ipso facto excommunicationis pœnam incurrant, & omnes, qui eis opem, consilium & auxilium præstant in hac parte, cum ex gladii potestate eisdem concessa teneantur Ecclesias & Ecclesiasticas personas defensare, & si per unum mensem dictam excommunicationis sententiam animo sustinuerint indurato, in quibuscumque locis ex tunc venerint, biberint aut comederint pernoctando, per triduum cessetur a Divinis sine exspectatione alterius mandati.

XX. *De communitatibus.*

I. Item, statuimus, quod si aliqui nobiles, vel alii ad prælia vel alias expeditiones procedentes jacuerint in grangiis, curtibus, vel bonis Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum, vel Monasteriorum, quod tamen fieri sub pœna excommunicationis prohibemus, & damna aliqua vel rapinas ibidem fecerint, si infra mensem a tempore perpetrati delicti, requisiti, monitione super hoc facta, de damnis, rapinis, & injuriis irrogatis, læsis, & damnum passis non satisfecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

Et si per quindenam animo indurato steterint in dicta sententia, ipsam excommunicationis sententiam in eosdem aggravent, & innovent singuli Presbyteri diebus Dominicis, & festis, candelis accensis, pulsatis campanis, nihilominus contra eosdem procedatur, sicut contra invasores bonorum Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum est procedendum, sicut superius est expressum.

II. Item excommunicamus & excommunicatos denuntiari præcipimus omnes illos, tam nobiles, quam alios, qui homines nostræ majoris Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum nostræ Diœcesis Leodiensis ipsis capitalem censum solventes, vel de familia eorumdem existentes, prætextu advocationis, seu habitationis vel alterius coloris exactionibus, petitionibus vel aliis servitutibus opprimunt vel molestant, vel mobilia ipsorum post eorum mortem accipiunt violenter.

III. Item excommunicamus & denuntientur excommunicati, qui grangigas Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum clauserint, vel terras eorum coli prohibuerint, vel pecora eorum acceperint, aut communibus pascuis, ubi pasci consueverunt, expulerint. Omnes prædicti in quolibet mense, id est, prima Dominica mensis a quolibet Presbytero Parochiali denuntientur excommunicati in generali: in speciali vero ubicumque constiterit Sacerdoti de aliquo prædictorum, nominatim prædictos malefactores, & omnes, qui consilium, mandatum, & auxilium præstiterint, ipse Presbiter in continenti, quam cito sciverit, non exspectato termino mensis, denuntiet excommunicatos sine exspectatione alterius mandati, singulis diebus Dominicis aut festis, candelis accensis, campanis pulsatis, nec eos absolvat, sine Nostro, vel Officialis nostri mandato speciali. In qua excommunicatione si per quindenam permanserint, uxor eorum & familiæ, monitione trium dierum præmissa, ab Ecclesia arceantur, vel ingressu Ecclesiæ; & si per aliam quindenam perduraverint, totam ballivatum vel villicatum eorum Ecclesiastico supponimus interdicto: & præcipimus denuntiari interdictum.

XXI. *De pascuis communibus.*

I. Item excommunicamus omnes & singulos, qui pascua communia in sicco, vel in humido, silvis vel terris constituta, in villis aliquarum Ecclesiarum nostræ Diœcesis, vel ipsarum allodiis, vel hominum ad Ecclesias, vel villas earum pertinentium invaserint, occupaverint, vel approbaverint violenter, nisi infra VII. dies post hujus sententiæ publicationem,

nem, quam a quolibet Sacerdote proxima secunda Dominica post hanc Synodum fieri volumus, eadem pascua dimiserint & communitati restituerint, ita quod amplius se de eis nullatenus intromittant. Præcipientes districtius, quod si hoc non fecerint, denuntientur singulis diebus Dominicis & festivis, candelis accensis, campanis pulsatis, publice & solemniter excommunicati tamquam prædones, rei publicæ vel alienæ invasores. In qua excommunicatione si per dies quindecim perstiterint, uxores eorum & familia, monitione trium dierum præmissa, ab ingressu Ecclesiæ arceantur. Eadem sententia percellentes omnes illos, qui de cetero super communibus pascuis vel similia talia attentaverint. Mandantes, quod singuli Sacerdotes contra eos, de quibus constiterit, quod præmissa in posterum attentabunt, nominatim procedant modo prædicto. Ubicumque vero aliquis Sacerdos specialiter de aliquo suo Parochiano, vel de aliquibus aliis sciveverit, quod (*n*) aliquibus de prædictis pascua occupent, in continenti procedat contra illum vel illos pœna supradicta, sine exspectatione alterius mandati. Quod si scienter hoc omiserit facere, ipso facto ab officio sit suspensus.

XXII. *De decima novalia.*

Item præcipimus, quod quilibet laici, sive nobiles, vel alii, qui antiquarum occasione decimarum, quas in aliquibus Parochiis percipiunt, vel ex donatione, vel ex largitione nobilium, seu alia occasione, quascumque decimas novalium in terris propriis, vel aliis in quibuslibet Parochiis obvenientes occupant, attrahunt, & sibi vendicant, penitus ab occupatione, attractione, & usurpatione earumdem decimarum novalium desistant, & de ablatis satisfaciant tam Nobis, quam Ecclesiasticis personis, quibus ipsæ novales decimæ de jure competunt, ipsas decimas Ecclesiis, ad quas pertinent, de cetero pacifice possidendas relinquentes. Quod si (*o*) per mensem post hujusmodi publicationem mandati, quam infra Dominicam Palmarum in qualibet parochiali Ecclesia a Sacerdote loci sub pœna suspensionis ab eodem fieri præcipimus, (*p*) eos excommunicamus & præcipimus, quod quilibet de præmissis, de quibus constiterit, sine alterius exspectatione mandati a Presbytero loci excommunicati denuntientur. In qua excommunicatione, si per quindenam perduraverint, ex tunc in antea in uxores eorum & famulos excommunicationis sententia aggravetur.

XXIII. *De celebratione in loco interdicto.*

Item districte præcipimus, ut quandocumque contigerit ab ordinariis judicibus aliqua loca seu Ecclesias supponi Ecclesiastico interdicto, Presbyteri & Clerici diligenter observent sententias interdicti, nec aliquis in Ecclesia interdicta præsumat celebrare Divinum Officium durante interdicto, quod durare intelligimus, donec ab eo, a quo latum extitit, seu habente super hoc potestatem fuerit revocatum. Et nos omnes Sacerdotes celebrantes scienter, Diaconos, vel Subdiaconos, & alios Clericos Epistolam & Evangelium legentes, aut aliquid de Divino officio in suis officiis officiantes in loco interdicto: nisi in casu a jure excepto, ut inferius apparebit, & celebrantes Divina scienter excommunicatis & interdictis præsentibus, excommunicamus, & excommunicatos denuntiamus. Si vero Presbyteri excommunicati vel suspensi Divina, immo potius prophana non formidaverint celebrare, ipsos denuntiamus ipso facto irregulares, & si in sua rebellione ulterius per septem dies duraverint, ipsos a suis beneficiis, si quæ habent, ipso facto privamus, & privatos denuntiamus, indulgentes beneficiorum patronis, quod ex tunc aliis personis idoneis beneficia conferant dictorum privatorum, alioquin elapso termino juris, potestas conferendi dicta beneficia ad Superiorem proximum devolvetur. Si vero dicti irregulares beneficia non habent, Nos perpetuo a nostra Diœcesi eos eliminamus. Et licet tales per aliquorum preces importunas absolutionis beneficium ab excommunicatione a Nobis obtinuerint, volumus tamen & præcipimus Archi-Diaconis, quod in suis Archi-Diaconatibus, Decanis conventualium Ecclesiarum & conciliorum, Abbatibus, Prioribus, & ceteris Ecclesiarum Prælatis

(*n*) aliquid de prædictis pascuis.

(*o*) infra mensem non fecerint.

(*p*) *videtur deesse:* se correxerint, *aut quid simile.*

latis, quod in suis Ecclesiis dictos irregulares celebrare, vel aliquod Divinum officium exequi non permittant.

XXIV. *De altari, calice, & vestimentis. &c. &c.*

Item præcipimus etiam Officiali nostro, quod altaria, super quibus tales excommunicati celebraverint, faciant confringi, nec permittant in eis celebrari, donec fuerint reparata: & calices conflari, & vestimenta sacra, in quibus celebraverint, comburi. Et si qui Sacerdotes supra dicta altaria, antequam sint confracta, & cum dictis calicibus, antequam sint conflati, & cum dictis vestimentis, antequam sint combusta, scienter celebrare præsumpserint, ipso facto sint suspensi a Divinis. Item statuimus, quod si Sacerdotes suspensi, excommunicati, vel interdicti celebraverint, & notam irregularitatis incurrerint, & postmodum in contemtum celebrare reperiantur, perpetuo carceri mancipentur.

XXV. *De extorquentibus.*

I. Præterea cum beneficium absolutionis ab excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiis per vim & metum extortum, nullum sit ipso jure: præcipimus omnibus Sacerdotibus, quod si aliquis excommunicatus per vim, vel metum procuraverit se absolvi, nihilominus non obstante tali absolutione nulla, excommunicatum excommunicatum, suspensum suspensum, irregularem irregularem denuntient, sicut ante talem absolutionem facere debuerunt, & illos, qui vi, vel metu hujusmodi extorserint absolutionem, declaramus sententiam excommunicationis auctoritate Canonis incurrere, a qua non poterunt, nisi per Summum Pontificem absolvi.

II. Præterea cum circa absolutionem interdictorum a Presbyteris & aliis Clericis aliquotiens sit erratum, volentes errori communi remedium adhibere, statuimus, ut quotienscumque aliquem locum auctoritate ordinaria vel delegata Ecclesiastico contigerit supponi interdicto, omnibus tam extrema unctio, quam sepultura, & alia Ecclesiastica Sacramenta penitus denegentur, exceptis necessariis Sacramentis, utpote baptismo parvulorum, & pœnitentia morientium, ac viaticum quoque morientibus in extremis non denegetur: nec poterit Presbyter Vesperas, nec alias Canonicas Horas, nec etiam Missam usque ad Offertorium, prout intelleximus quosdam Presbyteros fecisse, officiando celebrare.

III. Clericos autem decedentes, & qui causam interdicto non dederint, sed ipsum reverenter servaverint, in cimiterio sine campanarum pulsatione, cessante omni solemnitate, cum silentio concedimus tumulari, & in Ecclesia interdicta licite cum duobus vel tribus Clericis, vel Sacerdotibus, qui causam interdicto non dederint, clausis januis, voce submissa, ita, quod extra audiri non possint, excommunicatis & interdictis exclusis, horas dicere, & poterunt tempore interdicti Ecclesiarum Ministri semel in septimana voce submissa, clausis januis, excommunicatis & interdictis penitus exclusis, celebrare Missam ad conficiendum Corpus Domini, quod prout dictum est, dari poterit morientibus in extremis.

XXVI. *De potestate simplicis Sacerdotis in articulo mortis.*

I. Presbyteri simplices in articulo mortis quemlibet excommunicatum quacumque auctoritate, possunt absolvere, & absolvunt in forma Ecclesiæ: & hoc fiat, si poterit, coram fide dignis, & testibus, quibus excommunicatio est manifesta: & sic absoluto, quia pure absolutus est, dummodo aliud eidem non obsistat, conferri debent omnia Sacramenta Ecclesiastica, & Ecclesiastica sunt sepultura donandi, exceptis usurariis, vel raptoribus, & aliis in jure expressis.

II. Forma Ecclesiæ talis est, quod excommunicatus, qui se petit absolvi, dabit cautionem pignoraticiam, si poterit, & si non poterit, fidejussoriam vel juratoriam, quod stabit mandatis Ecclesiæ super his, pro quibus est absolutus, & si sic absolutus decesserit, hæredes ipsius tenebuntur & compellentur ad satisfaciendum de his, pro quibus mortuus fuerat excommunicatus. Si autem sic absolutus convaluerit ab infirmitate sua, tunc accedat ad suum excommunicatorem cum literis ejus, qui eum absolvit, continentibus absolutionem, & qualiter fuerit absolutus, & tunc ipse absolutus faciat id, quod excommunicator ei in-

junxerit ſuper his, pro quibus fuerat excommunicatus. Si vero excommunicatus, cum convaluerit, ad excommunicatorem ſuum accedere noluerit, nec acceſſerit infra terminum, quem volumus & præcipimus ſub pœna excommunicationis præfigi ab illo, qui excommunicatum abſolvit; tunc ille, qui abſolvit eum, retrudat ipſum in priſtinam ſententiam auctoritate præſentis ſtatuti, & tunc ut prius, habeatur pro excommunicato; & nihilominus, ſi tunc juramentum præſtiterit, pro perjurio tali puniatur.

III. Quia vero per præſentia ſtatuta noſtra omnibus paterna ſollicitudine intendimus providere, ut quies Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis procuretur, & pacis turbatores pœnæ formidine arceantur a peccatis: præcipimus, & mandamus, & ſtatuimus, ſub pœna excommunicationis, ut ſtatuta ipſa ab omnibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus perſonis inviolabiliter, omni fraude & dolo excluſis obſerventur: & Presbyteri, Clerici, & alii Eccleſiarum Prælati mandata dictorum ſtatutorum fideliter exequantur, & Nos omnes tam Eccleſiaſticas, quam ſæculares perſonas, quæ ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti latas vel ferendas virtute dictorum ſtatutorum non obſervaverint; & Presbyteros, Clericos, & alios Eccleſiarum Prælatos, qui mandata Eccleſiaſtica fraudulenter, & contumaciter exequi non curaverint, excommunicamus in his ſcriptis: & nihilominus illi, pro (a) quo mandata exequi debeant, ad expenſas & intereſſe tenebuntur.

IV. Quoniam autem accepimus, quod plerique noſtri ſubditi mandata noſtra, & Officialis noſtri, & aliorum Judicum minus prompte, nec (b) licenter exequantur, & aliqui exequi omittant, in ſuarum periculum animarum, & libertatis Eccleſiaſticæ læſionem: diſtricte præcipimus, quod ea de cætero omni occaſione & excuſatione poſtpoſitis, ſine difficultate ſuper quocumque negotio fideliter exequantur, obſervent, & obſervari faciant, juxta eorum tenorem mandatorum, mandatis receptis ſigilla ſua in ſignum executionis appendentes. Quicumque vero hujus mandati tranſgreſſor extiterit, per triginta dies ab officio pœnam ſuſpenſionis ſe noverit incurſurum: (c) gravius contra ipſum proceſſuri, ſi meruerit protervitas delinquentis.

XXVII. *De modo conſtandi Decano, & Presbytero loci.*

I. Cum in multis articulis ſtatutorum noſtrorum inſeritur, *quando Decano & Presbytero loci conſtiterit de delicto, vel de præmiſſis, delinquentem excommunicet, ſeu ad excommunicationem procedat;* quatenus hæc clauſula: *Si Decano vel Presbytero loci conſtiterit. &c.* accipienda ſit, declaramus ſtatuentes, quod quando Decano, vel Presbytero loci per evidentiam facti, puta ſi delictum fieri viderint, vel audierint, vel alias ſciverint factum eſſe, vel per confeſſionem delinquentis, (d) quam Decanos vel Presbyteros loci audiendi, recipiendi, & delinquentes ad dicendum veritatem, ſi neceſſe fuerit, ſuper præmiſſis compellendi per cenſuram Eccleſiaſticam, ſtatuimus habere poteſtatem, vel per famam publicam contra aliquos laborantem conquerentium vel eorum procuratoris habentis ſuper hoc poteſtatem Sacramenti (e) de calumnia ſubſequente, illos, contra quos fama laborat, delictum ipſum commiſiſſe, vel per ſententiam, (f) vel per confeſſionem in jure factam conſtiterit de præmiſſis: vel cum judex ipſi Decano vel Presbytero loci mandavit, quod ad excommunicationem procedant virtute dicti ſtatuti noſtri; Decanus vel Presbyter loci, vel alius executor delinquentem excommunicet, & ad excommunicationem procedat; aliter autem Decanus, Presbyter, vel executor delictum, & quid ſuper eodem factum fuerit, & circumſtantias ejuſdem Nobis, vel noſtro Officiali reſcribant, & quod ſuper hoc a Nobis, vel noſtro Officiali mandatum fuerit, obſervetur.

II. Præterea intelleximus, quod cum portitores literarum noſtrarum, Curiæ noſtræ, & Archi-Diaconatus Leodienſis ad aliquos Presbyteros pro citationibus, & aliis mandatis exequendis venerint, ipſi Executores ſeu Presbyteri ipſa mandata exequi recuſant, niſi ipſa mandata juſtitiæ ſæculari loci, & illis contra quos mandata exequi debent, oſtendantur,

(a) quibus. (b) *forte* libenter, *alia lectio*: & negligenter. (c) Nihilominus ſumus, (d) vel quando Decano vel Presbytero loci conſtiterit per teſtes idoneos, quos audiendi &c. (e) Sacramento, (f) diffinitivam.

tur, propter quod pluries accidit, quod mandatorum noſtrorum, Curiæ noſtræ, & Archi-Diaconorum portitores & executores capiebantur, & arreſtabantur, & eis mala inferebantur. Quare ſtatuimus, quod quotienscumque aliqui portitores literarum noſtrarum, Archi-Diaconorum noſtrorum, ſeu aliorum ad aliquem locum venerint, in quo alicujus potentiam, ſeu violentiam ſibi merito inferri metuerint, Presbyteri & ipſi executores mandatorum, ipſis diligenter inſpectis, & viſo (g), ſi ſuſpicione careant, ipſorum mandatorum copia de verbo ad verbum recepta, dicta mandata ſigillent, & portitori reddant, & eum caute & honeſte expediant, ita quod malum ei non inferatur, & Presbyter, ſeu executor cum copia mandati tranſcripti ipſum mandatum exequatur: alioquin Presbyteros & executores præmiſſa fraudulenter omittentes, ipſo facto ſuſpendimus.

III. Præterea, cum nonnulli Presbyteri, ſeu Eccleſiarum Rectores, directis eisdem mandatis Eccleſiaſticis ad exequendum eadem, differunt ea exequi, pro eo, quod aſſerunt ipſa exequi non audere propter minas eisdem illatas; cum igitur Conſtitutiones noſtræ Synodales pro communi utilitate Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum, & ad conſervandam Eccleſiaſticam libertatem ſint ſtatutæ, & publica utilitas præferenda ſit privatæ, mandamus univerſis Presbyteris, & Eccleſiarum Rectoribus, & Prælatis, quod ſtatuta noſtra ſynodalia obſervent, & ad executionem mandatorum, & in eis contentorum procedant diligenter, niſi forte ipſis timor mortis vel cruciatus corporum inferatur, ita quod propter hoc ad executionem & obſervationem ſtatutorum merito procedere non audebunt; in quo caſu dictas minas inferentes excommunicamus, & locum, in quo præmiſſa facta fuerint, & ejus populum ſupponimus Eccleſiaſtico interdicto, niſi habuerimus, quod minæ a tempore, quo factæ fuerunt, ceſſaverunt infra octo dies, & Presbyter, cui minæ hujusmodi intentabuntur, ſi poterit, recipiat teſtimonium competenter, & ſi infra menſem unum tunc proximum hujusmodi minæ non ceſſaverint, ita quod Presbyter ſeu Executor executionem ſuam & ſtatuta ſynodalia obſervare non poterit, tunc Executor ſive ſit Presbyter, vel quicumque alius a loco, in quo minæ factæ fuerunt, recedat, nec ad eum minis durantibus accedat, alioquin ipſum ſuſpendimus a Divinis ipſo facto, & ex tunc idem Executor Decano Concilii præmiſſa denuntiet, & ipſe Decanus ad denuntiationem dicti Executoris, dictas minas ſub juramento ſibi illatas affirmantis, faciat convocationem ſuorum Sacerdotum, & ſubditorum, & omnes, vel eos, qui prædictas minas fecerint, vel intulerint, cum eorum fautoribus, complicibus in hac parte, excommunicatos propter hoc auctoritate noſtra, per ſingulos Presbyteros dicti Concilii faciat denuntiari excommunicatos ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis (h). . . . . . . uxorem & familiam extra Eccleſiam tenendo, & locum ſuppoſitum eſſe Eccleſiaſtico interdicto. Et nihilominus, ſi ſit Dominus terræ, ſeu Villicus jurisdictionem habens, a quo, ſeu cujus auctoritate dictæ minæ factæ fuerint, Decanus loci denuntiet ei, quod dictas minas ceſſare faciat, & permittat Eccleſiaſtica obſervari mandata. Alioquin a tempore denuntiationis dicti Decani, quam fieri mandamus infra octo dies a tempore denuntiationis ſibi factæ, poſt quindecim dies totus diſtrictus & terra Domini prædicti, & ejus juſtitiæ ſuppoſiti ſint Eccleſiaſtico interdicto, & ipſum interdictum per ipſum Decanum & per ſingulos Presbyteros ſui Concilii præcipimus publicari, & ſi ſit ſingularis perſona, diſtrictum & jurisdictionem non habens dictas minas inferens; tunc Decanus prædictus poſt denuntiationem dicti excommunicatoris modo prædicto factam, moneat dictum Dominum & juſtitiam ſuam, ſub quibus minas inferens conſiſtit, ut dictas minas ceſſari (i) faciat, & ipſum Presbyterum aſſecurari, ita quod mandata Eccleſiaſtica exequi poſſint infra octo dies a tempore dictæ monitionis: alioquin ipſum Dominum, ejus juſtitiam, eorum complices & fautores excommunicamus & excommunicatos denuntiamus. Et ſi per quindecim dies in dicta excommunicatione permanſerint, terram & diſtrictum eorum Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Similiter ſi Decano loci minæ factæ fuerint, per Officialem noſtrum procedatur.

(g) viſis. (h) candelis accenſis, campanis pulſatis. (i) ceſſare.

XXVIII. *De Judicibus.*

I. Insuper statuimus & præcipimus sub pœna excommunicationis omnibus scabinis & justitiariis, ut non differant fraudulenter proferre judicium super querimoniis & causis Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, contra personas laicales ad ipsos delatis, & dictas sententias debitæ executioni demandare.

II. Præcipimus omnibus judicibus ordinariis & delegatis, ut in judiciis Deum præ oculis habentes statuant, & faciant, quod suadebit justitia: & pauperibus, in quantum potuerint cum Deo & ratione, condescendant, & sub pœna excommunicationis, quod prece, pretio, odio, vel timore non flectantur, & excommunicationis sententiam non proferant, nisi in scriptis, & causam expresse conscribant, propter quam excommunicant, & exemplum scripturæ exhibeant excommunicato infra mensem post diem excommunicationis latæ, si fuerint requisiti super hoc. Similiter procedant in suspensionis & interdicti sententiis, alioquin judex contrarium faciens per unum mensem ab ingressu Ecclesiæ & Divinis Officiis secundum Canonicas sanctiones, ipso facto est suspensus. Et si sic Divina officia exequatur, irregularitatem incurrat; super qua non poterit, nisi per Sedem Apostolicam dispensari: & judex, in quantum poterit, lites abbreviet, & cum judex viderit aliquam partium per exceptiones frivolas dilatorias, & peremtorias litem protrahere, tunc secundum quantitatem vel qualitatem negotii, conditionem personarum & alias circumstantias statuat terminum peremptorium partibus, ad proponendum quidquid proponere voluerint, & ultra terminum non audiat aliquem ulterius proponentem.

III. Judices advocatos in judiciis postulantes & procuratores faciant jurare tactis Sacrosanctis, quod in causis, in quibus sunt advocati & procuratores, omni virtute sua, omnique ope id quod verum & justum esse æstimaverint, suis clientibus inferre procurabunt, & suadebunt, & quod in quacumque parte judicii, cum ipsis innotuerit causam esse injustam, eam dimittent, & omnino recedent ab eadem, nullatenus ulterius de ipsa se intromissuri.

IV. Præcipimus omnibus judicibus in virtute sanctæ obedientiæ, quod nullum super excessibus suis conveniant, aut citari faciant, nisi prius apud bonos & graves super delicto aliquo diffamatum, vel nisi persona gravi denuntiante, cui merito sit credendum, & tunc in citatione & processu scribant personam denunciantem, & si persona denuncians in probatione defecerit, sciat, quoniam denunciato tenebitur ad expensas & interesse. Non signet vel scribat judex vel denuntians (*k*) per formam esse, cum non sit verum, cum mortale peccatum sit, innocentem diffamare, & non permittat judex de sigillo suo recipere ultra rationem, & omnia acta judicialia conscribantur, & originalia maneant apud judices, ut si dissonantia actorum fuerit, ad originale recurratur.

V. Præcipimus & omnibus judicibus, ut habeant notarios peritos & discretos, qui testes possint examinare in causis gravibus, ut puta matrimonialibus & aliis. Et notarii in examinandis testibus sint diligentes & discreti, nec aliquam foveant partem, & quærant a teste causam scire (*l*) dicti sui, de loco, tempore & aliis circumstantiis, de quibus traditur. Extra *de testibus.* Et cum agitur in causa matrimoniali ad divortium, notarii quærant distinctionem graduum secundum decretalem extra *de testibus*, in Capitulo *Licet.*

VI. Et nos excommunicamus & excommunicatos denuntiamus omnes advocatos, procuratores, notarios & alios quoscumque, qui personas in judicio litigantes instruunt & inducunt, ut faciant negare, quod esset affirmandum, vel etiam affirmare, quod esset negandum; & qui testes instruunt & inducunt ad perhibendum falsum testimonium, & omnes testes falsum deponentes; & mandamus judicibus, quotiescumque tales invenerint, quod eos capiant & in carcerem intrudant; pœna canonica puniendos.

VII. Nullus advocatus patrocinium suum præstet manifesto usurario, hæretico

(*k*) famam esse, *pro* per formam.

(*l*) scientiæ *pro* scire.

retico, vel judæo contra Christianum, nisi judex ex causa aliqua advocato hoc duxerit committendum: & assistant advocati pauperibus & miserabilibus personis gratis, & nullus advocatus, procurator, seu notarius, vel judex attentet pudicitiam mulierum litigantium.

VIII. Praeterea praecipimus omnibus judicibus, quod in citationibus ponant terminum competentem: & executores non citent aliquem, nisi citatus veniendi ad judicium terminum habeat competentem secundum locorum distantiam.

IX. Item cum in Concilio Lugdunensi statutum sit, ne a Sede Apostolica, vel Legatis ejus causæ aliquibus committantur, nisi personis, quæ in dignitate sunt positæ, nec alibi, quam in civitate, & in locis magnis & insignibus, ubi valeat juris peritorum copia inveniri, & cum in nostra Diœcesi a nonnullis dubitetur, quæ loca insignia debeant reputari; nos talem dubitationem removentes, ipsa loca insignia propriis vocabulis duximus exponenda vel exprimenda, videlicet Leodium, (m) Hoyum, Dinantum, Namurcum, Tossis, Theuduinum, Nivella, Aquis, Trajectum, Tungris & Thenis in monte: prohibentes, ne in aliis locis causæ Apostolicæ, vel Legatorum ejus tractentur, nisi de communi partium processerit voluntate.

X. Quia vero cessiones actionum odiosæ sunt & pluries in fraudem fiunt, statuimus, ut cessiones actionum inter viros fiant de licentia & in præsentia Nostra, Officialis nostri, vel loci Archi-Diaconi, vel judicis partium competentis. Et si legitima causa subsit, cessiones admittantur: alioquin non admittantur. Cessiones autem aliter factæ non valeant, & qui cedit, cadat a jure suo, & is, in quem facta est cessio, commodum non habeat, & si ex tali cessione aliquis agere præsumserit, (n) usque ad litem contestatam agere destiterit, excommunicatus sit ipso facto.

XI. Item inhibemus Sacerdotibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & omnibus Clericis, ne exequantur mandata judicum delegatorum, nisi prius inspecto authentico, quo utuntur sigillato.

XXIX. *De Beghinis.*

I. Item præcipimus, quod omnes Beghinæ privilegio Beghinali gaudere volentes, intrent curiam Beghinarum, & præcipimus commorantibus extra curiam Beghinarum, quod distinguant habitum suum ab habitu Beghinarum, & si aliqua Beghina extra curiam accesserit moratura, vel ejecta fuerit propter incontinentiam, vel aliud delictum, habitum non deferat Beghinarum.

II. Præterea omnes Beghinas negotiatrices, vel mercatrices manifestas, amplius quam decem Marcharum in negotiationibus habentes, a privilegiis Beghinarum excludimus, nec eas a solutione (o) cotorum seu exactionum volumus esse liberas. Alias autem in curiis commorantes declaramus ad præmissa non teneri. (p)

XXX. *De mandatis.*

Quoniam autem ut accepimus, quod plures subditi nostri mandata nostra, & nostri Officialis, & aliorum judicum minus prompte & diligenter exsequuntur, & aliqui exsequi omittunt, in suarum periculum animarum, & libertatis Ecclesiasticæ Leodiensis: districte præcipimus, quod ea de cætero omni occasione & excusatione posthabita sine difficultate super quocumque negotio, contra quoscumque fideliter exsequantur, & observent, & observari faciat juxta eorundem tenorem mandatorum, mandatis receptis sigilla sua in signum executionis appendentes. Quicumque vero hujusmodi mandati transgressor extiterit, per triginta dies ab officio pœnam suspensionis se noverit incursurum. Nihilominus contra ipsum gravius processuri, si meruerit protervitas delinquentis.

XXXI. *De falsariis.*

I. Statuimus de falsariis, declarando falsarios literarum Domini Papæ esse auctoritate *Canonis* excommunicatos, & nos excommunicamus, etiam excommunicatos denuntiamus omnes abusores literarum Domini Papæ, Legatorum ejus, nostrorum Archi-Diaconorum, Decanorum, & aliorum Prælatorum, judicum

(m) civitatem & oppidum Lovaniense, in quo studium viget universale. Nullus alius locus in Leodii impresso reperitur. (n) & perstiterit usque. (o) Scotorum.

(p) *Hæc Statuta hactenus anni* 1287. *renovata fuere in Synodo Leodiensi anni* 1445. *X. Octob. Ind. VIII. teste Libro impresso Parisiis* 1518, *e quo variantes hactenus adductæ desumptæ sunt.*

cum Ecclesiasticorum: & omnes illos, qui per literas Apostolicas, vel Legatorum ejusdem coram diversis judicibus aliquem super una re, vel in una parochiali, vel pluribus personalibus actionibus trahunt in causam & vexant. Qui vero dictas literas Apostolicas, aut legatorum ejus ad futuras trahunt injurias, aut aliis vendunt, aut commodant, emunt ab aliis, seu ex causa commodati recipiunt, illos etiam, qui propter vexationem, vel extorsionem aliquam faciendam eis scienter utuntur contra illos, contra quos nihil habent quæstionis, aut per ipsas malitiose adversarios suos ad villam, quæ commune cum aliis habet vocabulum, citari procurant, vel ad loca ignota, vel minus insignia: *videtur hic aliquid deesse.*

II. Excommunicamus etiam omnes falsitatem in literis nostris, Ecclesiæ nostræ majoris, Curiæ nostræ, vel Archi-Diaconorum, vel Decanorum nostrorum, ac ipsarum literarum sigillis committentes sive facientes; nec non illos, quorum consilio, vel instructione ipsa committitur falsitas, & illos similiter, qui ipsis literis falsis scienter utuntur. Et districte præcipimus Sacerdotibus & Decanis Christianitatis, ut per singulas Parochias inquiri faciant tales falsarios vel abusores, & nomina illorum, qui super hoc fuerint diffamati, remittant nobis, seu Officiali nostro.

III. Item excommunicamus, & excommunicatos denuntiamms omnes illos, qui per rescriptum Apostolicum in forma ea, quæ de bonis, quod solum se extendit ad res Ecclesiarum, citant, & conveniunt aliquos super aliis rebus, quam Eccclesiasticis, ad quas hujusmodi rescriptum se non extendit: Etiam omnes illos, qui causa ferendi testimonii faciunt aliquos citari personaliter coram judicibus ad vexandum eos, quorum testimonio non indigent.

VI. Excommunicamus & excommunicatos denuntiamus omnes, falsam monetam, & etiam omnes illos, quorum auxilio vel consilio præmissa fiunt, facientes, & eos, quorum consilio facta fuerit falsa moneta, & qui eam in terra sua fieri permittunt.

XXXII. *De usurariis.*

I. Excommunicamus & excommunicatos denuntiamus omnes usurarios manifestos, & singulis diebus Dominicis & festivis a quolibet Sacerdote denuntientur excommunicati.

II. Nullus Sacerdos oblationes manifestorum usurariorum recipiat, nec ad communionem eos admittat, nisi usurarius manifestus satisfecerit de usuris, secundum constitutionem felicis recordationis Domini Gregorii Papæ X. quæ incipit: QUAMQUAM USURARII.

III. Nullus testamentis usurarii manifesti intersit, nec ad pœnitentiam, vel communionem admittat, nisi de usuris satisfecerit secundum formam constitutionis Domini Gregorii Papæ, & testamenta manifestorum usurariorum, qui secundum formam dictæ constitutionis non satisfecerint de usuris, suspensione nulla sunt ipso jure. Cum autem usurarii manifesti secundum formam constitutionis satisfecerint, ad Sacramenta Ecclesiastica admittantur.

IV. Manifestos autem usurarios dicimus, de quibus per sententiam, vel confessionem factam in jure, aut evidentiam rei, quæ aliqua tergiversatione non potest celari, constiterit evidenter, & illos etiam, qui per usuras diffamati infra tempus statuendum ab eo, qui super hoc habet potestatem, se non purgaverint, reputamus pro manifestis usurariis puniendos.

V. Præcipimus etiam singulis Sacerdotibus parochialibus, quod moneant in parochiis suis frequenter in generali & speciali, de quibus constiterit, usurarios & infamatos publice de usuris, & contractibus illicitis præemptionum exercendis, ut ab usuris & talibus contractibus desistant infra septem dies a tempore dictæ monitionis: alioquin ex tunc ipsi usurarii & præemtores excommunicentur in speciali, & diffamati, si se non purgaverint, pro convictis habeantur, & si taliter moniti & excommunicati resipiscere noluerint, nominatim excommunicentur, & nomina eorumdem nostro Officiali referantur, salvo jure Nostro & Archi-Diaconorum in præmissis.

VI. Præcipimus etiam, constitutionem Domini Gregorii Papæ X. felicis recordationis contra usurarios alienigenas editam observari.

XXXIII.

XXXIII. *De Quæstuariis.*

I. Quæstuarii non permittantur in Ecclesiis prædicare, vel negotia sua exponere pro aliquo quæstu faciendo; quascumque literas deferant; sed ipsi Sacerdotes per se ipsos fideliter secundum tenorem litterarum, quas ipsi Quæstuarii habuerint, sine fraude & subtractione aliqua negotia eorum exponant. Sacerdotes non permittant Quæstuores, Goliardos, vel quoscumque alios ignotos infra Parochiam suam in Ecclesia, in via, vel in platea, vel quibuslibet locis suæ Parochiæ prædicare, vel ostiatim deferre indulgentias pro quæstu faciendo: sed tales, & omnes, qui eis assistunt, Presbyter loci excommunicet, & ad removendum ipsos invocet auxilium brachii sæcularis, si necesse fuerit: & Sacerdotes non permittant Prædicatores Quæstuarios celebrare super archas, nec pulsare campanulas manuales per vicos, neque in Ecclesia, & presbyteri sæpe Dominicis diebus & festivis moneant parochianos suos, & etiam sub pœna excommunicationis eisdem inhibeant, ne tales adeant propter pericula hæresum & errores, quos sæpius seminant. Et si quis tales viderit, denuntiet Presbytero, & Presbyter eos faciat teneri per justitiam sæcularem; & nobis remitti.

II. Præcipimus etiam, quod Ecclesiæ interdictæ a Nobis, nostro Capitulo, Archi-Diacono loci, seu Officiali, vel quocumque judice ordinario vel delegato nullatenus aperiantur, nec quacumque auctoritate, pro quocumque quæstu faciendo, nisi de mandato speciali Sedis Apostolicæ.

III. Item monemus omnes Sacerdotes, & alios quoscumque nostræ Diœcesis, qui eleemosynas fidelium ad opus fabricæ Ecclesiæ majoris Leodiensis collatas detinent, quod infra mensem satisfaciant de eisdem procuratori, seu procuratoribus dictæ Fabricæ, alioquin omnes suspendimus; & si per octo dies causam suspensionis sustinuerint, ipsos excommunicamus, & etiam omnes illos, qui dictas eleemosynas subripuerint, & celaverint, distraxerint, subripiunt, celant & distrahunt in fraudem dictæ fabricæ.

IV. Item præcipimus, & injungimus universis Presbyteris nostræ Diœcesis, sub pœna suspensionis & excommunicationis, quatenus diligenter negotium dictæ fabricæ Ecclesiæ apud suos subditos promoveant diligenter, & fideliter in Ecclesiis, confessionibus & testamentis, & si qui pro hujusmodi negotiis excommunicati vel suspensi fuerint, non absolvantur, nisi per Nos, seu Officialem nostrum.

XXXIV. *De Testamentis.*

I. Præcipimus, ut Sacerdotes denuntient suis subditis, quod omnes, quibus hoc a jure prohibitum non est, liberam testamenti habeant factionem, & Clerici bona maxime mobilia, quæ per Ecclesiam sunt adepti, hæc per modum testamenti, sive alias, non transferant ad filios, nepotes, aut alios suos consanguineos, sed relinquant Ecclesiæ, a qua sunt profecta; sed intuitu Ecclesiæ pauperibus, Religiosis locis, & illis, qui ipsis servierant, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum de mobilibus dare possunt; de aliis vero bonis, quæ ex hæreditate, artificio, vel doctrina, vel alias non ex bonis Ecclesiæ ad Clericos pervenerunt, Clerici possunt disponere in suo arbitrio.

II. Excommunicamus & excommunicatos denuntiamus omnes Clericos, qui bona immobilia Ecclesiarum filiis suis, neptibus suis, vel consanguineis, seu aliis conferunt, vel in ipsos transferunt, ab Ecclesiis alienant sua propria voluntate, & sine consensu Episcopi sui.

III. Præcipimus & monemus, ut laici in præsentia sui Sacerdotis testamenta sua faciant, nisi improvisa necessitas emerserit.

IV. Item omnibus Sacerdotibus præcipimus, quod hortentur omnes Clericos, & laicos, testamenta sua facere, & quod non differant usque ad angustias mortis, sed ea faciant, dum adhuc compotes sunt mentis & corporis. In testamentis faciendis consulant Sacerdotes suis subditis, quod declarent sua debita & forefacta, & quod ea restitui faciant primo, seu præcipiant de bonis suis, & quod postmodum aliqua fabricæ Ecclesiæ S. Lamberti Martyris, Ecclesiæ totius

Civi-

Civitatis & Diœcesis Leodiensis, & suæ parochiali Ecclesiæ, & etiam religiosis, & piis locis, ac pauperibus aliis secundum arbitrium testamenti. Si quis vero fabricæ Ecclesiæ S. Lamberti, & parochiali Ecclesiæ suæ aliquid legaverit in suo testamento, eidem XX. dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus. Et fiant testamenta Parochianorum publice, & coram discretis personis; & cum aliqua fabricæ Ecclesiæ S. Lamberti legantur, hoc Presbyter significet in Leodio procuratori fabricæ, & nomina eorum, qui prædicta legata fecerunt, infra mensem.

V. Suspendimus & suspensos denuntiamus omnes Presbyteros, qui celant legata fabricæ Ecclesiæ prædictæ, nec ea procuratori suo denuntiant infra duos menses a tempore scientiæ. Et excommunicamus omnes laicos, qui celaverint prædicta legata.

VI. Quoniam autem in aliquibus locis nostræ Diœcesis quædam consuetudo inolevit, quæ dicenda est potius corruptela, cum sit contraria rationi, & contra jura canonica & civilia, videlicet, quod judices, & scabini, & consiliarii quorundam oppidorum dicunt, & statuunt, vel judicant, & faciunt observari, & per consuetudinem tenent, quod nullum testamentum, donatio, vel legatum teneat super mobilibus & immobilibus, quod, vel quæ a decumbentibus in lecto piis locis, vel personis aliis fuerit factum vel facta, & & quod vel quæ fuerit ab aliquo per translationem proprietatis in pia loca, vel alias personas, retento a testatore seu donatore usufructu, nisi ab eodem ususfructus cum proprietate transferatur.

Nos huic manifesto errori obviare volentes, consuetudinem prædictam, seu statutum reprobatam, seu reprobatum a nostris prædecessoribus, penitus etiam reprobamus. Statuentes etiam, prout nostri antecessores statuerunt; quod quilibet tam sanus, quam infirmus, qui liberam habet a jure testamenti factionem, & compos mentis exiftit, libere possit condere testamentum, & donare, & legare tam proprietatem, quam usumfructum, vel proprietatem, retento sibi usufructu, & etiam utrumque tam proprietatem, quam usumfructum, & secundum ejus voluntatem & dispositionem procedant universa: cum ultimæ voluntatis liber debeat esse stilus, & liberum esse debeat, quod irritum non reddit arbitrium. Præcipientes districtius, quod si in aliqua parochia aliqui judices, scabini, vel consiliarii secundum dictam consuetudinem, seu statutum reprobatam & reprobatum judicaverint, & fecerint observari, denuntientur Officiali nostro, & ipse Officialis contra judices prædictos tam scabinos, quam partem ad hoc instantem procedat.

VII. Presbyteri instruant subditos suos, quod districte faciant sua testamenta & legata, si poterint, & certos executores constituant ad exequendam suam ultimam voluntatem. Et tamen si aliquis omnia bona sua in manibus executorum suorum posuerit, habetur pro testamento.

VIII. Verum cum executores, seu manufideles testamentorum perperam procedentes, bona ad executionem pertinentia clam suscipiunt & celant, & postmodum, cum rationem executionis suæ facere debent, negant se habere bona, quanta receperunt, furtum & rapinam committentes, & ultimam voluntatem defuncti minime exequentes. Nos malitiis talium obviare volentes, statuimus, & ordinamus, quod nullus executor, seu manufidelis bona testatorum ad executionem suam pertinentia invadat, recipiat, vel de eisdem se aliquatenus intromittat, nisi facto prius inventario; id est, quadam scriptura, in qua continebuntur, quæ & qualia bona testator post se reliquit, ad executionem prædictam spectantia, quæ ipse executor seu manufidelis recipiet & levabit, & debita forefacta, & legata ipsius testatoris restituet & adimplebit, & illud inventarium fiet per bonos viros, videlicet Presbyterum & duos scabinos locales, seu Synodales, nec suspectos, & sigillabitur sub sigillo Presbyteri, vel alcujus personæ authenticæ. Unde executores petant a testatore, si potest fieri, quod ipsos de bonis suis & debitis suis certificet, nam in hoc stabitur assertioni testatoris.

IX. Et nos excommunicamus & excommunicatos denuntiamus omnes executo-

executores, seu manufideles, qui bona decedentium, quorum sunt executores, prius non facto modo prædicto inventario, invadunt, recipiunt, vel levant: nihilominus ipsi executores, seu manufideles, si bona, prædicto non facto inventario, levaverint, dum a creditoribus seu legatoribus defuncti, ratione dictæ executionis conveniuntur; in solidum tenebuntur & condemnabuntur, exceptis rebus, quæ servari non possunt: quas res, si necessitas exegerit, executores alienare poterunt, non facto inventario, in præsentia tamen Sacerdotis loci, vel duorum, vel trium Scabinorum Synodalium, vel fide dignorum. Pecuniam de dicta re redactam ipsi executores ponent in certo loco, nec ea utentur, nisi dicto inventario facto; alioquin dictam excommuniationis sententiam incurrant. Et si defunctus aliquod debitum sub pœna, ad usuras, vel ad alia damna debebat, poterunt executores, vel manufideles de bonis defuncti solvere debitum, pœnam, usuras, & alia pericula & damna extinguendo, non facto etiam inventario, si ipsum inventarium commode fieri non potest. Si debitis, pœna, usuris, & aliis impedimentis instantibus fuerit augmentandum circa exsequias dicti defuncti, & fiet in præsentia Presbyteri, duorum vel trium scabinorum Synodalium, vel aliorum proborum; alioquin dicta excommunicationis sententia ligentur. Si vero Presbyter loci fuerit executor, tunc poterit fieri inventarium ipsum in præsentia Decani loci; vel alterius authenticæ personæ, & duorum, vel trium Scabinorum synodalium, vel aliorum Presbyterorum.

X. Volumus tamen, quod testamenta Canonicorum Ecclesiarum Leodiensium, quorum executores Canonici fuerint, ordinentur, & teneantur, prout est, vel in posterum fuerit a Capitulis eorumdem super hoc ordinatum: nec volumus per hoc præjudicium generari consuetudinibus observatis circa testamenta Canonicorum nostræ Diœcesis, si quas habent in præmissis.

XI. Præcipimus etiam Sacerdotibus loci, & ipsis executoribus, & manufidelibus, quod copiam inventarii dicti referant infra duos menses nostro Officiali a tempore, quo factum fuerit, & hoc præcipimus per nostrum Officialem registrari, nec aliquid recipiatur pro sigillo. Cum autem testator decesserit, ipsi executores facto inventario, bona ad executionem pertinentia apprehendant, & exequantur ultimam voluntatem dicti defuncti, faciendo proclamari in loco, quo morabatur defunctus & plurimos esse & conservari consuevit, ut omnes creditores defuncti, & a quibus aliqua extorserat, compareant certa die ostensuri debita sua; & tunc ipsi executores primo creditoribus, a quibus injuste extorserat, satisfaciant, & de residuo satisfaciant legatariis quibuslibet pro rata bonorum defuncti: & Officialis noster per censuram Ecclesiasticam compellat executores & hæredes defuncti ad implendam & exequendam supremam defuncti voluntatem.

MODIFICATIONES PRÆCEDENTIUM STATUTORUM, ANNO MCCXC. EDITÆ.

JOHANNES, DEI GRATIA, LEODIENSIS EPISCOPUS, UNIVERSIS ABBATIBUS, ABBATISSIS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, ARCHI-DIACONIS, DECANIS, CONVENTIBUS, CAPITULIS, ET ECCLESIARUM RECTORIBUS, CLERICIS, ET ALIIS CIVITATIS ET DIOECESIS LEODIENSIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CUm in generali Concilio nuper a nobis Leodii celebrato in crastino Dominicæ, qua cantatur, *Invocavit me* anno Domini M. CC. LXXXVII. ad conservandum statum & libertatem Ecclesiarum, ac regimen Diœcesis Leodiensis & ad reprimendam perversorum malitiam, quasdam synodales fecerimus constitutiones, quæ tunc legitimæ de sui forma poterant reputari, sed quia Potentes, Magnates, Nobiles Diœcesis nostræ Leodiensis, nec non Magistri,

Scabini jurati, & communitates civitatis Leodiensis, oppidorum *Hoyensis*, *Dioneti*, *S. Trudonis*, *Tongrensis*, & *Fossatensis*, ad Nos detulerint querimoniam super eo, quod per quasdam ex constitutionibus, de quibus inferius fit mentio, jura sua, libertates, Franchisiæ, leges, & consuetudines ipsorum, ad quorum observationem ex debito nostri tenemur officii, læduntur, & enervantur, ut dicebant: licet dictæ constitutiones fuerint, & debuerint apud jurisperitos legitimæ reputari; quia cum alibi scribitur, quod ad sedandum populum termini multum remanserit, nos pacem & tranquillitatem nostrorum subditorum modis omnibus affectantes dictas constitutiones de jurisperitorum consilio declaramus, corrigimus, & modificamus, prout inferius continetur.

I. Sub titulo de usuris in constitutione, quæ incipit: *Excommunicamus*, & *excommunicatos denuntiamus omnes usurarios manifestos*, & clausulas, quæ tales sunt: *Et illos etiam, qui super usuris diffamati infra tempus statuendum ab eo, qui super hoc habet potestatem, si se non purgaverint, reputamus pro manifestis usurariis puniendos.* Et illam clausulam: *Et infamati si se non purgaverint, pro convictis habeantur*, sic declaramus: Licet de jure sic intelligi deberent, & nostræ hactenus fuerit intentionis, ut sic intelligerentur: dum cum fama sic legitime contra illos probata & pronunciata per judicem competentem, famam legitime contra illos esse probatam, illos sic diffamatos reputamus pro usurariis manifestis puniendos & pro convictis debent haberi, si se non purgaverint infra terminum competentem eis assignandum: volentes, & præcipientes vobis omnibus, & specialiter nostro Officiali Leodiensi, quod si usurarii manifesti satisfecerint de usuris, vel cautionem præstiterint de ipsis restituendis secundum constitutionem felicis recordationis Domini Gregorii Papæ X. quæ incipit: *Quamquam*, vel *Quamvis*, sine difficultate qualibet Ecclesiasticæ tradantur sepulturæ.

II. Item aliam constitutionem sub titulo: *De testamentis*, qua dicitur: *Excommunicamus omnes laicos, qui celaverint Legata Fabricæ Ecclesiæ Leodiensis*, sic declaramus, & intelligi volumus de laicis, qui tenentur ad solutionem Legatorum, quod illi sint excommunicati secundum tenorem & formam constitutionis.

III. Item constitutionem, quæ scripta est sub eodem titulo: *De Testamentis*, quæ sic incipit: *Verum cum executores seu manufideles testamentorum, perperam* (a) *protendentes &c.* usque ad finem tituli, sic corrigimus & modificamus: Quod mortuo testatore, executores testamenti ipsius defuncti vocent duos vel tres Scabinos, vel alios probos viros & honestos, & coram eis scribi faciant, si commode fieri potest, bona spectantia ad ipsam executionem, & copiam dictæ scripturæ dent dictis probis, & sic dicta executione utantur, & in ea procedant juxta ipsius defuncti voluntatem: ita quod per dictam executionem legi & consuetudini loci, in quo præmissa fient, nullum fiat præjudicium, nec ad aliud obligentur dicti executores virtute dictæ constitutionis, quam de jure vel consuetudine loci dicti sint obligandi.

IV. Item aliam, quæ scripta est sub titulo: *De vita & honestate Clericorum*, in qua excommunicantur & excommunicati denuntiantur omnes laici, & omnes, quicumque in Clericos deassecuraverunt, &c. mitigamus in hunc modum: Quod pœnam excommunicationis in eis latam revocamus, ita tamen; quod si qui fuerint laici vel alii, qui Clericos deassecuraverint, nec eos postea assecuraverint; nos & alii judices competentes, procedemus, prout de jure fuerit faciendum, cum super hoc ad nos, vel ad judices competentes fuerit delata querela.

V. *Correctio circa plures sententias excommunicationis, interdicti.*

Item, quia in quibusdam malefactoribus ipsis, de quibus in illis fit mentio, inflictæ quædam pœnæ sequuntur, videlicet, ubi tales malefactores domicilium habuerint, moram fecerint, biberint, comederint, pernoctaverint; privatæ personæ, vel Domini districtum habentes, quod in locis illis, vel in districtibus dictorum Dominorum cessetur a Divinis, & post recessum eorum per duos, tres, vel plures dies, & ubi violentia facta est, & quod Dominus loci, judex, justitia, villicus & Scabini sint excommunicati, & eorum terræ & districtus Ecclesiastico suppo-

(a) *forte*: prætendentes.

ſuppoſiti ſint interdicto, niſi fecerint de dictis malefactoribus id, quod Presbyter loci vel Decanus, de quibus in ipſis conſtitutionibus continetur, propter quæ ceſſare mandabatur a Divinis in aliquibus locis virtute ipſarum conſtitutionum. Et quia pœnæ ita ſuos auctores tenere debent, ut inſontes non lædantur, dictas pœnas relaxamus. Volentes & præcipientes, quod licet in aliquibus locis dicti malefactores domicilium habuerint, moram fecerint, biberint, comederint, pernoctaverint, tranſitum fecerint: vel ſi Domini non liberaverint Clericos, qui capti deducuntur per eorum loca vel diſtrictus, a manibus ſic eos deducentium, vel ubi violentiæ factæ ſunt, ſeu aliqua alia de cauſa, licet hic de ea expreſſa non fiat mentio, contenta in noſtris novis conſtitutionibus, propter quam ceſſare deberent a Divinis virtute dictarum conſtitutionum, vel Dominus, judex, juſtitia, villicus, & Scabini excommunicationis ſententiam incurrebant; Non propter hoc dicti Domini, judex, juſtitia, villicus, & Scabini, licet denuntiationi Presbyteri vel Decani prædictorum non obedierint in præmiſſis, dum tamen hoc fecerint, quod ad ipſos pertinet ratione ſui officii, excommunicationis ſententiam incurrant, nec terræ eorum, ſeu diſtrictus, vel alia loca Eccleſiaſtico propter hoc ſupponantur interdicto virtute dictarum conſtitutionum, ipſis conſtitutionibus & pœnis aliis contra ipſos malefactores in ſuo robore durantibus.

VI. Malefactores autem prædicti ſunt incendiarii, effractores Eccleſiarum, Monaſteriorum invaſores, raptores, detentores grangiarum, domorum, & aliarum rerum, ſeu bonorum Eccleſiaſticorum, Monaſteriorum, & Eccleſiaſticarum perſonarum, eorum complices & fautores: & violatores Eccleſiarum & cimiteriorum, nec non immunitatum Eccleſiarum, extractores aliquorum hominum ab Eccleſia, obſidentes Eccleſias, prohibentes, ne obſeſſis in Eccleſia victualia conferantur: capientes Clericos, & eorum bona, complices & eorum fautores: Clericos captivos detinentes, pecuniam ab eis extorquentes per captivitatem Domini locorum, qui eos non deliberavit a manibus ſuis, vel eorum, qui eos, ſic captos deducunt per eorum terras, vel eos ibidem non arreſtant: inhibentes rectoribus & inveſtitis, ne in locis ſuis morari poſſint, eorum complices, & fautores: occiſores, mutilatores, percuſſores atrociter Clericorum, inbannitores, & arreſtantes bona Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticarum perſonarum: facientes & ſcribentes ſtatuta, contra Eccleſiaſticarum libertatem, judicantes ſecundum ea: prohibentes, ne ad judicem Eccleſiaſticum eatur de cauſis ſpectantibus ad forum Eccleſiaſticum, impedientes portitores literarum judicum Eccleſiaſticorum, & ipſarum executores: Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis tallias, exactiones indebitas, vel ſervitia indebita imponentes: inhibentes terras Eccleſiarum coli, & alii malefactores, de quibus in dictis novis conſtitutionibus, vel earum aliqua fit mentio ſpecialis, licet hic non exprimatur.

VII. Item alteram conſtitutionem, in qua dicitur, quod ſi aliqui nobiles, vel alii, ad prælia, vel ad aliquas expeditiones procedentes, jacuerint in grangiis Eccleſiarum, ſeu Eccleſiaſticarum perſonarum &c. quod, niſi infra quindecim dies a tempore perpetrati delicti ſatisfecerint de damnis & rapinis, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, prout in ipſa conſtitutione continetur. Nos conſiderantes, quod propter neceſſitates plurimas præmiſſa interdum fieri contingit, pœnam excommunicationis in dicta conſtitutione contentam relaxamus.

VIII. *Correctio contra ceſſiones actionum faciendas.*

Item, conſtitutionem ſcriptam de judicibus, in qua prohibentur fieri ceſſiones actionum inter vivos coram aliis, quam coram noſtro Officiali Leodienſi, Archi-Diacono loci, vel judice competente &c. intelligimus & declaramus de ceſſionibus actionum perſonalium. Quare vobis & veſtrum ſingulis præcipiendo mandamus, quatenus dictas conſtitutiones ſecundum prædictas declarationem, correctionem, modificationem obſervetis ex nunc, & eis utamini, non obſtante eorum primo tenore. Præcipientes vobis omnibus, & ſingulis, quatenus ad ceſſationem contra prædictas declarationem, correctionem, & modificationem, virtute prioris teno-

tenoris dictarum constitutionum nullatenus procedatis. Et si procedatis, organa vestra sine alterius exspectatione mandati resumatis, ceteris nostris constitutionibus & antiquis statutis synodalibus in suo robore manentibus, ac etiam firmitate. In cujus rei testimonium sigillum meum præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini M. CC. XC. Dominica post Purificationem B. Mariæ Virginis.

EXPLICIT, DEO GRATIAS.

CONCILIUM WURCEBURGI NATIONALE.

A.C. MCCXXCVII. Dom. Lætare. Honorii IV. PP. III. Rudolphi I. Regis XV.

SUMMA. §. I. *De subsidio terræ sanctæ liberandæ.*
§. II. *Canones XLII. Ecclesiastici.*
§. III. *Indulgentiæ pro variis Ecclesiis ab Episcopis concessæ pro Herbipolensi, pro Erfordiensi, pro fabrica Fuldensis Ecclesiæ.*
§. IV. *Pax publica Imperii.*

PRæsente Rege Rudolpho I., ArchiEpiscopis: Henrico Moguntino, Henrico Treverensi, Siffrido Coloniensi, Giselberto Bremensi: Episcopis Brunone Brixinensi, Arnoldo Babebergensi, Brunone Havelbergensi, Conrado Argentoratensi, Sigifrido Augustano, Reinboldo Eystettensi, Tobia Pragensi, Emichone Frisingensi, Henrico (*aliis* Brunone) Merseburgensi, Burchardo Metensi, Conrado Verdensi, Burchardo Lubecensi, aliisque Suffraganeis & Abbatibus, Joannes Bucamatius, Episcopus Tusculanus, Honorii IV. Papæ Apostolicus Legatus, petiit pro Subsidio terræ Sanctæ recuperandæ quartam partem omnium proventuum Ecclesiasticorum Germaniæ, in proximum quadriennium solvendam. Ita *Hoffmannus in Chron. Wirceburgensi. Trithemius in Chronico Sponheimensi ait*, decimum denarium, in V. annos sequentes pendendum a Clero & populo. Facta deliberatione, cum nonnulli Principes faverent; Siffridus Coloniensis, Henricus Treverensis, & Tullensis Episcopus Conradus, quem alii Probum nuncupant, (elogio potius, quam nomine, *ait Spondanus*) exactioni insolitæ & graviori palam contradixerunt. Verosimilior *Hoffmanni* sententia est, decimam partem fructuum Ecclesiæ, id quod & in Lugdunensi Concilio placuerat, solvendam ad sexennium statutam fuisse. *Ita Grebnerus de Conciliis Wurciburgensibus.* Alii volunt ad Papam, vel generalius Concilium appellatum ab his tribus Episcopis.

Annum 1287. hujus Concilii statuunt Siffridus Presbyter Misnensis, Laurentius Fries, Historia Australis, Naculerus, quos tuto sequuntur Harduin. Natalis Alexander, & Spondanus. Deserendi itaque Trithemius & Genebrardus, qui ad annum 1283. Eberhardus & Stero, qui ad annum 1290. referunt hoc Concilium: multo minus Schilterus audiendus, qui duas hoc anno 1287. Synodos excogitavit. *Grebner in Dissert. citata.*

§. II. Ca-

§. II. Canones XLII. conditi, quos per Alamanniam, Bohemiam, Daniam, Sueciam, Moraviam, Poloniam, Borussiam, Russiam, ac Septentrionem promulgatos voluit Joannes, uti Legatus Apostolicus, ad has Nationes missus.

CONCILIUM HERBIPOLENSE, SUB PRÆSIDIO JOANNIS, LEGATI SEDIS APOSTOLICÆ, IN PRÆSENTIA RUDOLPHI IMPERATORIS, MULTORUMQUE PRINCIPUM CELEBRATUM ANNO DOMINI MCCLXXXVII.

TITULI CAPITULORUM.

CONSTITUTIONES JOANNIS, TUSCULANI EPISCOPI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATI.

PRÆFATIO.

JOANNES, Divina miseratione, TUSCULANUS Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Venerabilibus in Christo Patribus universis, Archi-Episcopis, Episcopis, & dilectis sibi in Christo Clericis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archi-Diaconis, Præpositis, Archi-Presbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, Capitulis, Conventibus, & Collegiis, Cisterciensibus, Præmonstratensibus,

tensibus, Cluniacensibus, Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Carthusiensibus, Grandimontensibus, & aliorum Ordinum, nec non Prioribus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitanarum Domorum, Militiæ templi Beatæ MARIÆ Teutonicorum, cæterisque Personis Ecclesiasticis, Regularibus & Sæcularibus, exemptis, & non exemptis, & per partes Alamanniæ, Bohemiæ, Daciæ & Sueciæ Regna, nec non Moraviæ, (*a*) Marthiani, Poloniæ, Pomeraniæ, Prussiæ, Cassubiæ, & Livoniæ, ac Russiæ Ducatus constitutis; in perpetuum.

DEUS Deorum Dominus rite ac æquo moderamine cuncta præordinans, ab æterno ingentes legis voluit esse conditores, ut se homines esse cognoscerent, & proprium sub legis limitibus arbitrium limitarent: in cæterisque propulsatis, in silentiis roboraretur, justitia vigeret, æquitas & candor magis enitescerent honestatis. Hæc tria, quasi conformia, & status prosperitatem afferentia possessoris, promptis affectanda sunt desideriis, summis exsequenda vigiliis, & solicitis studiis acquirenda. Hæc apta sunt & necessaria protinus singulis, maxime personis sublimibus, dignitate præcellentibus, ac in sacris officiis constitutis. Hæc sicut affectu nobis anxio appetimus, sic & ea subditis nostris libentissime propinamus; ut per æquitatis, justitiæ, honestatis suæ tramites incedentes, adsit eis felicis status tranquillitas, & plena jucunditas libertatis. Ut igitur de commisso nobis per sacrosanctam Matrem Romanam Ecclesiam in partibus nostris plenæ Legationis officio, & continuis nostris laboribus, quos libenter perferimus, & subditis nostris quietem pacis, & status commoda propinemus, fructusque percipiant optatos; pro salubri statu Cleri, Partium, Regnorum, & Ducatuum prædictorum, in sacro Herbipolensi Concilio, assidentibus Nobis Venerabilibus Patribus, Moguntinensi, Coloniensi, Saltzburgensi & Viennensi Archi-Episcopis, & nonnullis eorum Suffraganeis; & de ipsorum, ac Abbatum, & Prælatorum præsentium, (*b*) quasdam Constitutiones edidimus, per eos in posterum inviolabiliter observandas, quæ a jure suadentur, æquitati deserviunt, & continent honestatem: mandantes auctoritate, qua fungimur, ut in qualibet, etiam Cathedrali, Conventuali, seu etiam Collegiata, sub nostro sigillo penitus habeantur annuatim, prout in Constitutione nostra contra usurarios actus inferius annotata expresse legitur, publicandæ. Vos itaque has Constitutiones devote suscipite, & eas tamquam amatores justitiæ inviolabiliter observate.

CAPITULA.

I. *De honesta vita.*

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

UT Christi militia, laudibus deputata Divinis, vita, gestu, moribus & habitu, a militia secernatur humana; cunctos Archi-Episcopos, Episcopos, Clericos, Abbates, cæterosque inferiores Ecclesiarum Prælatos, & personas in dignitate sacri Sacerdotii constitutas, quarum cura Nobis committitur, auctoritate hortamur in Domino, & paterna suadela monemus, ut pie, caste, munde, ac in splendore (*c*) vitæ vivere studeant, gravitate, qua convenit, tam in habitu, quam in moribus incedentes. Et ut dignitate præcellunt, sic & vitæ præfulgeant honestate; præsenti constitutione statuimus in posterum valitura, ut Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates in domibus eorum, clausa, & non nimia longitudine, vel brevitate, munda habeant indumenta.

II. *De vitandis tabernis ac ludis.*

Usus tabernarum, præterquam in itinere constitutis, & ludos taxillorum omnibus Clericis & personis Ecclesiasticis, præsertim in Prælaturis, & sacris Ordinibus constitutis, omnino prohibemus: & qui contra fecerint, in publico, vel alibi, laicis præsentibus, arbitrio Ordinarii puniantur.

III. *De colloquio cum Monialibus, vel de inordinato joco.*

Abusum quoque ac suspicionem contagii a personis Ecclesiasticis, maxime in dignitatibus, & sacris Ordinibus constitutis, paterna diligentia præcidere diligentes, personis hujusmodi frequentationem Claustrorum, seu Monasteriorum Monialium,

(*a*) vox mendosa, vel ignota. (*b*) *deest forte:* Consilio.
(*c*) *forte legendum:* virtutum. *Binius.*

nialium, ac inhonestam collocutionem, & ludum noxium cum ipsis Monialibus in cameris, vel publice, in hac edictali constitutione de cætero prohibemus: & qui contra fecerit, pœna (*d*) communionis puniatur per Ordinarium.

IV. *De hastiludio Clericorum.*

Hastiludia & torneamenta Clerici, qui sunt in dignitatibus, personatibus, seu in sacris Ordinibus constituti, hoc edicto perpetuo sibi noverint interdicta: ita, quod nulla persona Ecclesiastica in dignitate, seu personatu, & in sacris Ordinibus constituta, cum armis, vel sine armis ipsa exerceat. Et si contra fecerit, anathematis vinculum eo ipso incurrat: absolutionem (*e*) tum eorum Episcopo Metropolitano, ac aliis Episcopis reservamus.

V. *De Clericis concubinariis, vel manifestis cohabitatoribus.*

Concubinarios Clericos, qui retinendo publice concubinas, & famam negligunt, & reverentiam maculant clericalem; more pii patris, non personas, sed personarum vitium detestantes, eorum saluti præsentis constitutionis tenore sic duximus providendum. Et quod si publice retinere præsumpserint, vel novas focarias acquirere earum loco; sint ipso facto beneficiis privati: quæ illi, ad quos collatio pertinet, conferre aliis personis idoneis teneantur.

VI. *De his, qui beneficia per intrusionem arripiunt.*

Damnandæ ambitionis improbitas sic aliquorum animos occupat, quod in illam eos temeritatem impellit, ut, quod prohibente jure nequeunt, præsumant per intrusionem arripere, ac præsumpta violenter retinere. Volentes igitur competens huic morbo remedium adhibere, hoc edicto perpetuo consultissime prohibemus, quod nullus Clericus Ecclesiam vel Præbendam aliquam, vel beneficium Ecclesiasticum, aut proventus ipsorum, quæ ad eum de jure non pertinent, in alterius præjudicium recipere, ac retinere præsumat. Qui contra fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat; nec possit sibi de absolutionis beneficio providere, nisi illi, cui super Ecclesia, seu beneficio, & fructibus eorum, hujusmodi injuriam fecit, satisfaciat competenter. Et nihilominus, si per mensem in occupatione, intrusione, seu violentia hujusmodi, animo steterit indurato; beneficiis, si quæ habet in Ecclesiis, ipso facto sit privatus; & sit extunc inhabilis ad dignitatem aliquam, seu Ecclesiam obtinendam. Et si laicus fuerit, sententiam excommunicationis incurrat.

VII. *De bina celebratione Missarum.*

Ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli Presbyteri, ignari, quanti terroris exsistat, illicite tractare Divina; quæ sicut gloriam digne sumpta, sic & indigne præsumpta pœnam promittunt æternam: in eadem Ecclesia, nulla necessitate urgente, sed ad solum quæstum, Missam celebrant bis in die. Quod detestantes omnino, sub attestatione tremendi judicii, in quo ab eis, si contra fecerint, requiratur, hac edictali constitutione singulis Presbyteris inhibemus; ut, nisi unam Missam, aut duas in casibus a jure concessis, in die cantare, aut legere cum sacrificii celebratione præsumant, & si secus fecerint, Ordinarii arbitrio acriter puniantur.

VIII. *De portatione Corporis Christi.*

Sanctissimum Corpus Christi, cujus dignæ venerationi fragilitas humana non sufficit, cum ad infirmos, vel ad mulieres vicinas partui, extra corpus Ecclesiæ deportatur, veneratione solita mandamus venerari: videlicet, ut Clericus indutus superpellicio cum stola circa collum portet; nisi loci distantia, & temporis qualitas secus exposcat. Clericus vero præcedens cum campanella & lumine tintinnando; & obviantes, donec Sacerdos transeat, genuflectant, & dicant devote ter ad minus Orationem Dominicam cum Salutatione Beatæ Virginis gloriosæ. Nos enim tam Sacerdoti quam Clerico deportantibus, & singulis vere pœnitentibus & confessis, genuflectentibus, dummodo (ut dictum est) genuflectant, & Orationem Dominicam cum Salutatione Beatæ Virginis dicant, decem dies pro vitæ qualitate de injuncta sibi pœnitentia, auctoritate, qua fungimur, relaxamus. Presbyter vero, qui aliter, tum occulte ipsum portare præsumpserit, Ordinarii arbitrio puniatur.

IX.

(*d*) *forte*: excommunicationis.

(*e*) *forte*: tamen eorum.

IX. *De alienationibus rerum Ecclesiasticarum.*

Licet alienationes rerum Ecclesiasticarum, maxime possessionum, librorum & vasorum, quæ Divinis cultibus sunt deputata, sacri prohibeant Canones: quia tamen, ut nostris insonuit auribus, nonnulli Prælati, tam sæculares, quam religiosi, sicut Abbates & Abbatissæ, & Priores Monasteriorum, quæ sunt per Priores solita gubernari, & alii Ecclesiarum Rectores, novo alienationis quæsito colore, bona Ecclesiarum, quarum gubernatores exsistunt, fingentes se pro utilitatibus Ecclesiarum suarum maximis debitis obligatos, consanguineis eorum, seu personis extraneis bona alienant hujusmodi ad vitam, vel obligant possidenda; & per hoc, ipsis qui obligantur deficientibus, successores eorum, aut propter potentiam detinentium, aut Ecclesiarum inopiam, non audent ea redimere, vel non possunt; & sic Pastorum nequitia Ecclesiæ propriis bonis defraudantur: Nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, ac alienationes hujusmodi edicto perpetuo prohibentes; omnino alienantes in fraudem, sine superiorem assensu, & aliter, quam in casibus a jure permissis, bona Ecclesiarum, quarum curam gerunt, pœna Canonis puniantur. (*e*)

X. *De habentibus duas Vicarias.*

Presbyteris duas communicaturas recipere prohibemus omnino: cum impossibile sit, quod sufficienter (*f*) possit Ecclesiis servire duabus; & qui contra fecerit, prima vicaria ipso facto; & de secunda quamdiu primam retinuerit, proventibus sit privatus: quos in utilitatem ipsius Ecclesiæ decernimus per Ordinarium convertendos.

XI. *De ætate Clericorum promovendorum.*

Præsenti perpetuo prohibemus edicto, ne de cetero Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates & Abbatissæ, seu alii Ecclesiarum Prælati, ad quos Parochialium Ecclesiarum collatio seu præsentatio pertinet, Parochiales Ecclesias personis, qui vicesimum quintum annum non attingunt, conferant, vel eas ad hujusmodi Ecclesias repræsentent, vel repræsentatum talem admittant, vel instituant in eisdem: si contra factum fuerit, premantur pœna illius Canonis: *Licet Canon.* (*g*) *Lib.* 6.

XII. *De præsentatione Promoti.*

Ecclesiarum quoque Patronos, seu illos, qui noscuntur in Ecclesiis aliquibus jus Patronatûs habere, præsenti sanctione monemus: ut vacantibus Ecclesiis de jure, & de facto, in quibus jus Patronatus obtinent, personam idoneam, & ætatis legitimæ, Diœcesanis, seu illis, ad quos institutio in ipsis Ecclesiis pertinet, infra tempus statutum a jure studeant præsentare. Et si per mensem ultra dictum tempus Ecclesias ipsas detinere præsumpserint, ipso facto excommunicationi subjaceant: & ea vice præsentatione hujusmodi sint privati. Ac si Superior non Ecclesiam sic vacantem infra tempus a Canone sibi præfixum conferat: a collatione beneficiorum sit per annum ipso facto privatus. Et si laici fuerint, & Ordinarium providere volentem ipsi Ecclesiæ impediverint; ipso facto sint sententia excommunicationis innodati.

XIII. *De observatione interdicti.*

Clericos tam sæculares, quam religiosos etiam, cujuscumque sint ordinis, qui constituti erunt in civitate, villa, seu castro, vel in aliquo loco, qui subjaceat interdicto; in obsequiis mortuorum, seu processionibus non debere cantare, aut publice celebrare, aut campanas ad horas pulsare, præsentis constitutionis oraculo volumus declarari, nisi haberent ex privilegio vel indulto. (*h*)

XIV. *De beneficiorum susceptione de manu laicorum.*

Nullus de cetero Clericus, vel Ecclesiastica persona Ecclesiam, seu Ecclesiasticum beneficium de manu laici vel alterius, ad quem collatio non pertinet, recipiat, seu laicali favore, vel potentia sibi existimet retinenda: & qui contra fecerit, nisi in manu Diœcesani, vel ejus, ad quem Ecclesiæ, vel beneficii collatio, vel institutio pertinet, libere resignaverit; anathematis

(*e*) volumus, ut. (*f*) *forte*: unus.
(*g*) Est Canon 13. Concilii Lugdun. admonere autem Binius debuerat, hanc voculam, Lib. 6. additam fuisse postea. Nam anno 1287. nondum erat sextus Decretalium liber.
(*h*) facultatem: *forte tamen in MS. hæc vox deest.*

matis vinculo innodetur: nec abſolvi valeat, niſi Eccleſiæ ſic obtentæ de fructibus per eum perceptis plenarie ſatisfiat.

XV. *De benedictionibus & ſepulturis, quæ fiunt per pactum.*

Obſcenam illorum abominationem præſentis conſtitutionis oraculo deteſtantes, qui vendere dicuntur benedictiones nubentium, & ſepulturas mortuorum; talia de cetero fieri prohibemus omnino: & qui contra fecerit, cum Giezi in die tremendi judicii recipiat portionem. Nec per hoc intendimus, quod laudabiles conſuetudines locorum, ſeu Eccleſiarum habentium cœmiteria, infringi debeant: & (i) quando poſſint Rectores earundem Eccleſiarum, hujusmodi recipere licite, ſi nubentes poſt benedictionem, & conſanguinei vel alii pro defunctis, poſt ſepulturam aliquid offerre voluerint devotionis intuitu, & etiam pietatis.

XVI. *De cura Capellarum.*

Rectores, qui matrices habent Eccleſias, a quibus dependent Capellæ, circa ipſas in tali volumus cura verſari, ut in ipſa Capella, quæ ſubjacet curæ ſuæ, ſi facultates ſuppetant, Vicarium idoneum ſtatuant, qui reſideat continue in Eccleſia, & deſerviat in Divinis, & Parochianis ſpiritualia præbeat alimenta. Quod ſi fuerint in hoc remiſſi, vel ſe reddiderint negligentes, per Ordinarios puniantur.

XVII. *De Vicariis in Eccleſiis parochialibus Monaſteriorum.*

Curent etiam & Priores, cujuscumque ſint ordinis, parochialibus Eccleſiis, quas obtinent, pleno jure per Vicarios idoneos continue facere in Divinis obſequiis deſervire, & parochianis Eccleſiarum ipſarum ſpiritualia ſolicite miniſtrare. Alioquin Abbas, ſeu Prior, qui parochialem Eccleſiam hujusmodi ſine Rectore per menſem dimiſerit a die notitiæ computando, & in ea non curaverit Vicarium, aut Miniſtrum idoneum ordinare: præſentis conſtitutionis tenore ſit ex tunc ab officio ipſo facto ſuſpenſus: tamdiu in ſuſpenſione hujusmodi permanſurus, quam Eccleſia ipſa ſine Vicario, ſeu Miniſtratore manebit: & proviſio ſive ordinatio Eccleſiæ Ordinarii arbitrio reſervetur.

XVIII. *De habitu & converſatione Monachorum.*

Volumus etiam, quod Abbates, Priores Monaſteriorum, quæ per Priores ſunt ſolita gubernari, veſtes non habeant, quæ in forma, vel colore appareant ſæculares; ac Monachos eorum intra clauſtra eorum retineant, nec permittant eos ſine manifeſta, ſeu juſta ac rationabili cauſa, frequenter in ſæculo cum ſæcularibus converſari: ſed ſecundum ſtatuta regulæ, in qua profeſſi ſunt, ſtudeant Domino deſervire: & ſi contra fecerint, per menſem per Superiorem ab officio ſuſpendantur.

XIX. *De vita & habitu Monialium.*

Hanc circa Monialium curam Abbatiſſas & Prioriſſas Monaſteria Monialium gubernantes, volumus adhibere cautelam, ut poſtquam Monialis quindecimum annum ætatis exegerit, & poſt duodecimum aut quindecimum ætatis ſuæ annum probationem in Monaſterio fecerit, ultra annum profeſſionis velum cogatur recipere, ac ſibi capillos juxta ſcapulas amputare: quæ per ſubtractionem præbendarum Abbatiſſæ (k) ſtudioſe arceantur. Item, ſine manifeſta vel rationabili cauſa, exitus clauſtri eisdem Monialibus per eam, quæ regit Monaſterium, prohibeatur omnino. Cæterum, ne prætextu inopiæ ipſis detur Monialibus occaſio malignandi; Abbatiſſa, juxta facultatem & quantitatem redituum Monaſterii, eis in victu honeſte provideat & amictu, prout regula patitur earumdem. Super quo, ſi dubietas emerſerit, per Ordinarium loci declaretur; & ipſe Ordinarius Abbatiſſas contra facientes per adminiſtrationis privationem coerceat, vel alias, quo melius eas poſſe videbitur, coërceri.

XX. *De occupatoribus & invaſoribus rerum Eccleſiaſticarum.*

Dignum arbitrantes, & conſentaneum æquitati, ut quos jugo legis forſitan premimus, ab oppreſſorum illicitis auſibus defendamus, & conſultiſſima con-

(i) *forte:* quod non poſſint.

(k) *Subeſt aliquod mendum in MS.*

conſtitutione in poſterum valitura ſanciamus, quod nulla ſæcularis vel Eccleſiaſtica perſona, quantacunque nobilitate aut præeminentia ſtatus præfulgeat (Chriſtianiſſimo Domino Romanorum Rege ſemper Auguſto, ejusdemque Divina conſorte, eorumque filiis dumtaxat exceptis) Eccleſias & Eccleſiaſtica bona, & jurisdictiones, & vaſallos eorum, violenter & auctoritate propria publice uſurpare; aut occupatoribus, invaſoribus, & ſcienter uſurpantibus Eccleſias, & bona prædicta, præſtare præſumant quomodolibet, per ſe, vel per alium, aut alios, conſilium, auxilium, vel favorem: vel quod ſi aliquis contra hujusmodi noſtræ conſtitutionis tenorem facere vel venire præſumpſerit; & requiſitus, infra menſem, Eccleſiæ læſæ, aut Prælato ipſius, damnum non emendaverit; ipſo facto anathematis vinculo ſit innodatus, & terræ ipſius Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto: ac Clerus terræ offenſoris hujusmodi, ſola denuntiatione Prælati, ſeu Cleri Eccleſiæ læſæ, ſervet inviolabiliter interdictum. Quod ſi celebrare præſumpſerint, quamdiu offenſor hujusmodi non emendaverit, quod deliquit, ipſo facto a Divinis officiis ſe noverint eſſe ſuſpenſos. Simili modo illos, qui poſſeſſiones Eccleſiaſticas titulo pignoris detinent obligatas, a quibus jam receperint ultra ſortem; ſi non reſtituant Prælatis Eccleſiarum, quarum ſunt, infra dictum tempus, volumus hac pœna mulctari.

XXI. *De laicis recipientibus Beneficia Eccleſiaſtica.*

Laicos quantacunque ſtatus dignitate fulgentes, Eccleſiaſtica recipere beneficia, aut occupata tenere, quæ debentur militantibus in Divinis, de cætero prohibentes; eos, niſi infra menſem a tempore occupationis, in antea occupata beneficia ipſa dimiſerint, ipſo facto excommunicationis vinculo volumus eſſe innodatos.

XXII. *De Advocatis Eccleſiarum.*

Nonnulli, qui Eccleſiarum ſe aſſerunt Advocatos, ſicut tenentur, non ſolum Eccleſias ipſas ab oppreſſionibus non defendunt, ſed Eccleſiarum ipſarum bona violenter diripiunt, ac perſonas ipſorum multipliciter inquietant. Et ſi Advocatus quatuor pluresve habeat filios, quod eſt tamen intolerabile, omnes ſe reputant in direptionem bonorum Eccleſiæ Advocatos; ſic quod per hoc Eccleſiæ, unde ſperant auxilium, frequenter ſentiunt detrimentum. Quibus volentes ſalubre remedium adhibere, hac edictali conſtitutione ſancimus, cunctos Eccleſiarum Advocatos infra noſtræ legationis terminos conſtitutos, cujuscumque ſint præeminentiæ ſtatus, eisdem juribus eſſe contentos, quæ ipſis, ſeu eorum anteceſſoribus fuerint conceſſa ſemper, quos advocationi hujusmodi præfecerint: & Eccleſias, quarum Advocati exſiſtunt, defenſare ſtudeant, & manutenere pro poſſe; & ſolum ille, in quem omnes concordant, aut major pars eorum, habeatur eorum de cætero Advocatus. Alioqui ſi negligentes in defendendo & manutenendo perſonas & jura ipſarum Eccleſiarum fuerint vel remiſſi; hujusmodi advocationis officio eos privatos eſſe volumus ipſo facto: & ſi quid ultra debitum ab ipſis Eccleſiis auferre, & contra hujus noſtræ conſtitutionis tenorem venire præſumpſerint, niſi infra menſem Eccleſiis ipſis reſtituerint, quod auferunt, vel emendaverint, quod delinquunt, excommunicatos eſſe decernimus: & ad requiſitionem perſonarum Eccleſiæ injuriam paſſæ, excommunicatos mandamus denuntiari omni menſe.

XXIII. *De uſurariis.*

Uſurarios actus Divina & humana lege ſatis novimus exprobratos: & contra exercentes uſuras noviſſima conſtitutio Lugdunenſis Concilii pœnas ſtatuit exquiſitas, quibus addendum aliquid non videmus. Sed quia novo quæſito fenerandi colore, nonnulli ſub titulo venditionis exercent uſuras, emendo pignus pro quantitate, quæ mutuo petitur, & vendendo eodem redemptionis tempore, pro quantitate adaucta numero uſurarum: huic fraudi ſic prævidimus obviandum: quod conſtitutio ſanctæ recordationis Gregorii Papæ X. contra uſurarios edita in Concilio (*t*) Lugdunenſi, in ſingulis Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, una cum præſentibus conſtitutionibus noſtris publicetur, ſtatim

(*l*) Anno 1254. Canon. 26.

ſtatim lecto Evangelio ſemel in anno, in Quadrageſima publice coram populo: & tunc feneratores hujusmodi, & alios, qui contra tenorem hujusmodi Concilii Lugdunenſis exercent uſuras, & retinentes eos in domibus propriis, excommunicati nominatim publice nuntientur. Quod ſi Eccleſiarum Prælati in hujusmodi publicatione, quam per ſe ipſos, & alios facere debent, negligentes fuerint, vel remiſſi, & in dicto tempore publicatio ipſa non fiat; eos æterni mittimus Judicis ultioni. Et ſi uſurarius diem claudit extremum, qui occulte uſuras exercuit, & trium aut duorum teſtium fide dignorum teſtimonio conſtiterit exercuiſſe uſuras: niſi pro eo ſatisfactum fuerit de receptis uſuris: nullus ipſum recipiat ad Eccleſiaſticam ſepulturam. Alioqui, ſi contra factum fuerit, præter pœnam latam in Lugdunenſi Concilio contra tales, volumus, ut locus ſeu Eccleſia, in cujus cœmeterio de voluntate Prælati ſui, ſeu Capituli ſepulta fuerint corpora talium, ipſo facto Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, quamdiu eadem corpora per eos non fuerint exhumata.

XXIV. *De læſionibus Eccleſiaſticarum Perſonarum.*

Eos, qui timore DEI poſtpoſito, Clericos, ſeu Eccleſiaſticas perſonas occidunt, vulnerant, mutilant, proſcribunt, capiunt, & captas retinere præſumunt, etſi ſententiam, quam incurrunt, latam a Canone non verentur, adjectione hujusmodi pœnæ volumus coercere: videlicet, quod Prælati, vel Rectores Eccleſiarum, in quibus captivantes, & detinentes ipſi degunt, & captivi Clerici capiuntur, & captivi tenentur; ipſos captivantes, & captivos detinentes excommunicatos denuntient publice ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis; niſi, poſtquam requiſiti fuerint, eos infra octo dies dimiſerint, & in locis, ubi capti Clerici & perſonæ Eccleſiaſticæ tenentur, tamdiu ſcientes ceſſent a Divinis, quamdiu in locis ipſis fuerint ſic captivi. Quod ſi contra fecerint, tamquam eorumdem maleficorum participes, excommunicatos eſſe volumus ipſo facto: ſalvis aliis, quæ contra tales ſunt in Conciliis Provincialibus conſtituta.

XXV. *De læſoribus Nuntiorum Sedis Apoſtolicæ.*

Si quis in tanti proruperit furoris audaciam, quod Nuntios Legatorum Apoſtolicæ Sedis de latere miſſorum ab ipſa, ſeu Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, aut Delegatorum; capere vel verberare, ac eos ſpoliare, ſeu litteras auferre, aut dilaniare, aut alias eos in jurisdictione eis commiſſa, per ſe, vel per alios, aut alium, publice vel occulte, vel quomodolibet impedire præſumpſerit; ipſo facto ſit excommunicationis ſententia innodatus. Eamdem pœnam nihilominus contrahere volumus, qui venientes ad Curiam eorumdem, & abinde redeuntes, eos in perſonis offenderint, vel eos bonis eorum, quæ ſecum habuerint, occulte vel publice ſpoliarint.

XXVI. *De uſurpantibus ſibi Bona Eccleſiarum vacantium.*

Nonnulli afflictis Eccleſiis, quæ vacationis laborant incommodo, non verentes afflictionem addere, bona eorumdem Eccleſiarum diripere ac occupare nituntur. Ex quo grave ipſis Eccleſiis in rebus earum provenit detrimentum. Nos ſuper hoc vacantibus Eccleſiis providere volentes; eos, qui vacantium Eccleſiarum, & decedentium Clericorum bona immobilia ſeu mobilia de cætero uſurpabunt, aut uſibus propriis deputabunt, excommunicatos eſſe volumus ipſo facto.

XXVII. *De viſitatione per Epiſcopos facienda, & de Confirmatione.*

Curent Archi-Epiſcopi & Epiſcopi commiſſas eis Provincias omni ſolicitudine ab inſidiis inimici humani generis, & qui circuit quærens, quem devoret, per ſe vel per alios cuſtodire. Et quia ob defectum viſitationis multos mares & mulieres quaſi ſexagenarios invenimus, nondum unctione Chriſmatis confirmatos: præſentis conſtitutionis tenore ſancimus, ut ſinguli Archi-Epiſcopi & Epiſcopi civitates & Diœceſes ſuas per ſe, vel per alium, aut alios, anno quolibet, vel ad minus de biennio in biennium viſitare ſtudeant, confirmando confirmandos, & corrigendo, quæ ſunt corrigenda.

XXVIII. *De propugnaculis, quæ fiunt in Ecclesiis.*

Nonnullos, qui guerras habent vel inimicitias cum aliquibus Ecclesiis sibi vicinis, campanilia sive domos ipsarum occupare audivimus, ac armatis & ædificiis ad pugnandum incastellare, præter Prælatorum assensum, & in ultiones contra votum. Et propter hoc inimici eorum incastellationes & munitiones hujusmodi occupare volentes, Ecclesias plerumque occupant & comburunt. Quod omnino prohibere volentes, præsentis constitutionis tenore, omnes, qui de cætero Ecclesias, seu domos, & campanilia Ecclesiarum occupare, incastellare, aut munire personis armatis, vel quibuslibet ædificiis præsumpserint; sub pœna excommunicationis, quam in eos per Superiores ferri volumus, hoc edicto perpetuo monemus, ne contra assensum Prælatorum audeant Ecclesias munitionibus & incastellationibus hujusmodi molestare: & hæredes eorum, si in hujusmodi paternæ violentiæ participes fuerint, eadem cum parentibus volumus pœna mulctari.

XXIX. *De debitis maritorum defunctorum.*

Nonnulli, sicut audivimus, pro maritorum seu filiorum debitis uxores, seu matres excommunicant ordinaria fulti jurisdictione. Quod juri & æquitati contrarium reputantes, id fieri de cetero prohibemus: nisi mater & uxor succedant in bonis mariti, seu filii, defunctorum.

XXX. *De spoliatoribus stratarum.*

Spoliatores stratarum, & raptores alios, qui transeuntes per vias aut stratas publicas, viduas, pupillos, & personas alias, eorum bona vi spoliant; eorum violentias, quæ perturbationem desiderandæ pacis inducunt, volentes de cetero coerceri: præter pœnas, quas eis sacratissimæ leges imponunt, tali volumus, nostro feriente correctionis gladio, pœna multari; ut tam ipsi quam receptantes eos scienter, & dantes eis auxilium vel favorem: ipso facto*, nodo anathematis sint innodati.

XXXI. *De emptione seu venditione bonorum feudalium Ecclesiæ.*

Ementes bona feudalia, quæ ad Ecclesias, seu personas Ecclesiasticas Ecclesiarum nomine de jure directi Dominii pertinent, ac vendentes, cum ea sine consensu Ecclesiarum & personarum hujusmodi alienari nequeant; Ecclesiarum indemnitatibus providendo, tali volumus pœna mulctari: ut ementes & alienantes laici vel Clerici, sive sint religiosi, vel Clerici sæculares, qui sine consensu eorum, qui super hoc requirendi sunt, hujusmodi feudalia bona emerint, vel alienaverint; ipso facto excommunicationi subjaceant, & bona ipsa Ecclesiis, ad quas directum Dominium pertinet, applicentur.

XXXII. *De his, qui capiunt bona Ecclesiæ vel Capituli, propter debita singularis personæ.*

Prohibemus insuper, ut nullus propter debitum, vel fidejussoriatus obligationem singularis personæ alicujus, vel Ecclesiæ, bona Ecclesiastica capiat, quæ ad Ecclesiam, vel Capitulum ipsius Ecclesiæ communiter pertinent. Et qui contra fecerint, nisi moniti, infra quindenam a die notificaitonis numerandam, restituerint Ecclesiæ vel Capitulo, ad quos pertinent, excommunicationi subjacere volumus ipso facto.

XXXIII. *De his, qui invadunt bona Ecclesiarum propter inimicitas advocatorum.*

Nullus de cetero, qui cum advocatis Ecclesiarum guerras habebit, vel inimicitias, bona Ecclesiarum, quibus advocati defensores existunt, prætextu guerræ, quam habet cum eis, surripiat, aut Ecclesias ipsas, vel villas earum, & loca incendio vel hostilitate devastet, aut homines earum spoliet bonis eorum. Et qui contra fecerint, ipso facto excommunicationem incurrant, nec absolvi valeant, nisi quod deliquerunt, emendent.

XXXIV. *De Apostolis reprobatis.*

Leccatores, seu reprobatos Apostolos, in eorum reprobata regula remanere vetantes omnino: volumus, quod nullus Clericus, nulla sæcularis persona, intuitu religionis eorum, ac insolito habitu, eos de cetero recipiat, aut eis alimenta ministret. Et qui contra fecerit, arbitrio sui Ordinarii puniatur. Quod & in

in vagis ſcholaribus tractandis obſervari volumus: & quod clericali privilegio coram ſæculari judice nequeant ſe tueri.

XXXV. *De laicis,* (m) *qui fabricæ Eccleſiæ adminiſtrant.*

Laicos in nonnullis partibus, prætextu fabricæ Eccleſiæ reparandæ, per laicos, ſine conſenſu Prælatorum, ſeu Capitulorum Eccleſiarum hujusmodi ad recipiendum oblationes ſeu proventus, alias conceſſos fabricæ, deputatos, præſentis conſtitutionis tenore hujuſmodi officio ex nunc eſſe volumus privatos: & alios laicos vel Clericos, ſive (*n*) Prælati ſeu Capituli Eccleſiarum reparandarum aſſenſu, prohibemus in poſterum ordinari: cum ex privilegio, vel ex longinqua conſuetudine approbata, vituperoſum exſiſtat, ut laici, Prælatis & Capitulis Eccleſiarum invitis, bona Eccleſiæ adminiſtrent. Ideoque qui contra fecerint, ac per Ordinarium loci moniti, infra menſem ab hoc officio non ceſſabunt, eos excommunicatos eſſe volumus ipſo facto.

XXXVI. *De his qui prohibent, ne quis coram Eccleſiaſtico judice conqueratur.*

Perſonas omnes, quacumque dignitate & ſtatus præeminentia præfulgentes, univerſitates civitatum & locorum, ac conſules eorumdem, qui, ut nullus conqueratur coram Eccleſiaſtico judice prohibent, ac ſtatuta condunt contra clerum ſeu Clericos, & Eccleſiaſticam libertatem, (*o*) hæc edicto perpetuo tali pœna volumus puniri: videlicet quod perſonæ talia de cetero committentes modo quolibet, excommunicationis, & univerſitates interdicti ſubeant ſententias ipſo facto.

XXXVII. *De falſariis.*

Falſarios litterarum, ſeu bullæ ſummorum Pontificum, monetarum, aut litterarum, vel ſigilli eorum, excommunicantes in ſcriptis: eos qui ſcienter receptaverint, aut eis præſtiterint, quominus capiantur, auxilium, conſilium, vel favorem publicum vel occultum, præſentis conſtitutionis tenore ipſo facto excommunicationis eſſe volumus vinculo innodatos.

XXXVIII. *De obſervatione interdicti.*

Quoties ex juſta cauſa Epiſcopus locum aliquem Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, id obſervent, & obſervari faciant alii Epiſcopi convicini; ut inter ſe compatientes, multa caritate ad invicem in tuitionibus Eccleſiarum, earumque jurium alter alteri alternis ſubſidiis ſuffragetur.

XXXIX. *De Conſervatoribus Eccleſiarum.*

Conſervatores, qui perſonis Religioſis & Monaſteriis maxime dari conſueverunt, exemptis per ſummum Pontificem, aut legatos ejus miſſos a latere ſub certa forma, cum additione illa: (*p*) videlicet, attentius proviſurus, ut eis & de his, quæ cauſæ cognitionem exigunt, & quæ indulta hujuſmodi non attingunt, ſe nullatenus intromittant. Ipſe enim ſummus Pontifex, ſi ſecus præſumptum fuerit, tam litteras ſuper hoc datas, quam proceſſus earum auctoritate habitos, omnino carere juribus & nullius firmitatis eſſe docuerint, (*q*) a tenore litterarum hujusmodi deviantes perſonas, quas illi, quibus conſervatores (*r*) hujus conceduntur, convenire volunt, ad ſuam citant præſentiam, quantacunque diſtantia ſint longinqui. Quia eoſdem conſervatores non poſſe etiam citatos ad eorum venire præſentiam (*s*) non teneri, proceſſusque eorum contra citatos tales faciendos, nullius eſſe momenti, præſentis conſtitutionis ſerie declaramus.

XL. *De exigentibus nova paſſagia.*

Cum imponentes & exigentes nova paſſagia, vel antiqua ſeu conceſſa augmentantes, ſingulis annis ſummus Pontifex in cœna Domini anathematis vinculo denuntiet ſubjacere; ſtatuimus, ut Ordinarii locorum, per ſe vel ſuos Vicarios ſingulis annis in cœna Domini, ſolemniter coram populo eoſdem, ſive ſint Archi-Epiſcopi, ſive Epiſcopi, ſeu Abbates, aut alii inferiores Prælati, aut laici,

(*m*) *forte:* qui bona fabricæ. (*n*) *corrige:* ſine. (*o*) *corrige:* hoc.
(*p*) *forte:* videlicet (attentius proviſurus, ut eis &c.) de his.
(*q*) *hic aliquod mendum in MS. ſubeſt.*
(*r*) *corrige-* hujusmodi, *nam in MSS. hujus ætatis ſæpe* hujus *pro* hujusmodi *ſcribitur*
(*s*) *etiam hic aliquod mendum ſubeſt in MS.*

laici, seu sæculares personæ, quocunque nomine censeantur, pulsatis campanis, & candelis accensis, excommunicatos denuntient, usque ad integram restitutionem, tamquam excommunicatos ab omnibus evitandos.

XLI. *De observatione constitutorum.*

Has nostras constitutiones in hoc Sacro Concilio promulgatas, in singulis Cathedralibus Ecclesiis in nostræ legationis termino constitutis, sub sigillo nostro haberi volumus, & publicari, prout superius legitur, omni anno: & ut his nostris constitutionibus adhibeatur in perpetuum plena fides, eas appensione nostri sigilli fecimus communiri.

Actum Herbipoli, anno Domini MCCLXXXVII. mense Martii, feria tertia post *Lætare Jerusalem.* Pontificatus Domini Honorii Papæ IV. anno II.

XLII. *De his, quibus erat indultum, quod excommunicari & interdici non deberent.*

Hactenus, sicut & hodie fieri dicitur, nonnulli tam Clerici, quam sæculares, quibus erat & exstitit indultum ex indulgentia summorum Pontificum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari: & quod terræ ipsorum non possint subjici Ecclesiastico interdicto: hujus privilegio abutentes multam nocendi & abutendi assumebant, & tanquam eis sit licitum, assumunt audaciam, & materiam delinquendi. Sanctæ recordationis Alexander Papa IV. Clemens Papa IV. volentes super hoc salubriter providere: quia per hoc ordinariorum jurisdictio elidebatur (*t*) & condemnabantur a talibus omnia hujusmodi Apostolica indulta, quibuscumque personis concessa; in quantum per ea Ordinariorum jurisdictio impeditur, restringitur vel arctatur, totaliter revocarunt: ita quod iidem Ordinarii in personis & terris (ipsis Regibus & Reginis, quantum ad Regna sua tantum, & Regnis ipsis, nec non & Regum ipsorum filiis & fratribus, ac eorum uxoribus, & eorum filiorum, fratrum & uxorum terris exceptis) jurisdictionem suam, talibus indultis nequaquam obstantibus, valeant, prout ad eos pertinent, exercere. Nos itaque præsentis constitutionis oraculo revocationem hujusmodi, prout in eorum Pontificum litteris, quas in Herbipolensi Concilio publice legi fecimus, plenius continetur, volumus inviolabiliter observari: & declaramus eorumdem privilegiorum auctoritate Ordinariorum jurisdictionem minime impediri.

Harduinus Tom. VII. Concil. a pag. 1131. *ad pag.* 1142.
Ex Chronico Hirsaugiensi ad 1283. & *Eberhardi Annal. anno* 1290.

(*t*) *forte:* contemnebatur a talibus omnia hujusmodi &c.

§. III. *Epistolæ Episcoporum variorum pro Indulgentiis, in favorem variarum Ecclesiarum largiendis.*

Archi-Episcopus Moguntinus, Coloniensis, & alii Episcopi, singulas Quadragenas largiuntur adjuvantibus reædificationem Monasterii Herbipolensis S. Stephani.

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS, AD QUOS PRÆSENS SCRIPTUM PERVENERIT, SIFRIDUS ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, ARNOLDUS BABENBERGENSIS, GISELBERTUS BREMENSIS, CUNRADUS ARGENTINENSIS, FRIDERICUS CURIENSIS, EMICHO (*sive* ENUHO) FRISINGENSIS, FRATER HEINRICUS DE WERDA BEATÆ MARIÆ, FRATER CUNRADUS TULLENSIS, BRUNO BRIXINENSIS, FRATER HEINRICUS TRIDENTINUS, EADEM GRATIA EPISCOPI: SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Licet is, de cujus munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne ac laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis suæ merita supplicum excedens & vota, bene servientibus multo majora tribuat, quam valeant promereri: desiderantes tamen

tamen reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei, quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur Divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur, ut *Monasterium S. Stephani Martyris* per repentinam exustionem devastatum *Herbipolensis civitatis*, congruis honoribus frequentetur, & a cunctis Christi fidelibus jugiter veneretur & suffragia (*a*) fidelium reformetur; omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad idem Monasterium in festivitatibus Patronorum Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, *Beati Stephani Martyris*, quatuor festivitatibus Beatæ & Gloriosæ Virginis Mariæ, Benedicti Confessoris, & Dedicationis, similiter per octavas causa devotionis accesserint, vel *ad fabricam dicti Monasterii manus* porrexerint adjutrices, aut in extremis laborantes quicquam facultatum suarum legaverint, & qui orationes suas ibidem fuderint, singuli singulas *Quadragenas de injuncta sibi pœnitentia*, dummodo *consensus* Diœcesani accesserit, misericorditer in Domino relaxamus, in cujus rei testimonium præsenti scripto sigilla nostra duximus apponenda. Datum apud Herbipolim in Concilio anno Domini MCCLXXXVII.

Et erant sigilla interim appensa Num. XIX. eo ordine, quo supra citantur. Additum hisce sigillum Abbatis S. Stephani, ut videtur.

Ex hoc Diplomate & sequentibus, colliguntur Nomina Episcoporum, qui huic Concilio interfuerunt.

Ex Archivo apud S. Stephanum Herbipol.

Archi-Episcopi Coloniensis & Bremensis, & alii Episcopi, indulgentias accedentibus ad Monasterium Apostolorum Erfordiæ, largiuntur singulis singulas Quadragenas.

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS, AD QUOS PRÆSENS SCRIPTUM PERVENERIT, SIGIFRIDUS ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, GISILBERTUS ARCHI-EPISCOPUS BREMENSIS, ARNOLDUS BABENBERGENSIS, WERNHARDUS PATAVIENSIS, EMICHO FRISINGENSIS, THEODORICUS OLOMUCENSIS, TOBIAS PRAGENSIS, SIFRIDUS AUGUSTENSIS, BURCHARDUS LUBICENSIS, BRUNO NUWENBURGENSIS, CONRADUS VIRDUNENSIS, REINBOTO EYSTETENSIS, BURCHARDUS METENSIS, GEBHARDUS BRANDENBURGENSIS, CONRADUS TULENSIS, EADEM GRATIA EPISCOPI, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Licet is, de cujus munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne & laudabiliter serviatur, de Habundantia pietatis suæ merita supplicum excedens & vota, bene servientibus multo majora tribuat, quam valeant promereri, desiderantes tamen reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur Divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur, ut, (*b*) Monasterium SS. Apostolorum Petri & Pauli in Erfordia, ordinis S. Benedicti, Mogunt. Diœcesis, in die processionum sollemnium &c. causa devotionis accesserint; Nos de Omnipotentis misericordia & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, singuli singulas Quadragenas de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Datum Herbipoli in Concilio anno Domini MCCLXXXVII. Domini Johannis Tusculani Episcopi, Dominica *Lætare*.

(*a*) *forte:* suffragio. (*b*) *forte:* qui.

Varii

Varii Archi-Episcopi & Episcopi largiuntur indulgentias singulis restauraturis Monasterium Fuldense combustum, singulas Quadragenas.

UNIVERSIS SANCTÆ MATRIS ECCLESIÆ FILIIS, AD QUOS PRÆSENS SCRIPTUM PERVENERIT, GISELBERTUS BREMENSIS, BRUNO BRIXINENSIS, VITIGO MISNENSIS, THOBIAS PRAGENSIS, HEINRICUS NUEMBURGENSIS, CUNRADUS VIRDENSIS, BURKARDUS LUBECENSIS, BURCHARDUS METENSIS, BRUNO MERSBURGENSIS, SIFRIDUS COLONIENSIS, DEI GRATIA EPISCOPI: SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUoniam (ut ait Apostolus) *omnes stabimus ante Tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum*; oportet nos diem messionis extremæ operibus misericordiæ prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod cum fructu multiplicato recolligere valeamus in cœlis, firmam spem, fiduciamque tenentes: *Quoniam, qui parce seminat, parce & metet.* Et, *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet & vitam æternam.* Cum igitur honorabile Monasterium S. Bonifacii in Fulda, Ordinis Sancti Benedicti, per incendium casu inopinato miserabiliter destructum, absque bonorum hominum eleemosynis, nullo modo valeat restaurari; monemus, rogamus, & in Domino exhortamur, quatinus in remissionem vestrorum peccaminum, de bonis a Deo vobis collatis pias eleemosynas & grata charitatis subsidia erogetis: ut per vestram subventionem, illud laudabile propositum possit perduci ad effectum, & vos per hæc (a) alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, adipisci possitis vitam æternam; Nos de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui suas eleemosynas dicto operi, quam sumptuoso largiti fuerint, seu in extremis laborantes quicquam facultatum suarum præfato operi legaverint, singulis singulas Quadragenas de injunctis ei pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In cujus rei testimonium, præsens scriptum singulorum nostrorum munimine duximus roborandum. Datum Herbipoli anno Domini MCCLXXXVII. tempore Concilii Domini Joannis Episcopi, tunc per Alemanniam Sedis Apostolicæ Legati.

Subscriptiones totidem sigillis appensis superpositæ hoc modo & ordine cernuntur.

Sifridus Coloniensis.
Bruno Brixinensis.
Giselbertus de Bremen.
Vitiko Misnensis.
Thobias Pragensis.
Henricus Nuenburgensis.
Cunradus de Virda.
Burchardi Metensis.
Bruno Mersburgensis.

Ex Archæo Fuldensi.

Ejusdem Epistolæ indulgentiarum aliud Exemplar, ex eodem Archæo Fuldensi.

UNIVERSIS S. MATRIS ECCLESIÆ FILIIS, AD QUOS PRÆSENS SCRIPTUM PERVENERIT, REIMBOTO EPISCOPUS EYSTETENSIS, HEINRICUS TRIDENTINENSIS ECCLESIÆ, FRIDERICUS CURIENSIS ECCLESIÆ, RUDOLPHUS CONSTANTIENSIS ECCLESIÆ, THEODORICUS OLMUCENSIS ECCLESIÆ, OTTO PADERBRUNNENSIS ECCLESIÆ, VERNHARDUS PATAVIENSIS ECCLESIÆ, BURKARDUS LUBICENSIS ECCLESIÆ, CONRADUS ARGENTINENSIS ECCLESIÆ, HEINRICUS INSULÆ S. MARIÆ, EMECHO FRISINGENSIS ECCLESIÆ, PETRUS BASILEENSIS ECCLESIÆ, CUNRADUS TULLENSIS ECCLESIÆ, GEBHARDUS BRANNENBURGENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS. . . DEI GRATIA EPISCOPI, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUoniam, ut ait Apostolus, *omnes stabimus ante Tribunal.* &c. &c. Datum Herbipoli, anno Domini MCCLXXXVII. tempore Concilii Joannis, Episcopi Tusculani, tunc per Alemanniam Sedis Apostolicæ Legati.

§. IV.

(a) *forte*: & alia.

§. IV. Concilii Herbipolensis Constitutio Pacis publicæ inter Imperatorem, Episcopos & Principes.

POstquam ab Ecclesiasticis negotiis conquievit Synodus, Rudolphus Rex *de Pace publica* sancienda negotium suscepit. Hujus pacis ab Rudolpho, ab Legato Pontificio, ab Episcopis & Abbatibus, a Principibus, Comitibus, & Nobilibus Imperii hæc Conclusio est.

Diere Landfriede ward gemachet, und dirre Brieff ward gegeben ze dem offenem Hoffe in dem Concilie ze Wirtzeburc an dem Palme Tag (*apud Ludewig*) an unser Frawen Abend (der in der Fasten gefält) da man zählt von unseres Herrn Geburt tusend zweyhundert und zuben und achtzic Jahr.

Lehman. Speirischer Kronick L. V. C. CVIII.
Thomas Grebner Soc. J. Dissert. de Conciliis Wirceburgi.

Hunc Imperii recessum germano sermone editum anno MCCLXXXVII. Wirceburgi, ac dein Spiræ anno MCCXCI. renovatum, *Lehmannus in Chronico Spirensi Lib. V. Cap. CVIII.* & *Petrus Ludewig de Scriptoribus Episcoporum Wurceburg. pag.* 590. *referunt.* An autem in his Comitiis Decretum fuerit, omnia Acta Imperii Germanicè edenda? valde dubium est, ob silentium omnium coævorum Scriptorum. Deinde aurea Bulla Caroli IV. Imperatoris latine edita (quæ Lex principalis Imperii est) contrarium prorsus ostendit.

FINIS ACTORUM CONCILII WURCEBURGENSIS.

CONCILIUM SALTZBURGENSE PROVINCIALE, Anno Christi MCCLXXXVIII. Nicolai IV. PP. I. Rudolphi I. Regis XV.

SUMMA. I. *Elevatio S. Virgilii, Episcopi Salisburgensis.*
II. *Sepultura Eberhardi, Archi-Episcopi Salisburgensis, hactenus inhumati.*
III. *Anathema Clericis omnibus, qui negotia laicorum Principum tractarent.*
IV. *Interdictum, honoris feudi impertiendi cuiquam, sive ab Episcopo, sive a quovis Prælato provinciali.*

EPiscopis & Prælatis Provinciæ Salisburgensis indictum a Rudolpho Saltzburgensi Metropolita, uti ad Concilium die *S. Martini* post hebdomadas sexdecim celebrandum se sisterent. Nuntiatum, futuram ibi elevationem *S. Virgilii* cum insolitis indulgentiis; præterea sepulturam Eberhardi Archi-Episcopi. Dies elevationi præfixa fuit Dominica post festum omnium Sanctorum, quæ tunc erat septima Novembris.

Convenerunt Episcopi Emicho Frisingensis, Wernhardus Pataviensis, Henricus Ratisponensis, Landolffus Brixinensis, Leupoldus Seccoviensis, Chunradus Laventinus, Chunradus Chiemensis: Prælati Monasteriorum, & Collegiorum omnes: præterea tanta vis populi, ut ad spatium unius leucæ circa Salisburgum advenis omnia essent conferta. Nostris certe temporibus (ait Hornekius Synchronus) tantæ multitudinis confluxus seu vicinis seu remotis etiam in partibus non est auditus, usque adeo, ut nonnullis constipatio turbæ etiam animam exprimeret.

Elevationis ordo sic habuit: primum decantatus est in Ecclesia hymnus Angelicus: *Gloria in Excelsis*: quo gratiæ agebatur Deo pro tantis beneficiis in S. Virgilium collatis; deinde Archi-Episcopus cum Episcopis tribus ad locum conditorii, quo depositus perhibebatur, accessit: descendit: cumque tumulus diu quæreretur, inventus non est; igitur exeuntes è loco, quum excalceassent

ſent pedes, lugubriter invocato Dei auxilio, cum magno fletu Litanias aliasque preces ingeminant. Archi-Epiſcopus ante alios lacrymatus ſupplicabat Deo, ne peccata ſua Divi honoribus obſtare ſineret. Quod cum fieret, effodiebatur paulo altius in parte quadam humus. Ibi detectus Sarcophagus cum idoneis ejus oſſium indiciis, ac litteris, in quibus annus primæ depoſitionis adnotatus erat. Mox omnibus confertim accedere connifis, elevata voce cantatum: TE DEUM. Deinde quatuor Epiſcopi deſcenderunt, oſſa & particulas omnes transpoſuerunt in alium loculum: quum inter hæc cantaretur: *Dilectus Deo*: deinde oſtiis templi reſeratis admiſſa turba, diſtributæ indulgentiæ, homologeſibus opera data. Sacris oſſibus ſuper ara collocatis cantata liturgia in honorem S. Virgilii: ſub ea pœnitentes (Karreyner) aliique expiari cupientes in templum a quatuor Epiſcopis inducti ſunt ad oblationes faciendas; quas reliqui etiam de populo peregrini fecerunt ingenti copia. Vix erat quiſquam adeo vacuus, qui non geminum donum, unum ad manus Archi-Epiſcopi, qui functionem iſtam capiendorum munerum ipſe navabat; alterum ſuper exuvias ſancti Virgilii offeret. Deinde ſuamet Archi-Epiſcopus manu Sacrarum Reliquiarum portiones diſtribuit, ſed niſi, qui promitterent Eccleſiam vel aram erecturos, ubi digne reponerentur. Reliquum in ara recluſum, & immerſum Altari, quod eleganti opere, magnaque mole conſtructum, Archi Epiſcopus ipſe conſecravit. Iſtuc applicatæ indulgentiæ, quotannis ab inviſentibus obtinendæ. Ita ſolennitas ejus diei peracta, in qua conferta perpetim multitudo ad Veſperarum & Completorii finem duravit.

Die ſequenti cœremoniæ funebres pro Eberhardo inſtitutæ. Corpus ejus allatum Raſtadio, ſpecioſæ incluſum tumbæ. Archi Epiſcopus ipſe ſacrificium piaculare fecit: deinde in eodem tumulo, è quo S. Virgilii lipſana exemta fuerant, pro dignitate compoſuit. Hoc novum reputabatur, ut Archi Præſulum alter alterum elevaret, alterum eadem in urbe ſepeliret. Chronographus Mellicenſis de his ita ſcribit ad annum MCCLXXXIX. (ſubſtituendus annus MCCLXXXVIII.) Beatus Virgilius Juvavenſis Archi-Epiſcopus transfertur, & canonizatur a venerabili Archi-Epiſcopo Saltzburgenſi Rudolpho: & Beatus Eberhardus Archi-Epiſcopus quondam ipſius Eccleſiæ ſepelitur. In eadem translatione dicta affuit Dominus Fridericus Abbas noſtræ congregationis, qui cum cæteris Epiſcopis corpus venerabile de foſſato, in quo fuit humatum, reverentia, qua decuit, excepit.

His ita peractis deliberabatur de ferendis in Concilio proximo decretis. Optimum factu viſum, ut a Doctoribus conficerentur tabulæ, quibus Epiſcoporum ſinguli ceram ſuam appenderent ante conſeſſum. Id eum in finem excogitatum, uti viritim conventis eo promptior eliceretur conſenſus verecundiâ tergiverſandi; deinde uti ſuis ipſi tenerentur ſigillis ad excludendum pœnitentiæ locum. Itaque litteræ ſanctionum ad ſingulos circumlatæ. Earum ſententiam cum pauci ſcrutarentur, omnes tamen obſignarunt, excepto Leopoldo Seccovienſi. Ad eum, ubi ventum, neſcio, quid odoratus, negabat ante ſignaturum, quam vim litterarum pernoſſet. Quibus ei prælectis, quum intelligeret anathemate & interdicto feriundos de Clericis omnes, qui negotia laicorum Principum tractarent; præterea uti nemo ullus Epiſcoporum, Parochorum, aut Prælatorum, vel cujuscunque tituli, Provincialium cuiquam honorem feudi impertiat: neve in eo metum aut minas excuſet: neque ipſi clientelam obſequium ulli deſpondeant: qui contra faxit, communione piorum careat. Alia præter hæc erant haud pauca, quæ Seccovienſi parum probabantur. Ille his cognitis ajebat ſe omnia, quæ viderentur æqua, facturum: illud tamen ſibi reputandum eſſe, ne quid in fraudem Domini ſui Ducis decerneret. Ad hoc ſe primum obſtringi officio grati animi adverſus eum, a quo adeo habeatur in honore, ut nulli unquam anteceſſorum ſuorum gratiæ majores a Principibus obtigerint. Ejus conſenſu ſibi opus eſſe: ſecus fore, ut amiſſa gratia Principis Eccleſia ſua luat. Hic eum Magiſter Henricus de Traveyach admonebat, ſi gratiam Principis retinere non poſſet, par eſſe, uti eum in gratiam Cleri dimitteret: neque re-

cuſan-

cuſandum ei eſſe pro commodo Archi-Epiſcopi, & ejus Eccleſiæ utramque fortunam pati. Seccovienſis contra minime (inquit) mihi animus eſt, cuiquam ita deditum eſſe, ut Eccleſiam meam in exitium præcipitem. Quidquid de me fit; Eccleſiam meam deſtruere nolo. Ita res mecum habet, ut leviſſimus quiſque Satellitum Ducis, ſi eum faventem habeat, me poſſit impetere. Ego Eccleſiam tueri meam æque teneor, atque Archi-Epiſcopus ſuam. Quod ſi velit, ut more ſubjecti obtemperem, mihique accerſam damna, id certe eget meditatu longiore, quam ut illico decerni poſſit. Hæc eo prædicante, tabellarii vehementer conturbati, bonis primum verbis hortando, monendo, poſtremo terroribus eum obſidebant. Sed ipſe nec precibus, nec legum canonicarum objectu, neque carceris interminatiône ſubigi potuit, ut ſigillum adprimeret. Hoc tandem unum impetrarunt, ut reciperet, adverſus ea, quæ in Concilio reſpectu Cleri univerſalis magna ſeu parva ſancirentur, vocem non miſſurum. Sileret certe, ſi nolit aſſentiri; & alienationem animi ad alios ne vulgaret. Hic Leopoldus Seccovienſis, cujus toties mentio redit, is eſt, quem Fridericus Archi-Epiſcopus è parochia Fọganenſi ad infulam vocaverat, probus admodum vir, niſi quod animi elatioris, & præcipitis (ut ſcribit Hornekius) Alberto idem Duci diu chariſſimus, cujus beneficentia penuriam Eccleſiæ ſuæ multis nominibus a deceſſore contractis obæratæ ſublevavit. Idem Archi-Epiſcopo ſuo multis in rebus uſui fuit, donec ille pecuniæ ratam ab eo pendendam (nam erat Vice-Dominus Leibnizenſis) quadringentis marcis taxaſſet: ex eo namque ſtudium ejus adverſus Archi-Epiſcopum refrixit, eodem teſte.

Quum itaque dies Concilio præſtituta veniſſet, conſedere Patres: coram quibus cantatum ſacrum ſolemne in Baſilica Metropolitana. Deinde Epiſcoporum quidam aſcenſo pulpito ſermonem fecit de laudibus obedientiæ. Poſt dictionem Archi-Epiſcopus converſus ad Magiſtrum Henricum de Göſs, imperavit, uti de rebus, de quibus jam conventum ſit, orationem diceret, prolatis in medium legibus Canonicis, è quarum norma ſanctiones conceptæ ſint. Is, quum aſſurrexiſſet, fecit imperata, & quæ meditatus antea fuerat, explicuit. Archi-Epiſcopus cum ſuffraganeis de rebus propoſitis in conſilium ibat. Tum recitatum inſtrumentum, ſanctionum, id, quod antea circumlatum Epiſcopi ſigillis muniverant. Quum primum tenor literarum liquidius intellectus eſt, ibi plerique cohorruerunt, ac tædere cœpit eos rem non ante clarius detectam. At vero jacta jam erat alea: vellent, nollent, ſuis ipſi Syngraphis tenebantur. Poſtquam conſtitutio ad calcem perlecta, ſolemnibus cæremoniis decretæ in transgreſſores diræ, & imperia Clericis impoſita. Aderat his omnibus Abbas Admontenſis, qui continuo ſe Salisburgo ſubduxit. Soluto Concilio mox omnes abitum properant. Peritis haud erat obſcurum, quo ſtatutum illud in Alberti Ducis odium comparatum, poſtremo evaderet.

Hanſiz. German. Sacræ Tom. II, p. 403. 404. 405.

Hæc omnia Hornekius ad annum MCCLXXXVI. falſo reponit, cum evenerint anno MCCLXXXVIII.

CONCILIUM VRATISLAVIENSE

SUB THOMA II. EPISCOPO.

Anno Chriſti MCCXC. Nicolai IV. Papæ III. Rudolphi I. Regis XVIII.

SUMMA. Declaratio Reſervatorum Epiſcopo & Papæ.

ANNO Domini MCCXC. II. Kal. Septembris; Præſidentibus nobis Synodo Diœceſanæ in choro noſtræ Eccleſiæ Cathedralis, Clero noſtro de tota terra

terra Diœcesis ad ipsam Synodum convocata, præsens Constitutio est solemniter promulgata præsentibus & expressum consensum præbentibus his nostris fratribus: illustri Principe, Domino Conrado, Duce Silesiæ, & Domino de Sagano, Præposito nostro; & Dominis Mileio Decano; Joanne Cantore, Nicolao Custode, Joanne Decano, & Magistro Vito Archi-Diacono Glogoviensi, Henrico Lignicensi, & Joanne Lanaysen Archi-Diacono, & Petro Præposito, & Magistro Jacobo Scholastico Sanctæ Crucis, Stephano, Arnoldo, Petro, Martino, Magistro Mirizlao Presbyteris. Nicolao de Cosnow, Petro Cancellario nostro: Martino Janusio, Henrico Simonis Walkone, Senuario Joanne, Henrico Procuratore, & Henrico de Wirbena, Canonicis Ecclesiæ nostræ Cathedralis.

Volumus autem & mandamus universis & singulis Archi-Presbyteris, & cæteris Ecclesiarum Rectoribus nostræ Diœcesis constitutis sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, qua (a) ex tunc incurrunt contemptores usque ad octavam B. Michaelis: (b) has nostras salubres Constitutiones conscriptas habeant in Ecclesiis suis, easdem parietibus affigentes. In cujus facti evidentiam Constitutiones præsentes sigillis Nostro & nostri Capituli fecimus consignari.

Præcipimus, quod Sacerdotes majora in confessione majoribus reservantes, mittant ad Episcopum pœnitentes homicidas, facto, opere, consilio vel auxilio, blasphemos Omnipotentis, & Beatæ Mariæ, & Sanctorum: injectores manuum in parentes, sive in Clericos, vel quoscunque Religiosos: incendiarios, simoniacos, literarum falsarios, incestuosos, detestabile peccatum contra naturam committentes cum brutis animalibus: concubitores Monialium: Ecclesiarum & cœmiteriorum effractores & violatores: schismaticos & sacrilegos, & divinatores, & qui ad eos accedunt: qui de Sacramentis aliqua commiserunt maleficia, vel auxilium præstiterunt: qui abortivum procuraverint: qui non permiserit baptizare, qui interfuerunt scienter: qui sine prima tonsura aliquem Ordinem suscepit: qui contra justitiam vel conscientiam auctoritatem, consilium, sive auxilium in aliquo impendunt, unde mors hominis, vel membrorum mutilatio est secuta, vel qui hujusmodi scienter occasionem (c) sine causa dederunt: qui literas dictat, scribit, legit, vel aliquod adminiculum præstiterit, ut aliquis mutiletur.

Item Clericos, qui suspensi sunt; vel excommunicati promoti, aut celebraverunt Divina. Item Sacerdotes seu Ministros, quorum negligentia aliquid circa Sacramenta Altaris inhonestum quocunque modo evenit. Quibus omnibus (præterquam illis, qui pro violenta manuum injectione in personas Ecclesiasticas in Canonem latæ sententiæ inciderint, quos Episcopi absolvere non possunt) per ipsos Episcopos de absolutionis beneficio provideri potest.

Episcopi autem dicere debent omnibus excommunicatis ex quibuscunque causis, quod nullo modo absque mortali peccato & irregularitatis vitio possint vel debent se ingerere Divinis, & publice eis dicant, si est publicum peccatum eorum, & si occultum, occulte debent dicere Confessoribus, quorum dispensatio ad solum Summum Pontificem spectat, quod nec in susceptis ordinibus ministrare, nec ad majores seu ad beneficia curam animarum habentia possunt promoveri absque dispensatione Domini Papæ. Caveant autem Episcopi, quod nullum excommunicatum pro violenta manuum injectione in personas Ecclesiasticas, nec ab aliis excommunicationibus a Canone, sive ab aliis Judicibus latas absolvere nullatenus, nisi de mandato vel auctoritate Apostolicæ Sedis vel Cardinalium curæ commissis dispensare præsumant.

Lunig. Continuatio II. Spicilegii Ecclesiastici pag. 1175.

(a) *forte:* quam. (b) ut.

(c) *forte:* sive causam.

CON-

CONCILIUM VRATISLAVIENSE SECUNDUM,

SUB JOANNE III. EPISC. VRATISLAVIENSI, *EODEM ANNO.*

Contra Sacrilegos, Vulneratores, & Spoliatores Episcopi & Prælatorum, ac Cleri comitantium Episcopum.


JOANNES, MISERATIONE DIVINA, VRATISLAVIENSIS EPISCOPUS, DILECTIS IN CHRISTO FIDELIBUS, DOMINIS ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, PRIORIBUS, CÆTERISQUE ECCLESIARUM RECTORIBUS, SEU PLEBANIS PER SUAM DIOECESIN CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUia, ficut vobis omnibus, ut credimus, ignotum non exiftit, malefactores quidam Diabolo inftigante procedentibus nobis nuper de Niffa verfus Trebnitz ad petitionem Dominæ Abbatiffæ & Conventus loci ejusdem, ut in die B. Bartholomæi Apoftoli Miffarum folemnia celebraremus: ibidem nonnullos Prælatos, Canonicos, & Capellanos noftros, qui nobifcum erant in via, & quafi totam noftram familiam equis veftibus & rebus aliis fpoliaverunt, imo etiam in perfonam noftram non parcendo dignitati Epifcopali & honori Clericali, tanquam filii degeneres in parentem & in filios Matris fuæ Ecclefiæ, videlicet Sanctæ Dei non funt veriti manus injicere violentas, vulnus corpori noftro ufque ad effufionem fanguinis infligendo: Univerfitatem veftram rogamus, hortamur, & nihilominus in virtute fanctæ obedientiæ vobis præcipimus, quatenus dictos malefactores, cum excommunicati fint a Canone ipfo facto, & eos, qui ad hoc mandatum præbuerunt, confilium, auxilium, & favorem, nec non, qui terram Niffenfem & Othmachavienfem (quos dudum Prædeceffor nofter bonæ memoriæ Dominus Thomas, quondam Epifcopus Wratislavienfis, excommunicationis fententia innodavit, & excommunicatos mandavit publice denuntiari) vaftarunt, & vaftant fpoliis, incendiis & rapinis; & eos, qui libertatem Ecclefiæ datam, maxime, quæ per illuftrem Principem bonæ memoriæ Dominum Henricum, quondam Ducem Silefiæ, Dominum Wratislaviæ, Cracoviæ, & Sandomiriæ pro magnis damnis per ipfum Ecclefiæ illatis, data reftituit ipfi Ecclefiæ, & conceffa totique Clero religiofo & fæculari, violant & infringunt, quos Nos excommunicamus in his fcriptis. In Ecclefiis veftris fingulis diebus Dominicis & Feftivis, pulfatis campanis, candelis extinctis, excommunicatos publice denuntietis. Sepultura Ecclefiaftica eis fit fpecialiter interdicta, donec redeuntes ad cor, Sanctæ Matri Ecclefiæ fatisfactione præmiffa per abfolutionis gratiam reformentur, ut, quos timor Dei a malo non revocat, faltem Ecclefiaftica coerceat difciplina.

Injungimus fub pœna officii ac beneficii, ac Synodali, ut quilibet veftrum ad Ecclefiam fuam pro memoria harum fententiarum tranfcriptam reportet. Datum in Synodo Wratislaviæ, in die Beatæ Cæciliæ, anno Domini MCCXC.

Lunig. Continuatio II. Spicilegii Ecclefiaftici pag. 1176.

FINIS TOMI III.



SUPPLEMENTUM TOMI III. CONCILIORUM GERMANIÆ.

CONCILIUM ROMANUM

ANNO CHRISTI MXXVII. ET MXXXII.

In causa transferendæ Cathedræ Citizensis Ecclesiæ Naumburgum.

EPISTOLA SYNODICA JOANNIS XIX. (XX.)

JOANNES EPISCOPUS, (a) SERVUS SERVORUM DEI, DILECTO IN CHRISTO FILIO HILDIWARDO, SANCTÆ NUEMBURGENSIS ECCLESIÆ EPISCOPO, ET OMNIBUS SUCCESSORIBUS TUIS, PERPETUAM IN DOMINO SALUTEM.

CОnvenit Apostolico moderamini, pia religione petentibus benevola cooperatione succurrere, ac poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a Conditore omnium DEO procul dubio promeremur; si venerabilia loca opportune ordinata, & (ad) meliorem per vos fuerint statum perducta. Sicut ergo, Carissime Fili, tibi absenti, rogatu Filii nostri Christianissimi Imperatoris Kunradi, & Confratris nostri Humfredi, Magdeburgensis Archi-Episcopi, nec non illorum, qui hæreditatem suam Ecclesiæ contulerunt; videlicet Hermanni Marchionis, & germani sui Ekkihardi, & maxime pro magna utilitate & securitate Ecclesiæ tuæ *Consilio Episcoporum & Clericorum nostrorum* Sedem Episcopalem de Zizâ in Nuemburg transferre concessimus; ita nunc quoque tibi præsenti cum Clero tuo & Dignioribus de populo, & Nuntiis prædicti Imperatoris, & consilio Archi-Episcopi, Archi-Episcoporum eorumdem, & Clericorum nostrorum factum probamus, & tam tibi, quam omnibus successoribus tuis perpetua stabilitate confirmamus. Quod cum *secundum Canones* pro necessitate sæpe factum fuisse legimus, nostris quoque temporibus fieri non prohibemus. Quoniam igitur canonice, & communi consensu omnium, ad quos attinebat, Sedis tuæ translatio facta est, absque omni contradictione universi successores tui a Nuemburgensi Clero & populo eligantur, atque ad eundem titulum regulariter consecrentur, & Magdeburgensibus Archi-Episcopis, quorum Diœcesim translatio non excedit, utpote Metropolitanis suis omni pietatis devotione sint subjecti. Hoc quoque communicato consilio placet addere, quod Ecclesia Citicensis in honorem Beatorum Apostolorum Petri & Pauli consecrata, non omnimodis negligatur, sed in loco Clericorum Nuemburg transeuntium, Monachi, vel Canonici substituantur, qui integrius stipendiis ejusdem Ecclesiæ inibi Deo serviant, & sicut pacis filii matri suæ Nuemburgensi Ecclesiæ in Domino semper devote obediant. Si quis autem, quod minime credimus, temeraria præsumptione contra hoc nostrum Apostolicum Privilegium venire, aut in aliquo contraire præsumpserit, seu violator exstiterit; sciat se auctoritate DEI Omnipotentis, & Beati Apostolorum Principis Petri, ac nostra, anathematis vinculo esse innodatum, & a Regno Dei alienum, atque cum Juda traditore Domini nostri JESU Christi, socium futurum in inferno: excommunicationique subjaceat, donec resipiscens ad satisfactionem, & congruam emendationem revertatur. Qui vero suo intuitu curator & observator hujus nostri Apostolici Privilegii exstiterit, bene-

(a) Joannes XX. in Synodo Romana anni 1027. approbaverat Translationem Cathedræ Episcopalis Citizo Naumburgum.

benedictionis gratiam, vitamque æternam, & æterni Regni gaudia a Domino percipere mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Lunig. Spicilegii Ecclesiastici Cent. III. pag. 144. *ex quo Mansi Tomo I. Supplementi Conciliorum.*

Joannes XIX. frater Benedicti VIII. repente largitione pecuniæ ex ordine laicali neophytus constitutus est Præsul Ecclesiæ Catholicæ anno 1024, post diem 6. Junii. Conradum Regem *Salicum* in Italiam venientem obvius excepit Comi, ac dein Romæ Imperatorem eum coronavit in die S. Paschæ anno 1027. Obiit 1033. anno IX. Pontificatus. *Sandinus in Vitis Rom. Pontificum pag.* 330. 331.

BISUNTINA SYNODUS

Anno Christi MXLI. Benedicti IX. Papæ VIII. Henrici III. Regis III.

Hugo Archi-Episcopus Bisuntinus, occasione dedicatæ Ecclesiæ, confirmat Bona Murbacensis Monasterii.

SI res Ecclesiasticas augemus, Deum inde propitium nobis fore credimus. Hanc enim sibi Sponsam elegit, hanc sanguine proprio acquisivit. Quidquid huic Sponsæ confertur, Sponsi ad usus conceditur: nec habent inter se quid divisum, quia spiritualiter sunt unum. Credo, si Rex Cœlorum, arbiter sæculorum, hanc vellet esse ancillam, non sibi eligeret Sponsam: quia indecens valde esset, ut, qui ad hoc venit, ut mundo libertatem ferret, causa Sponsæ suæ servus fieret. Lex enim sic continet humana: sed absit, ut nostræ legi subdantur Divina. Quapropter ego *Hugo* Sanctæ Chrysopolitanæ Ecclesiæ Archi-Episcopus, notum fieri cupio omnibus sanctæ Religioni colla subdentibus, qualiter Domnus Abbas *Eberhardus*, nobis præ omnibus carissimus, cunctaque Congregatio Sancti Cœnobii Murbacensis petierunt a nobis, ut dedicaremus illis quamdam Ecclesiam infra nostrum Episcopatum sitam, noviter restauratam, sed ab antiquo fundatam: quod libenter fecimus, rectumque fieri judicavimus. Suprascripta namque Ecclesia olim fuit Regalis Abbatia, sed ab antiquis Regibus S. Leodegario Murbacensi per præceptum tradita, sicque deinceps mansit illi subdita, habuitque sua prius privilegia, mansitque ab omni servitutis jugo libera, sicut cæteræ Abbatiæ nostra in parochia. Postquam autem Sanctorum Martyrum *Desiderii* & *Regenfridi* corpora a supradicto loco ad Murbacensem sunt Ecclesiam delata, stimulante invidia, inardescente avaritia, Ecclesiæ nostræ Ministri, qui penes nos vocantur Archi-Presbyteri, plus æquo diligentes formam nummi, hanc voluere esse sub tributo: sed non accidit res ex toto, sicuti proposuerant animo. Retulerunt ad Archi-Episcopum, cujus nos nunc occupamus locum, quod turpiter circatæ (*a*) ibi largum posset servitium accipere, & sic deinceps facerent illam tributariam, quam prius invenerant liberam, quod minime est peractum; quia faciendi non erat licitum. Tamen parvum sibi usurparunt servitium: sex scutellas cum flasca, dum fieret ab Episcopo circata: ob hoc Archi-Presbyteri voluere placitum Decaniæ per se habere inibi; sed causa Congregationis & Abbatum, qui semper familiarem apud nostrates obtinuere locum, non est permissum usque in diem hodiernum: sed dum aliquid contra jus Divinum ab aliquo ibi esset patratum, mittebat Præpositus Monasterii post Decanum, & simul perficiebant opus Divinum. Non inde referebat Decanus nummum, sed Præpositus accipiebat bannum.

Taliter usque ad nostra tempora res est acta. Postquam enim effectus sum Archi-Episcopus, Dominus Abbas supra-

(*a*) *circare* pro *visitare*, *circata* pro *visitatione Episcopali.*

præſcriptus cœpit mihi ita eſſe familiariſſimus cum ſuis omnibus, quod non magis ſuum, quam meum diligebat commodum: & ita, ubicumque poterat, noſtram ut ſuam exaltabat Eccleſiam: viſum fuit noſtris fratribus dignum, ut, quod antea cupidinarie fuerat actum, caritate eſſet emendatum; Rogatu *Willerici* noſtri Præpoſiti, & *Theodorici* Sancti Joannis Evangeliſtæ Decani, & *Lamberti* Sancti Stephani Primicerii, cæterisque utriusque Congregationis Canonicis, non ſolum conſentientibus, ſed etiam devote rogantibus, ut priſtinam libertatem ſupraſcriptæ Eccleſiæ concederemus: quod & facimus, poſterisque noſtris ſervare mandamus. Hanc præſentem libertatem, quam peragimus, *in plena Syuodo* facimus. Interdico denique ex auctoritate Divinæ Clementiæ, ne quis meorum ſucceſſorum hoc libertatis donum audeat violare in poſterum: ipſiusque Eccleſiæ altaria, proprio ſi fuerint Paſtore viduata, Morbacenſis Eccleſiæ Rectores perſonam eligant habilem, & in præſens uſque, ut convenit, deducant: cui noſtri ſucceſſores abſque pecunia animarum tribuant curam.

Et ut hoc velut cœleſte munus inconvulſum, ſtabileque permaneat; proprii ſigilli impreſſione notam ponimus: & a Canonicis noſtris a majore uſque ad minorem præſente *Sancta Synodus* (*b*) extenſis manibus firmare jubemus. Si quis vero, quod minime ſpero, bellator adverſus Deifica caſtra, hoc ingenuitatis privilegium infringere conatus fuerit, ex parte Paſtoris paſtorum, & ex parte Beati Petri, Principis Apoſtolorum, atque ex parte Sancti Stephani Proto-Martyris Chriſti, & omnium Chryſopolitanæ urbis fundatorum, catena ſit ligatus, anathematizatus, & in terra viventium bona Domini non videat cum Juſtis. Ego *Hugo Archi-Epiſcopus* hanc cartam propria manu firmo, cæteriſq; firmare præcipio. S. Willerici Præpoſiti Sancti Joannis Evangeliſtæ, S. *Theodorici* Decani. S. Gibvini Cantoris & Archi-Diaconi Cardinalis, S. *Rotberti* Archi-Diaconi & Archi-Clavi, *S. Lamberti*, Decani S. Stephani, *S. Girardi* Archi-Diaconi, *S. Winibaldi* Archi-Diaconi, *S. Friderici* Genevenſis Epiſcopi, noſtræ Eccleſiæ Archi-Diaconi, *S. Alberici* Subcantoris, *S. Manegaldi*, *S. Stephani* Cantoris, *S. Rudolphi*, *S. Bundini* Cellerarii, *S. Dundini* Capellani, *S. Ottonis* Capellani, *S. Deodati* Capellani Levitæ, *S. Conſtantini* Levitæ, *S. Rotgeri* Levitæ Capellani, *S. Alberici* Subdiaconi Capellani, *S. Frodonis* Abbatis, *S. Martini*, *S. Petri*, *S. Dadini* Sacerdotis, *S. Ardulfi* Diaconi, *S. Rainaldi* Sacerdotis, *S. Ottonis* Archi-Presbyteri, *S. Rudolphi* Archi-Presbyteri. Ego *Raberius* Levita recognovi ad vicem *Ermanfridi* Cancellarii, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Quadrageſimo primo, Indict. nona. Acta Biſuntio publice *in S. Synodo*, VI. Feria, VIII. Idus Novembris, Regnante Heinrico Rege II. anno IV. Præſulatus vero Domini Hugonis decimo.

Lunig. Spicilegii Eccleſiaſtici Continuat. I. pag. 996. *ex quo Manſi Concil. Supplement. Tom. I. pag.* 1269.

(*b*) *lego:* Synodo.

In celebri Congregatione Romana a Benedicto IX. P. Max. Canonizatio decreta S. SIMEONIS recluſi Treviris, (qui ibidem obierat anno 1035. 8. Septembris.) *ad inſtantiam Popponis, Archi-Epiſcopi Treverenſis.*

ANNO CHRISTI MXLII. BENEDICTI IX. PAPÆ IX. HENRICI III. REGIS IV.

BENEDICTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, OMNIBUS ARCHI-EPISCOPIS, EPISCOPIS, SACERDOTIBUS, ET UNIVERSO CLERO, CUNCTISQUE POPULIS TAM REGNI TEUTONICI, QUAM ETIAM QUARUMCUNQUE NATIONUM, VEL LINGUARUM SALUTEM CARISSIMAM CUM BENEDICTIONE APOSTOLICA.

Divinæ Majeſtatis inenarrabilis auctoritas, ſemper inenarrabilia faciens, ſicut in Sanctis ſuis mirabilis prædicatur, ita & operibus declaratur, dans

dans eis virtutem & fortitudinem, curare omnem languorem & omnem infirmitatem: quod donativum ipse Deus, Spiritualium donorum distributor & autor, militibus suis, quorum non est numerus, in hoc etiam mortali corpore, dum in sæculo degerent, propterea concessit; ut & iidem ipsi super spe Divinæ retributionis, habentes Sancti Spiritus fidele pignus, fiducialius ac fortius inniterentur, & gentes Divina Mysteria intuentes, omni superstitione postposita ad viam Christianæ veritatis, ex intimo cordis converterentur: alios vero, quorum similiter incomprehensibilis est multitudo, post vincula tantum carnis, his opibus virtutum donavit, atque magnificavit; ut corporeis exuviis in sepulchro positis, & membris in favillas resolutis, sentientibus atque videntibus mirabilia, fides inculcaretur, & cumularetur, eos illic feliciter vivere, ubi vera est & æterna vita, ad quam nemini accedere licet, nisi vitæ tempore oblectamenta exosus, ad illam tota semper mentis intentione suspiret, si quando mereatur de peregrinatione ad patriam, de exilio postliminium revocari. Igitur quoniam crebris nuntiorum indiciis crebrisque litterarum caracteribus, clamor magnus, strepensque rumor ex Trevirorum partibus usque Romam pervolavit, esse inibi viri cujusdam SYMEONIS admirabile corpus, signis & prodigiis, virtutibus & miraculis radians, ut sol meridie sereno aere; terram strictius osculati, Dominum benediximus toto corde, tota mente, totis viribus, qui nostris temporibus dignanter, intra Sanctam, suum corpus, Ecclesiam, hoc præcipuum membrum Divino lumine accendit; ut sit lucerna ardens, posita super candelabrum, quæ luceat omnibus, qui sunt in domo Domini. Itaque conventi atque pulsati a carissimo fratre nostro, D. Poppone, ejusdem Treviris Archi-Episcopo, ut quod nobis visum fuisset de celebratione ejusdem Sanctissimi Viri, salubri definitione nostræ Apostolicæ auctoritatis statueremus, atque decerneremus, omnibus, quod in salutatione prænotavimus, notum his litteris facimus, quid ex ea re censuerimus: Nam *collecta Romani nostri Cleri splendida fraternitate*, cum partus Sanctissimæ Virginis annuo recursu per hunc orbem radiaret, concordi deliberatione determinavimus, & alta sententiæ radice fundavimus, eundem virum Dei, SYMEONEM, quem Dominus commendat atque probat significatione tantarum virtutum; I. Sanctitatis & gratiæ plenum, ab omnibus populis, Tribubus & linguis *Sanctum* proculdubio esse nominandum, II. Ejusque natalem singulis annis recurrentem passim solenniter observandum & ferialiter celebrandum & venerandum, adinstar diei festi. III. Nomen quoque ipsius Martyrologio cum Sanctorum nominibus suo loco inserendum.

Cui sententiæ hoc etiam subdidimus, ut quisquis hujus nostræ Constitutionis temerarius contemptor & cervicosus refragator exstiterit, primo se noverit Dominum graviter offendere, deinde Sancti illius patrocinia, imo omnium Sanctorum, quorum contubernio gratulatur, nostramque de cætero Apostolicam nullatenus benedictionem sperare, conservatoribus ea multipliciter donatis in omnia sæcula sæculorum. (die 8. 7bris)

Ex Actis Sanctorum Antwerp. die I. Junii.

His Literis acceptis Poppo solenniter Beatum SIMEONEM inter Sanctos Confessores habendum & colendum declaravit, quod factum anno MXLII, patet ex sequenti inscriptione, quam Papebrochius die I. Junii ad autographum emendatam refert:

Anno Dominicæ Incarnationis MXLII. Indictione X. Benedicti Papæ IX. Regisque tertii Henrici, Conradi Regis filii, IV. Canonizatus est Beatus SYMEON Trevirensis IV. Feria, XV. Kal. Decembr. piissimo Archi-Præsule Poppone, anno Ordinationis suæ XXVI. jussu & literis noni Benedicti Papæ, est Congregatio Canonicorum ibidem ordita.

Porro S. SYMEON natus erat in civitate Syracusana nobilissimis Parentibus, cumque Constantinopolim sacris literis imbuendus missus fuisset, Jerosolymam devotionis causa perrexit, indeque post aliquot annos ad radices montis Sinai secessit, tandemque Antiochiam; unde in Franciam, Trevirosque profectus est, ubi animam sanctam Deo reddidit. *Franc. Pagi Breviar. Pontif. Rom. Tom. II. pag. 313.*

GERMANICUM CONCILIUM
LOCI INCERTI.
Anno Christi MXLVII. Clementis II. Papæ I. Henrici III. Reg. IX. Imp. II.

SUMMA. Simoniacæ labis Damnatio.

Dignoscens HENRICUS Rex per universam Galliam atque Germaniam Symoniacæ phylargyriæ grassari cupiditatem, coadunari fecit ex omni Imperio suo tam Archi-Præsules, quam cæteros Pontifices, & tale eis intulit colloquium.

Lugens vobis incipio loqui, qui vice Christi in Ecclesia constituti estis, quam ipse sibi desponsavit, ac pretio sui sanguinis redemit. Sicut enim ipse gratuita bonitate de sinu Dei Patris per Virginem, ad nos natus est redimendos, ita suis præcepit, mittens eos in orbem universum Apostolis: *Gratis accepistis, gratis date.* Vos enim avaritia & cupiditate corrupti, qui, dum conferre deberetis in hujusmodi transgressionis dando & accipiendo Canonem, maledicti estis. Nam & Pater meus, de cujus animæ periculo valde pertimesco, damnabilem avaritiam in vita nimis exercuit. Idcirco, quicunque hujusce sese norunt contaminatos, oportet, ut a sacro Ministerio secundum dispositionem canonicam arceantur.

Patet ergo manifestissime, quoniam propter hanc offensam venerunt super filios hominum diversæ clades, fames videlicet atque mortalitas, nec non & gladius. Omnes quippe gradus Ecclesiastici a maximo Pontifice usque ad Hostiarium opprimuntur per suæ damnationis pretium, ac juxta vocem Dominicam in cunctis grassatur spirituale latrocinium.

His denique ab Imperatore prolatis stupefacti Pontifices, quid illi responderent, non habebant. Pertimescebunt enim carere ob hanc culpam propriis Episcopatuum Sedibus.

Et quoniam non solum in Gallicanis Episcopis hæc pessima pullulaverat nequitia, verum etiam multo amplius totam occupaverat Italiam (omnia quippe Ministeria Ecclesiastica ita eo tempore habebantur vænalia, quasi in foro sæcularia mercimonia) cernentes quoque Episcopi gravi sese invectione irretitos, misericordiæ operari (opem) implorabant.

At ipse Princeps misericordia motus tale protulit verbum: Ite, inquiens, & quod illicite accepistis, bene disponere satagite, ac pro anima Patris mei, qui hac noxa reus vobiscum tenetur, attentius intercedere mementote, quatenus ei indulgentiam hujus facinoris a Deo possitis acquirere.

Tum proposuit EDICTUM omni Imperio suo, ut nullus gradus Clericorum vel Ministerium Ecclesiasticum pretio aliquo conquæreretur. Aut si quis dare aut accipere præsumeret, omni honore destitutus, anathemate mulctaretur.

Spopondit insuper promissum hujusmodi, dicens: Sicut enim mihi Dominus coronam Imperii sola miseratione sua gratis dedit, ita & ego, quod ad religionem ipsius pertinet, gratis impendam. Volo, si placet, ut & vos similiter faciatis.

Glaber Rodulphus Lib. V. C. V.

Editus a Petro Pithoeo inter Historiæ Scriptorum Francorum Scriptores veteres Tomo II.

Hugo Flaviniacensis idem narrat sed brevius, ex quo Mansi Tom. I. Supplem.

Glaber Rodulphus post narratum Lib. V. Henrici III, Filii Conradi Regis connubium cum Agnete, Pictavorum Ducis filia, celebratum coram XVIII. Episcopis & maxima Nobilium multitudine, & deditionem Regni Austrasiæ. Anno 1045. refert hoc Edictum Cæsaris & Episcoporum, qui Romæ in Natali Domini fuerat consecratus a Clemente II. cum uxore Agnete. Hermannus Contractus ad annum 1043. narrat, quod Henricus Reginam Moguntiæ ungi fecerit, & regales apud Ingelheim nuptias celebraverit. *V. Tomi hujus pag.* 113. *& Synodum Moguntinam §. V.*

Concilii Romani LEONIS IX. PP. Synodica
ad EBERHARDUM, Archi-Episcopum Trevirensem, De Primatu Ecclesiæ Trevirensis.

Anno Christi MXLIX. Leonis IX. Papæ I. Henrici III. Reg. XI. Imp. IV.

LEO EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTISSIMO EBERHARDO, TREVIRENSIUM ARCHI-EPISCOPO, VESTRISQUE SUCCESSORIBUS, SALUTEM IN DOMINO.

Æternum Divinæ dispensationis consilium, quo decrevit, per tempora distribuere omnia, nulla rerum mutabilitate mutatur, nullaque temporum diversitate variatur. Unde factum est, ut hujus æternæ dispositionis immutabilis ordo nostram de Tullensi Episcopatus humilitate mediocritatem ad Apostolicam promoveret sublimitatem; gratuito quidem dono, non aliquo exigente nostro merito. Quocirca vestra fraternitas, dulcissime frater, Nos casta caritate victa, comitata est, & Romæ nobiscum aliquantulum remorata. Interea loci, cum unicuique suum jus, suumque rectum, quod vel ablatum penitus, vel aliquantulum immutatum esset, omnimodis restituere cuperemus, Dilectionis vestræ privilegia nobis attulistis, quæ Primatum Galliæ Belgicæ, subscripto modo, vestris antecessoribus datum a nostra Apostolica Sede asserebant, pro eo, quod in exordio religionis vestra Trevirensis Ecclesia, prima illis in partibus fidei rudimenta percepisset, per egregios dogmatistas, Eucharium, Valerium, Maternum, quos Beatissimus Petrus Apostolorum Princeps instruxit, & instructos ordinavit, & illuc ad prædicandum direxit. In quibus privilegiis etiam antiquiora privilegia incendio memorantur consumpta, quæ prænominatis Sanctis, eorumque successoribus, id est, Agricio, Maximino, Paulino, Severo, Almificis utique viris, a primordio autentice concessa erant de eodem. Quæ etiam privilegia Theodorico Trevirensi Archi-Episcopo Joannes XIII. Papa, Benedictus VI. nec non alius Benedictus VII. Egberto similiter Trevirensi Archi-Episcopo, temporibus Ottonis primi & secundi, pia dispositione contulerunt. Nos autem ea intuentes, & diligenter perpendentes, dignum duximus *cum consilio, & consensu totius Cleri, & Populi Romani*, idipsum de Primatu, sicut constitutum erat, confirmare, atque nostris Apostolicis apicibus corroborare. Quod ubi in Ecclesia S. Petri in Dominica passionis cuncto Clero, cunctoque populo Nos ipsi, sursum in ambone consistentes, præsentia (*a*) vestra revelavimus; & eadem privilegia legi fecimus, pro amore discipulorum S. Petri, quos prætulimus, Eucharii, Valerii, & Materni, ab omnibus acclamatum est, jure Primatum ipsum vobis, vestriisque successoribus deberi, qui in cathedra sedetis discipulorum S. Petri Quapropter omnibus ipsis laudantibus, & respicientibus pro investitura ipsius Primatus, Romana mitra caput vestrum insignivimus; qua & vos, & successores vestri in Ecclesiasticis officiis, Romano more, semper utamini, semperque vos esse Romanæ sedis discipulos reminiscamini. Quod tamen *in Synodo nostra*, quam circa XII. (*b*) post ipsum Paschalem diem, Deo præsidente, celebravimus, Episcopis, & Archi Episcopis, nec non & aliis ordinibus consentientibus, melius & firmius stabilivimus: ea tamen (*c*), ut singulis annis vos, vestrique successores semel Legatos vestros ad Nos, nostrosque successores mittatis; per quos vobis de nostris utilitatibus illis in partibus agendis remittamus: & semper vos ipsi tertio anno Romam visitationis gratia, ut dulcissimi

(*a*) *Illmus Honthemius judicat:* nostra, *legendum.*
(*b*) XVII. *habet Browerus Tom. I. Annalium Treverensium.* (*c*) *forte:* conditione.

cissimi fratres, ad primogenitum fratrem veniatis, nisi forte inevitabilis necessitas ingruerit. Quapropter desideriis vestris annuentes, secundum præfatorum privilegiorum tenorem per hoc nostræ Apostolicæ auctoritatis privilegium decernimus, & confirmamus ipsum vobis vestrisque successoribus Primatum, hoc modo, ut habeatis primum locum post Legatum Apostolicum in Galliam, Germaniamve destinatum, &c. Et si Missus Romanæ Ecclesiæ defuerit, post Imperatorem, vel Regem sedendi, quæque alia in privilegiis Theodorico concessis enarrata suis locis. Ego *Almardus*, Lugdunensis Ecclesiæ indignus Archi-Episcopus, in prædicta *Synodo* residens salva priscarum constitutionum firmitate, & Lugdunensis Ecclesiæ auctoritate, hoc decretum laudavi, manuque propria roborans subscripsi. Ego *Joannes* Portuensis Episcopus in prædicta *Synodo* residens firmavi & subscripsi. Ego *Gadalous* Episcopus subscripsi. Ego *Benedictus*, sanctæ *Tuscanæ* (*a*) Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Ego *Gerardus*, Florentinus Episcopus, subscripsi. Ego *Crescentius*, sanctæ Silvæ candidæ, gratia non meritis Episcopus, subnotavi. Ego *Hugo*, Asisiensis Episcopus, subscripsi. Ego *Wido*, Astensis Episcopus, subscripsi. Ego *Wido*, Vulturnensis Episcopus, subscripsi. Ego *Cunibertus*, Taurinensium Episcopus, subscripsi. Ego *Henricus*, Spoletanus Episcopus, subscripsi. Data Idibus Aprilis per manus Petri Diaconi & Bibliothecarii, & Cancellarii sanctæ Apostolicæ Sedis. Anno Domini Leonis IX. Papæ I. Indictione. II.

Lunig. Spicilegii Ecclesiastici pag. 202.
Ill. Hontbemius Histor. Diplomat. Tom. I. pag. 386.
Mansi Tom. I. Supplem. Concil. pag. 1287.
Confer Benedicti Papæ Privilegium, datum Theodorico Archi-Episc. Treverico pro juribus suæ Ecclesiæ anno 973.
Mansi Tom. I. Supplementi pag. 1175.

(*a*) *lege:* Tusculana.

Ad Conciliabulum Wormatiense A. MLXXVI.

Additamentum ex Annalista Saxone Eckharti ad h. a.

REX vero, ne ullus eorum posset id postmodum negare, fecit unumquemque eorum propria manu nomine suo prænotato, chartis singulis inscribere abdicationem in Hildebrandum, hoc modo: Ego N. Civitatis N. Episcopus, Hildebrando subjectionem & obedientiam ex hac hora & deinceps interdico, & eum Apostolicum nec habebo, nec vocabo.

Sciendum vero, quod pauci Episcoporum hæc fecerunt ex animo, qui & ipsi auctores fuere consilio: plures vero mortis timore tunc subscripserunt. Sed cum primum data est opportunitas, Apostolico supplices, confessionis literas direxerunt, reos se profitentes, sed excusationem necessitatis obtendentes.

Hactenus Annalista Saxo, a Mansi excerptus Tom. II. Supplem. pag. 9.

Epistola Sigefridi, Moguntini Archi-Episc. ad Gregorium Papam VII.

Anno Christi MLXXVII. Gregorii VII. Papæ V. Henrici IV. Reg. XXII.

DOMINO VENERABILI, ET PATRI IN CHRISTO AMABILI, GREGORIO, PRIMÆ SEDIS ANTISTITI, S. MOGUNTINUS, ID QUOD EST GRATIA DEI, DEBITÆ OBEDIENTIÆ SUBJECTIONEM, ET SEDULAM OBSEQUII DEVOTIONEM.

QUid causæ intercedat, & quid impedimenti intercipiat, quod Sacro huic Sanctæ Apostolicæ Sedis Concilio interesse non possum, sicut jam priori legatione significavi, ita & nunc Sanctæ Paternitati vestræ ex ipsa veritate denun-

denuncio, videlicet quod eodem paralysis morbo, quo tunc laborabam, non quidem remissius, sed indies auctius acriusque laboro. Non hoc præmitto, aut fastu superbiæ, aut contemptu inobedientiæ, quem animi morbum Divina miseratio longe faciat a me. Non enim cujuslibet negotii quamlibet maximi me retinere posset impedimentum, cum me ad vos non sola ducit voluntas, sed & ardens trahit desiderium. Mea namque intererat, & hæc obedientiæ ratio & caritatis ordo poscebat, ut huic consortio Sanctorum interessem, & de præsentia vel allocutione, atque de salutifera collatione Divini Patris mei *Gregorii*, & Christi Sacerdotum hilarescens in melius proficerem. Non pœnitendum esset longæ viæ & magni laboris, quippe inde proveniret fructus magnæ salutis. Maximas autem grates cum humili inclinio vestræ refero Sanctitati, quod legationi nostræ tam clementer aurem inclinastis, ipsosque Legatos bene admisistis, & melius dimisistis, quodque placuit vestræ Sanctitati antiquæ dilectionis & Germanæ affectionis nostræ tam benigne reminisci, nec in summa speculationis arce, & in ipsa omnium Ecclesiarum solicitudine duxistis prætereundum, quod olim adhuc in ipsa privata conversatione Christi inter nos fuerat caritate conjunctum. Primum multiplicis erga me benignitatis vestræ gratia nulla temporum longinquitate deleri, nulla unquam rerum vel eventuum inæqualitate poterit obliterari; sed ad hoc remedium nostra sedulo vigilabit industria, ut in hac perseverare vestra dignetur benevolentia. Quod autem in commonitorio vestro posuistis, me vestræ Paternitati secretorum imo salutis meæ commisisse consilium, & alia quædam quasi correctionis limam addidistis ad castigationem vitæ & morum; hoc semper feci & semper faciam, nec ab hoc opere unquam vita comite desistam, & quod ibi cautum est, cautissime cavebo, & quod ibi præceptum est, prout vires dederit Deus, pleniter ad implebo: & si aliter de me alicujus adversantis vobis suggeret relatio., noverit Sanctitas vestra, quod unitatem scindere, & caritatem corrumpere suo mendacio conetur, nisi forte accuset, quod aliquando illud, quo me castigo, frenum disciplinæ aliquantulum laxare consilio fratrum compellor causa medicinæ. Porro, quod examinandis Episcopis, quos mihi nominastis, & introitum eorum & conversationem diligentissime inquirere, & per nuntios Nostros vobis insinuari mandastis, perpendat vigilans ille oculus Sapientiæ vestræ, quod a reditu Legatorum nostrorum usque ad hanc iteratam legationem, non tantum erat temporis interstitium, ut vel fratres colligere vel examinationis possem habere judicium, non aliud super hac re adhuc vobis de his (*a*) imitare valeo, quam quod vel vos scitis vel communis habet opinio. Verum literas vestras illis quantotius direxi, & ut mandatum vestrum impleant, etiam nostris literis dilgenter submonui. De pœnitentia autem *Strasburgensis Episcopi* nihil certi possumus vobis respondere, quod nec, si ei injuncta esset, antehac scivi, nec si eam observet, propter temporis compendium inquirere potui. De castitate vero Clericorum & de Simoniaca hæresi, ad summam de omnibus, quam mihi mandastis, semper prout ipse adjuverit, obediam Deo & vobis. Erit autem Apostolicæ mansuetudinis & paternæ dilectionis, si ad fratres dirigere mandata Ecclesiastica, ut & temporum opportunitates, & singulorum possibilitatem dignemini inspicere, ut & deviantibus & discolis adhibeatur disciplina, quæ debetur; & infirmis, & opus habentibus medico, compassio caritatis non negetur; sicque examinatis negotiorum causis adhibeatur judicii censura, ut Apostolicæ discretionis & paternæ pietatis modum non excedat justitiæ mensura. Sacrum Apostolatum vestrum pro nobis orantem Samarites ille custodiat, qui in custodiendo suum Israel non dormit, neque dormitat, & divisiones

Sigefridus, ex Fuldensi Abbate Moguntinus Archi-Episcopus, creatur anno 1058: usque ad 1084. Cathedram tenuit. Anno 1070. Romam citatus a Papa Alexandro II. ob Simoniæ tolerantiam objurgatus, vix & ægre sine damno gradus sui evasit. A Festo Michaelis 1071. ad Pentecosten 1072. adeo gravi morbo correptus fuit, ut Medici de ejus salute desperarent.

(*a*) *forte:* intimare.

visiones gratiarum, quas in clave Petri adunavit, ipse in vobis unitas integrasque conservet, qui ipsam clavem vobis commisit.

Gretserus Tom. VI. novæ editionis pag. 540.

EJUSDEM AD EUNDEM.

SPECIALIS REVERENTIÆ PATRI, GREGORIO, PRIMÆ SEDIS ANTISTITI, S. MOGUNTINUS, ID QUOD EST DEI GRATIA, QUOD PATRI FILIUS, QUOD PRÆLATO SUBJECTUS.

ADhibito desidiæ Pastorum, & negligentiæ, Sacræ exhortationis & ammonitionis incitamento, vigilantia Pastoralis officii vestri, mi Reverende Pater, nos quia de somno excitavit, & ut opus Evangelii, ad quod servi Patris familias deputati sumus, indesinenter curemus implere, quam studiose incitat, tam religiose invitat. Sacra namque est pia sollicitudo providi Pastoris, beata & remunerabilis executio hujus Divini operis; sed heu multum reclamat rerum vertigo, & iniquitas temporis. At vero si dies mali sunt, tamen ammonita vigilanti cautela tempus redimendum est, ne si propter auræ intemperiem vineam Domini culturare desistat, de neglientia condemnetur quilibet inutilis operarius, & si tempestas hodie ingruit, quæ nos ab opere repellat, cras cœlitus reddita serenitate studium nimirum in idipsum recurrat. Itaque indixit auctoritas vestræ sanctæ Paternitatis, ut statuta die collectis fratribus ex Apostolicæ legationis mandato *Concilium* debeamus celebrare, & quicquid in Provincia aut Regno nostro, vel per simoniacam hæresin vel quomodocunque contra Regulam Ecclesiasticæ rectitudinis perperam gestum, aut male usurpatum vel temere præsumptum occurrit, judicio fratrum recidere non differamus falce justitiæ. Quod præpitis mihi, Pater! æquum est & justum, & hoc per Provincias bis in anno fieri mandant decreta Sacrorum Canonum; sed ad quod decretorum auctoritas, & vestra Paternitas impellit, ad (*a*) hoc & rerum inæqualitas, & hujus maligni temporis importunitas nos longe repellit. Denique auditum credimus vestræ Paternitati, quantus in Regno nostro motus, quanta sit perturbatio, quam periculose bella grassantur & seditiones, sicut audivimus in Evangelico. Auditum, inquam, credimus vobis de bello, quod a Domino nostro Rege factum est contra Saxones & Thuringos, & quomodo dextra Domini prostraverit & fugaverit rebelles & impios, & tamen adhuc in eadem obstinatione perdurant etiam victi, & iterum perfidiæ caput levant, ac totius Regni gladios contra se acuentes iterum recidua bella parant. Unum timemus, quod pro peccato populi de vagina sua eductus sit gladius Domini, & tamen per nostram, aliorumque sanctorum propicietur intercessionem, forsitan desæviet usque ad internuntionem.(*b*) Soluto namque pacis vinculo & rupto disciplinæ freno, gens insurgit contra gentem, de terminis Regni hostilis gladius exterminavit concordiam, & pacem, & ita obmutescentibus Evangelii tubis, nec præco clamoris vocem, nec populus habet audiendi aurem. Hostili præda & pervasione magna ex parte disperiit res & reditus Episcopi (*c*) nostri, & hoc idem patiuntur plurimi fratres nostri, neque hæc rerum angustia eos patitur venire ad *Concilium*. Huc accedit, quod plures Coepiscopi nostri, qui ad *Concilium* vocati sunt, non sunt in gratia Principis, nec usquam audent progredi sine dispendio salutis suæ. Et, si consideremus eos Episcopos, qui accusantur, & eos, qui adesse non audent, si *Concilium* congregetur, vix inveniuntur, qui judicent. Accedit hic etiam ad cumulum nostri timoris & exaggerat vim nostri doloris, quod si diversis, imo adversis Regionibus ad *Concilium* convocentur, qui ad invicem inimicantur, dum putamus nos colligere ad *Concilium* fratres, paratas habeamus acies ad bellum! & dum corrigendis erroribus & sopiendis querelis in unam tendimus pacis Ecclesiasticæ communionem, forsitan, nisi Deus prospiciat, conventus noster

(*a*) *forte:* ab hoc.
(*b*) *forte:* internecionem.
(*c*) *forte:* Episcopii.

noſter turbabitur ad internecionem. Recordetur autem Sanctitas veſtra, quod propter (*d*) *Wultenſem Abbatem* aliquando contigerit Goslariæ, quod boni milites in ipſa veſpera Pentecoſtes gladio perempti ſunt intra ſepta Eccleſiæ! perfuſa ſunt altaria ſanguine interfectorum, & inſtigante diabolo totum profanatum eſt ſanctuarium. Et tunc certe omnes convenerant ad curiam ſub ſpecie pacis, niſi quod inter eos latebat quædam ſimultas, quaſi doloſo cineri ſuppoſitus ignis. Et quid credimus futurum, ſi illi, qui aperte inimicantur, congregentur in unum? Pro his & pro hujuſmodi fratres noſtri, qui ſunt ſanioris ſententiæ, dicunt, ſibi bonum videri, ut adhuc *Concilium* differatur, donec videamus, ſi quomodo reddita pace Dominus propitietur. Nos autem omnibus conſilis & Conciliis veſtram præferimus ſententiam, id quod nobis indicitis, nullo modo propter veſtram obmittemus conſcientiam. Unde ſtatim poſt Regiam expeditionem multa cum feſtinantia noſtram vobis dirigemus legationem, nec ad hoc intemperiem conſideramus anni, ut advertatis, quanti nobis conſtet auctoritas præcepti veſtri. Ergo Sapientia veſtra, quæ in ſe ipſa cuncta metitur, retractet, quis hujus perturbationis provenire poſſet eventus? & pericula, quæ timemus, conſilio & oratione præveniens, diſponat in melius, & quicquid dictante Spiritu Sancto ſuper hujuſmodi fieri decernitis, nobis de oraculo ſacri pectoris veſtri reſpondere velitis. Quod ſi probatis, propter pericula, quæ timemus, ad præſens indictum *Cancilium* differatur, & quidnam vobis placuerit, & opportunitas evenerit, celebretur in idipſum.

Udalrici Babenberg. Codice N. CXXXIII. pag. 130. *apud Eckhart. Tom. II. Corporis Hiſtorici Medii ævi.*

(*d*) *lege:* Fuldenſem.

GREGORIUS VII. ex Synodo Romana

Verna ſcribit omnibus Principibus, Clericis & Laicis Teutoniæ, & conqueritur, ſe inſcio & invito electum Rudolphum: cum voluerit inquiri, uti duorum Henrico, an Rudolpho faveat juſtitia?

Anno Chriſti MLXXVIII. Gregorii VII. Papæ VI. Henrici IV. Regis XXIII.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, OMNIBUS CLERICIS ET LAICIS, IN REGNO TEUTONICO CONSTITUTIS, QUI EXCOMMUNICATIONIS VINCULO NON TENENTUR, SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

QUæ & quanta cura nobis fuerit, & eſt, ut peſtilentia, clades & deſolatio a Regno veſtro auferatur; pax, honeſtas & ſolitum decus reddatur, *in Synodo*, (*a*) quæ in hoc anno *in Quadrageſima Romæ* celebranda fuit, declaravimus. Judicio Sancti Spiritus decrevimus, ut in Regno veſtro Epiſcoporum omnium & laicorum eorum, qui Deum timent, & pacem deſiderant, fieret conventus, & coram noſtris Legatis diſcerneretur, cui, *Henrico* (*b*) ſcilicet,

(*a*) In Synodo Romana MLXXVIII. in prima hebdomada Quadrageſimæ a GREGORIO VII. habita hæc leguntur: " Quoniam lis & perturbatio Regni in maximum S. Eccleſiæ periculum & detrimentum quotidie redundat: placet Nobis elaborare pro viribus, quatenus idonei tam Religione, quam etiam ſcientia pollentes Nuntii a Latere Apoſtolicæ Sedis ad partes illas mittantur, qui omnes Religioſos & juſtitiæ amatores in Teutonici Regni partibus commorantes, Clericalis & laicalis Ordinis viros, & ad hoc opus idoneos convocent, cum quibus Domini gratia præeunte, aut finem & pacem juſte componant, aut veritate percognita CUI PARTI magis juſtitia faveat, ad plenum addiſcere valeant, quatenus pars injuſta deſiſtat, & Apoſtolica auctoritate munita, juſtitia vigoris & auctoritatis robur obtineat.

(*b*) Henricus IV. anno 1056. ſucceſſerat Patri.

licet, an *Rodolpho*, (c) qui de Regno inter se decertant, amplius justitia faveret: parsque injustior ratione devicta, & Beati Petri auctoritate constricta, facilius cederet; justior vero pars amplius de Deo confideret, & adjuta Beati Petri potestate de victoria speraret, ac neutra mortem timeret. Sed, quia pervenit ad nos, quod inimici Dei & filii diaboli quidam apud vos contra interdictum Apostolicæ Sedis prædictum conventum procurent in irritum ducere, & non justitia, sed superbia ac totius Regni desolatione suas cupiditates anhelent implere, & Christianam religionem destruere: ex parre Beati Petri *præcipimus*, ut talibus nullum auxilium præbeatis, nec illis communicetis. In prædicta enim *Synodo* jam omnes excommunicationis & anathematis sunt vinculo innodati, & ut nullam victoriam possint obtinere, Beati Petri potestate sunt obligati, ut saltem coacti confundantur, & a morte animarum suarum, & desolatione propriæ patriæ revocentur. Vos autem, fratres carissimi; de me nullo modo dubitetis, quod injustæ parti scienter aliquo modo faveam; magis pro vestra salute desidero mortem subire, quam totius mundi gloriam ad vestrum interitum arripere. Quod si aliqui de falsitate confisi, literis, & verbis aliter vobis indicaverint; nullo modo eis acquiescatis: Deum enim timemus, & pro ejus amore quotidie affligimur, & ideo superbiam & oblectamentum sæculi parvipendimus, quia cito apud eum consolari indubitanter credimus. Omnipotens & misericors Deus, qui ultra spem, ultra meritum miseretur, & consolatur nos in tribulatione nostra, aperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis confirmet vos, ut auctoritate Beati Petri a cunctis peccatis absolutos vos ad cœleste Regnum perducat. Data Capuæ Kalendis Junii, Indict. prima.

Hardouin. Tom. VI. ex Lib. VI. Registri Ep. I. pag. 1394.

Contra quæ Rodolphi fautores aliam item miserunt Epistolam, quibusdam præmissis hæc subdentes:

NOvimus, memoriæ vestræ non excidisse, quod tam assiduis querimoniis frequentatum est apud vos, quod pene omnes Episcopi, qui Sedi Apostolicæ obediunt, expulsi a facie persequentium fugiunt & latitant: & quomodo cum suis persecutoribus convenire, & conferre de his causis possunt, pro quibus aliqui illorum occisi sunt, quidam in captivitatem adducti, reliqui vero omnibus rebus suis exspoliati? Deinde hoc quoque mirandum censemus, quod illius hominis causam cum illis discutere jubemur, quos utrosque Legatus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vestra jussione, a liminibus Sanctæ Ecclesiæ separavit. Si autem nil horum obstitisset, quid vestrum interesset, ut jam dudum finitam *Synodi Romanæ sententiam retractemus*? Quid ad nos, ut discutiamus, si illi justitia faveat ad obtinendum Regnum, cui vos Regni gubernacula jam ante triennium, Synodo judicante, interdixistis? Nonne magis oportuit, ut discussio judicium illud præcederet, quam nunc tandem subsequatur? Novimus intelligentiam vestram, quia nunquam de re indiscussa *Synodus*, vobis præsidentibus, judicavit, quæ ergo necessitas secundæ discussionis? Si autem prædictus ille non discussus est, sed adhuc discutiendus, quæ ratio, ut indiscusso homini regalis dignitas ex dignitate Apostolica, sine ullo conditionis additamento interdiceretur? Quare Regi alteri obedire jussi sumus, priusquam certum fuisset, istum non posse Regnare? *Et post pauca.* Ut autem de reliquis omnibus taceamus, certe si sola illa absolutio Sacramentorum, quam *in Synodo* fecistis, & effectum habitura est, indubitanter constat, quia iste Rex esse non potest. Quomodo enim regnare potest, cui nullus amodo fidelitatem ex debito servat? Quomodo regere populum potest, qui in agendis causis legalibus neminem ad faciendum justum judicium Sacramenti obligatione constringere potest? si autem, quod absit, illa Apostolica indulgentia pro rato habenda non est, quid erat de Epi-

(c) Rudolphus, Rex Sueviæ, 1077. in Forcheim eligitur, & Moguntiam ductus, consecratur a Sigefrido, cui Papa misit coronam hac epigraphe: *Petra dedit Petro Romam, tibi Papa coronam. Baronius h. a. alii aliter.*

Epiſcopis, & aliis, qui ſpe prædictæ abſolutionis juramenta Heinrico facta infregerunt? Nonne manifeſte perjurii convincuntur? Adhuc aliud: quid de illis Sacramentis erit, quæ poſtea Regi *Rodolfo* facta ſunt, cujus ditioni veſtra auctoritate ſubjugati ſumus? *Et in fine Epiſtolæ*: Si ab incepto itinere retrorſum redire, & ob difficultatem diverticula quærere vultis, non ſolum vulnera non ſanatis, ſed quæ ſana ſunt, vulneratis. Nam ſi ea diſſimulando, quæ jam veſtra ſtatuit auctoritas, in media tempeſtate, quam pro vobis incurrimus, nos derelinquetis, teſtes ſunt ſuper nos cœlum & terra, quod injuſte perditi ſumus.

MOGUNTINUM CONCILIABULUM II.
CORAM GUIBERTI ANTIPAPÆ LEGATIS CELEBRATUM
Anno Chriſti MLXXXVI. Victoris III. Papæ I. Henrici IV. Regis XXX. Imp. III.

IMperator Wratizlaum Ducem Bœmiæ, tam Bœmiæ, quam Poloniæ præfecit, & imponens capiti ejus manu ſua Regalem circulum, juſſit Egilberto Treverenſi Archi-Epiſcopo, ut eum in ſua Metropoli Praga in Regem ungeret, & Diadema capiti ejus imponeret. In eodem *Concilio* frater ejuſdem Ducis, Gebehardus, Pragenſis Præſul, ſcripta ſuæ antiquæ querimoniæ præſentavit, de Joanne Moravienſe Epiſcopo, qui eodem anno ab hoc ſæculo migraverat. Replicavit etiam privilegium, Sancto Adalberto prædeceſſori ſuo a Benedicto Papa, & Imperatore primo Ottone confirmatum: unde factum eſt, ut Wratizlaus Dux, & frater ſuus Conradus eidem Gebehardo Epiſcopo Moraviæ Parrochiam reprofiterentur & redderent. Cujus redintegrationis auctoritatem Imperator in carta deſcribi, & ſigilli ſui impreſſione juſſit inſigniri. Acta ſunt hæc Moguntiæ III. Kal. Julii. (*a*)

Annaliſta Saxo Eckhartinus Tomo I. Scriptorum Germaniæ.

Sed multo accuratius Concilii hujus hiſtoriam proſequitur *Coſmas Pragenſis Chronic. Lib. II.* ubi & Diploma *Henrici* Imperatoris pro redintegratione *Pragenſis Epiſcopatus* in eo Concilio datum affert, ex quo de partibus ejusdem Concilii erudimur.

ANNO Dominicæ Incarnationis MLXXXVI. jubente, & peragente Romanorum Imperatore, tertio Henrico Auguſto, celebrata eſt Synodus magna in urbe Moguntia. Ubi IV. Archi-Epiſcopi (*b*) & XII. Præſules, quorum nomina poſt docebimus, ſimul cum Abbatibus Monaſteriorum, & cæteris fidelibus reſidentes, plurima decreta ſuper ſtatu Sanctæ Eccleſiæ ſcriptis roboraverunt. In quo conventu idem Cæſar omnibus ſui Regni Optimatibus, Ducibus, Marchionibus, Satrapis, Epiſcopis aſſentientibus & collaudantibus, Ducem Bœmorum Wratislaum, tam Bœmiæ, quam Poloniæ, præfecit, & imponens capiti ejus manu ſua regalem circulum, juſſit Archi-Epiſcopum Treverenſem, nomine Egilbertum, ut eum ſede ſua Metropoli Praga in Regem ungat, & diadema capiti ejus imponat.

In eodem *Concilio* Pragenſis Præſul Jaromir ſcripta ſuæ antiquæ querimoniæ repræſentat de Moravienſe Epiſcopo, Joan-

(*a*) *legendum*: Maji, *ut cum ſequenti Diplomate congruat.*

(*b*) IV. Archi-Epiſcopi: Wezilo Moguntinus, Eilbertus Trevirenſis, Sigewinus Colonienſis, Liemarus Bremenſis per Legatum. XII. Epiſcopi: Conradus Trajectenſis, Henricus Leodienſis, Udalricus Eichſtadenſis, Meginwardus Friſingenſis, Otto Ratisbonenſis, Aubertus Bambergæ, Hermannus Spiræ, Otto Conſtantiæ, Sigefridus Auguſtæ, Gebehardus Pragæ, Udo Hildeſii, Henricus Paderbornæ, Erpo Monaſterienſis, Folcmarus Mindæ. Tres Epiſcopi per Legatos: Sibo Tullenſis, Burchardus Baſileæ, Otto Strazburgi. XIII. præſentes Epiſcopos numerat *Schatenus Tom. I. pag.* 617. & tres Epiſcopos per Legatos, univerſim XX. tum Archi-Epiſcopos, tum Epiſcopos.

Joanne, ſupra memorato, qui quamvis eodem anno jam ab hoc ſæculo migrarat, tamen valde præcavens in futurum prædictus Præſul, & agens per amicos, pulſat aures Cæſaris, ne iterum in eodem loco alius ſubrogetur Epiſcopus. Replicat coram omnibus privilegium, olim a Sancto Adalberto Epiſcopo, ſuo anteceſſore, confirmatum tam a Papa *Benedicto*, quam a primo *Ottone* Imperatore. Ad cujus juſtam querimoniam Imperator, motus precibus Ducis *Wratislai*, fratris ejuſdem Epiſcopi, & conſilio Archi-Epiſcopi Moguntini *Wezelonis*, & aliorum bonorum, qui juſtitiæ favebant, novum antiquo fere ejuſdem tenoris addit privilegium, & ſigno Imperiali confirmat, ut ex ſequenti diplomate patet.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

HEINRICUS TERTIUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR AUGUSTUS.

Regio nomini & Imperatoriæ dignitati congruere novimus, ut Eccleſiarum Dei utilitatibus utique opitulantes, damna, & injurias earum quacumque neceſſe fuerit (*b*) propulſemus. Quapropter univerſis Dei, nobiſque fidelibus, tam futuris, quam præſentibus, notum eſſe volumus; qualiter fidelis noſter, Pragenſis Epiſcopus *Gebhardus*, ſæpe Confratribus ſuis & Coepiſcopis, cæteriſque Principibus noſtris, ac noviſſime nobis conqueſtus eſt, quod Pragenſis Epiſcopatus, qui ab initio per totum Bœmiæ, ac Moraviæ Ducatum unus & integer conſtitutus, & tam a Papa *Benedicto*, quam a primo Ottone Imperatore, ſic confirmatus eſt; poſtea anteceſſorum ſuorum conſenſu, ſola dominantium poteſtate ſubinthronizato intra terminos ejus novo Epiſcopo diviſus eſſet, & imminutus. Qui cum Maguntiæ coram Legatis Apoſtolicæ Sedis, præſentibus nobis, ac plerisque Regni noſtri Optimatibus, eandem querimoniam intuliſſet; ab Archi-Epiſcopis Wezlone Moguntino, Sigewino Colonienſi, Egilberto Treverenſi, Liemaro Bremenſi: ab Epiſcopis quoque Liederico (*c*) Virdunenſi, Conrado Trajectenſi, Udalrico Eiſtetenſi, Ottone Ratisbonenſi, cum aſſenſu laicorum, Ducis Bœmorum Wratislai, & fratris ejus Conradi, Ducis Friderici, Ducis Lutoldi, Palatini Comitis Rapotæ, & omnium, qui ibidem convenerant, primitiva illa Parochia cum omni terminorum ſuorum ambitu Pragenſi ſedi eſt adjudicata. Termini autem ejus occidentem verſus hi ſunt, Jugaſt, quæ tendit ad medium fluminis Chub, Zedleæ & Liuſena, & Daſena, Liutemirici, Lemuzi, uſque ad mediam ſilvam, qua Bœmia limitatur. Deinde ad Aquilonem hi ſunt termini: Bovane, Chonvati, & altera Hrovatizlaſane, Trebovane, Paborane, Dedoſſene uſque ad mediam ſilvam, qua Milcianorum occurrunt termini. Inde ad Orientem hos fluvios habet terminos: Bug ſcilicet & Ztir cum Cracova civitate, Provinciaque, cui Wag nomen eſt, cum omnibus Regionibus ad prædictam urbem pertinentibus, quæ Krakova eſt. Inde Ungarorum limitibus additis uſque montes, quibus nomen eſt Jeitri, dilatata procedit. Deinde in ea parte, quæ meridiem reſpicit; addita Regione Moravia, uſque ad fluvium, cui nomen eſt Wag, & ad mediam ſilvam, cui nomen eſt Mare, & ejuſdem montis eadem Parochia tendit, qua Bavaria limitatur. Mediantibus itaque nobis, & communi Principum aſpirante ſuffragio pactum eſt, ut Dux Bœmiæ, Wratislaus, & frater ejus Conradus, ſupradicto Pragenſi Epiſcopo, fratri ſuo Parochiam judiciario ordine requiſitam, ex integro reprofiterentur & redderent. Proinde nos rogatu ejuſdem Epiſcopi rationabiliter inducti, Pragenſis Epiſcopatus redintegrationem noſtræ Imperialis auctoritatis edicto illi, & ſucceſſoribus ejus confirmamus, & ſtabilimus, inviolabiliter decernentes, ne ulla poſt hac cujuslibet conditionis perſona, vel ulla ſocietas hominum, Pragenſi Eccleſiæ quicquam ſui juris in prænotatis terminis alienare præſumat. Cujus redintegrationis & confirmationis auctoritas, ut omni ævo ſtabilis & inconvulſa permaneat, hanc cartam inde conſcribi, quam (ſicut infra apparet) manu propria laborantes, impreſſione ſigni noſtri juſſimus inſigniri. Data III. Cal. Maji. anno Dom. Incarnat. MLXXXVI. Indict. IX. anno autem Domi-

(*b*) auctoritate.

(*c*) per Legatum, *ait Schatenus ad annum Chriſti* 1085.

Domini Heinrici, Regni quidem XXXII. Imperii vero III. Signum Domini Heinrici tertii Romanorum Imperatoris Augusti.

Cosmas Pragensis, editus a Menkenio, Tomo I. Germaniæ Scriptorum pag. 2057. *Ex quo Mansi Tom. II. Supplem. Conciliorum pag.* 70.

Ad Synodum Paderbornensem A. MCIII.

Tomo hoc III. impressam pag. 246. *adde hæc ex Schateno:*

Folchbertus, *Reinbertus*, *Godescalc*, *Hezelinus*, Canonici. Liberi homines: *Conradus Wartberghe*, *Tummo*, *Burghart*, *Gumbracht*, *Conrad de Everschatte*. Ministeriales Ecclesiæ: *Elver* Comes, *Uffo*, *Hugo*, *Egbrech*, *Hildebold*, *Luidolt*, *Henric*, *Manegold*. Ministeriales Ecclesiæ Beatorum Petri & Pauli: *Sibrech*, *Trithemar*, *Brun*, *Gosdescald*, *Rothoff*, *Heriman*, *Liefdag*. Ministeriales Præpositi: *Rother*, *Folcbrach*, *Altman*, *Adalbrach*, *Albern*, *Everhard*, *Friddo*. Ministeriales de Budecor: *Altmar*, *Anshelm*, *Meinges*, *Hertbold*, *Becelin*. Ministeriales in Herese: *Witman*, *Conrad*, *Udo*, *Cono*, *Witherold*, *Bernhard*. Cives: *Brun*, *Rother*, *Thanemar*, *Heribold*, *Thiederic*, *Welrico*, & alii quam plures; qui ad SYNODUM convenerant. Anno Incarnationis Dominicæ MCIII. Indictione XI. Henrico Rege IV. Actum Paderborn in Cœna Domini. VII. Kal. Aprilis.

Schatenus ad h.a. Lib. VII. Annal. Paderb. pag. 658. 659.

SYNODUS COLONIENSIS

Anno Christi MCIII. Paschalis II. Papæ IV. Henrici IV. Reg. XLVII. Imp. XX.

In qua Fridericus Archi-Episcopus Coloniensis decidit controversiam super Privilegiis Ecclesiæ Werthinensis,

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

NOtum sit omnibus (*a*), quod Otto, Werthinensis Ecclesiæ Abbas (*b*) *in Sancta Synodo Coloniensis Ecclesiæ*, præsidente Domino Friderico ejusdem Ecclesiæ (*c*) Archi-Episcopo, favente sibi auctoritate sui Privilegii, proclamationem coram omnibus fecit, procurationem & domum altaris, ad novam Capellam Werthinensis loci, seu quidquid (*d*) afferebant, nullo modo pertinere debere, sed totum ad principale S. Liudgeri altare, ad quod omnia terminata sunt, destinandam (*e*) esse: ibique legitimis temporibus Baptisma fieri: in Capella (*f*) S. Luciæ, vel S. Clementis non nisi urgente (*g*) necessitate Baptizandi licentiam esse concedendam, Chrisma vero de Ecclesia principali ad alias dividi oportere. Huic itaque legitimæ proclamationi astipulantur (*h*) tum privilegii sui rata assertio, tum multorum bonorum, *qui Synodo intererant*, inrepudiabilis, atque authentica relatio. (*i*) Hac tanta auctoritate ego Fridericus, Agrippinensis (Dei gratia) Archi-Episcopus, inductus atque commonitus, rogante etiam Domino Imperatore, simulque omnibus bonis consulentibus, finem huic controversiæ imposuimus, justo voto Abbatis satisfecimus, rem, sicut a principio fuerat, stabilivimus, & ut duobus Clericis, qui pro Abbatis præbenda & dote Ecclesiæ,

(*a*) tam posteris quam modernis.
(*b*) Venerabilis.
(*c*) Venerabili.
(*d*) quidam.
(*e*) destinandum.
(*f*) vero S. Lucii.
(*g*) cogente.
(*h*) astipulabantur.
(*i*) oratio.

clesiæ, ad easdem ministrant Capellas, cura sine altaris (k) domo, & bannus, ubi Abbas voluerit, & Decano conveniens visum fuerit, a principali Ecclesiæ nostræ Decano committatur, inviolabiliter ordinavimus: Sepulturæ ibidem (*) locus non nisi in principali (l) Ecclesia habeatur.

Ut ergo hæc omnia rata & impermutabilia habeantur, & ut hujus querimoniæ in reliquum aboleatur memoria, hanc chartam idoneorum testium nominibus adnotari præcepimus, sigilli nostri impressione muniri jussimus, & extrema anathematis sententia roboravimus.

Actum est Coloniæ anno Incarnationis Dominicæ MCIII. (m) Indict. XI. Regnante orthodoxo Imperatore Henrico IV. (n) Archi-Episcopatus Friderici IV. Signum Arnulphi Præpositi. S. Joannis Decani. S. Hermanni Abbatis. (o) S. Rudolphi (p) Abbatis. S. Wezelonis Abbatis. S. Sigefridi Præpositi. S. Folckmari Præpositi. S. Bernardi Præpositi. S. Sigewini Custodis.

Ex Archæo Werthinensi descripserat Henricus Turckius S. J. in Historia MS. Rheni Inferioris: collatum cum Geleniana descriptione in IV. Volumine farraginum, unde has variantes adnotavi.

Meminit hujus Synodi Schatenus Annal. Paderborn. Lib. VII. ad annum 1103.

(k) dono. [*] *forte:* itidem. (l) Basilica. (m) census vero Romani. (n) Anno autem. (o) S. Panthaleonis. (p) Tuitiensis.

CONCILIUM COLONIENSE

Anno Christi MCIV. Paschalis II. Papæ V. Henrici IV. Regis XLIX. Imp. XXI.

Fridericus, Archi-Episcopus Coloniensis, ratificat Donationes factas Ecclesiæ B. M. V. ad Gradus Coloniæ, in conspectu omnis Concilii Synodalis.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

FRIDERICUS, DIVINA CONCEDENTE CLEMENTIA, COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS.

JUstum est, ut, qui Rectores Ecclesiæ Catholicæ dicuntur, & ad tempus sumus, Ecclesiis nobis commissis, ipsarumque utilitatibus pro possibilitate nostra in tempore nostro, & deinceps utiliter & benigne provideamus. Unde notum esse volumus cunctis Christi, nostrisque fidelibus, tam videlicet futuris, quam præsentibus, qualiter MEGINHERUS DE RANDENRODE, cum neque uxorem, neque filium haberet, ex instinctu Dei admonitus, prædium quoddam suæ proprietatis in Horenchusen situm, XII. solid. Colon. monetæ solvens, pro remedio animæ Patris sui ad altare Sanctæ MARIÆ, quod est in Gradibus, traditione legitima contradidit: sed quoniam ad futurum judicium lætus & securus omnis intrabit, qui duplicati fœnoris lucrum suum portabit, nostris studiis inductus, ob delictorum suorum indulgentiam, matrisque suæ ob memoriam, singulis annis centum XX. modios tritici, omnem postremo proprietatem, quam in Dorwilere possidere videbatur, hæreditario jure sibi proventam, cum omnibus utensilibus suis, fratre suo HARTBERNO, quem solum habebat, præsente, laudante, astipulante, ad prædictum altare ea conditione in proprium transfudit, ut, quoad vivat, omnibus annis fratribus S. MARIÆ solidum unum Colon. monetæ *in Palmis* persolvat. Ipse vero MEGINHERUS usumfructum usque ad finem vitæ suæ cum mancipiis utriusque sexûs, quæ ad cerarium censum dedit, usibus suis detineat. Post cujus resolutionem Confratres S. MARIÆ, inibi DEO diu noctuque famulantes, prædium illud pro singulari eleemosyna potestative accipiant, & secundum petitionem eorum per manum Præpositi, qui solo dantis nomi-

nomine præcellat, uni de Confratribus, quem communiter elegerint, commendent secundum proprium libitum, percepturi centum supra memoratorum modiorum benedictionem perpetuam. De viginti quoque, quæ remanent, decem in anniversario suo, decem vero in anniversario matris suæ in cibos pauperum ex anno in annum distribuantur. Hoc etiam intimare universis disponimus, qui (*) non alius Advocatus post Deum, & ejus Genitricem MARIAM, ad hæc prædia defendenda præter NOS, & nostros Successores ex utraque parte est electus. Ob cujus rei memoriam sempiternam, & fidele testimonium, chartam hanc scribi, ac sigillo nostro placuit signari, insuper & banno nostro *in conspectu omnis Concilii Synodalis*, quod tunc temporis Coloniæ habuimus *Idibus Aprilis*, confirmavimus dicentes: Si ipse MEGINHERUS, quod absit, vel aliquis hæres, vel prohæres suus, vel aliqua prophana persona has traditiones infirmare, vel infringere ullo modo tentaverit; absorbeat eum deglutiens terra, ac cum Dathan & Abyron sit ei cohabitatio sempiterna, & sit maledictus a Domino Deo in secundo adventu Domini nostri JESU CHRISTI, & feriat eum Dominus plaga insanabili. Liget eum Petrus anathemate perenni, non solvat etiam eum in die furoris Domini; nisi ad medicamenta pœnitentiæ deviantem animum quantocius maturaverit revocare. Testes sunt harum traditionum Clerus & populus, ex quorum multitudine hos paucos notari jussimus: *Arnoldus* Præpositus S. Petri, *Joannes* Decanus, *Herman* Præpositus S. Gereonis, *Sigefridus* Præpositus de Bunna, *Volmarus* Præpositus de Xancto, *Everhardus* Præpositus S. Andreæ, *Beringerus* Præpositus de S. Cuniberto, *Dietericus* Præpositus S. MARIÆ, *Hecil* Decanus. *Gerhardt* de Gellero Comes, *Gerhardt* Comes de Gulicho, & frater ejus *Gerlach*, *Gerhardt* de Hochstaden, *Dieterich* de Mere, *Herman* de Zulpico, *Hartpern* de Fregenzo, *Eppo* de Schleido, *Bernewin* de Othwilere, *Gerunc* de Scevene, *Huprech* de Oy, *Bertram* de Lecheze, *Weltere* de Buckenheim, *Hermannus* urbis Advocatus, *Tiezo*, *Dieterich*. Gesta sunt hæc in Colonia ante altare S. MARIÆ, anno Dominicæ Incarnationis M.C.IV. Indictione XII. Nostræ autem Ordinationis IV. Henrico IV. Imperatore III. imperante feliciter. Amen.

Volumen I. Farraginum Gelenii pag. 123.

(*a*) *forte:* quia.

CONCILIUM ROMANUM

Anno Christi MCIV. Paschalis II. Papæ V. Henrici IV. Reg. XLIX. Imp. XXI.

In quo Bruno, Archi-Episcopus Trevirensis, ob acceptam a manu laica investituram, & quod Archi-Episcopalia sine Pallio tractasset, correptus, officium deposuit; sed intercessione Pontificum præsentium dignitatem recuperavit, & pallio accepto rediit.

EGilberto (*a*) Archi-Episcopo Trevirensi Nonis Septembris anni millesimi centesimi primi demortuo, Trevirenses ab Henrico IV. Imperatore petierunt sibi dari Episcopum: & consentientibus civibus Bruno, natione Francus, ordinatus est Idibus Januarii anni Millesimi centesimi secundi, & Trevirim venit die Purificationis Sanctæ Dei Genitricis. Anno ordinationis suæ tertio, Mense Martio (*adeoque anno MCIV.*) Romam profectus Apostolorum gratia, & percipiendæ benedictionis Magistri causa, invenit Domnum Paschalem Papam universali Synodo præsidentem, Papatus sui jam annum octavum (*Legendum: annum quintum, nam annus octavus Mense Martio currebat Anno MCVII, quo tempore Paschalis erat in Galliis*) agentem, a quo honorifice susceptus est, utpote Belgicæ Galliæ primæ Metropolis Præsul magnificus; &c. Sed quoniam Episcopalia, annulum videlicet & baculum per manum laicam suscepisset, atque, quia Ecclesias dedicasset,

(*a*) Ita Auctor anonymus Historiæ Treverensis a D'Acherio editus *Tomo XII. Spicilegii.*

casset, & Clericos, necdum Pallium consecutus, promovisset, multum aspere correptus est, & decernente Episcoporum ibi congregatorum Concilio Pontificatus officium deposuit; quod tamen ipsis intervenientibus, quia discretio ejus & prudentia officio & tempori congruens erat, post triduum, non sine admissorum pœnitentia recuperavit. Injuncta ei pœnitentia est, ut quotiens in spatio trium annorum proximorum Missarum solemnia celebraret, Dalmaticis non uteretur: quod ipse humiliter implevit. Deinde accepta tam Apostolici, quam totius Synodi benedictione, Pallii honore donatus, cum gaudio remeavit.

Anonymo illi hoc tempore viventi fides eo securius adhibenda, quod *Brouwerus Lib.* 13. *Annalium Trevirensium*, idem brevius referat ex alio Chronico MS. Trevirensi, in quo etiam legitur Concilium istud Romanum, cujus nulla in collectione Conciliorum mentio, & cujus tantum fragmentum superest, anno tertio sedis Brunonis congregatum esse, ideoque anno MCIV. Istud porro Concilium diversum esse a Lateranensi, quod *Labbeus Tom. X. Conciliorum* conjungit cum anno MCIV, probat Annotator *Baronii* ad annum MCV. Num. 4. ex *Lib. IV. Novorum Eadmeri*, ex quo constat, Lateranense illud Concilium habitum esse anno MCV.

Franciscus Pagi in Breviario Historico-Critico Pontificum Romanorum Tomo II. pag. 537.

AD CONCILIUM NORTHUSENSE

Anno Christi MCV. Paschalis II. Papæ VI. Henrici IV. Reg. L. Imp. XXII.

Impressum h. Tom. III. pag. 248.

Epistola Rothardi, Archi-Episc. Moguntini, ad Clerum Ecclesiæ Halberstadensis, præmittenda Concilio Northusano. Hortatur Clerum Halberstadensem, ut sui exemplo ad gremium Ecclesiæ redeant, & invitat ad Concilium.

ROTHARDUS, (a) DEI GRATIA, MOGUNTINÆ ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, OMNIBUS IN CLERO HALBERSTADENSI UNITATEM SANCTÆ ECCLESIÆ AMPLECTENTIBUS, FRATERNAM DILECTIONEM.

QUi veræ dilectionis dona a Deo pacis consequi merentur, excellentius cæteris cognoscunt, quantum pondus sollicitudinis sustineat vigilantia ordinatæ dilectionis. Hoc tamen, ex quo debui, semper pro vobis vigilanter debita devotione portavi. Neque enim, si ad horam intermissa fuit nostræ Paternitatis commonitio, minus pro vobis vigilavit devotæ sollicitudinis intentio. Proinde nunc quoque vos Apostolica exhortatione contestor, obsecrans in Christo, reconciliamini Deo. Nulla vobis erit confusio, immo gloria & honor, redire ad viam justitiæ, a qua vos deduxit tortuosa semita sinistri. Scimus equidem, spiritualis intelligentiæ vestræ oculos nequaquam effugisse, quod Dominus ipse, qui æterno illo providentiæ ictu omnia simul complectitur, pro meritorum qualitate sententiam suam legitur mutasse, simulque cum voluntate voluntatis actionem præcidisse, cum eum aut oratio suorum impotentem reddidit, aut ira ejus miserorum gemitu victa succubuit. Ipse Princeps Apostolorum a minimo collegii illius consorte correptus, correctus est, nec veritus est cedere admonitioni junioris, cujus zelum vidit in studio Divini amoris. Hoc cœlesti oraculo

(a) Rothardus, sive ut ajunt, Ruthardus, ex Abbate Herifordiensi electus Archi-Episcopus Moguntinus anno MLXXXIX. Obiit MCIX.

culo nos quoque admoniti, nobis ipsis renuntiavimus, (b) & priorem nostram vitam, si tamen vita est ad mortem ducens, jam pridem condemnantes, in Ecclesiæ unitate renati, novam vitam in Christo ducimus, ob maledicta & detractiones in Ecclesia Dei lepra perfusi, extra castra seorsum a populo mansimus; nunc ante hysopo humilitatis, & sanctificante pœnitentiæ aquà, per manum magni Sacerdotis mundati, in castris Domini militamus, immundis Spiritibus expositi, & immunditia hæreticæ fornicationis profanati. Jam cum Maria JESUM videmus, videndo appropinquamus; appropinquando sedibus ejus non sine officio inhærémus. Nemo nobis insultet de sepultura quatriduani. Ecce miseratio Altissimi! qui fœtebat in monumento, resurrexit, vivificante Domino, ac soluta per Apostolos mortis fascia, absque sepulturæ indicio exultans de salute, discumbit in convivio Dominico. Fuit, fuit aliquando persecutor & blasphemus, impugnans viam Domini, qui postea factus est Dux verbi, qui mox Apostolus pro se agens dixit: *Sed hæc olim fuimus, sed abluti, sed sanctificati sumus.* Certe si magnus ille Apostolus non mutasset sententiam negationis, non paulo post consecutus esset culmen Apostolicæ dignitatis, sed nec evasisset pœnam æternæ damnationis. Non est enim remissa, aut inefficax Divina miseratio, ut cum culpas gravissimas remittit ex super abundanti gratia largissima, etiamsi conferat pietatis munera. Ipsa illa columba, licet sero, vesperi licet, ad arcam sit reversa signum pacis, signum dilectionis ex ore ferens, per ostium introgressa est. Præses enim arcæ antiquus ostio aperto manum extendit, & per diversitatem donorum spiritualium receptam in superioribus arcæ collocavit. Fel & acetum Dominus bibit, quia in Maria & latrone peccatores diversos sibi incorporavit: spineam coronam portavit; quia Regnum nobilissimum in gentilitate vitiorum aculeis asperrima sibi præparavit. *A diebus*, inquit, *Joannis Regnum Cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Si meretrices & publicani nos in Regnum Dei præcesserunt; quæ jam diffidentia nobis erit de salute? Ostium in cœlo apertum est, cœna diu instructa, tauri & altilia Dei jam dudum occisa, vocamur debiles, cæci & claudi, imo & tot præconum clamoribus ad cœleste convivium compellimur. Quapropter in Christo fratres carissimi, non erubesco me immutatum, sed gratias ago dextræ altissimi, cujus hæc est mutatio. Fateor, & gratanter fateor, me cum omni mentis integritate in gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ familiariter consedisse, sæpius illud revolvendo: *Unam petii a Domino, banc requiram.* Et item: *Lavabo inter Innocentes manus meas, & circumdabo Altare tuum Domine.* Hæc est enim illa dilecta speciosa & decora, non habens schismatis, nec maculam falsitatis. Tota enim pulchra est, cujus speciem concupivit Rex: quam qui noluerit habere matrem, Deum non poterit habere patrem. Hæc sententia Spiritus Sancti auctoritate, & antiquorum sanguine conscripta & confirmata, cœlo & terra permanentior in sæculum durabit. Verum quia non filii patribus, sed patres filiis thesaurizant, hanc plenariam Ecclesiæ matris gratiam, non mihi soli, sed vobis filiis charissimis, gaudeo collatam, & nunc omnes spirituales merces ac Dominicum talentum & perversam (c) pacis margaritam, quam negotiando lucratus sum, vobis filiis expono; ut vos quoque divites sitis in omni verbo, & in omni scientia. Opto autem omnes vos esse, sicut me, exceptis privatis peccatorum meorum vinculis. De cætero precamur & obsecramus, ut de collegio vestro, quos nostis idoneos, in Calendis Decembris dirigere velitis, qui possint interesse conventui Ecclesiæ, qui se in villa nostra ad honorem Ecclesiæ colligere decrevit. Illic namque Ecclesiæ matris facie exhilarati, colloquio informati, consilio roborati, plenissime cognoscetis, qualiter unius moris, & cum consensu habitare possitis in Domo Domini. Obsecramus vos in Domino JESU, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, memores, quia vin-

(b) Ex his patet, Rothardum Henricianis aliquando adhæsisse: a quibus aversus, & ad legitimum Pontificem conversus, mirum quanta passus sit a Schismaticis, per octo minimum annos actus in exilium. *Martene.*

[c] pretiosam.

vindex gladius idololatras proſtravit, ſchiſmaticos vero hiatus terræ abſorbuit. Deus pacis & dilectionis conſervet vos in unitate Spiritus, & vinculo pacis, dilectiſſimi filii. Amen.

Martene vet. Monumentor. T. I. p. 604. *Ex quo Manſi T. II. Supplem. pag.* 207.

Concilium Northuſenſe ſat expanſum in hæc verba, legitur apud Annaliſtam Saxonem Eckarti T. I.:

VIſum eſt igitur GEBEHARDO, Conſtantienſi Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, & ROTHARDO, Moguntino Pontifici, habere Concilium in loco, qui dicitur *Northuſen*, ibique Eccleſiam pro poſſe ad priſtinum revocare ſtatum, & antiquam Patrum Regulam recitare: Invaſores Epiſcopos, qui & tum temporis ſimoniace intraverant, vivos deponere, ſepultos effodere, ab his ordinatos manus impoſitionem a Catholicis recipere, & uxuratos Clericos ab officio Divino removere. In quo Concilio ſuper ſententiis inſtantibus, Patrum decretis primum relectis, quæquæ poterant, ad præſens laudabiliter corrigebantur: quædam vero graviora ad Apoſtolicam audientiam differebantur. Præter illa, quæ prædicta ſunt: jejunium menſis Martii prima ebdomada Quadrageſimæ: jejunium vero menſis Junii, in ipſa ebdomada Pentecoſtes, Romano more, celebrandum, a præſcriptis Præſulibus Apoſtolica auctoritate indicitur, & Pax Dei confirmatur. Ordinatis autem a Pſeudo-Epiſcopis, per Catholicam manus impoſitionem, proximo jejunio reconciliatio danda fore promittitur: Chriſma eorundem, quod contra edictum Archi-Epiſcopi in Cœna Domini confecerant, annihilatum eſt. Rex autem cum ſervorum Dei Conventui non niſi vocatus intereſſe vellet; (ingens enim cum Epiſcopis & Clericis, Abbatum etiam & Monachorum, Eccleſiæ unitatem ſitiens turba confluxerat) tandem in abjecto productus habitu, ſtansque in editiori loco juxta Principum decreta, omnibus ſuas leges & jura innovavit: ſi qua vero irrationabiliter rogabatur, prudenti reſponſo & avita magnanimitate confutavit. Interea obortis lacrymis Deum teſtabatur, nonnulla ſe cupiditate Regnum invaſiſſe, nec Patrem & Dominum ſuum deponi ab Imperio exoptare: imo pertinaciæ & inobedientiæ ejus debitam compaſſionem exhibere. Quod ſi Sancto Petro & ejus Vicario lege Chriſtiana velit ſubjici, ſe illi, aut Regno cedere, aut ſerviliter ſpondebat ſubeſſe. Quæ verba omnis multitudo collaudans, tam pro Patris converſione, quam pro filii proſperitate lacrymas & preces effudit, voce magna: *Kyrie eleyſon* declamans. Eadem hora Udo Hildenisheimenſis, & Fridericus Halberſtadenſis, & Heinricus Patherbrunenſis Epiſcopi, veſtigiis Metropolitani proſtrati, Apoſtolicæ ſe dedunt obedientiæ: quorum commiſſa Apoſtolico nihilominus judicio reſervantur, ſub officii ſui tantum ſuſpenſione, & ſi ab Eccleſiis, quibus quocunque modo præerant, bonum teſtimonium vivendo mereri ſtuderent, locus veniæ non denegatur.

Hæc Summa Concilii ex Annaliſta Saxone apud Eckart. Tom. I. Corp. Hiſtor. pag. 603. 604.

AD SYNODUM TREVERENSEM A. MCVII.

Fundatio Abbatiæ Springirsbacenſis per Brunonem, Archi-Epiſcopum Trevirenſem, facta in hac generali Synodo.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

BRuno, (*a*) Dei gratia, ARCHI-EPISCOPUS Eccleſiæ Trevirenſis, omnibus tam futuris, quam modo viventibus in Chriſto notum eſſe cupimus, qualiter bonæ quædam memoriæ fœmina, Benigna nomine, bonis parentibus orta,

(*a*) Bruno, Filius Arnoldi & Adelheidis, Comitum Dominorum Bredenheim, ubi ædificarunt Monaſterium in villa ſua Odenheim anno 1122. Hic Archi-Epiſcopus Treverenſis electus anno 1102, confirmavit Fundationem Abbatiæ Canonicorum S. Auguſtini in Springirsbach. Obiit anno 1124. 25. aprilis.

orta, mortuo, cui nupſerat, Rudgero marito ſuo, ad Eccleſiæ limina confugere, Deoque viduitatem ſuam dicare cum omnibus, quæ pro anima ſua dare poſſet, conſtituit. Itaque bonum, ac Deo placitum cogitans, locum ſolitarium pro ritu ſuo aptum eligere, cellam in Epiſcopatu noſtro, in ſylva Contel, in loco, qui vocatur *Thermunt*, in ea parte ſylvæ, quæ ſua erat, licentia & permiſſione Sigefridi Palatini Comitis, ad honorem Domini Salvatoris conſtruxit, in qua Clericos Canonicos ſæculo abrenuntiantes, quorum parens Deus eſt, ſecundum inſtituta regulæ, a B. Auguſtino conſcriptæ, locari voluit, quorum conſilio & præcepto reliquum ſuæ vitæ duceret, & admiſſa corrigeret. Cum igitur rogatu ipſius ad conſecrationem ejuſdem cellæ veniſſemus, deſtinavit eam cum omnibus, quæ illuc contulit, in præſentia Palatini Comitis, & omnium, qui aderant, Eccleſiæ Beati Petri Treviris contradere, & ſubjectam facere, quod ita factum eſt. Nam cum nos poſtea in villa altera pro noſtris negotiis una cum noſtris fidelibus, videlicet ipſo Palatino Comite, & aliis multis conveniſſemus, tradidit eandem cellam Beato Petro per manum ejuſdem Domini ſui, advocati videlicet Eccleſiæ noſtræ majoris, quem etiam cellæ advocatum a nobis conſtitui rogavit, in præſentia Richardi fratris ſui, filiorumque ſuorum, & filiarum, maritorum nullo contradicente, nullo prohibente. Ut autem traditio ejus ſecundum Leges Eccleſiaſticas rata ſemperque eſſet & inconvulſa, Treviris eam in *generali Synodo noſtra tertia* confirmavit, ubi rurſum tradidit eandem cellam ad Altare Beati Petri per manum ſæpe dicti Palatini Comitis Sigefridi, (*b*) adſtantibus & aſtipulantibus Richardo fratre ſuo, filiis, filiarumque maritis, determinata donatione ſua: videlicet, ut in eo loco, nullus habeat Coepiſcopus aliquis, vel Decanus tractandi negotii poteſtatem; ſed ſi quid forte (quod abſit) ortum fuerit, quod a fratribus definiri non poſſit, ad Epiſcopum referatur: ipſi autem inter ſe Abbatem libere eligant, & Archiepiſcopo Trevirenſi (ſi in gratia & communione Pontificis fuerit) conſecrandum repræſentent: nullus etiam, niſi juxta electionem ipſorum, advocatus conſtituatur; nullus ex hæreditate advocatiam ejus loci quærat, niſi fratrum adſit petitio. Proinde hanc ejus traditionem factam, & banno noſtro confirmatam, ſi quis (quod tamen minime credimus) infringere, infirmare, commutare, vi vel arte, aut aliquo malo ingenio voluerit, fiat ei ſicut Judæ traditori, ſicut Dathan & Abyron: diſperiat de terra memoria ejus, cum judicatur, exeat condemnatus, comedat eum vermis, qui non moritur, urat eum ignis, qui non extinguitur. Acta ſunt hæc Treviris Anno Dominicæ Incarnationis MCVII. Indict. XV. Regnante Henrico Romanorum Imper. V. anno Regni ejus ſecundo; Epiſcopatus noſtri VI. *in generali Synodo*, teſtibus his: *Ramberto* majoris Eccleſiæ noſtræ Præpoſito, *Godefrido* Coepiſcopo & Præpoſito, *Brunone* Archi Diacono; item *Godefrido* Coepiſcopo & Præpoſito, *Theodorico* Coepiſcopo. Capellanis *Marcuardo*, *Burchardo*, *Widegone*, *Sigebodone*. Laicis liberis: *Sigefrido* Palatino, per cujus manum hæc facta ſunt, *Henrico* Comite de Lemburg, *Wilhelmo* Comite de Lucelingburg, *Theodoro* de Ara, *Adelberto* de Dille, *Emechone* de Schmiedeburg, *Ludovico* de Arenſtein, *Gerlaco* de Romersdorff, *Adalberone* de Daun, *Hermanno* de Wirneburg, *Simone* & *Adelberone* de Machelburg, *Heſſone* de Ruttig, *Wirico* de Wallerwert. Miniſterialibus noſtris: *Lodovico*, *Guildolpho*, *Aurito*, *Rudolpho*; item: *Ludovico*, *Friderico*, *Engelberto*. Miniſterialibus autem Palatini Comitis: *Richardo* fratre ejuſdem ſupra memoratæ mulieris, *Godefrido* filio ejus; filiarum maritis *Dudeebino*, *Theodorico*, *Wernero*, *Hermanno*, *Giſelberto*, *Wiſellino*, *Richolpho*, *Meginhardo*, *Titmaro*, *Baldewino*, *Conrado*, *Henrico*; item *Wernero*; & aliis quam plurimis laicis & Clericis adſtantibus & conſtipulantibus.

Illmus Honthemius Tomo I. Hiſtoriæ Diplomaticæ Treverenſis No. CCCXIII. pag. 483.

(*b*) Sigifridus, Palatinus Comes, Fundator Cœnobii Lacenſis anno 1112., Principalis Advocatus Eccleſiæ Treverenſis, conſenſit in hanc fundationem, qui conſenſus neceſſarius erat: eo quod BENIGNA, fundatrix hujus Cœnobii, erat ejus Miniſterialis: Miniſterialis autem non poterat diſponere de rebus ſuis citra Domini, cui miniſtrabat, conſenſum. *Eſtor. de Miniſterial. C. III. Sect.* 3. §. 214.

PASCHALIS II. EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, TIEDERICO PRESBYTERO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, SANCTAM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

EX antiqua relatione comperimus, Saxones a principio converſionis ſuæ ad Deum, fideles atque obedientes Beato Pontifici & Apoſtolicæ Sedi extitiſſe. Quia igitur ad partes illas per Dei gratiam, ut audivimus, acceſſiſti, & in eis ſuper Eccleſiis, aliisque quibusdam negotiis, ſcandala emerſerint; ſi quid ibi, aut etiam alibi juſte, atque canonice operari potueris, auctoritatis noſtræ favore, cooperante Domino, opereris. Si quod & conſolationis auxilium noſtro *Halberſtadienſi* Epiſcopo conferre potueris, conferas; ut Apoſtolicæ Sedis viſitatione gaudeat. Data Feretini, VI. Idus Octobris.

Udalricus Babenbergenſis N. CCLXXIV. Eckharti Tom. I. Corporis Script. Germ. ex quo Manſi Tom. II. pag. 310.

SYNODUS TREVIRENSIS

Anno Chriſti MCXII. Paſchalis II. Papæ XIII. Henrici V. Regis VII. Imp. II.

SUMMA. Bruno, Archi-Epiſcopus Trevirenſis, Berengarii erroris ſectatores deprehendit, examinat, convincit, & lata ſententia damnat.

PEr eos etiam dies Eccleſiam Trevirenſem, vix dum ab infami ſchiſmatis diſſidio reſpirantem, aliud perfidiæ virus ex *Berengarii* veneno coalitum afflavit. Etenim *Ivodii* antiquo Trevirenſis Diœceſis oppido, duo Presbyteri *Fridericus*, & *Dominicus Guilhelmus*, nefandis, & abſurdis *Berengarii* opinionibus imbuti, deteſtabilem contra auguſtiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ doctrinam, clandeſtinis conventibus propagabant, verum in Sacroſancta Hoſtia Chriſti Corpus & Sanguinem eſſe negantes. Itaque inanem *Berengarii* ſpeciem amplexi, aliisque pravis infecti dogmatis, plures indies ſecum in errorem abducebant. Cum autem *Bruno* comperiſſet, perfidiæ ſemine in Lutzelburgenſium agris ſparſo, quietem Eccleſiæ perturbari, plebemque tum ſane ab ejuſmodi contagione puram ac ſimplicem, perverſis hiſce erroribus imbui; quo, ne labes ea contempta latius proſerperet, rem ad diligentem diſquiſitionem adduxit; & eo uſque indagando pervenit, ut patefacto dolo veteratores ipſos *Ivodii* deprehenderet tandem; atque ita perverſæ doctrinæ zizania opprimeret in herba. Duos itaque, quos diximus Sacerdotes, & *Hamelricum*, ac *Durandum* plebeios, ex oppido Trevirim adductos, productosque *in conſpectum Eccleſiæ*, omnes opinionum ſuarum ſectas prodere, atque palam damnare coegit. Tum vero *Durandus*, ante omnes accedens, hactenus quidem ſe ſceleris hujus Patrocinium ſuſcepiſſe, atque erraſſe haud inficiari; verum cupere impoſterum, nuncium peſtilenti mittere errori, ac multam *Berengario* dicere ſalutem; ut fidem dictis exæquet, contactis reliquiis ſe jure jurando obſtrictum velle.

At *Fridericus* Presbyter, pervicacior hæreſim tueri ſuam, & argumentis parare, eandem adſtruere. Ergo *Bruno*, oblata diſputandi copia, cum graviſſimis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, tum Auguſtini in primis auctoritate, pertinaciam hominis ad ſilentium uſque ad oppugnaſſet, neque ſuſceptum tamen errorem, homo obſtinatus abjiceret; acclamatum Brunoni a circumſtante Clero: quoniam *Eccleſiam non audiret*, ecquid dubitaret, jam eum habere *tanquam Ethnicum & Publicanum*? vocesque ſub

hæc

hæc eunt postulantium, ut de gradu Sacerdotali nefarium caput dejiciat, lataque sententia, illico mox condemnet. Quo moram trahente, multitudo accensa promovere gradum, atque ut hominem ad pœnam abripiat, impetu occurrere. Verum hic tumultus, dum concio permiscetur, homini scelesto effugium dedit.

Post hæc, *Dominicus Wilhelmus* arreptus, qui nequitiæ occultandæ se binominem tulerat; accusatusque, ceu non postremus hæresis hujus assertor, inficias constanter iit, se unquam errorem eum errasse: delatoribus contra, secretos eum coegisse Conventus, atque etiam sectatoribus, suo more panem porrexisse, nitentibus; ille metu imminentis periculi trepidus, paratum se respondit, ad cujusque modi suspicionis abolendam infamiam, etiam severissimi cujusque judicis subire sententiam. Itaque rem Divinam facere, & Canonem sacrum elata voce decantare jussus; ubi ad fractionem deinde salutaris hostiæ deventum, *Bruno* ad Altare propius accedens, ultimis hominem detestationibus obstringit, atque ita ad illum infit: *Si vivificum hoc salutis nostræ Sacramentum, quod manibus tenes, verum Christi Corpus & Sanguinem esse, ore sacrilego negare pergis, ipsius Mysterii Sanctitatem testor, ne quoquo modo contingere, aut sumere Sacrosanctam hostiam audeas; sin vero ab Ecclesiæ Catholicæ sensu tuum minime judicium discrepat, per me licet, sumas.* Atque ita tum sincere quidem, nullaque interveniente fraude, Divina Mysteria Presbyter libavit. Verum in pristinum mox errorem revolutus, majori quam ante studio, hæresim semel abdicatam inculcare plebi cœpit. Quapropter justo rerum arbitro Deo, feras denique perjurii expetente pœnas, cum reus adulterii in judicium esset ob id crimen a Magistratu vocatus, damnatus capitis, merito vitam supplicio finiit. Atque hunc in modum noxium illud contagionis virus, pia *Brunonis* industria extinctum, atque repressum est.

Browerus & Masenius in Annal. Trevenf. Tomo II. Lib. XIII. ad h. annum pag. 8.9.

SYNODUS COLONIENSIS

Anno Christi MCXIII. Paschalis II. Papæ XIV. Henrici V. Reg. VIII. Imp. III.

Judicium Synodale de Hæreticis.

Epistola Trajectensis Ecclesiæ ad Fridericum Archi-Episcopum Coloniensem, de hæreticis Tanchelmi Sequacibus Coloniæ captis, coercendis justa pœna.

DOMINO SUO, ET VENERABILI PATRI, FRIDERICO, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPO, HUMILIS TRAJECTENSIS ECCLESIA EX SINCERO AFFECTU DEVOTISSIMAS ORATIONES CUM DEBITÆ SUBJECTIONIS OBSEQUIO.

GRatias, Reverende Pater, Sanctitati vestræ agimus, quia paterna miseratione vicem nostram doluistis, & Antichristi nostri, perturbatoris & blasphematoris Ecclesiæ Christi, cursum & impetum retardatis, qui aperuit in Cœlum os suum, & contra Sacramenta hæresin Ecclesiæ suscitare ausus est, jam olim Sanctorum Patrum sententiis jugulatam. Hic enim spiritu superbiæ (quæ radix est omnis hæreseos & apostasiæ) intumescens, nihil Papam, nihil Episcopos, nihil Archi-Episcopos, nihil Presbyteros aut Clericos asseruit, columnasque Ecclesiæ Dei concutiens, etiam fidei nostræ Petram, id est, Christum dividere ausus est. Penes se, & suos tantum Ecclesiam esse contendebat:

Ecclesiam, quam Christus postulans a Patre, accepit gentes in hæreditatem suam, & possessionem suam terminos terræ, hic ad solos Tanchelmistas contrahere conatus est.

Jam vero, Sancte Pater, afflictionis nostræ querelas suscipite, & præcursorem Antichristi eodem schemate, eisdem vestigiis, quibus ille secuturus est, præcurrentem advertite. In maritimis primum locis rudi populo, & infirmioris fidei, venenum perfidiæ suæ miscuit, & per matronas & mulierculas (quarum familiaritatibus, & secreta collocutione, & privato accubitu lubentissime utebatur) errores suos paulatim spargere cœpit. Deinde per (has) conjuges etiam ipsos perfidiæ suæ laqueis irretivit. Nec jam in tenebris, vel cubiculis, sed super tecta prædicare incipiens, in patentibus campis late circumfusæ multitudini sermocinabatur, & veluti Rex concionaturus ad populum, stipatus satellitibus, vexillum & gladium præferentibus, velut cum insignibus regalibus sermonem facturus procedere solebat.

Audiebat illum populus seductus, sicut Angelum Dei: imo vero ipse Angelus Satanæ declamabat, *Ecclesias Dei lupanaria esse reputanda: nihil esse, quod Sacerdotum officio in mensa Dominica conficeretur: pollutiones, non Sacramenta nominanda, ex meritis & sanctitate Ministrorum virtutem Sacramentis accedere:* cum ex verbis S. Augustini Dominus Christus traditorem suum (quem *Diabolum nominavit*, qui ante traditionem Domini, nec loculis Dominicis fidem potuit exhibere) cum cæteris Apostolis ad prædicandum Regnum Cœlorum miserit; ut demonstraret, dona Dei pervenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit, per quem accipiunt, qualis Judas fuit.

Item Augustinus: *Si in percipiendis Sacramentis dantis & accipientis est meritum considerandum, sit dantis Dei, & accipientis conscientiæ meæ. Hæc enim duo non mihi incerta sunt, bonitas illius & fides mea. Quid te interponis, de quo certum nihil scire possum? sine me dicere: In Domino confido. Nam, si in te confido, unde confido, si nihil mali hac nocte fecisti?* Contra has & hujusmodi sententias sacrilegus ille declamans; *Dehortabatur populum a perceptione Sacramenti Corporis & Sanguinis Domini, prohibens etiam Decimas Ministris Ecclesiæ exhiberi, quod facile volentibus persuasit*; Quia ea tantum prædicabat, quæ vel novitate sui, vel magna voluntate populi placitura sciebat.

Talibus nequitiæ successibus misero homini tanta sceleris accessit audacia, *ut etiam se Deum diceret: quia, si Christus ideo Deus est, quia Spiritum Sanctum habuisset, se non inferius nec dissimilius Deum; quia plenitudinem Spiritus Sancti accepisset.* In qua præsumptione adeo illusit; ut quidam in eo Divinitatem venerarentur in tantum, ut balnei sui aquam potandam populo stultissimo pro benedictione divideret, velut sacratius & efficacius Sacramentum, profuturum saluti corporis & animæ.

Quodam etiam tempore, dum novum genus quæstus nova adinventione machinaretur; quandam imaginem S. MARIÆ (stupet animus dicere) in medium multitudinis jussit afferri, & accedens, manumque imaginis manu contingens, sub typo illius S. MARIAM sibi desponsavit, Sacramentum & Solennia illa desponsationis verba, ut vulgo fieri solet, universa sacrilego ore proferens: *En,* inquit, *dilectissimi, Virginem MARIAM mihi desponsavi, vos sponsalia & sumptus ad nuptias exhibete.* Et ponens duos loculos, unum a dextris, alium a sinistris imaginis, *Huc,* inquit, *offerant viri, illuc, mulieres. Viderim nunc, utrius sexus major circa me & Sponsam meam ferveat charitas.* Et ecce cum muneribus & oblationibus certatim ruit insanissimus populus. Mulieres inaures & monilia jaciebant, & sic non sine immanissimo sacrilegio infinitam contraxit pecuniam. Sed & faber ferrarius quidam, nomine Manasses, quem cum scelerato homine etiam a Vobis detentum audivimus, exemplo nequissimi Magistri, fraternitatem quandam, quam *Gilda* vulgo appellant, instituerat, in qua XII. viros in figura XII. Apostolorum, & unam tantum fœminam in figura B. MARIÆ constituit, quæ, ut ferunt, per singulos illorum XII. circumducebatur, & ad injuriam Sacrosanctæ Virginis nefaria turpitudine, quasi ad confirmationem fraternitatis, singulis miscebatur.

Presbyter etiam quidam, Everwacherus nomine, a Sacerdotali dignitate apostatans, nefandi hominis Magisterio adhæ-

adhæsit, qui & illum *Romam profecutus*, maritima loca, quartam scilicet partem Episcopatus nostri, Teruwanensi Episcopio Regni Franciæ, auctoritate Domini Papæ atterminare conatus est, quem etiam a Sanctitate vestra detentum audivimus, & gavisi sumus. Idem Presbyter per omnia Tanchelmi assertor, decimas Fratrum Ecclesiæ B. Petri invasit, Presbyterum ipsorum armata manu ab Altari & Ecclesia ejecit. Infinita sunt, Domine, illorum scelera, quorum plurima pro epistolari brevitate suppressimus. Hoc ad summam dixisse sufficiat, res Divinas in tantum venisse contemptum, ut reputetur sanctior, cuicunque fuerit Ecclesia Dei despectior.

Quia igitur, Sancte Pater, Divina miseratio Ecclesiam suam diutius periclitari non sustinens illos *in manus vestras* tradidit, rogamus & obsecramus in Domino, ne qua ratione de manibus vestris elabantur: qui si elapsi fuerint, denuntiamus Vobis, & sine omni ambiguitate attestamur, futuram irrecuperabilem Ecclesiæ nostræ jacturam, & infinitarum perniciem animarum. Vere, Domine, gravissimum casum Ecclesia nostra sustinebit, si quo modo evadere illos contigerit, *quorum sermo*, juxta Apostolum, *ut cancer serpit*, & simplicium animos blandiendo perimit.

Nunc quoque ob hoc ipsum Anti-Christus noster (*a*) *Monachum mentitus*, exemplo capitis illius, cujus membrum factus est, in angelum lucis se transfiguravit; ut eo securius illuderet, quo versutius speciem sanctitatis simulate sumpsisset.

Rogamus, Domine, ut justa indignatione moveamini adversus detestandos dissipatores Ecclesiæ. *AUGUSTINUS*: *Quando vult Deus concitare potestates adversus Schismaticos, adversus Hæreticos, adversus Dissipatores Ecclesiæ, adversus Exsufflatores Christi, non mirentur. Quia Deus concitat, ut a Sara verberetur Agar. Cognoscat se Agar, ponat cervicem, revertatur ad Dominam suam. Quid mirantur, quia commoventur potestates Christianæ adversus detestandos dissipatores Ecclesiæ? Ergo non moverentur? Et quomodo redderent rationem de Imperio suo? Pertinet hoc ad Reges Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt. Legimus Danielis visiones, & gesta Prophetica. Tres pueri in igne laudaverunt Deum. Miratus est Rex Nabuchodonosor laudantes Deum pueros, & circa eos ignem innocentem: & cum miratus esset ille, qui statuam suam erexerat, & ad eam adorandam omnes coegerat; tamen laudibus puerorum commotus, ubi vidit Majestatem Dei præsentis in igne, ait: Et ego ponam decretum omnibus tribubus, & linguis in omni terra: Quicumque dixerit blasphemiam in Deum Sidrac, Misac & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem. Si Nabuchodonosor laudavit & prædicavit, & gloriam dedit Deo, ut decretum mitteret per Regnum suum; quomodo Reges Christiani non moveantur adversus blasphematores Ecclesiæ Christi?* Hæc Augustinus.

Proinde obsecramus in Domino, quatenus de his Sanctitas vestra faciat, ut Ecclesiæ nostræ jam diu periclitanti subveniendo consulatis.

Gretserus Tomo VI. operum novæ edition. pag. 566. *Edidit eandem Epistolam Sebastianus Tengnagel, Bibliothecarius Cæsareus anno* 1612. *Ingolstadii; recusa dein fuit ab Antverpiensibus Hagiographis ad diem VI. Junii Tom. I. hujus mensis.*

(*a*) Bollandistæ ad diem VI. Junii conantur ex hoc loco tempus datæ Epistolæ eruere. Tanchelmus ex Insulis Zelandicis egressus, ab initio Sæculi XII. ad annum 1108. vel 1109. Flandriam veneno suo infecit, & dein Antverpiam: subin Monachi habitu assumpto Romam profectus, inde redux circa annum 1112. Coloniam venit, ubi ab Episcopo captus cum sociis, & detentus fuit. Circa 1113. Burchardus Trajectensis ad Rhenum Episcopus obiit: post cujus mortem, vacante Ecclesia, Clerus Trajectensis ad Metropolitam suum Coloniensem has literas scripsit. Elapsus e carcere Coloniæ Tanchelmus Brugas rediit, cito anathematizandus a Clero & populo, demum per maritima loca dum vagatur infelix errorum suorum disseminator, a Presbytero illatam Ordini suo injuriam perperam ulturo, trucidatus fuit anno MCXV. Hæc ex variis BOLLANDISTÆ collegerunt ad diem VI. Junii. Videtur autem hæc Epistola scripta ante mortem Tanchelmi, imo & fugam e carcere Coloniensi, adeoque circa annum 1113. quo Sedes Ultrajectina vacabat.

Tanchelmi hæresin ab anno MCXI. ad MCXXVI. Antverpiensibus dominatam fuisse, opinatur *Natalis Alexander Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi XII. C. IV. §. VI.* eo quod isto anno S. Norbertus cum sociis illuc venit ad eandem extirpandam, quod & *Illmus Baronius ad hunc annum* innuit.

Ad hanc Epistolam velut accusatricem referri potest habita Anno 1113. Synodus Coloniensis, sub Friderico Archi-Episcopo.

Accusatio fit Coloniæ in Ecclesia S. Petri, præsente FRIDERICO, Archi-Episcopo, contra hæreticos. Plures capti & vinculati, judicio aquæ se expurgarunt: cæteri autem reatu suo confisi, fugam verterunt. Apud Veronam (Bonnam) præsidente Comite, igne consumpti sunt tres, malentes mori, quam cedere Catholicæ Fidei.

Hæc, nec plura descripsit Cl. Schannatus in Vaticana Bibliotheca ex codice MS. Bibliothecæ Urbinatensis Romæ asservato.

Epistola Henrici Imperatoris, ad Harduicum Ratisponensem Episcopum.

SUMMA. Accusatoria Legatorum Apostolicorum, quasi Paschalis mandata transgressi essent, & Nuntiatoria pacis inter se & Papam.

HENRICUS, DEI GRATIA IMP. AUGUSTUS, H. VENERABILI RATISPONENSIUM EPISCOPO, GRATIAM, DILECTIONEM, ET OMNE BONUM.

Gratias agimus Patri Spirituum, quoniam erga nos & Imperii statum salubriter tuæ fidei conservasti constantiam, credentes, imo luce clarius adtendentes, quod neque mors, neque vita surripere possint, quam inchoasti, & demonstrasti nobis bnenevolentiam. Ut autem piæ sollicitudinis scrupulum, quo sæpissime turbantur corda amicorum absentium, tibi pleniter auferamus, negotium, quod pro communi utilitate totius Imperii suscepimus, ad quid perduxerimus, paucis tibi scribere curavimus. In primis memorem te esse volumus, qualiter inimicorum nostrorum acephalica præsumptio fideles nostros inquietaverit, quod communicantes nobis, quasi excommunicatos, ex sententia & Legatione Domini Apostolici dijudicaverint, & maledictiones satis impudenter super Innocentes aggravaverint. Nos autem arcum, quem in nos latenter intenderant, & sagittas, quas exacuerant, propitiante Domino, declinantes in Italiam transalpinavimus, & ibi religiosos Episcopos atque Abbates, qui videbantur esse columnæ matris Ecclesiæ, convocantes, de pace vel concordia Regni & Sacerdotii subtilissima inquisitione tractavimus. Demum communicato consilio tres ex illis omnibus eligentes, scilicet *Placentinum*, *Astensem*, *Aquensem*, magni nominis Episcopos, ad Dominum Apostolicum, & ad omnem Ecclesiam illos misimus, proferentes in publicum, quod si quis personam nostram pulsaret, vel pulsare vellet de pace, quam in Corpore & Sanguine Domini nos cum Pontifice Romano composuimus & conscripsimus, secundum judicium legum & canonum, porrigere plenariam expurgationem, vel, quod absit, culpabiles inveniremur, omnimodam satisfactionem. Igitur Dominus Apostolicus unanimes sibi ad hoc conjungens Cardinales in testimonium, in præsentiam Principis Apostolorum negavit, quod Chuononem in Coloniam, vel Saxoniam miserit: irritum esse judicavit, si quid in nos maledictionis effuderit: affirmavit, quod ipse nunquam nos excommunicaverit: filio suo, quem consecravit, quem benedixit, quod nunquam maledixerit. Damnavit Theo-

Theodoricum, eo quod in Regno nostro Legatum se ejus Domini Apostolici mentitus fuerit: nihil optavit, quidquid excommunicationis in aliquem fecerit: in præsentia Cleri & populi testificatus est, quod non præcepit, vel consensit, vel ratum fecit, vel habet; quod Viennensis Episcopus excommunicationis gradum super nos erexit; sed potius, quod sub typo boni zeli peccaverit, veniam postulavit. De literis bullatis, quas in opprobrium nostrum incusabat Moguntinus, Coloniensis, Saltzburgensis, & Halberstadiensis inimicis nostris misisse, Deum duxit in testimonium, se malum illud nunquam commisisse: inter cætera subjungens, quisquis nobis fidelitatem jurando promiserit, & Werram nobis quisquis modo fecerit, pro perjuro & sacrilego in membris Ecclesiæ numerandum esse. Nos autem Consilium Principum nostrorum exequentes, ut omnem ambiguitatem resecaremus, & seditionem gravissimam, quæ inter Romanos & Apostolicum geritur, compesceremus, (*) & Deo gratias, non est inventus, qui clam vel palam nobis notam criminis imponeret; sed vox laudis & lætitiæ audita est, quæ nos & Imperium nostrum Deo, & Beatis Apostolis Petro & Paulo committeret. Postremo die Capitolium cum universis ordinibus conscendimus, & magnificantibus nos magna impendimus. Denique Cardinales tres, cæterorum legationem agentes, nos audierunt, & pacem plenariam eo tenore nobis exhibuerunt; si investituram per virgam & annulum deinceps dare desineremus, quod in eo Ecclesiæ scandalum dixerunt. Econtrario nos respondentes, Regalia nostra cuivis per baculum & annulum concedere, juris nostri esse probavimus. Hæc est summa dissensionis, qua concutitur & periclitatur Ecclesia, & investitura cessante, affirmant statum Ecclesiæ redintegrare posse per omnia. Ergo miles Christi considera, quod Christus in Evangelio liquantes culicem & camelum deglucientes in ejusmodi animadversione reprehendat, & Apostolus minus tolerandum, ut majus vitetur, factis & dictis ostentat. Hæc ideo tuæ transmisimus caritati, ut pernoscas nullum periculum excommunicationis imminere nostræ dignitati, & ut uberius, quod ratio postulat, obviare possis adversus nos insurgenti fatuorum temeritati. Nuntium tuum ideo tamdiu retinuimus, ut per se certum te de his omnibus reddat, utpote qui visu vel auditu rei ordinem perfecte recognosceret. Vale.

Ex Codice Udalrici Bambergensis No. CCCXVIII. descripsit Mansi Tom. II. Supplementi Conciliorum pag. 315.

(*) *Desiderantur aliqua.*

Alia ejusdem Imperatoris ad Eandem.

HENRICUS, DEI GRATIA, IMPERATOR AUGUSTUS, H. RATISPONENSIUM EPISCOPO, GRATIAM SUAM ET OMNE BONUM, UT FIDELI DILECTISSIMO.

QUod Legatos tuos tanto tempore retinuimus, nulla alia de causa fecimus, nisi quod nec itineris nostri, nec a Roma aliquam certitudinem tibi mandare potuimus. Nunc dilectioni tuæ intimare decrevimus, Episcopos quosdam, videlicet Astensem, Aquensem, Placentinum inde venisse, non nostra quasi Legatione, sed eorum propria voluntate ivisse, qui tamen veram pacis concordiam inter nos & Papam omni dubietate remota retulerunt, qui etiam nos omnes, Monasteriensem nominatim, Tridentinum, Augustensem, Brixinorensem, Constantiensem, Abbatemque Wultensem Arnoldum, in Adventu eorum benedixerunt ore, & osculo ex ejus parte salutaverunt. Ajunt etiam, Dominum Papam nunquam aliquem adversarium nostrum Coloniensem, vel Saltzburgensem, vel Wurtzburgensem, vel Halberstadensem, vel aliquem inimicum nostrum viva voce, vel literis salutasse. Moguntinum nec ipse, nec tota Romana Ecclesia aliter, quam traditorem Dei, & Domini sui, & totius Christianitatis appellant. Quicquid itaque *Viennensis Wido*, & *Chuono* contra Imperium, & nos aliquo modo moliti sunt, detestatur, ita quod fraterni-

ternitatem ; & gratiam idem *Chuono* etiam apparet amiſiſſe. Hoc totum promittit, non per nuntium, ſed per ſe ipſum verum eſſe probaturum. His aliisque verbis auditis ac pertractatis, cognovimus, te, ut mandavimus, congruo tempore venire ad nos non poſſe, quod cum maxima feſtinatione ad præſens ire oportet, ſed tamen ubicumque erimus, pro te & vice tua erimus, & tu ubi fueris, pro nobis in perſona noſtra eris, juvando ac ſuſtinendo, ac defendendo honorem noſtrum, & ſpecialiter nepotem noſtrum F. aliosque fideles noſtros, ut bene appareat te eſſe inimicum inimicorum noſtrorum, & amicum amicorum noſtrorum.

Ex Codice Ulrici Bamberg. N. CCCXVII. Manſi Tom. II. Supplementi. pag. 317.

Adalberti Moguntini Archiepiſc. epiſtola ad Clerum populumque Bambergenſem.

Hortatoria, ut ad unitatem cum Gelaſio II, Capite Eccleſiæ Catholicæ redeant.

SANCTÆ BAMBERGENSIS ECCLESIÆ CLERO, PRIMORIBUS ET SUBDITIS, A. (*a*) DEI REPROPICIANTE CLEMENTIA, MOGUNTINÆ MINISTER ECCLESIÆ, RECTA SAPERE, ET UNUM ESSE IN SPIRITU CHRISTI, ET ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

INtuentes religioſi Cleri hujus honeſtatem & prudentiam, ſemper ubique prædicabilem, non facile perſuaderi potuit, vos in aliquo exorbitare ab Eccleſiaſticæ communionis tramite: maxime cum habeatis Epiſcopum animarum veſtrarum, & oportuerit vos obedire Deo magis, quam hominibus: quia melius eſt confidere in Domino, quam confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Sed nunc, quod tamen dolentes audivimus, ubique a laicis blaſphematur, quomodo Romana & Catholica communione poſtpoſita, Epiſcopi quoque veſtri exemplo obedientia poſtpoſita, aliqui veſtrum excommunicatis perſonis indifferenter communicetis, & promiſcue, quæ Dei ſunt, reddatis obſequio Cæſaris. Profecto meminiſſe debetis, quanta privilegia habeatis a Romana Eccleſia matre veſtra & Magiſtra, quæ ſi vias veſtras gradiens, pro inobedientia perderet veſter Epiſcopus; ſero pœniteret, Epiſcopali jam officio ſuſpenſus. Sufficere autem vobis poterat, nobis quoque ſatis eſt, & cuilibet diſcipulo, ſi ſit ſicut Magiſter ejus; & evidens eſt exemplum omnibus, quod Clemens nemini loquitur, cui non loquitur Petrus. Proinde cum hæc, Dei voluntate, ſemper nobilis Eccleſia inter conſortes filias elegantiori & ſpeciali excellat prærogativa, nos, qui, licet indigni, Metropolitana fungimur cura, vice Beati Petri, non potuimus hoc factum veſtrum diſſimulare, & pro loco iſto non eſſe ſolliciti. Tangit etenim nos mutuum debitum, quod majore obligatione inter nos & locum iſtum eſt, a die Ordinationis meæ contractum. Si enim inter XV. Moguntini privilegii ſuffraganeos, oleo benedictionis, tanquam filios Aaron in Sacerdotium ſuſcitandos, cæterorum primogenitis poſtpoſitis, ſolum veſtrum in meam benedictionem prælegi Epiſcopum, quomodo illi non compatiar, ut filius Patri? Quomodo denique non commonefaciam vos fratres, ut frater primogenitus? Quod ſi ille vias veſtras vobis oſtendit, & de ſalute & cautela communionis obſervandæ ab excommunicatis, ut debuit, commonuit, atque ut Sara filium ſuum Iſaac cum Iſmaële ludere non permiſit, & altero in diverſas culturas ſeparato hære-

(*a*) Adalbertus I. *aliis* Albertus I, aut ſenior, Saræpontanus, Cancellarius Henrici V. & primus inter primos ejus præcordialis Conſiliarius, electus & baculo & annulo ab Henrico V. inveſtitus 1109. dein in cuſtodia fuit ab 1112. ad 1115. ordinatus Coloniæ feſto S. Stephani ab Ottone Bambergenſi anno 1117. Obiit anno 1137. 9. Kal. Julii.

hæredem filium infra domum, quæ est Ecclesia, reservavit. Nos quoque in partem Apostolicæ solicitudinis vocati, fungentes tenore vicis nobis delegatæ, quia scimus anathema excommunicatæ communionis inter vos esse, interdicimus in omni loco hoc Divini officii verbo Domini & Judicio Spiritus Sancti usque ad satisfactionem vestri Episcopi.

Udalricus Bambergensis No. 290.

Idem Adalbertus scriptis literis ad Concilium invitavit Eginonem Abbatem S. Udalrici Augustanum. Has literas profero ex Udalscalco in narratione de controversia inter Hermannum Augustensem Episcopum (quem in *Concilio Coloniensi sacra Communione privatum literæ illæ innuunt*) & Eginonem, vulgata a Canisio.

Invitatoria ad Synodum Frideslariensem anni 1118.

SANCTÆ AUGUSTENSIS ECCLESIÆ FILIIS ET FRATRIBUS CUM E. ABBATE S. UDALRICI, ARNOLDUS (*a*) MOGONTINÆ SEDIS MINISTER INDIGNUS, FRATERNAM DILECTIONEM CUM ORATIONE.

QUod proxime a Domino Prænestino, Romanæ Sedis Legato Apostolica auctoritate denuntiatum fuit vobis, nos quoque eandem denuntiamus vobis: sed quia hæc neglexistis, nec vos, nec ille, quem dicitis Episcopum vestrum, Sancto Concilio interfuistis, ipsum quidem, quia jam diu a Domno Papa Episcopali & Sacerdotali suspensus est officio, communione Corporis & Sanguinis Domini usque ad satisfactionem privatum esse sciatis: vos autem adhuc nostra intercessione dilatos, idem tamen subituros, nisi Sancto *Concilio Frideslariæ V. Kal. Augusti* celebrando Abbates & Prælatos Ecclesiæ vestræ interesse faciatis. Quod quidem, sicut in mandato accepimus, Apostolica auctoritate & nostra præcipimus. Præterea super querela illius vestri Adalberti nos eadem firmasse, quæ Apostolicam Sedem fecisse cognovimus, fraternitati vestræ notificamus. Adulterum enim & adulteram, & omnes consentientes excommunicavimus. In qua damnatione vester dictus Episcopus non excipitur, quia non faciendo justitiam patienti injuriam, consensum crimini adhibere probatur.

Canisius Tom. III. antiquarum Lectionum Parte II. pag. 14. novæ edit.

(*b*) Adalbertus, *corrige.*

Epistola G. Episcopi ad F. (a) *Archi-Episcopum Coloniensem. Adversus Invasorem Ecclesiæ Leodiensis.*

DOMNO ET PATRI SUO F. COLONIENSIUM ARCHI-EPISCOPO, G. (*b*) DEI GRATIA, ID QUOD EST VIRILITER ET CONFORTARE IN DOMINO.

DE Leodiensis Ecclesiæ, sororis nostræ, nefaria invasione, execrabili oppressione, fama quidem prius, sed nuper litteris vestris cognovimus. Ad ejus consolationem, sicut monuistis, quia præsentiam nostram tam celeriter exhibere nequivimus, sententiæ nostræ litteras Sanctitati vestræ destinavimus. Videtur nobis hoc facinus quidem omnibus Ecclesiis dolendum, maxime autem Matri nostræ, cunctisque filiabus ipsius lamentandum: tum, quia in filia incestus hic contingit; tum, quia in Provincia hac malum hoc accidit, ubi primum,

(*a*) Fridericus ab anno 1099. ad 1131. Coloniensem rexit Ecclesiam. Videtur hæc Epistola scripta occasione Alexandri Archi-Diaconi & Sacristæ, qui mortuo Orberto Præsule, Leodiensem Episcopatum numerata pecunia ab Henrico V. Rege emit, sed non obtinuit. Nam eo expulso, ordinatus est Fridericus, vir sanctissimus. *Martene.*

[*b*] Gotescalcus, Osnabrugensis Episcopus, ut suspicor, ejusdem Provinciæ cum Leodiensi Ecclesia, quam vocat sororem suam, sub uno Metropolita Coloniensi.

mum, & maxime hoc tempore, pro vindicanda Ecclesiæ libertate concertatum est, & jam bonæ spei fructus sperari potuit. Sed, O invidiosa antiqui hostis circumventio! instanti certaminis agone jam circa boni cursus consummationem repentino casu totius Ecclesiæ faciem nequissimus hostis tanta ignominia offudit; ut sororem nostram intrusus hostis macularet, imo quod sceleratius est, filius Matrem opprimeret. Meministis historiæ veteris, quomodo filii Jacob pro Dina sorore sua oppressa Sichem filium Emor Evei, habitatoresque illius, licet in Legem illorum transire volentes & jam circumcisos, tamen faventes, ob stuprum sororis necaverunt, eo quod fœdam rem operatus est in Israël, & violata filia Jacob rem illicitam perpetrasset. Simili quoque forma pro sororis nostræ oppressione, justo animadversionis zelo succensi . . . *Reliqua invidet manus temeraria, quæ ipsa abrasit.*

Martene & Durand Tom. I. amplissimæ Collectionis pag. 642.

Epistola Calixti Papæ II. ad Fridericum Archi-Episcopum Coloniensem.

Significat ei Concilium in Autumno Remis celebrandum pro felici Ecclesiæ statu.

CALIXTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI F. COLONIENSI ARCHI-EPISCOPO, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

QUamdiu mundi hujus Pelagum navigamus, necesse est, ut tempestates, & collisiones fluctuum patiamur, unde magnam Nos oportet habere custodiam, ut commissi nobis Navigii cursum sic, præstante Domino, dirigamus, quo ad quietis portum cum navis & . . . . integritate pertingere valeamus. Esto igitur providens, frater carissime! atque sollicite, sicut cœpisti, circumspice, quoniam præsto est Dominus Deus noster, qui ventis & mari potenter imperat, & subito tranquillum facit. Novimus quidem Domini & Ecclesiæ inimicos adversus Ecclesiam posse latratus emittere; illud autem omnino nec Divinis, nec humanis legibus reperitur, ut ab aliquo Sedes Apostolica judicetur, nedum ab illis, qui Ecclesiæ Judicio condemnati sunt. Verumtamen ne populus Domini alicujus blanditiis, persuasionibus, fallaciis seducatur, si quis adversus Ecclesiam Dei se habere confidit, ad (*a*) Concilium, quod in proximo Autumno, circa Remos per Dei gratiam celebraturi sumus, accedat. Ibi enim Magistri Ecclesiæ, Viri Religiosi & sapientes intererunt, ibi de statu Ecclesiæ tractatus habebitur, ibi Ecclesiæ status, cooperante Domino, consurget, & hostilis incursio destruetur, & ibi, præstante Domino, sufficiens dabitur cum Patrum auctoritate responsio. Constanter igitur age, strenue miles Christi, atque in propositi stadii certamine, donec ad bravium pervenias, currere non desistas. Penitus etiam caveas, ne pessima investitorum a tyranno illo putredine, tua sinceritas contingatur. Pugnator enim fortis Dominus tecum est, neque nostrum tibi consilium & auxilium deerit, quod nobis misericordia Divina contulerit. Datum Anicii XVI. Calendas Maji.

Martene & Durand. Tomo I. amplissimæ Collectionis pag. 651. *ex MS. Colbertino.*

(*a*) Illud Concilium celebratum fuit XIII. Kalendas Novembris MCXIX.

Epistola

Epistola Friderici Archiepisc. Coloniensis, ad Ecclesiam Leodiensem.

Mandat, ne intrusum per Simoniam nominatione Regia in Sede Leodiensi recipiant.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ HUMILIS MINISTER: LEODIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-DIACONIS, PRÆPOSITIS, DECANIS, SCHOLASTICIS, CANTORIBUS, OMNIBUSQUE CATHOLICIS, A PROPOSITO SANCTO NULLIUS NECESSITATIS OCCASIONE DECLINARE.

EX authoritate Evangelica, *necesse est, ut veniant scandala,* ut dum revelatur filius perditionis, manifesti fiant, & probati, quotquot præordinati sunt in sortem supernæ retributionis. Unde fraternitatem vestram præmonentes pia sollicitudine monemus, obtestamur, & præcipimus ex debito Sanctæ Obedientiæ, ut (*a*) recipiatis (*b*) Regiæ intrusionis violentia sub nomine designati Episcopi ad vos venientem: quia temeraria invasione sedem nostram, quantum in ipso fuit, privavit Archi-episcopali honore, vosque contempsit, quibus imponi voluit sine Canonica electione, non veritus prævenire Symoniaca ambitione inducias electionis vestræ denominata die præordinatas, quas vestra Ecclesia expetiit, & Sedis nostræ authoritas concessit. Igitur in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, in ipsum, & in omnes ipsius sequaces vel eidem communicantes paravimus anathematis sententiam, a qua liberari desideramus fraternitatis vestræ obedientiam.

Martene & Durand. Anecdotorum T. I. pag. 376. *ex MS. S. Trudonis.*

(*a*) *Supple:* non. (*b*) Alexandrum Simoniacum intrusum.

Epistola Cononis Episcopi Prænestini, ad Fridericum Archi-Episcopum Coloniensem.

Scribit ei, posse Regem ab eo excommunicari.

CONO, PRÆNESTINUS DEI GRATIA EPISCOPUS, ET APOSTOLICÆ SEDIS VICARIUS, VENERABILI FRATRI FRIDERICO COLONIENSI ARCHI-EPISCOPO, ANIMÆ SUÆ DIMIDIO, GAUDIUM ET LÆTITIAM IN SPIRITU SANCTO.

DEnuntiamus vobis in Nomine Domini, ut non cito moveamini a vestro sensu tam dictis pseudofratrum nostrorum, quam aliorum dicentium, non pertinere *ad vos excommunicare Regem;* quià nec Rex Nobis commissus, nec de Parrochia nostra esse videtur. Quibus ex ore Domini Papæ efficaciter respondemus, quia etsi nobis Parrohciali Jure commissus non fuerit, auctoritate tamen Spiritus Sancti & Sanctorum Patrum pro tanto scelere merito excommunicare debuimus: attendentes, quod B. Ambrosius Theodosium Imperatorem Romanum sibi non commissum, licet non Papa, non Patriarcha, non Ecclesiæ Romanæ Legatus, excommunicavit pro scelere, quod non in Parochia sua, sed Thessalonice commiserat. Quidam falsi fratres mandaverunt Nobis, quod pax esset inter vos & Regem, sed Domnus Papa, nec nos credere voluimus, quousque vos videremus.

Martene & Durand. Tom. I. amplissimæ Collectionis pag. 664. *ex MS. S. Germani a Pratis.*

HALBERSTADENSE PLENUM CONCILIUM.

Anno Christi MCXX. Callisti II. Papæ II. Henrici V. Reg. XIV. Imp. X.

Reinhardus, Episcopus Halberstadensis, confirmat Monasterio in Chaldenbrunen bona atque prædia, quibus a fundatore suo Wichmanno Comite, Ecclesia fuit dotata anno MCXX.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

REINHARDUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, ANTISTES HALBERSTADENSIS.

NOverint omnes Fideles tam futuri, quam præsentes, virum nobilem Wihemannum, cognatum meum, predia sua, pro remedio anime sue, nec non dilecte conjugis, omniumque parentum suorum, cum omnibus utilitatibus, que modo, vel amodo inde provenire poterint, Ecclesie nostre principali ad altare Proto-Martyris STEPHANI contulisse, eo videlicet tenore, ut de eodem predio, in loco, qui dicitur Chaldenbrunen, Apostolicam, scilicet communem, & canonicam vitam, Deo opitulante, instituerem. Hec autem tam suo, quam earum Provinciarum jure, in quibus hec sita sunt, Saxonie scilicet, & Thuringie, ipsemet stabilivit, in legitimo placito, se Comite pro tribunali sedente in Botelstede, me presente & Comitibus Lodhewico & Wicberto, & utrorumque filiis Comitibus, & Sizzone, ceterisque suis compatriotis. Similiter autem consummata, bannoque Adalberti Moguntini Archi-Episcopi indissolubiliter firmata sunt in Erphesphorde, me presente, & Episcopo Spirense Brunone, omnibusque supradictis, presentibus quoque suis heredibus & devote laudantibus, Ecberto Clerico, Heremanno ac Guncelino laicis. Hec sunt predia: in Hiwenbuke & Crhavenestorp X. mansi & dimidius, & vinea. In Holdenstede VIII. mansi, & vinea. In Helpede IV. mansi, & vinea. Et Eradesthorp XI. mansi. In Sutthardesthorp II. In Rovekesthorp I. In Paneckendorp III. In Seburch dimidius. In Roldesthorp I. In Asseve dimidius. In Asendhorp I. In Dulne XXXVII. In Ludesse XXXIII. mansi: exceptis aliis jugeribus, que supersunt: & I. Molendinum, in Storquice VII. mansi. In Zoulice XIV. In Namelikesdhorp XXX. In Esekendorp dimidius. In Querenvorde dimidius. Hec sita sunt in Episcopatu Halberstadensi, & Comitatu Palatini Comitis Friderici. In Coscebodhe VIII. mansi. In Modhelwice V. In nova villa juxta illam VI. In Dhretis I. In Dhroganice IV. In Butine XIV. In Rucesches ece XII. Hi L. mansi siti sunt in pago Orlan. In Lengevelt VII. In Dhurnevelt IX. In alio Dhurnevelt I. In Rotthorp VIII. In Vurthern I. In Thovbeche X, & I. molendinum. In Suegestede V. In Urankenhusen II. Panstadhes. Hec predia sita sunt in Episcopatu Moguntino in Thuringia. His igitur predictis prediis Ecclesia Sancti Johannis Evangeliste in Chaldenbrunen primum est dotata. Reliquorum vero bonorum suorum cum clientibus Moguntine & nostre Halberstadensis Ecclesie contradidit ad eam justiciam, qua meliores earundem Ecclesiarum fruuntur, nec non cognatis & amicis, quibus voluit. Prefate igitur Ecclesie omnimoda statuimus libertate & quiete, quatenus inibi Deo famulantes, a quibuslibet nulla prorsus gravamina patiantur. Decernimus etiam Dei famulis ibidem regulariter viventibus liberam electionem, quatenus quemcunque sanioris consilii fratres de eodem, sive de alio Monasterio ejusdem ordinis ad sedem eam elegerint, Episcopi consensu statuatur. Super hunc ergo locum, & omnia eidem pertinentia, neminem Episcopus Advocatum constituat, nisi quem Prepositus

ſitus petierit, nec idem, præter ſtatutum ab eadem Eccleſia, quicquam exigat: nec Advocatiam diutius obtineat, quam utilitas Eccleſie poſtulaverit, & Prepoſito placuerit. His omnibus, ut dictum eſt, oblatis, idem vir nobilis dignius adhuc, immo holocauſtum Domino dulciſſimum, ſemetipſum obtulit, relictis, que poſſedit, omnibus, factus eſt egenus, egeni diſcipulus.

Si quis igitur contra hoc decretum, quod abſit, temere venire temptaverit, & ſecundo, terciove commonitus, non reſipuerit, ipſum perpetuo anathemati deputamus. Ceterum prefato loco juſta ſervantibus, beneficiisque ac defenſione adſtipulantibus, Divina retributio recompenſet, ac celeſtis benedictio in preſenti & futuro multiplicet. Amen. Hoc ſtatutum auctoritate Beati Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Pape, & ſicut ipſe ante nos ſuo banno & privilegio in Remenſi ſtabilivit Concilio, & nos ſtabilimus, ac nullo modo mutandum ſub anathemate obligamus. Hanc vero cartam jam conſcriptam, Ego *Reinhardus* manu propria corroboravi, meoque ſigillo inſigniri juſſi. Data XVI. Kal. Maji anno Dominice Incarnationis MCXX. Indict. XIII. Anno autem Ordinationis Domini Epiſcopi *Reinhardi* XIV. Actum *in Halberſtat, pleno Concilio in Cena Domini*, Papa Calixto II, Mogontino Archi-Epiſcopo, & Romanæ Sedis Legato *Adelberto*, Halberſtadenſi Epiſcopo *Reinhardo*, primo Prepoſito *Thidmaro*, & primo Advocato *Wichberto*, feliciter. Amen.

Ludewig Reliquiarum Tomo X. pag. 134. *ex quo Manſi Tom. II. Supplem.*

CONCILIUM COLONIENSE

Anno Chriſti MCXXI. Calliſti II. (*a*) Papæ III. Henrici V. Reg. XVI. Imp. XI.

SUMMA. Fridericus, Archi-Epiſcopus, in acquiſitum ab Comite de Ara Monaſterium Steinveldenſe introducit Canonicæ Profeſſionis regulares viros.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

SCiat & memoriter teneat tam futura, quam præſens Eccleſia, quod ego FRIDERICUS, Dei gratia, licet indignus Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, conſiderans Prædeceſſorum meorum piam in cultu Divinitatis devotionem, optavi ipſorum imitator fieri in opere, quatenus mererer conſortium eorum in retributionem.

Itaque inter cætera adverti, Canonicæ Profeſſionis regulam, ab Apoſtolis inſtitutam, ab Apoſtolicis viris diligenter obſervatam, deinde a Venerabili Patre *AUGUSTINO* & doctrina intimatam, & uſu approbatam, poſtremo modernis temporibus in Eccleſia Chriſti longe lateque pullulantem. Itaque hujus tam antiquæ inſtitutionis, & novellæ plantationis aliquas cupiens arbuſculas inſerere, unde ſpeciales fructus poſſem quandoque decerpere, acquiſivi de Comite *THEODORICO DE ARA*, meo fideli, & unius mecum hac in re devotionis ac propoſiti, Monaſterium *Steinfeldenſe*, ſitum in pago *Eifela*, in Comitatu ipſius præfati fidelis mei, cum omnibus pertinentiis ſuis, quod erat juris ipſius, a progenitoribus ſuis conſtructum; ſed per negligentiam eorum, (*b*) qui Rectores ejus videbantur, pene annullatum, in quo devotionis meæ quod-

(*a*) Hoc anno Burdinus Antipapa ſub larva Gregorii VIII. captus, ludibrio publico expoſitus, in Monaſterium cavæ detruſus, & Calliſtus II. ſummo gaudio in urbem Romam introductus fuit.

(*b*) In Monaſterio Steinfeldenſi Moniales Benedictinæ primo inſtitutæ, ad laxiorem obſervantiam ſub ſuis Præpoſitis deflexiſſe coarguuntur. Hinc Fridericus in earum locum ex Canonia Springirsbacenſi, Treverenſis Diœceſis, Canonicos hic loci ſubſtituit, qui poſtea fama Sanctitatis S. Norberti allecti, Præmonſtratenſem habitum, & regulam, jam a Papa approbatam, aſſumpſerunt, quo anno, incertum eſt.

quoddam jacerem fundamentum, majora superædificaturus, ipsius præeunte gratia, qui adjuvando prosequitur, & aspirando prævenit. Inito igitur consilio cum *Fidelibus meis*, *cum Clero*, *&* *Abbatibus meis*, *&* *Laicorum suffragiis*, institui inibi congregationem regularium Canonicorum, & quantum in me fuit, perpetuo mansuram constitui; hoc, ex petitione ipsius jam dicti Comitis adjiciens, ut si quis meorum successorum, vel alia quælibet persona prædictum Monasterium a Professione regularis propositi, per me instituti, transtulerit vel destruxerit; hæredes ejus liberam habeant facultatem, ipsum Monasterium in sua recipere, & juri suo, sicut antea erat, mancipare. Porro, ipsos Canonicos inibi servientes, visum est nobis immunes facere, & liberos omni subjectione Chor-Episcopi, Præpositi, vel Decani, ut nihil cuiquam obedientiæ debeant, nisi mihi, & successoribus meis Catholicis, & in unitate Ecclesiæ persistentibus &c.

Ad firmamentum itaque gestæ rei jussimus eam litteris traditam, ad posterorum notitiam transmitti, quas solemni impressione sigilli nostri roboratam (*), auctoritate quoque *Banni Episcopalis* confirmavimus. Ad amplioris etiam firmitatis inculcationem subnotata sunt nomina testium, qui huic traditioni interfuerunt.

Henricus Præpositus majoris Ecclesiæ.
Egkbertus Decanus ejusdem Ecclesiæ.
Hermannus Præpositus S. Gereonis.
Henricus Præpositus de SS. Apostolis.
Theodoricus Præpositus de S. MARIA.
Adelardus Præpositus S. Andreæ &c.

Liberi: { Henricus Comes. Otto Comes. Hermannus Comes.

Quodsi post tot & tanta maximarum rerum firmamenta quisquam ex his demere aliquid, vel mutare, vel acta cassare temptaverit; fiat ei sicut Aman Agagitæ, sicut Agach Amalahithæ, sicut Chore destructori, sicut Judæ proditori: a sorte Sanctorum alienus efficiatur, cum diabolo, & angelis ejus, æternis ignibus cruciandus reservetur.

Actum Coloniæ in *celebri Conventu Cleri & populi.* Anno Domin. Incarnat. MCXXI. Indictione I.

Ex Archæo Abbatiæ Steinveldensis, descripsit Cl. Schannatus in codice Probationum Eiffliæ illustratæ Tom. I.

[*] *lege:* roboratas.

Epistola Synodica ex Wormatiensi Conventu ad Pontificem.

Epistola Adalberti Archi-Episcopi Moguntini, ad Calixtum Papam secundum.

CALIXTO, BEATISSIMO DOMINO SUO ET PATRI, UNIVERSALIS ECCLESIÆ PONTIFICI, A. DEI GRATIA ET SUI MISERICORDIA, QUIDQUID EST, DEBITAM CUM OMNI DEVOTIONE OBEDIENTIAM.

IN multis & magnis persecutionibus & angustiis hactenus positi, quotiens de persona Domini Imperatoris scripserimus vestræ Majestati, quid vobis placeret, quid Principes nostri sentirent, in qua demum sententia convenissent; non dubitamus recordari vestræ discretionis beatitudinem, & in his omnibus per literas, & nuntios vestros cognovimus circa hæc maxime semper versari vestræ pietatis desiderium, ut Apostolica dispensatione vestris potissimum diebus pax & concordia descenderent in universum mundum, si tamen ita eam pacem Imperator & daret, & susciperet, quod honorem Dei & matris Ecclesiæ non obfuscaret, acceptaque Dominis ac Patribus nostris Cardinalibus, qui in idipsum de latere vestro ad nos missi sunt, totius consilii & ingenii nostri vires in hoc contraximus, ut tam generale bonum ad communem Ecclesiæ & Regni utilitatem non differretur ulterius. Sed quia tam imperium, quam Imperator tanquam hæreditario quodam jure baculum & annulum possidere volebant, pro quibus universa laicorum multitudo Imperii nos destructores inclamabat; nullo modo potuimus his Imperatorem exuere, donec com-

communi quique confilio, cum his, qui aderant, fratribus & Dominis Cardinalibus, huic periculo noftro compatientibus inde inde Ecclefiæ cenfuram verentibus, & ob hoc vix nobis affentientibus, omnes pariter fuftinuimus, quod in ipfius præfentia Ecclefia debeat & electionem facere: nihil in hoc ftatuentes, nec per hoc in aliquo, quod abfit, Apoftolicis inftitutis & Canonicis traditionibus præjudicantes, fed totum veftræ præfentiæ & veftræ deliberationi refervantes; immobilia enim per omnem modum, & fixa effe præcepta non dubitamus, quæ ad tuendam & corroborandam libertatem . . . . . & Ecclefiæ æterna Lege fancita . . . . . ipfe tamen Imperator parum attendens, quanti periculi laqueum per veftram mifericordiam evaferit, & quod utcumque conceffa fibi poteftas adhuc impediat. Igitur judicia veftræ difcuffionis in Legatorum veftrorum præfentia, quantum ea abufus fit ex eis impeditius cognofcere poteritis. Quo circa fi per hujus . . . eandem . . . . . five graviorem Ecclefiæ Dei debet fuftinere, feu virtutem, folum hoc reftat; ut pro palma victoriæ de cetero fubjecta fit ad . . . . . . defpectiones ignominiæ. . . Hæc non ideo dixerimus, quod per nos veftra excellentia circumfpecta in omnibus præmuniri poffit. Sed quia fine . . . . . fub veftra auctoritate libertatem Ecclefiæ defideramus. Itaque Majeftatis veftræ genibus provoluti tam fuppliciter, quam jufte depofcimus, ut in fratre . . . . . Epifcopo Rokkero opus Ecclefiæ agnofcere dignemini, & quem ipfa libere & Canonice ad hunc apicem promovit, mifericordia veftra confirmet & prohibeat . . . . . . expulfione itaque fuffocatur libertas Ecclefiæ, quod laicus quidam adhuc occupat ipfius fedem, & diffipando Epifcopatum perfequitur, & deftruit, qui fideles . . . . . . qui ultimus omnium annulo & baculo inveftire non abhorruit, fub ipfo articulo exterminandæ excommunicationis. Propterea memorem effe decet clementiam veftram . . . . in fervitio & fidelitate Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Patrimoniis & beneficiis fuis adhuc profcribuntur omni cartulæ perferendæ commifimus, & alia complurima defiderantur in hoc Sancto Concilio, quæ ad vos ipfi pertuliffemus, nifi ægritudine ut noverunt Cardinales, præpediremur, & nifi alpium afperitas, & tot locorum anguftiæ ante periculum his præcipue diebus malis nobis incuffiffent. Defiderio enim faciem veftram videre defideramus antequam ab alterutrum viam univerfæ carnis ingrediamur.

Martene veter. Monument. T. I. pag. 671. *Ex quo Manfi T. II. Supplem. Concilior. pag.* 345.

CONCILIUM LEODIENSE

Anno Chrifti MCXXIV. Callifti II. Papæ VI. Henrici V. Regis XIX. Imp. XIV.

PRIMUM SUB ALBERONE EPISCOPO.

SUMMA. *Albero, Leodienfis Epifcopus, Ecclefiam Cornelii-montis liberam conftituit, & Synodi generalis auctoritate confirmat.*

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

NOtitiæ fimul & memoriæ tam pofterorum, quam præfentium commendatum effe volumus, quod ego *Albero,* (a) Dei mifericordia Leodienfis Epifcopus, Ecclefiam Sanctorum Apoftolorum in Cornelio-Monte fitam, fub manu Epifcopali, ficut erat, ex quo dedicata fuerat, liberam omnino conftitui; & in *Synodo generali, quam primam in Ecclefia S. Lamberti, Deo largiente celebravi,* judicio & auctoritate Synodalis fententiæ eamdem libertatem banno confirmavi.

(a) Albero, frater Ducis Lovanienfis Godefridi, fedit ab anno 1139. ad 1145. tefte *Foullone in Hiftoria populi Leodienfis,* hinc a Stivagienfi annotatus annus Concilii 1124. fufpectus eft: *forte legendum* 1144.

vi. Hujus confirmationis testes & cooperatores sunt Præpositi & Archi-Diaconi: *Andreas*, *Henricus*, *Alexander*, *Almanus*, *Steppo*, *Syffridus* Archi-Presbyter de Sancta Maria, & cæteri Canonici S. Lamberti, dein Abbates: *Oubbertus* de S. Jacobo, *Robertus* de S. Huberto, *Rodulphus* de Sancto Trudone, cæterique Abbates & Decani tam claustrales, quam Parochiales, cum Clericis & Presbyteris, sed & laici nobiles & Principes, Comes Namurcensis, Godefridus Comes, Otto de Kincii, aliique tam liberi, quam de familia S. Lamberti innumerabiles, & ut compendio dicatur, omnes fere sunt testes hujus rei, qui eidem *Sanctæ Synodo* interfuerunt. Actum hoc est anno Dominicæ Incarnationis MCXXIV. indictione secunda, regnante Henrico quinto Imperatore Augusto.

Illmus Stivagiensis Annal. Præmonstrat. Tom. I. columna 283.

CONCILIUM MONASTERIENSE

Anno Christi MCXXV. Honorii II. Papæ I. Henrici V. Reg. XX. Imp. XV.

SUMMA. Fundatio Ecclesiæ Capenbergensis, sub Theodorico, Monasteriensi Episcopo, a Godefrido & Ottone fratribus, Comitibus Capenbergensibus, factæ.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

THEODORICUS (*a*) Monast. Ecclesiæ, Dei gratia, Episcopus, notum fieri volumus tam præsentibus, quam futuris Christi fidelibus, quod Comes GODEFRIDUS, & OTTO frater ejus, pro salute animarum suarum obtulerunt se, & quædam sua DEO, & Beatæ MARIÆ semper Virgini, & Beatorum Apostolorum choro, omnibusque Sanctis: videlicet, castrum Capenbergense, quod jure allodii possidebant, cum aliis allodiis, curiis & mansis *Verne*, *Nette*, *Alsteden*, *Heile*, *Capenberg*, cum universis usibus earum, scilicet pratis & pascuis, viis & inviis, rivis & irriguis, molendinis, & nemorosis & campestribus, tradentes hæc in manus fratris *NORBERTI* ad usum & necessitatem fratrum, tam præsentium, quam futurorum, ibidem Deo servientium, secundum Apostolica instituta & secundum Regulam Beati Augustini sub disciplina & Magisterio prænominati fratris Norberti. Ego vero THEODORICUS, supradictus Monast. Episcopus, rogatus a Coloniensi Archi-Episcopo, & a supranominatis fratribus Ottone & Godefrido, & ab universo Canonicorum ibidem degentium Collegio, XVIII. Kal. Septembris in die scilicet Assumptionis S. Dei Genitricis semper Virginis MARIÆ, per Pontificale officium, habentes cooperatorem Spiritum Sanctum, castrum, & ejusdem castri ambitum, solemni consecratione vertimus & immutavimus, ut exinde esset, sit, atque permaneat immunitas atque cæmiterium, jacientes in eodem Ecclesiæ fundamentum, assignantes eidem Ecclesiæ prædicta allodia in dotem perpetuam. Post hæc autem, brevis elapso temporis intervallo, & aucto fra-

(*a*) Theodoricus de Wintsenberg, nepos Ducis Saxoniæ, Monasteriensi Ecclesiæ præfuit anno MCXXI. Diu cum Burchardo, cujus partes Henricus Cæsar tuebatur, pro pacifica possessione contendit. Burchardo mortuo in Legatione ad Constantinopolitanum Imperatorem, per Lotharium Saxoniæ Ducem & Comitem de Wintsenberg suæ Ecclesiæ restitutus est cum exercitu valido, ut civium & ministerialium Ecclesiæ, nullo modo Theodoricum pati volentium, pertinacia comprimeretur: reparationi structurarum, & reformationi morum tunc plurimum necessariæ, institit, perfecitque ad bonum modum, prius quam vivendi finem faceret. Prid. Kal. Maji. Anni MCXXVII. migravit ab hoc sæculo. *Vide Crantzium Metrop. L. VI. & Chronic. Osnaburg. apud Meibom.*

fratrum ibidem collegio, GODEFRIDUS & OTTO, ſupradicti Germani adhuc in habitu poſiti militari, de allodiis, quæ tunc hæreditario jure poſſederunt, Mengede, Curede, Sorbec, Wiſele, Weſsheim cum manſis & manſionariis, viis & inviis, pratis & paſcuis, nemoroſis & campeſtribus, & cum univerſis uſibus & appenditiis ſuis, & juſtitiis earum, ſupradictæ Eccleſiæ Capenbergz, ſervisque & ancillis Dei ibidem conſtitutis, coram Tribunis in ſtatutis, placitis, in uſus perpetuos contradiderunt & transfuderunt, ſuasque dationes, & oblationes *in Synodo* noſtra renovaverunt, & banno noſtro ſibi firmari poſtularunt. Ea autem, quæ Deo oblata ſunt, ſacrorum atteſtatione Canonum, ſacra eſſe perhibentur. Unde qui ea Deo auferre, & ad ſuum uſum retinere præſumunt, ſacrilegii, & æternæ damnationis rei eſſe convincuntur. Ea propter quicumque temerario uſu, Deo & fratribus jam dictam Eccleſiam & curtes, vel aliquid de ſupradictis poſſeſſionibus auferre præſumpſerit, cum fratribus noſtræ Eccleſiæ Prælatis & Sacerdotibus in Provincia nobilium & Eccleſiæ Miniſtrorum, vinculo anathematis, uſque quo reſipiſcat, innodavimus. Ut autem hæc tam a futuris, quam a præſentibus rata habeantur, & hoc ordine legitime geſta & firmata eſſe credantur, bulla noſtra aſſignamus, & ut perpetuo inconvulſa permaneat, vinculo banni noſtri in virtute Spiritus Sancti firmavimus. Actum vero eſt Anno Milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo; confirmatum vero anno ejuſdem Incarnationis Milleſimo centeſimo vigeſimo quinto.

Teſtes primæ Traditionis *Adolphus* Comes de *Altena*, *Wigboldus*, *Bruno* tribunus, *Venere*, *Emunt*, *Franco*, *Lambercus*, *Reginbold*, *Bertolf*. Confirmationis vero, quæ facta eſt in *Synodo*, teſtes *Bruno* Præpoſitus, *Rutbertus* Decanus, *Engelbertus* Cuſtos, *Gerhardus* Magiſter, *Helmwardus*, *Guntramus*, *Volckmarus* de Sancto Mauritio, & omnes Canonici & Sacerdotes, qui Sacræ *Synodo* tunc interfuerunt. Nobiles vero *Rudolphus* & frater ejus, *Bernardus Vern*, *Bernard*, *Hereman*. Miniſteriales vero *Walterus*, *Thiesmarus*, *Bruno*. Præterea firmavimus eis allodium, *Spethorpe*, quod nobilis quidam *Emundus* in ſua converſione eidem Eccleſiæ tradidit. Sed & manſum *Halla* & manſum *Laudare*, quos de allodiis ſuis miniſteriales noſtræ Eccleſiæ *Lambertus* & *Sucter* ſupradictæ Eccleſiæ contulerunt. Conſervatoribus & defenſoribus hujus paginæ, & rei geſtæ, pax a Deo Patre, & peccatorum indulgentia; violatores vero & defraudatores ejus ſint anathema.

Illmus Stivagienſis Annalium Præmonſtratenſium Tom. I. pag. 368.

CONCILIUM HERBIPOLENSE

Anno Chriſti MCXXVIII. Honorii II. Papæ IV. Lotharii II. Regis III.

SUMMA. Embrico, Virtzburgenſis Epiſcopus, fundat Cœnobium Cellæ ſuperioris.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

NOverit tam futuri, quam præſentis ævi concio, quod Ego Embrico, Dei gratia Wirtzburgenſis Eccleſiæ Præſul, ex Divina ſuggeſtione volens habere partem in conſortio illorum, quibus *vivere Chriſtus eſt*, & *mori lucrum*, pro remedio animæ meæ, conſilio & conſenſu ejuſdem Eccleſiæ tradidi, & per manum advocati Goteboldi confirmavi Joanni & Henrico fratribus, & cæteris cum ipſis Deo famulantibus in loco, qui dicitur *Cella*, fundum ad ædificandum Oratorium S. Michaëlis Archangeli, cum clauſtro & cæteris officinis, communem vitam agentibus, neceſſariis, videlicet fundum Parochialis Eccleſiæ cum toto ſuo cœmeterio, ac totam curiam Epiſcopalem idem (a) Eccleſiæ adjacentem.

(a) *forte:* eidem.

tem. Insuper contradidi eis in eodem loco quatuor mansos cum mansionariis & mansuris, quæ vulgo dicuntur *Mæza*, & cæteris appenditiis. Ad hoc etiam de Salica terra nostra dedi eis ibidem trans flumen *Mogunt* aream, ad ædificandam curtim unam, quam appellant *Forewereck*, & tres mansos legitime mensuratos. Dedi eis etiam quatuor piscatores cum cunctis utilitatibus, & unum molendinum, accepto ab eis pro his omnibus, ex consilio Ecclesiæ, æquo concambio, videlicet curia una in civitate nostra versus Ecclesiam majorem sita, quam ante memoratus supra, frater Joannes jure proprietatis possederat, ejusdem Ecclesiæ Canonicus existens: insuper duodecim vinearum jugeribus, quæ sunt in loco, qui dicitur *Steinbach*. Ut autem hæc omnia sine contradictione in proprietate sempiterna possideant, Divina & Apostolica statuimus auctoritate, quatenus pro nobis, & pro nostris successoribus ejusdem Ecclesiæ Præsulibus, preces propitiationis Deo & Beato Archangelo offerant. Noverit insuper, & fideliter recolat omnis tam futuri, quam præsentis ævi Christi Ecclesia, quod eandem memoratam Ecclesiam Parochialem a majoris Ecclesiæ fratribus, ad quorum præbendam tunc cum suis pertinuerat appenditiis, pie ad digne Deo offerentibus per manum Præpositi sui Ottonis, libere ac sine contradictione eis tradendam suscepi, eo pacto, ut in eadem villa aliam pro eo instauraremus, sive ut aliquam ejusdem Parochiæ Ecclesiarum, si hoc magis commodum videretur, matrem faceremus aliarum. Hanc autem traditionem Divina auctoritate confirmantes, hujus paginæ seriem sigilli nostri impressione signavimus, præcipientes, & sub anathemate perpetuo omnibus interdicentes Christianis, ne quis contra eam venire, impetere, sive destruere præsumpserit; sed firma & inconcussa permaneat omnibus ævis, aucthoritate Omnipotentis Dei & Beati Petri Apostolorum Principis. Testes, qui præsentes fuerunt, isti sunt: Clerici: *Otto* Præpositus & Vice-Dominus, *Bruno* Præpositus, *Conradus* Præpositus, *Baro* Decanus, *Wortwinus* Decanus, *Ludovicus*, *Conradus*, *Hertwicus*, *Richalmus*, *Grimo*, *Gozelinus*, *Henricus*, *Gebehardus*, *Berngerus*. Laici liberi: *Godeboldus* Comes & Advocatus, *Boppo*, *Goswinus* Comes, *Hermannus*, *Billungus* ministeriales. Et Urbani: *Conradus*, *Radebolus*, *Regenhardus*, *Edelricus*, *Henricus*, *Billungus*, *Conradus*, *Adelhelmus*, *Adelhun Engeltbrecht*, cum cæteris fidelibus, Clericis & laicis, quorum aderant plurimi, Divina suggerente gratia devotissimi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXXVIII. Indictione VI. Regnante D. N. J. C. Imperante Lothario Rege; scripta quoque & signata, in Nomine Domini confirmata sunt anno ordinationis nostræ tertio. Recitata *in Synodo*.

Illustrissimus Stivagiensis Tomo I. Annal. Præmonstratensium codice Probationum pag. 382.

EDICTUM LOTHARII IMPERATORIS,

Quo Petrum, Leonis Filium, Antipapam, contra Innocentium II. obtrusum, & illius gregarios jure damnatos edicit A. MCXXXIII.

LOTHARIUS, DEI GRATIA, ROMANORUM REX, REGIBUS, ARCHI-EPISCOPIS, EPISCOPIS, PRINCIPIBUS, ET UNIVERSIS DEI FIDELIBUS, AD QUOS LITTERÆ ISTÆ PERVENERINT, SALUTEM.

MAjestatis Divinæ dispensationi & consilio placuit, Nos Patronum ac defensorem Sanctæ Ecclesiæ Romanæ statuere: ideoque necesse habuimus, pro ipsius liberatione propensius laborare. Cum igitur ascitis nobis Archi-Episcopis, Episcopis, Abbatibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Marchionibus *Regni nostri*; Episcopos etiam, Comites, & alios Barones *Italiæ* nobiscum ducentes, bellico apparatu stipati, ad urbem proficisceremur, nuntios schismatici illius *PETRI LEONIS* frequenter habuimus. Qui nimirum ex parte illius justitiam prætendentes, ipsi in jus ire parato, non debere audientiam denegari, nec hostilibus impugnationibus molestari, publicis clamoribus asserebant. Diuti-

Diutinis ergo eorum interpellationibus provocati, idipsum Episcopis & Cardinalibus, qui cum Domino Papa *INNOCENTIO* erant, significare coacti sumus. Ipsi vero tamquam Canonicarum Sanctionum & Institutionum Ecclesiasticarum non ignari, universam Dei Ecclesiam jam super hoc promulgasse sententiam, *PETRUM LEONIS*, ac complices suos damnasse asserentes, quod erat universitatis, non debere privatum fieri, responderunt.

Nos autem idipsum cum patientia supportantes, & Patrem nostrum Papam *INNOCENTIUM* ad urbem cum gloria duximus, & Lateranensi Cathedræ restituimus, atque in monte Aventino castra metati fuimus. Ibique *PETRUS LEONIS* aures nostras & Principum nostrorum, per Petrum olim Portuensem Episcopum, & per alios fautores suos prætendendo justitiam, sollicitare non destitit. Qui etiam munitiones & obsides se nobis daturos ad sufficientiam pro servando judicio, & viva voce, & litteris promiserunt. Pacem igitur sine effusione sanguinis reformare in Dei Ecclesia cupientes, quæ nobis illi dixerant, fratribus, qui cum Domno Papa Innocentio erant, per nos ipsos significavimus. Cæterum ipsi, utpote pacis amatores, de justitia confidentes, tam personas suas, quam *LEONIS* & filiorum suorum, nec non *CEN. PET. FRAJAPANIS*, & Petri Leonis, & munitiones in manu nostra libere obtulerunt. Adversa vero pars dies redimere cupiens, sub velamine fraudulentarum promissionum nos aliquanto tempore a nostra intentione retraxit. Tandem quia ipsi sæpe commoniti implere, quod promiserant, noluerunt, tamquam fallaces & perfidi, & tam Divinæ, quam Regiæ Majestatis rei, cum Petro Leonis, ejusque complicibus damnati sunt, & hostes a Principibus *nostræ Curiæ* judicati. Videlicet *Norberto* Magdeburgensi, Cancellario nostro, & *Adalberone* Bremensi Archi-Episcopis, & *Philippo* Osemburgensi, (*b*) P. Adelbronnensi, An. (*c*) Brandenburgensi, & *Bernardo* Parmensi, *Robaldo* Albensi, *Ottone* Astensi, *Oberto* Cremonensi, *Guidone* (*d*) Yponensi Episcopis; & Abbatibus, *Henrico* Fuldensi, *Alberone* (*e*) Noemburgensi & Luneburgensi: Proceribus, *Alberone* & *Henrico* Marchionibus: *Othone*, *Sagifredo* Vexillifero, *Herimanno*, *Willelmo* de Lomello, *Gothone* de Marchvingo, *Hidebrando* & *Tancredo* de Prato Comitibus, & *Alberto* de Castello.

Ex Tomo III. Spicilegii D'acheriani pag. 485. 486.

Anno 1133. Natalem Domini Rex Lotharius in Longobardia celebrat: in territorio Pisano apud Calcinariam habuit cum Pontifice colloquium, quem Romam introducit II. Kalendas Martias. Pontifex in Palatio Lateranensi hospitatur: Lotharius in monte Aventino castra metatur: *Curiam indicit*, in qua Anacletus, ejusque complices, cum sæpe commoniti, implere, quod promiserant, noluerint, tanquam Divinæ & Regiæ Majestatis rei damnati fuerunt.

Observa Natalem Domini, de quo supra, spectare ad annum 1132. nostro stilo; sed a quibusdam Scriptoribus illius ævi, a Natali Domini annus 1133. inchoabatur.

Anno 1133. die IV. Junii, quæ erat Dominica III. post Pentecosten, Lotharius & Richenza uxor Imperiali corona redimiti fuere ab Innocentio II. in Basilica Lateranensi. *Annalista Saxo & Otto Frisingensis in Chronico Lib. VIII. Cap.* 18.

Coronam Patriciam a nobilitate Romana sibi oblatam in oppido S. Germani acceptavit die exaltatæ S. Crucis in 2do itinere Italico.

Coronam Regni Italici nec Modoetiæ, nec Mediolani suscepit, judice *Clmo Mascovio*, e quo hæc scribo.

(*b*) *lege:* Bernardo Paderbornensi.

(*c*) *lege:* Anselmo Havelbergensi.

(*d*) Guidone Eporediensi.

(*e*) seu Nuenburgensi.



CONVENTUS BABENBERGENSIS

ANNO CHRISTI MCXXXV. INNOCENTII II. PAPÆ V. LOTHARII II. REGIS X. IMP. II.

Fridericus, Sueviæ Dux, reconciliatur Imperatori interventu Episcoporum.

ANNO MCXXXV. interfuit Conradus Archi-Episcopus Salisburgensis Conventui Babenbergensi die XVI. Kalendas Aprilis, ubi Fridericus Sueviæ Dux, qui hactenus obsequium detrectaverat, ad Imperatoris gratiam redire studuit interventu Moguntini, aliorumque Præsulum: attamen aut non potuit plene concordia refici, aut certe paulo post recruduit (*), ut infra patebit. Quinam Comitiis assederint, quum alibi non legerim, pulchre intelligitur ex diplomate Lotharii, quod ibidem pro Monasterio *Mallersstorff* edidit; cujus subscriptio talis est. Huic rei interfuerunt *Dietwinus* Cardinalis Episcopus de titulo S. Rufine, *Adalbertus* Moguntinus Archi-Episcopus, *Chunradus* Saltzburgensis Archi-Episcopus, *Chunradus* Magdeburgensis Archi-Episcopus, *Adalbero* Hameburgensis Archi-Episcopus, *Wito* Bisuntinus Archi-Episcopus, *Otto* Babenbergensis Episcopus, *Henricus* Ratisbonnensis Episcopus, *Regimarus* Pataviensis, *Gebhardus* Eystettensis, *Embricho* Wirtzeburgensis. *Heinricus* Dux Bavariæ, *Dietpoldus* Marchio, *Adalbertus* Marchio, *Heinricus* Marchio, *Wilhelmus* Palatinus, *Fridericus* Palatinus, *Otto* Palatinus, *Udalricus* Dux, filius *Engelberti* Ducis (*nempe Carinthiæ*) Data anno Dominicæ Incarnationis MC. tricesimo quinto. Indictione III. XVI. Kal. Aprilis. Anno vero ordinationis Domini Lotharii Regis tertii X. Imperii vero II. Actum Babenbergæ.

(*) *forte:* discordia.

Credibile est, Conradum etiam deinde, cum Cæsare Quidelinburgi celebrasse Pascha, ac postea Magdeburgi Pentecosten, ubi teste *Annalista Saxonico*, Principes Regni coram ipso firmissimam pacem domi, forisque ad decem annos juraverunt.
Hansiz. Germaniæ sacræ Tom. II. pag. 232. in Histor. Archiepisc. Salisburg.

CONCILIUM VIRDUNENSE

Anno Christi MCXXXV. Innocentii II. Papæ VI. Lotharii II. Reg. XI. Imp. III.

SUMMA. *Albero* (a) *Episcopus Virdunensis, introducit Canonicos Præmonstratenses in Monasterium S. Pauli Virdunense.*

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO ALBERO, DEI GRATIA, SANCTÆ VIRDUNENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, OMNIBUS IN CHRISTO PIE VIVERE VOLENTIBUS.

ECce vita brevis spem inchoare longam genus humanum vetat, & casus innumeri, finisque timendus, animam periculis expositam, ad hoc erudiendo conducunt, ut fluctuationem suam in Creatore suo stabilire omnimode studeat; *Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti*, *ante cujus tribunal*, teste Apostolo, *omnes nos manifestari oportet, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit,*

(a) Albero, filius Arnoldi Comitis de Chineio & Adeleidis Comitissæ de Rousseio, factus fuit Episcopus anno 1130. post abdicationem URSI, qui ideo Cathedra abiit, ut tumultus & frequentiam populi declinaret, & ad claustrum S. Pauli Virdunensis sacræ quietis gratia divertens, vitam ibi religiosam professus, plenus dierum anno 1158. in pace quievit. *Nota Stivagiensis.*

gessit, sive bonum, sive malum. Propter hoc de meritis nostris diffidentes, Divino timore conducti, de temporali vita lucrari æternam vitam desiderantes, ad meliorum, quam nos simus, patrocinia confugere consilium duximus: ut quibus non est vestimentum, in frigore celsis meritis sublimium virorum operiamur. Est enim operæ pretium, amare servos Dei, etsi necdum ei perfecte servire possumus, honorare pauperes Christi, quamvis ejus nondum pauperes esse valemus. Itaque ut usque ad finem bonum permaneat, quod sine fine a Deo nobis remunerari exoptamus, etiam literis ad notitiam omnium assignare studuimus; quod bonorum virorum consilio, & totius Capituli nostri consensu, fratres secundum regulam Beati Augustini viventes, in Ecclesia Sancti *PAULI*, quæ sita est in suburbio nostræ civitatis, ponere diffinivimus ad honorem Dei, qui gloriosus est in Sanctis suis, & ad miseriæ nostræ excusationem, quos & calamitas ista debilitat, & reproba actio frequenter accusat. Igitur fratres Præmonstratensis Ecclesiæ, qui temporibus nostris spectatæ & laudabilis religionis esse videbantur secundum Canonicum Beati Augustini institutum, eliminata insolentia & irreligiositate habitantium prædictæ Ecclesiæ intronisare curavi. Sic itaque factum est, & de totius Ecclesiæ nostræ conventu firmatum, & sic ratum Episcopali authoritate in perpetuum esse censemus, ut nullus Canonicum ordinem prædictum secundum instituta & mores Præmonstratensis Ecclesiæ, ab illa Sancti Pauli Virdunensis Ecclesia convellere, vel in ipsa inquietare, vel alterius ordinis fratres subrogare audeat, secuti decretum INNOCENTII Venerabilis Papæ II. cujus exstat Epistola ad Præmonstratensem Ecclesiam, inter alia etiam hæc continens: Statuimus, inquit, ut in Ecclesiis vestris, in quibus fratres Canonicam vitam professi degunt, nulli omnino homini liceat secundum Beati Augustini regulam ibidem constitutum Ordinem commutare. Nullus etiam Episcoporum futuris temporibus audeat, ejusdem religionis fratres de Ecclesiis vestris expellere, nec Professionis Canonicæ quippiam ex eisdem Ecclesiis, aut claustris audeat sine communi congregationis permissione discedere, discedentem vero nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum, sine communi cautione literarum suscipere. Igitur quod a nobis pia intentione factum est, ne futuris temporibus invidorum fraude conturbetur, Ecclesiasticæ paci & religionis serenitati providentes, sigilli nostri impressione, & testium idoneorum Canonica subscriptione sub anathemate perpetuo confirmamus. Signum mei ipsius *Alberonis* Virdunensis Episcopi, *S. Willelmi* Decani, *S. Alberti* Primicerii, *S. Andreæ* Archi-Diaconi, *S. Richardi* Archi-Diaconi, *S. Joannis* Archi-Diaconi, *S. Richeri* Archi-Diaconi, *S. Stephani* Cantoris, *S. Hugonis* Thesaurarii, *S. Theduini* Sacerdotis, *S. Rhoardi* Sacerdotis, *S. Salomonis* Sacerdotis, *S. Odonis* Diaconi, *S. Theodorici* Diaconi, *S. Godefridi* Subdiaconi, *S. Wirici* Subdiaconi, *S. Petri* Subdiaconi, *S. Joannis* Subdiaconi, *S. Emelini* Capellani. Actum Virduni 4. Decemb. anno Incarnat. Verbi 1135. Indictione 13. Epacta 15. concurrente anno 5. Ordinationis *Alberonis* Venerabilis Virdunensis Episcopi, imperante *Lothario* Augusto. Ego *Herbertus* Cancellarius recognovi.

Illmus Stivagiensis Tom. II. Annal. Præmonstrat. inter Probationes pag. 325.

CONCILIUM FRISINGENSE
Anno Christi MCXL. Innocentii II. Papæ XI. Conradi III. Reg. III.

SUMMA. Otto, Episcopus Frisingæ, inducit Præmonstratenses in Schefflarn.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

OTTO, DEI GRATIA, FRISINGENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS.

QUalicunque misericordia Domini favente, volens Episcopatus nostri diruta instaurare, Religionis seminaria plantare, plantata rigare; Præpo-

situram SCHEFFLARN cum universis, quæ Prædecessorum nostrorum largitate, vel Comprovincialium liberalitate, conquisita sunt, videlicet, Ecclesiis, mancipiis, villis, agris, pratis, pascuis, decimis, cultis & incultis, Fratribus secundum regulam Beati Augustini, & consuetudinem Præmonstratensium Fratrum, Deo ibidem servientibus, contradidimus. Quædam etiam beneficia nostri Episcopatus eis perpetuo retinenda donavimus. Ecclesias insuper eidem loco adjacentes, scilicet: *Schefflaren*, *Irschenhausen*, *Neufaren*, *Echboldingen*, utilitatis gratia, cum cura animarum terminando, ad idem Monasterium transmutavimus. Volentes autem Fratrum eorundem justæ petitioni aurem accommodare, Fratres ibi professos, ne discedant: discedentes, ut nullus recipiat, anathematis vinculo volumus confirmare: adjicimus etiam, ut de laboribus manuum, & nutrimentis animalium eorum, in nostro Episcopatu nullus decimas exigat. Obeunte vero Præposito, nullus, nisi canonice electus, substituatur. Advocatum, si intolerabilis fuerit, mutandi facultatem, & qui ibi sepeliri postulaverit, concedimus libertatem. In Ecclesiis ad claustrum eorum pertinentibus, sine petitione ipsorum, Sacerdotes non ponantur. Possessa, vel juste possidenda, ut nullus surripere audeat, vel eosdem fratres inquietare, aut aliqua exactione infestare præsumat, auctoritate Dei, & nostra, instantissime prohibemus. Hæc autem, ut perpetuo inconvulsa permaneant, quam præfati sumus, auctoritate DEI & Beatæ MARIÆ, cujus misericordia ipsi præsidemus, & omnium Sanctorum, nec non & nostra confirmamus, & sigilli nostri compressione munimus: & hujus paginæ nostræ violatores, ut in die extremi examinis cum iniquorum capite, ultricibus flammis perpetuo exurendi involvantur; Deum testem invocamus & Judicem. Eidem vero loco & Patribus justa servantibus sit pax, & æterna cum Angelis societas. Amen.

Facta sunt autem hæc in *universali Capitulo* Ottonis Episcopi Frisingæ, subscribentibus ejusdem Ecclesiæ Prioribus, nec non etiam Clericis ac Laicis omnibus consentientibus & approbantibus: anno quidem ejusdem Episcopi II. Dominicæ vero Incarnationis MCXL.

Ego *Acholdus*, Ecclesiæ majoris Præpositus, subscripsi.
Ego *Adalbertus*, Ecclesiæ majoris Decanus, subscripsi.
Ego *Herricus*, Archi-Diaconus & Præpositus Maspurgensis, subscripsi.
Ego *Wichmannus*, S. Andreæ Ecclesiæ Præpositus, subscripsi.
Ego *Heinricus*, Reitembacochensis Ecclesiæ Præpositus, subscripsi.
Ego *Dietramus*, de Cella S. Martini, subscripsi.
Ego *Herrandus*, Archi-Diaconus, subscripsi.
Ego *Baltherus*, Burrensis Abbas, subscripsi.
Ego *Sigmarus*, Abbas S. Stephani, subscripsi.

Illmus Stivagiensis Tomo II. Annal. Præmonstrat. inter Probationes pag. 483.

CONCILIUM FRISINGENSE
Anno Christi MCXLIII. Innocentii II. Papæ XIII. Conradi III. Reg. VI.

SUMMA. Otto, Episcopus Frisingensis, fundat Monasterium Neocellense Ordinis Præmonstratensis.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

OTTO, DEI GRATIA, FRISINGENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, IN PERPETUUM. AMEN.

Officium nostrum pro viribus executuri in Episcopatu nostro, Religionis incrementa propagare, & bona, quæ videbantur, in melius mutare studuimus.

duimus. Itaque consilio & auctoritate Summi Pontificis INNOCENTII, consensu quoque Cleri & populi Ecclesiæ nostræ, bona, quæ pertinebant ad altaria *Sanctorum Thomæ Apostoli*, *Leonardi Confessoris*, *Lamberti Episcopi*, coadunavimus, & ad Ecclesiam Sancti Apostoli Petri dedicandam, in perpetuum, absque alicujus contradictione delegavimus ad usus fratrum, sub regula Beati Augustini ex Ordine Præmonstratensium, Domino inibi famulantium, exceptis decimis arcæ nostræ, quæ antea ad sepulchrum beatæ memoriæ Lamberti Episcopi pertinebant, quæ nos redemimus, agris cultis, pratis & nemoribus. Præterea quædam alia bona in Ecclesia, quæ Beati Gotthardi dicebatur, ad hospitale pauperum pertinentia, transtulimus ad Ecclesiam, in honore Sancti Alexii consecratam, ita tamen, quod & ibidem non alios, sed in usus pauperum & peregrinorum cedent in hospitali administrationem prædictorum fratrum distribuendà. Insuper res illorum decimis omnium bonorum nostrorum ampliavimus, & de prædicto claustro æque decimas de omnibus eo dari inviolabiliter firmavimus. Et quidquid deinceps liberalitate aliquorum, sive laicorum ad idem claustrum, sive ad hospitale traditum fuerit, jure æquitatis & nostræ auctoritatis firma ibidem & inviolata in perpetuum manere sancimus. Proinde ne imposterum hoc memoriæ hominum deciderit, scriptis notari, & sigilli nostri impressione signari fecimus, anno ab Incarnatione Domini M.C.XLIII. Indictione VI. Anno autem OTTONIS, Episcopi Frisingensis Ecclesiæ, quinto.

Acta sunt hæc Frisingæ præsentibus & consentientibus his: Ego *Sigemarus*, Abbas S. Stephani, subscripsi. Ego *Udalricus*, Abbas Scirensis, subscripsi. Ego *Hodoldus*, Præpositus majoris Ecclesiæ, subscripsi. Ego *Adalbertus*, Decanus, subscripsi. Ego *Herricus*, Præpositus & Archi-Diaconus, subscripsi. Ego *Wichmannus*, Præpositus, subscripsi. Ego *Herrandus*, Archidiac. subscripsi. Ego *Burchardus*, Præpositus Sancti Viti, subscripsi. Ego *Henricus*, Custos, subscripsi. Ego *Engelscalcus*, Scholasticus, subscripsi. Ego *Chuno*, Parochianus, subscripsi. Cum cæteris Canonicis Frisingensis Ecclesiæ aderant etiam laici testes & Nobiles, ac de Nobilibus Comes *Bertholdus* de Tyrol. *Adelbrecht* de Richershusen, & frater ejus *Hermannus*. *Eberhard* de Hersenshusen. *Meingo* & *Pilgrun* de Wolmuteshahe. De familia Ecclesiæ *Henrich* Camerarius, & filius *Harinricus*. *Cunradus*, & frater ejus *Fritlo* de Heidolfing. *Sigefrid* de Wolfoltesdorff. *Eberhard* de Hagenowe, & alii quam plures.

Illmus Stivagiensis Tomo II. Annal. Præmonstrat. in Probationib. pag. 203.

Rescriptum EUGENII Papæ super Canonizatione Sancti HENRICI Imperatoris.

EUGENIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI EGILBERTO (*a*) EPISCOPO, ET DILECTIS FILIIS, CANONICIS BAMBERGENSIS ECCLESIÆ SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Sicut per literas & nuntios vestros vobis mandasse meminimus, venerabiles Fratres nostros N. Sanctæ Rufinæ Episcopum, & N. Presbyterum Cardinalem, pro diversis negotiis, ad partes illas de nostro latere legavimus, eisque viva voce injunximus, ut ad Ecclesiam vestram accederent, atque de vita & miraculis HENRICI Regis rei veritatem diligenter inquirerent. Nunc autem eorundem fratrum nostrorum, & multorum religiosorum & discretorum virorum attestatione, de *castitate* ipsius, de *fundatione Bambergensis* Ecclesiæ, & multarum

(*a*) Egilbertus Episcopus Bambergensis, obiit anno MCXLVI. ergo ante eum annum collocanda Canonizatio facta ab Eugenio III, qui Romanam Cathedram adiit anno MCXLV. III. Kal. Martii, & obiit A. MCLIII. VIII. Idus Julii. Igitur hæc Bulla Eugenii, quæ anno caret, intra A. MCXLV. & MCXLVI. collocanda est. Absentia anni in errorem induxit Baronium, qui ad annum MCLII. hanc Canonizationem retulit. V. *Acta Sanctorum T. III. Julii ad diem* 14. *ubi hæc Epocha correcta est.*

rum aliarum, quarumdam quoque *Episcopalium sedium reparatione*, & multiplici *eleemosynarum* largitione: de *conversione* Regis *Stephani* & totius *Hungariæ*, Domino cooperante per eum facta: de glorioso etiam ipsius obitu, pluribusque *miraculis* post ejus obitum, ad ipsius corporis præsentiam Divinitus ostensis, multa cognovimus. Inter quæ illud præcipuum & memorabile plurimum attendentes, quod cum diadema sceptrumque Imperii suscepisset, non *imperialiter*, sed *spiritualiter* vixit: in thoro etiam legitimo positus, quod paucorum fuisse legitur, integritatem *castimoniæ* usque in finem vitæ conservavit. Quæ quidem nos omnia simul perpendentes, atque devotionem vestram, & Ecclesiæ Bambergensis, quæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ soli subesse dignoscitur, diligenter considerantes, tametsi hujusmodi petitio, nisi *in Generalibus* (*b*) *Conciliis* admitti non soleat; auctoritate tamen S. R. E. quæ omnium Conciliorum firmamentum est, petitionibus vestris acquiescimus, atque ejusdem memorabilis viri, cujus exaltationem requiritis, fratrum nostrorum Archi-Episcoporum & Episcoporum, qui præsentes aderant, communicato consilio, memoriam inter Sanctos de cætero fieri censemus, & anniversariam ipsius diem solenniter celebrari constituimus. Vestra itaque interest, sic in S. R. E. obedientia & fidelitate persistere, & sic ei dignæ devotionis obsequiis respondere, ut ampliori *Beati Petri* & nostra gratia digni interveniamini. Datum trans Tiberim pridie Idus Martii.

Gretserus Tomo X. novæ editionis p. 534. *ex Apographo Bambergensi, ex quo Hoffmann. & alii.*

Bullarium Romanum Cherubini Tomo I. sed ad annum 1152. *quem errorem supra indicavimus.*

Gerhardus, Successor Egilberti in Cathedra Bambergensi, anno 1147. solenni cæremonia Reliquias S. Henrici elevavit, & ad honoratiorem marmoreum tumulum transtulit, quæ latius describunt *Hagiographi Antverpienses Loco citato pag.* 716. *& seqq.*

(*b*) Observatio Card. Lambertini, seu Benedicti XIV. *Lib. I. De Servorum Dei Beatificatione. Cap. X. hæc est:* Quamvis ex hac Decretali Eugenii III. & similibus Urbani II. Callisti II. & Alexandri III. Bullis constet, vitam & miracula Canonizandorum *in Concilio* generali perpendenda, & perpensa fuisse, antequam eorum fieret relatio in album Sanctorum: certum tamen esse videtur, plures alias Canonizationes illis iisdem temporibus, quibus nonnullæ in Conciliis generalibus factæ sunt, extra Concilium factas fuisse: qualis est hæc S. Henrici, item illa Leonis IX, qui Sanctos Wolfgangum, & Erhardum, Ratisponenses Episcopos, extra Concilium Sanctorum numero adscripsit.

SYNODUS HILDESEMENSIS

Anno Christi MCXLVI. Eugenii III. Papæ II. Conradi III. Regis IX.

Bernardus Episcopus Monasterium S. Godehardi multis reditibus dotat & auget.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.

BERNARDUS, DEI GRATIA, ET BEATE MARIE SEMPER VIRGINIS DIGNATIONE, SANCTE HILDESEMENSIS ECCLESIE EPISCOPUS.

Conditoris mei beneficiis justum est, me nullatenus ingratum existere, quinimo honorificentie ejus per administrationem mei Pontificalis officii Ecclesias exstruere: exstructas vero, ut Divinis laudibus jugiter illustrentur, fideli sollicitudine procurare. Unde notum facio universis Christi fidelibus, futuris, quam presentibus: Qualiter pro Beatissimi Patroni nostri, videlicet, Sancti *Godehardi* Pontificis honores ampliando, & Patrocinio promerendo, itaque pro anime mee remedio, communicato fratrum meorum, aliorumque Christi fidelium

delium confilio & auxilio, locum quendam extra murum civitatis noftre in Auftrali parte fitum, quarto Prefulatus mei anno excolere cœpi, quem Divino honori & Sancte MARIE Virginis, & Sancti *Godehardi* Epifcopi & Confefforis venerationi fpecialiter attitulavi, videlicet locus cum adherente fibi ab Aquilone prato, a quodam minifteriali Ecclefie noftre, *Theodorico* nomine, jure proprietatis antea poffeffum, mihi ab eo cum omnibus pertinentiis fuis ad hoc ipfum affignatus eft confenfu heredis fui filii, videlicet *Thiderici*, impenfis eis XXIV. librar. argenti, & curte una in Luisbeke: LXX. vero marcis pro molendino in eodem loco fecus ripam fluminis Inderfte pofito. Verum quoniam idem dignus Deo Confeffor ante Pontificatum in monachica profeffione laudabiliter converfatus eft, vifum eft mihi valde competere, ut in loco fpecialiter illi dicato Divine fervitutis religio fic ordinaretur, quatenus quicunque ibidem Deo militaturi aggregarentur, fecundum regulam S. Benedicti in monachici ordinis profeffione inftituantur. Eapropter jactis in eodem loco templi fundamentis, quafdam Religiofas monachici ordinis perfonas ibi coadunavi, quibus etiam Abbatem prefeci, nomine *Fridericum.* Hoc igitur mee devotionis ftudium, Deo, ut fperamus, mediante inchoatum, ut rectum, & inconvulfum inpofterum permaneat; ejufdem Dei & Domini noftri auctoritate, & Beati *Petri* Principis Apoftolorum, Sanctique *Godehardi*, ac noftra, Divina nobis dignatione conceffa poteftate, in perpetuum ftabilimus, & confirmamus, ftatuentes, ut nullo deinceps tempore vel locus ipfe a qualibet cujuscunque dignitatis perfona in alios ufus redigatur, vel alterius ordinis profeffioni fubjiciatur; fed monachicæ profeffionis religio ibidem perpetuis temporibus irrefragabiliter obfervetur. Decernimus etiam, ut defuncto ejusdem venerabilis loci Abbate, five ab officio Prelationis, quacunque jufta occafione canonice amoto, fratres ejusdem Cœnobii liberam habeant facultatem, fecundum regulam Beati Benedicti in paternitatis honorem, quamlibet idoneam perfonam eligendi de fuis, fi reperta fuerit, fin autem, ex alio quovis fui Ordinis Monafterio: de rebus autem utenfibus (*a*) defuncti nulla habeat licentiam quelibet perfona, Monafterio quicquam abftrahere, in fuos ufus redigere. Preterea in fuftentationem fervorum Dei, qui vel nunc ibidem in Dei fervitio converfantur, vel in futurum per Dei gratiam funt colligendi, predia aliquanta pro noftra adhuc poffibilitate delegavi, quedam ex hereditate mea, nonnulla ex oblatione fidelium data vel empta. Aliqua etiam, que Minifteriales Sancte MARIE in beneficium receperant, mihi ab eis funt refignata, que novello illi cœnobio jure perpetue proprietatis poffidenda conceffio (*b*) fuorum fubfcriptionem diligenter facere curavi. In Luisbeke VI. manfus; in Oldendorff I. manfus, fed hunc dimidium cambivit Adelbertus minifterialis meus dimidio manfu in Luisbeke. Ad novam nonam, que Sthirwold dicitur, VI. manfus; in Einem III. manfus & dimidius; in Suthere juxta Hamelen VIII. jugera; in Rodtfeffen I. manfus; in Schwechelde V. manfus; in Lieftringe I. manf. in Hattendorp I. manfus; in Merisdorp IV. manfus; in Bethmare VIII. manfus; in Wanningeroth V. manfus; in Lidinge VII. manfus; in Hogeringeroth I. manf. in Grondftede II. manf. in Rinckeleve I. manf. in Dorciftede III. manfus, quos cambierunt fratres noftri Canonici principalis Ecclefiæ III. manfis in Werre: item in Werre I. manf. in Menftede juxta Asle I. manf. in Iltenere I. manf. in Hollo II. manf. in Hene II. quorum unum dederunt Canonici Sancte MARIE in concambio pro manfu in Beningen; in Wateshufen molendinum; in Dungen III. manf. in Weftenem II. manf. in Dedeghufen VIII. manf. in Holthufen juxta Bodenftein VIII. manf. in Walderefchen II. manf. in Efetene II. manf. in Eddeffenen V. manf. in Luddingeffen II. manf. in Sutheren juxta Embrike VII. manf. in Efcherde III. manf. quos cambivit Hugo minifterialis meus III. manf. in Baittenem; item in Borntenen I. manf. in Bonningehus I. manf. in Ettingehus I. manf. & dimidius; in Banthenhufen II. manf. in Hafe I. manf. quem cambivit appofitis fex jugeribus prope templum fancte Crucis in territorio noftre civitatis Theodoricus

(*a*) *forte:* utenfilibus. (*b*) Hæc, & plura alia in hoc diplomate, manca funt.

doricus, Prepôſitus majoris Eccleſie, manſu ſuo in Huckenem, & prato juxta novellum Monaſterium, in parte Auſtrali poſitum. Hec tamen cambitio ſpecialiter ea de cauſa facta eſt mediante me, ut ſopiretur querela, quam habere videbatur pro quibusdam jugeris in campo Schirholte poſitis. Item in Huckenem I. manſ. in Harlede XIX. manſ. in Ilveſe IV. manſ. decimam in Nienhuſen &c. Sane quoniam eundem locum per interceſſionem Beati Godehardi optato futuris temporibus incremento tam in Divine ſervitutis laudabili amplificatione; quam in poſſeſſione prediorum ac decimarum, omniumque rerum neceſſariarum proficere ſperamus; predicta Eccleſie predia, itemque omnia, quecunque deinceps idem venerabilis locus conceſſione Pontificum, largitione Regum ac Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Deo donante, poterit adipiſci, preſentis pagine teſtimonio communita, firma & illibata ſemper conſiſtere volumus, eorum, qui ibidem in Dei famulatum aggregati fuerint, neceſſariis uſibus omnimodis profutura. Et quia Monachis (c) vite ſancta converſatio libertatem & vacationem a ſtrepitu curarum ſecularium exigit, in hoc quoque ſanctis Monachis providentes ſanximus, ut ipſi cum Abbate ſuo ab omni terreno ſervitio liberi, ſalvo debito Epiſcopalis obſequii, inoffenſa ac debita ordinis ſui quiete perfruantur. Unde & in ambitu curie totum, in quo Eccleſia illa fundata exiſtit, a jure ac poteſtate Advocati abſolventes, liberum ab omni ſecularis cujuscunque perſone dicione ſub manu Abbatis regendum conſiſtere volumus: reliquorum prediorum Eccleſiaſticorum Advocatum volumus, ut Abbas cum fratribus ſuis conſilio maturiori eligat, eique illorum tuicionem pro ſalute anime ſue injungat, non in beneficium, ſed tanquam commiſſum, permanſurum ei, ſi patronus pius fuerit; ſin autem, alii committendum, nec in poſteros cujusquam beneficii more tranſiturum. Si qua igitur in poſterum Eccleſiaſtica, ſecularisve perſona his noſtris conſtitutionibus ullatenus contraire temptaverit, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit; ſciat ſe anathematis gladio a Sancte Eccleſie communione ſegregatam Divine ultioni in perpetuum ſubjacere. Cunctis autem eidem loco, ſua jura ſervantibus, ipſumque competenti honore, ac neceſſariorum ſubminiſtratione, conſilio, aut bona voluntate, vel etiam proprii laboris devotione promovere cupientibus, ipſe Deus ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſue benedictionis gratiam largiatur, ac Sancte Marie Virginis, ſanctique Godehardi confeſſoris interceſſione adjutos, ac protectione munitos, eterne beatitudinis gaudiis aggregare dignetur. Ut autem hec omnia rata, firma, & inconvulſa, fixa, & inviolata, & in omnia futura tempora permaneant, preſentis privilegii conſcriptione locum illum & cunctos in eo conſiſtentes, cum omnibus eo pertinentibus, fideliter communi adhibita banni Epiſcopalis auctoritate & ſigilli noſtri impreſſione, ac teſtium ammunitione, qui preſentes fuerunt, & omnem hujus rei ſeriem, nec non pariter viſam & auditam fideliter noverunt, quorum hec ſunt nomina: *Thomas* Presbyter Cardinalis de titulo S. Vitalis, Sedis Apoſtolicæ Legatus. *Beneko* Decanus majoris Eccleſie, Prepoſitus Sancte Crucis. *Borchardus* Presbyter, Prepoſitus de monte S. Mauritii. *Bruno* Presbyter, Prepoſitus de monte S. Petri Goslarienſis. *Rodolffus*, *Bertoldus*, *Johannes*, *Richbertus*, *Johannes* Presbyter, *Bruno*, *Odalricus*, *Hermannus*, *Awutwinus*, *Gerlagus*, *Bernhardus*, *Ekkehardus* Prepoſitus S. Blaſii Brunsvicenſ. Diaconi. *Otto*, *Werno*, *Reinoldus*, *Eilhardus*, *Eſicus*, *Heremannus*, *Theoderieus*, *Eckehardus*, *Bertoldus*, Sub-Diaconi. Hi omnes Canonici Principalis Eccleſie. Preterea multi Canonici S. Mauritii & Sancte Crucis intererant. Iſti Laici aderant: *Bernhardus* Vice-Dominus, *Haoldus* & *Arnoldus*, *Heinricus*, *Theodericus*, *Cano*, *Nidung*, *Everhard*, *Luidolf*, *Eckbertus*, *Dyko*, *Iſerus*, *Bruman*, *Arnoldus*, *Conrad*, *Herewich*, & multi alii liberi miniſteriales diverſarum Eccleſiarum, qui ad *Synodum* convenerant. Actum in Hildenſem. Anno Dominice Incarnationis M.C.XLVI. Indictione nona, Ordinationis mee ſexto. V. Idus Martii *in plenaria Synodo*.

Joachimus Barwardus Lauenſtein in Hiſtoria Diplomatica Epiſcopatus Hildeſini pag. 277. *ad* 281.

HILDE-

(c) *lege:* Monachalis.

HILDESEMENSIS SYNODUS

Anno Chrifti MCXLVII. Eugenii III. Papæ III. Conradi III. Regis X.

SUMMA. Bernardus Epifcopus Hildefienfis, Cœnobium S. Bartholomæi Canonicorum Regularium ab Epifcopis anteceſſoribus cœptum, dotatum, auget dote.

BERNARDUS, DEI GRATIA, HILDESEMENSIS EPISCOPUS.

OFficii noftri debito exigimur, Ecclefiis cure noftre commiffis vigilanti follicitudine intendere, & ut in pofterum auctoritate Pontificali muniti tutiores fubfiftant, opitulante Domino providere. *Thancherus* itaque religiofe converfationis vir, & *Præpofitus fervorum DEI* Regularium in cella Beati Bartholomei ab Orientali parte civitatis noftre fita in loco, quem ab aque plaudofe circumluitione Sultiam vocant indigene, Nos adiens petiit, ut eundem locum privilegii Epifcopalis carta cum fuis pertinentiis muniremus; ne temporibus futuris, qualibet poteftate, quod abfit, in aliquibus fuis utilitatibus imminueretur. Eundem fane locellum, dœmonum prius incurfibus horridum, Beatus *Godehardus* primum incoluit, deinde vir venerabilis *Bruningus*, Ecclefie noftre electus, atque ipfius decurfu, qua cella ambitur, cum pifcatu fuo & pafcuis, & Ecclefia baptifmatis in Lulve cum banno fuo, novemque manfis in Arberghe, ac tribus areis cum decimis ipfius ville, & molendino, cum omni utilitate fua in pifcationibus, pratis ac pafcuis, utilitatibusque lignorum, confenfu Cleri ac populi, ampliavit. Dominus etiam *Bertholdus* Epifcopus, reverende memorie predeceffor nofter, Monafterium ibi dedicans, uno manfo in Bretenehin & decima ipfius vici dotavit. Nos quoque aliqua, que minifteriales noftri, beneficii jure poffederant, eidem celle adjumenta pro poffibilitate noftra contulimus, videlicet in Bredenheim tres manfos, cum decima ejufdem ville. Sunt & alia ejufdem Ecclefie pertinentia quedam a fidelibus Domini oblata, quedam a viris religiofis ejufdem loci Prepofitis, ordine fibi fuccedentibus, a fecularibus comparata, videlicet his: circa locum ipfum fere quinque manfos & areas circumjacentes, cum omni jure fpirituali jure & fepultura: in Eggefem feptuaginta duo jugera cum tribus areis, in Retfem III. manfos cum area: in Embrike, & in Jefen triginta novem jugera cum area. Contulit preterea Odelricus, Sancte Crucis Canonicus ad utilitatem fratrum, in Brethenem XII. jugera, item in eadem villa manfum cum area, perfolventem quatuor folidos hujus monete, ad lumen in capella Sancte Marie. In Senethe XXIV. jugera cum area. In Lereth decimam ville. In Redfen XX. jugera. Idem in eadem villa XL. jugera cum area. In Walkenftede & Luisbeke XX. jugera. In Lubike majori manfum. In Odelim XL. jugera cum area. In Ildehufen XXVII. jugera cum area. Quia igitur juftis petitionibus aures Pontificales decet effe faciles, fecundum poftulationem prenominati Prepofiti, locum prefatum cum prediis adfcriptis, & omnibus fuis pertinentiis, que in prefenti habere videtur, vel in futurum cooperante Domino, conceffione Pontificum, Largitione Regum, Ducum, Comitum, vel quorumlibet oblatione fidelium jufta quavis occafione potuerit adipifci, fervorum Dei ufibus profutura in merito Dei & virtute Spiritus Sancti, Epifcopali noftre auctoritatis banno firmamus, & integra, firma, atque inconvufa in omnia tempora manere decernimus. Statuimus etiam, ficut & anteceffores noftri ftatuerunt, ut in eodem loco regularis profeffionis ordo, & vite communis inftitutio, hactenus a temporibus Domini Bruningi habita fecundum doctrinam Beati Auguftini, deinceps immutabiliter obfervetur, eisdemque fra-

tribus Præpoſiti ſui electio canonica conſervetur. Si quis autem mei ordinis ſucceſſor, aut ſecularis aliqua perſona, quod abſit, hec quovis modo infringere, vel immutare, ſeu locum ipſum quacunque oppreſſione injuſta gravare temptaverit, verbi Divini gladio, niſi reſipuerit, & a corpore Domini ſegregata maledictioni perpetue ſubjaceat. Ad cujus rei firmamentum cartam hanc conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione fecimus inſigniri. Actum in Hildenſem anno Dominice Incarnationis Milleſimo centeſimo XLVII. Indictione XI. III. Idus Octobris in *plenaria Synodo*, ANNO Epiſcopatus mei XVII. Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui honor & gloria. Hujus privilegii confirmande conſcriptioni, teſtes preſentes fuerunt: *Beniko* Decanus Eccleſiæ majoris & Prepoſitus ſancte Crucis, *Bruno* Prepoſitus de monte S. Petri Goslarie, *Ethelerus* Prepoſitus de Betzingerode, *Hertwardus* Prepoſitus de Lammerſpring, *Fredericus* Abbas de S. Godehardi, *Rudolphus* Presbyter, *Gerlagus* Diaconus, *Bernhardus* Diaconus, *Werno* Diaconus, & Canonicus majoris Eccleſie. Laici vero nobiles: *Cono* de Arberge, qui & Advocatus loci, *Haoldus* de Burnem, *Haoldus* de Deſeldiſſem, *Haoldus* de Ruden. Miniſteriales vero *Ludolfus* Advocatus, *Lippoldus* frater ejus, *Echbertus* Camerarius. Hi & alii quam plurimi, qui *generali Synodo* interfuerint.

Joachimus Barwardus Lauenſtein in Hiſtoria diplomatica Epiſcopatus Hildeſienſis a pag. 303. *ad* 305.

Philippus Archiepiſc. Colon. dotat Societatem Fratrum in Nuxia ſub habitu Canonico.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGo PHILIPPUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, memoriæ cauſa conſcripto tam poſteris, quam modernis pronuntiatum volo, quod de ordine Sacerdotum viri timorati, & qui ſuis impoſterum animabus proviſum cupiebant, communicato mecum conſilio, ſalutare quoddam, fidumque fraternæ ſocietatis Pactum exierunt(*): quorum nos providentes unanimitati, locum delegavimus, atque dicamus initæ fraternitati, ut hac in ſuburbio Nuxiæ, feudo Sancti Epiſcopi (**) noſtri, cui loco verum Religioſum, & quem communi electum ſententia nobis præſentaverunt, præfecimus Sigiwinum. Injunximus etiam illi, ut ſi cœptis Deus faverit, ſub habitu canonico Salvatori militaturas periti prout conſilium reſque locusque darent, aggregaret; quorum neceſſitatibus communicare, atque inopiam ſuis facultatibus relevare, præfati viri fideliter firmiterque ſtatuerunt.

Hujus ergo inſtituti ſicut fautor, ita & cooperator exiſtere cupiens, contuli præfato viro Sigewino, cunctisque ſibi, & ſubditis, & ſucceſſuris *imo* quidem jugera quinque abſoluta, liberaque donatione. Item præbendam eleemoſynalem annuatim facientem ſiliginis maldra duodecim, & totidem avenæ, quinque ſolidos Colon. monetæ, maldrum ſalis, & maldrum piſæ, lignorum quoque plauſtra XII. Prædictus vero Sigewinus triginta VI. jugera ab Joanne Decano marcis ſex comparavit, quæ cum nobis eatenus ſolidos ſex ſolverent, & ab his & ab omni prorſus obſequio immunia fecimus, quoad videlicet vivimus, obnixe a noſtris idem fieri petentes ſucceſſoribus. Communes quoque uſus in ſylvis & paſcuis noſtris perpetuo eis conceſſimus: jugera quoque LXX. in Schleichheim, & Elvenheim XXX, quibus ante inbeneficiati fuerant a nobis Conradus & Arnoldus van der Dicke, & ab his Henericus de Kirſchmich, libera illis donatio-

(*) *lege*: inierunt. (**) *forte*: Epiſcopii.

Philippus Hinsbergicus reverſus in gratiam Papæ, egit Coloniæ cum Canonicis negotium de diſtribuendis redditibus inter Canonicos Metropolitanos: diviſionem urſerunt plurimi. Quatuor veteris Canonici inſtituti tenaces ſeceſſerunt Novеſium in *grangiam ſummi Capituli*: Gerardus Randeradt, Henricus de Seyna, Druelius de Gymnich, Hildegerus de Duphok: manſuri tamen membra Capituli Metropolitani, & habituri ſtallum in Choro: pro his hoc Diploma edidit Philippus.

natione confirmavimus, præſentibus terræ noſtræ Magnatibus, & id ſuo judicio & ſententia probantibus & confirmantibus. Reſignaverant quippe ille Hennericus quidem Conrado atque Arnoldo filiis ſuis: exfeſtucaverunt acceptis marcis XIII. & IV. ſolidis a prædicto Sigewino, & illi nobis aſſignaverunt, marcis ſimiliter quinque receptis. Horum teſtes viri honorabiles, & ſpecialiter, quæ ſubſcriptæ ſunt, perſonæ: *Bruno* major in Colonia Præpoſitus, *Theodoricus* major Decanus, *Lotharius* Bonnenſis Præpoſitus, *Conradus* Præpoſitus S. Severini. *Godefridus* ab Heinsberg, *Theodoricus* de Milendunck, *Gerardus* de Randerath, *Harpe* de Helpenſtein, *Gerardus* Colon. Advocatus, & plures alii. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarn. MCLXXXI. Indictione XIV. *Alexandro* Papa III. Regnante *Friderico* Rom. Imp. Quæ ut rata & inviolata permaneant, Dei, omniumque Sanctorum, & noſtra authoritate firmamus, & ſigilli noſtri impreſſione ſignamus.

Æternæ igitur damnationis reus ſit, qui ex his quippiam vel vi, vel arte infringere tentaverit.

Ex archæo Canoniæ Noveſienſis communicavit D. Orth Paſtor & Canonicus.

CONCILIUM FRISINGENSE

Anno Chriſti MCXC. Clementis III. Papæ IV. Henrici VI. Regis I.

SUMMA. Otto II. Epiſcopus Friſingenſis, confert Eccleſiam in Allershauſen Neocellæ Abbatiæ Ordinis Præmonſtratenſis.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

OTTO, DEI GRATIA, FRISINGENSIS EPISCOPUS.

DIſpenſationes Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticarum rerum, quæ vel religioſorum Virorum petitione, vel perurgente venerabilium locorum neceſſitate, rationabiliter fiunt, ad notitiam præſentium, & memoriam futurorum de ratione debent pervenire. Quia ergo loca venerabilia ſumma devotione amplectenda ſunt, quia ibi vigent orationes Sanctorum, quorum patrociniis Sacroſancta lætatur Eccleſia, tum quia in eis eleemoſynæ indigentibus hoſpitaliter impenduntur; Nos Divino inſtigante amore, ac mediante FRISINGENSIS CAPITULI Univerſitate, Eccleſiam, quæ in ALLERSHAUSEN dicitur, fratribus in NOVA CELLA Domino ſervientibus, pro remedio animæ noſtræ ac Prædeceſſorum noſtrorum contulimus, & Epiſcopali noſtra auctoritate ſtabilimus, ita tamen, ut Præpoſitus ejusdem loci, vel etiam quisquam de Collegio, Dominum *Engeſcalcum* quondam Præpoſitum, qui jam dictam Eccleſiam a prædeceſſore noſtro, beatæ memoriæ Domino *Alberto*, perſonaliter tenuerat, quamdiu ipſe ſupereſt, in nullo conturbet. Fratres etiam, qui de Collegio ſuo in Sacerdotes ibidem ordinandi ſunt, aſpectibus noſtris debent præſentari, qui & *Synodum* noſtram adeant, & de ſpiritualibus reddant rationem: qui, ſi forte mutati fuerint, ſubſtituendi nobis denuo præſententur. Quod ut firmum ſit, & ab omnibus ratum habeatur; præſentem paginam conſcribi, ac ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Actum eſt autem, aſſidentibus ſolemniter Friſingenſis Eccleſiæ Cathedralis *Betholdo* Decano, *Albinone* Sancti Caſtuli Præpoſito, *Cunrado* Sancti Andreæ Præpoſito, *Ortwino* Sancti Sixti Præpoſito, *Cunrado* Cuſtode, *Friderico* Præpoſito, *Cunrado* Sancti Viti Præpoſito. Anno Domini MCXC. Indictione VIII, Anno Pontificatus noſtri VI. feliciter. Amen.

Illmus Stivagienſis Tomo II. Annalium Præmonſtratenſium inter Probationes pag. 203.

Otto II. hoc nomine, ſucceſſit Alberto in Cathedra Friſingenſi anno 1184, & obiit anno 1220. *Stivagienſis.*

CONCILIUM MOGUNTINUM

SUB CONRADO SABINENSI EPISC. ET ARCHI-EPISC. MOGUNTINO.

Anno Christi MCXCI. Cœlestini III. Papæ I. Henrici VI. Reg. II. Imp. I.

Fundatio Præpositurae Conradstorffii.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

CONRADUS, DEI GRATIA, SABINENSIS EPISCOPUS, MOGUNTINÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPUS, IN PERPETUUM.

EX injuncto nobis a Deo Sacri Pontificatus officio, tenemur quidem omnibus Christi fidelibus, pio charitatis affectu adesse, specialiter autem Ecclesiis Dei, & ad nos respectum habentibus Ecclesiasticis personis, quæ sub regularis observantiæ disciplina Deo devotius obsequuntur, cum opportunum fuerit, debemus & volumus consilii & auxilii nostri adminiculum libenter impendere. Ea ducti consideratione, notum fieri volumus tam futuri, quam præsentis ævi Christi fidelibus universis, quod fidelis noster ac dilectus *Hartmannus* de Budingen, Cœnobium in *Conradisdorff* a suis parentibus, & ab ipso, summa cum devotione contractum, cum omnibus possessionibus suis, quas vel nunc possidet, vel imposterum possidebit, Ecclesiæ Moguntinæ contradidit. Præterea suis studiis accedentibus & consiliis, matrix Ecclesia in *Glauburg* præfato Cœnobio collata est in hunc modum: *Hartmannus* de Budingen jus investiendi, quod in eadem Ecclesia ab *Henrico* de Hagenowa in beneficio tenuit, eidem *Henrico* resignavit: deinde *Henricus*, rogatu nostro, jus investituræ, quod ipse super eadem Ecclesia a nobis feodali jure tenebat, nobis resignavit: postmodum eamdem Ecclesiam ad nos libere & legitime sic translatam, de consensu Archi-Diaconi *Conradi*, Sanctæ Mariæ ad Gradus in Moguntia tunc Præpositi, præfato cœnobio contulimus perpetuo possidendam, eo libertatis tenore; ut quo ipsa Præpositura de manu Archi-Episcopi confertur, Archi-Diaconus nullum jus Synodale in eadem Ecclesia habeat, sed tantum ille, quem in officio Præpositi in Cœnobio in *Conradisdorff* contigerit præesse. Sciendum quoque, nos decimas illorum omnium novalium, quæ infra terminos jam dictæ Parochiæ fuerant excolenda, eidem Cœnobio contulimus, & si qua novalia ibidem fratres Domino servientes, propriis manibus, vel sumptibus laboraverint, nullas inde decimas persolvent. Insuper sciendum, quod *Hartmannus* de *Budingen*, quamdiu vixerit, ejusdem Cœnobii advocatiam habebit, post obitum vero suum, quicumque in genere suo proximus hæres fuerit, advocatus erit, sine feodo tamen advocatiæ, & sine omni utilitate, tantum ad deffensionem loci ejusdem & protectionem destinandus; & si forte advocatus Cœnobio in aliquo gravare attentaverit, advocatia ad Dominum transeat Archi-Episcopum, qui tunc Moguntinæ præsidebit Ecclesiæ, nec licebit Domino Archi-Episcopo eam alicui infeudare, vel Præposituram ab Ecclesia Moguntina alienare.

Hæc omnia in præsentia & sub testimonio Ecclesiæ nostræ eo modo, quo jam diximus, ordinata sunt a nobis in *generali Synodo* Moguntina præsidentibus. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, vel sæcularis persona, hanc nostræ constitutionis paginam infringere attentaverit, nisi secundo vel tertio commonita, resipuerit, & digne satisfecerit; auctoritate Dei Omnipotentis, & Apostolorum Petri & Pauli, Apostolicæ Sedis, Beati Martini, & nostra, anathemati subjaceat, & cum Dathan & Abiron, quos terra vivos absorbuit, accipiat portionem. Testes sunt *Arnoldus* major Præpositus, *Burchardus* Præpositus S. Petri, *Wernerus* Præpositus S. Stephani, *Worduutinus* Præpositus S. Victoris, *Conradus* Præpositus S. Mariæ ad Gradus, *Henricus* major Decanus,

canus, *Rucberus* Custos, *Petrus* Scholasticus, *Godefridus* Cantor.

Majoris Ecclesiæ Canonici.

Henricus, *Fridericus*, *Ruchardus*, *Conradus*, *Sifridus*, *Conradus* Archi-Presbyter, *Simon* Cellarius, *Gerbodo*, *Heinricus*. *Bertoldus*; Decanus S. Petri, *Theodoricus* Cantor, *Richardus* Decanus S. Stephani, *Wernerus* Scholasticus, *Wernerus* Cantor, *Æmilius* Decanus S. Victoris, *Heinricus* Scholasticus, *Embrico* Decanus S. Mariæ ad Gradus, *Gissebertus* Cantor, *Heinricus* Abbas S. Albani, *Hezechius* Abbas S. Jacobi, *Godefridus* Abbas de *Blindenstad*, *Gebehardus* Abbas S. Disiboldi, *Benedictus* Abbas de Monte S. Joannis.

Laici.

Gerlacus Comes de *Wildenzin*, *Emercho* Comes Irsutus, *Bertoldus* Comes de *Nidec*, *Wernerus* Comes de *Widenchinstein*, *Hardardus* de *Merenberg*, *Reinhardus* de *Dorneld*, *Heinricus* de *Hagnowa*, *Cuno* de *Mynzemberg*. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXCI. Indictione IX.

Illmus Stivagiensis Tomo I. Annalium Præmonstratensium, codice Probationum pag. 452.

CONCILIUM COLONIENSE

Anno Christi MCXCIV. Cœlestini III. Papæ IV. Henrici VI. Reg. V. Imp. IV.

SUMMA. *Adolphus, Coloniensis Archi-Episcopus, omnia bona Monasterii Fussenich in protectionem suam suscipit.*

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

ADOLPHUS, (a) DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, S. COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, UNIVERSIS IN CHRISTO FIDELIBUS TAM PRÆSENTIBUS, QUAM FUTURIS IN PERPETUUM.

Ex dignitate, quam Divina gratia in nos contulit, tenemur, Ecclesiis, quæ ad nos respectum habent, paterne prospicere, & nostram diligentiam inclinare, ut accipiant rerum exteriorum, & religionis augmentum. Notum sit itaque præsentibus & posteris, Monasterium Dominarum in Vossenich, in quo sancte & religiose Deo servitur, a nobis petiisse & impetrasse, ut universa, quæ ad illud pertinent, nobis sint specialier commissa, & nostra gaudeant protectione contra omnes molestias & violentias quorumcunque hominum. Sicut promisimus, sic per Dei gratiam nos speramus facturos, gladio utroque spirituali & materiali religiosam domum sanctarum sororum efficaciter protecturi. Si qui ergo immemores salutis animarum, sororibus prænominatæ domus, violentiam vel injuriam intulerint, non solum iram Dei merebuntur incurrere, sed & nostram indignationem sustinebunt tanto graviorem, quanto majori dilectione amplectimur domum toties nominatam. Hæc autem in protectionem nostram suscipimus: curtim in *Werenzenrode* cum omnibus appenditiis suis; in *Herthene* curtim unam, in *Trosdorp* curtim unam, in *Puthze* XL. jurnales, in *Luichzheim* curtim unam, in *Dirto* curtim unam, in *Burvenich* curtim unam, in *Valendale* curtim unam, in *Budendorp* curtim unam cum vineis, in *Alffhe* curtim unam cum vineis, & alia bona, quæ nunc possident, & postmodum justis modis obtinere poterunt. Priorum consilio discreto, & maturo ita ordinatum est, & nostro consensu ad hoc favorabiliter inclinato, ut nostri successores in familiari sua protectione bona religiosarum sororum semper habeant propter cohercendam malorum malitiam, quæ de die in diem in malo accipit incrementum, & ubi non cohercetur, ibi magis diffunditur. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, redacta sunt in scriptum, & nostro communita sigillo & banno. Acta sunt anno

(a) Adolphus de Altena, Brunonis prædecessoris sui nepos, seu consobrinus, ex majoris Ecclesiæ Præposito eligitur Archi-Episcopus Coloniensis anno 1193.

anno Dominicæ Incarnat. MCLXXXXIV. Indictione XII. Teſtes hujus rei ſunt: *Ulricus* Decanus, *Conradus* Xantenſis Præpoſitus, *Bruno* Bunnenſis Præpoſitus, *Godefridus* Præpoſitus S. Gereonis, *Theodoricus* Præpoſitus Sanctorum Apoſtolorum; Decanus de Gradibus, *Udo* in Majori Eccleſia ſecundus Decanus, *Rudolphus* Scholaſticus. Nobiles: *Heinricus* Dux de *Limburgh* & filius ejus, *Henricus* de Walenberg, *Henricus* Comes de Seyna, & frater ejus *Everhardus*, *Reinerus* de *Froitzbecth*, *Gerardus* de *Tonebergh*. Miniſteriales: *Hermannus* Advocatus, *Hermannus* Camerarius, *Gerardus* de *Wolmuthotine*, *Willelmus Schillinch*, *Otto*. Datum Coloniæ Kal. Martii, anno Pontificatus noſtri primo.

Illmus Stivagienſis Tom. I. Annal. Præmonſtrat. cod. Probation. pag. 571.

SYNODUS VERDENSIS
Anno Chriſti MCXCVII. Cœleſtini III. Papæ VI. Henrici VI. Reg. VIII. Imp. VI.

SUMMA. Rudolphus, Verdenſis Epiſcopus, Monaſterium vetus prope Buxtehuden ſecundum regulam S. Benedicti, a viris nobilibus Henrico & Herlago, & Henrici uxore, Floria de Buxtehude, fundatum cum multiplici dote approbat in Synodo generali.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.

RUDOLPHUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, VERDENSIS ECCLESIE EPISCOPUS, CUNCTIS CHRISTI FIDELIBUS TAM FUTURIS, QUAM PRESENTIBUS SUMMUM BONUM ET TEMPORALE COMMODUM.

QUotiens a nobis illud petitur, quod religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti annuere, petentium deſideriis congruum impartiri ſuffragium. Ideo eſt, quod univerſitati veſtre ſignificare dignum duximus, quod duo uterini fratres *Heinricus* & *Herlagus* viri nobiles de loco, qui *Buxtehude* dicitur, & ejuſdem Henrici uxor, devota Matrona, *Floria* nomine, cum religioſo quodam Monaſticæ profeſſionis viro, *Sigebando* nomine, ad nos venientes ſupplici nobis devotione ſignificaverunt, in votis ſe firmiter habere, ut de patrimonio ſuo *Cœnobium & Congregationem Sanctimonialium* in predicto loco Buxtehude, qui Eccleſiaſtico jure ad nos pertinet, fideliter conſtruerent, ſi nos in hac cauſa propicios cooperatores ſibi invenerint. Aderat etiam *Hermannus Archi-Diaconus in Holdenſtede* tum pro Deo, tum pro illorum nobilium dilectione, Altare & bannum in Buxtehude ad hoc nobis promptus reſignare, ut in augmentum operis Dei inibi conferremus. Habito itaque ſuper hoc negotio *VERDENSIS CAPITULI*, imo *totius Eccleſie noſtre conſilio*, juſtis eorum petitionibus clementer annuere, & honeſtum ſuum propoſitum, ea conditione promovere diſcrevimus, ſi jus Patronatus ejuſdem loci, quod ad eos pertinebat, Verdenſi Eccleſie ſimul cum advocatia ſuper bona & homines ejuſdem Eccleſie libere vellent conferre. Ordinationi igitur noſtre predicti nobiles conſentientes, & centuplam mercedem a Deo exſpectantes, una cum conſenſu illuſtris *ADOLFI*, *Comitis Stadenſis*, oblationum ſuarum devotionem impleverunt. Ad hujus igitur negotii promotionem, & majorem apud homines firmitatem obtinendam, *Iwanus* vir quidam honeſtus, *Vice-Comitis* illius temporis fungens officium, convocata liberorum virorum multitudine, apud villam, quæ *Lütmeresdorpe* dicitur, placitum indixit, ubi eo, pro judice Vice-Comitis, ſedente, jam ſepe dicti nobiles unanimi conſenſu ſuper *ſcrinia Sancte Marie*, *ſanctique Laurentii*, que *Hermannus* Verdenſis Canonicus, quem ad hujus negotii executionem vice noſtra illuc miſeramus, & *Sigebandus* miniſter loci per medium exhibuerunt, jus Patronatus predicti loci Eccleſie Verdenſi, ſimul

mul cum Advocatia Ecclesie in *Buxtebude*, nihil in his sibi retinentes, libere obtulerunt; ac molendinum Orientale & totam curtem, areas & terram ab Ecclesia Sancti Petri usque ad antiquam structuram Sancte *Marie* in monte eidem Cœnobio contulerunt; alterum vero molendinum sibi retinuerunt. Item omnem terram & solitudinem juxta *Eschedam*, versus Orientem de villa *Buxtebude*, usque ad *Hollandros* cum omni jure contulerunt. Obtulerunt etiam eidem fratres ex consensu suorum heredum, predicte Ecclesie bona quædam juxta *Sasteram*, quinquaginta modios avenæ solventia, & tria jugera juxta *Eschedam*, recompensans mansos, ab antiquo Ecclesie collatos in villa *Malthemere*, quas *Alvericus* Ecclesie Verdensis *Ministerialis*, ab eo in beneficio obtinuit. Has ergo donationes, sine contradictione factas, *Iwanus* predictus Judex ex sententia adsessorum suorum, consavorabili acclamatione populi, predicte Ecclesie *Regio banno* confirmavit. Prælatorum igitur nostrorum & eorundem nobilium, aliorumque fidelium nostrorum consilio statuimus, ut nullus Episcopus, nullus unquam ejusdem loci Prepositus, Advocatiam alicui in beneficio præstet, sed, si aliquando opus Advocato habeat Prepositus, virum commodum & utilem, consensu Episcopi sui, sibi ita eligat, ut, si forte pro casu temporis gravis & inutilis esse cœperit, ipso amoto, alter, si voluerit, idoneus substituatur. His itaque peractis per manum *Hermanni*, Verdensis Canonici, nostram vicem gerentis, & altare & bannum in *Buxtebude*, que nobis *Hermannus*, Archi Diaconus in *Holdenstede in Synodo*, *feria quinta ante Pascha* Verdis habita, ad hoc resignaverat, sepe dicte contulimus Ecclesie. Decimam quoque super novalia prememorata de *Buxtebude* usque ad *Hollandros*, ab altero predictorum fratrum nobis resignatam, memorate similiter contulimus Ecclesie. Postmodum, quia misericors Deus in cœptis suorum fidelium optatum semper prestat incrementum, Domina etiam *Floria* consensu heredum suorum, Ecclesie in *Buxtebude* unam contulit domum, continentem quatuor mansos infra villam *Ennebecke*, cujus domus decima prius eidem pertinebat Ecclesie; item unum quadrantem unius mansi, juxta *Eschedam*. Hujus ergo rei actione *in Synodo generali habita Modesdorpe*, in presentia nostra recitata, de consilio omnium, qui tunc aderant, tam Clericorum, quam Laicorum, factum hoc nostrum & predictorum Nobilium banno nostro confirmavimus, & predictum *Sigebandum* Prepositum ejusdem novelle plantationis investivimus, de statu & ordine ejusdem Cœnobii hoc statuentes: ut Conventus ejusdem loci *Sanctimonialium ordinem Monasticum secundum B. Benedicti regulam*, sub obedientia sui Prepositi devote observet; quo obeunte alterum sibi Pastorem ibidem Deo serviens Conventus, cum consensu Episcopi, & consilio Verdensis Capituli, si copia Episcopi haberi non potest, virum idoneum sibi eligat, ac Episcopo, suam electionem probanti, investiendam (*a*) repræsentet. Prenotatis ergo rebus sepedicte Ecclesie de novo collatis, bona etiam, quæ ab antiquo eidem Ecclesie collata sunt, & hactenus possessa, presenti duximus paginae intitulari; agri circa villam *Buxtebude*, *Nienhusen* duo jugera, *Etlendorpe* tres mansi, *Ennebecke* septem, *Adesdorpe* unus, *Villenhusen* septem, quorum decimam nos eidem Cœnobio contulimus: *Bebenhusen* quatuor, *Holdenstede* quinque, *Everften* unus, *Growenge* unus, *Spretzenslo* duo, *Holdestedem* unus, *Walesdorpe* unus, *Totstede* unus, *Ottenstede* unus, *Radelmesdorpe* duo, *Volmersdorpe* unus, *Drestede* unus, *Ludesmesdorpe* unus, *Ottenstede* unus, *Trintlo* unus, *Eckhorst* unus, & dimidius, *Osersdorpe* duo, juxta *Eschedam* prata multa. *Pattenhusep*, & *Scherembecke* quidam agri, *Stelle* mansus. Ad custodiam etiam predicte Ecclesie antiquitus collata sunt haec: Unius domus decima in *Rennenbecke*, *Radelmesdorpe* mansus unus, *Aldendorpe* mansus unus, *Goldbecke* mansus unus. Ut ergo ad predicti Cœnobii institutionem facta donatio, & nostra ordinatio omni sequenti ævo firma maneant, & inconvulsa, hanc attestationis nostre paginam conscribi jussimus, & sigilli nostri impressione, testiumque annotatione roborari. Siquis vero hoc aliquando, diabolo instigante, infringere attemptaverit, a communione alienus anathema sit. Hujus

(*a*) *fors:* investiendum.

Hujus autem rei teſtes ſunt: *Waltherus* Abbas de *Ultzen*, *Hartmannus* Abbas de *Luneburg*, Canonici Verdenſes: *Iſo* major Prepoſitus, *Manegoldus* Decanus, *Wichertus*, *Hermannus*, *Didericus* Prepoſitus de *Ebbekesdorpe*, *Burchardus* Prepoſitus de *Lüne*, & Epiſcopatus noſtri fere omnes Sacerdotes. LAICI etiam: *Adolphus* Comes *Stadenſis*, *Fridericus* de *Brockbere*, *Henricus* de *Hildingesvelt*, *Vwannus*, *Godefridus*, *Alvericus*, *Hartmannus*, *Tammo*, *Lutbertus*, *Tedo*, *Meinhardus*, *Everwicus*, *Godeſchalcus*, *Rodeſtus*, *Herdeſtus*, & alii quam plures. Actum anno ab Incarnatione Domini Milleſimo, centeſimo, nonageſimo ſeptimo, Indictione XIV. anno Epiſcopatus noſtri nono, feliciter. Amen.

Pratje. quarta collectio de Ducatibus Brema & Verda, impreſſa Bremæ anno 1760. apud Gerhard. Wilbelm. Rump. pag. 180. extracta ex Regiſtro Joannis Rhodens bonorum Eccleſ. Bremenſ.

SPIRENSIS DIOECESANA SYNODUS

ANNO CHRISTI MCCXI. INNOCENTII III. PAPÆ XIV. OTTONIS IV. REGIS XIV. IMP. III.

Conradus Epiſcopus de jure Patronatus & Decimis in Medinheim donatis, dein permutatis inter Abbatem de Hemmenroth & Theodoricum de Kirweiler pronuntiat.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

EGO CONRADUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, SPIRENSIS EPISCOPUS (a) ET IMPERIALIS AULÆ CANCELLARIUS &C.

NOtum ſit cunctis, præſentem paginam inſpecturis, quod *Juſtatius* abbas de *Himmenroth* labore ſuo obtinuit, quod *Theodoricus* miles de *Kirweiler*, quidquid juris habebat in Patronatu, & in decimis Eccleſiæ de *Medinheim* in manus Domini ſui *Marquardi* de *Villre*, & ipſe *Marquardus* in manus noſtras, quia a nobis tenebat, reſignavit; nos vero cum conſenſu majoris Præpoſiti, in cujus Archi-Diaconatu præfata ſita eſt Eccleſia, ſalvo tamen jure ſuo, & aſſenſum præbente Capitulo, liberaliter idem jus cum omnibus appendiciis integraliter Eccleſiæ de *Himmenroth* contulimus. In recompenſationem autem iſtorum bonorum Eccleſia in *Himmenrath* jam dicto *Theodorico* centum & decem marchas puri argenti dedit, de qua pecunia prædium comparatum eſt, quod prædictus *Marquardus* a nobis tenet in feudo, & a *Marquardo Theodoricus*. Ut autem hæc rata & inconvulſa permaneant præſentem paginam conſcribi fecimus, & ſigilli noſtri munimine roborari.

Hujus rei Teſtes:

Otto Major Præpoſitus.
Conradus Decanus.
Andreas Scholaſticus.
Conradus Præpoſitus de Mosbach.
Henricus Præpoſitus de Nerusheim.
Wolffranus Abbas de Wizzenburc.
Conradus Abbas de Sunnesheim, frater ejus.
Conradus Abbas de Mullenbrunnen.
Martinus Abbas Uterine-vallis.
Daniel Abbas de Schonaugia, & alii quam plures.

(a) Conradus a Scharveneck, Cancellarius Imperatoris, Eccleſiæ Spirenſi præfuit ab A. MCCII. ad MCCXXIV. Idem Eccleſiæ Metenſis Epiſcopus fuit. *Bucelinus.*

Fuit Cancellarius ſub tribus Principibus, Philippo Duce Sueviæ, Ottone IV. Duce Saxoniæ, Friderico II, filio Henrici VII.

CON-

CONVENTUS SYNODALIS BARDEWICI ANNO MCCXXIV. HABITUS,

In quo Acta Synodi Hildesheimensis, in causa Henrici, Novi-operis in Goslaria Præpositi, celebratæ, confirmantur.

Addenda ad pag. 515. h. T. ubi de eodem argumento Synodus.

CONRADUS, (a) MISERATIONE DIVINA, PORTUENSIS, ET SANCTÆ RUFFINÆ EPISCOPUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, OMNIBUS PRÆSENTEM LITERAM INSPECTURIS, SALUTEM IN CHRISTO JHESU.

UNiversitati vestræ notum esse volumus, quod quum in Curia solempni Principum *Bardewich* essemus constituti, Venerabilis in Christo *Conradus*, *Hildesemensis* Episcopus, præsentibus Venerabilibus in Christo Patribus: Archi-Episcopo *Bremense: Halberstadense*, *Nuwenburgense*, *Merseburgense*, *Myndense*, *Monasteriense*, & *Suerinense*, Episcopis, O. *Paderbornense*, & *Osnabrugense*, Electis: *Werdense*, S. *Trudonis*, & *Herseveldensi*, Abbatibus, & aliis pluribus Prælatis & Clericis, proposuit: quod cum *Henricus* (b), quondam Præpositus Novi-Operis in Goslaria, infamatus de hæretica pravitate, salutaribus ejus monitionibus non acquiesceret, & amplius illius infamiam sine gravi scandalo præterire non posset, tandem sequendo doctrinam Evangelicam, volens inquirere, utrum dictus Præpositus opere complevisset, quod de ipso infamia testabatur, ad locum eundem cum Prælatis Ecclesiæ suæ personaliter accedens, cœpit inquirere super hæresi, & aliis criminibus, de quibus fuerat infamatus, eo videlicet præsente, & habente copiam respondendi, excipiendi, & defendendi, & receptis juramentis Monialium ipsius Monasterii secundum formam canonicam; inter cætera, invenit diem anniversarium electionis ejusdem Præpositi in Ecclesia solempniter celebrari, & Ordinem Cisterciensem, quem Sanctimoniales erant professæ, confusum in tribus articulis & corruptum: nam non servabant ibi Regulam Beati Benedicti: & quod indulserat Monialibus esum carnium extra infirmariam, & quod indumenta linea habebant juxta carnem. Invenit etiam Regulam Beati Benedicti projectam fuisse in puteum: præterea quibusdam Monialibus superstitiosis, eo præsente, in publico, & in jure confessis & affirmantibus, eum esse majorem inter natos mulierum, tacuit: nec contradixit. Et, quum his probatis, posset procedere contra ipsum; tamen, ut cum majori maturitate & deliberatione procederet, in solempni *Synodo*, præsentibus Abbatibus ac Monachis Cisterciensis Ordinis, & aliis viris Religiosis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, ad hoc specialiter convocatis, examinationem jam dicti Præpositi, eo præsente, solempniter idem Episcopus celebravit, & invenit illum in prædicatione publica dogmatisasse:

I. Spiritum Sanctum esse Patrem Filii; & interrogatus, quomodo intelligeret? Respondit: affectu. Quod est prorsus contra Sanctorum Patrum auctoritates.

II. Insuper extollendo Virginitatem, videbatur condempnasse matrimonium, errorem suum in libris suis hiis versibus roborando:

Fœmi-

(a) Conradus, Portuensis Episcopus, Saxoniam obibat anno 1225. multas Ecclesiasticas causas & controversias sopivit: mense Augusto Misnæ, Halæ circa assumptæ V. dein Halberstadii, die S. Ægidii Magdeburgi cum octo Episcopis habito Conventu: demum Naumburgo Coloniam regressus fuit, ob causam S. Engelberti Archi-Episcopi cæsi 7. Novembris.

(b) Henricus Minnecke Præpositus Novi-operis Monialium Ordinis Cisterciensis anno 1224. hæreseos postularus & diutumo carcere mancipatus, anno 1225. vivus combustus fuit, *teste Buntingio Parte I. Chronici Brunswicensis.*

Fœmina nulla creatur adhuc, in qua nihil illi
Diſpliceat, qui novit, quid ſit honeſtas;
De nuptis loquor, & nubentibus omnibus ante,
Quæ remanere volunt innuptæ, defero plane;
Virginitas Regina manet, ſed lubrica carnis
Eſt ancilla; decens redolet flos, ſtercora fœtent;
Extollo florem, non poſſum ſtercus amare.
Nare mea fœtor nunquam præfertur odori.

III. In prædicatione etiam ſua publice dixit: Angelum malum ſe vidiſſe coram Domino geniculaſſe, veniam poſtulaſſe; & hunc errorem etiam in libris ſuis his verſibus confirmavit:

Affirmo, quod ſpiritus eſt de ſede ſuperne rejectus,
Quem jam velle redire ſcio. . . . . .

IV. Homines etiam in admirationem duxit, & ſtuporem, aſſerens: Dominam eſſe in cœlis majorem Beata MARIA Virgine glorioſa, & hoc eſſet, Domina Sapientia.

Hiis igitur perſpectis diligenter, & auditis, idem Epiſcopus de conſilio Prælatorum, & virorum religioſorum, qui Sacræ *Synodo* intererant, eundem Henricum ab officio & beneficio ſuſpendit, & poſtmodum habito conſilio, ſuper eo Archi-Epiſcoporum, & Epiſcoporum, & quorundam Cardinalium, quod ex illius doctrina & conſortio, Chriſti fidelibus animarum periculum amplius, & perſonarum infamia immineret, ipſum fecit carcerali cuſtodiæ mancipari; quem proceſſum idem Epiſcopus humiliter a nobis petiit confirmari. Nos vero ejus petitionem legitimam reputantes, dictum proceſſum, ſicut juſte & rationabiliter eſt factus, *de conſilio prædictorum Prælatorum*, Legationis, qua fungimur, auctoritate, confirmamus. Datum apud *Bleketbe*, ſuper Ripam Albiæ. Anno Domini MCCXXIV.

Schannatus ex Autographo, quod olim illi communicaverat Cl. Eckartus.

Huc quoque faciunt FRIDERICI II. Imperat. Litteræ ſequentes in cauſa eadem.

FRIDERICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, ABBATISSÆ DE HORTO S. MARIÆ GOSLARIENSIS, TOTIQUE CONVENTUI GRATIAM SUAM ET BONAM VOLUNTATEM.

AD Imperialis noſtræ dignitatis Excellentiam de inſolentia veſtra verbum noveritis perveniſſe, quod cum Regulam Beati Benedicti profeſſæ ſitis, & habitu & converſatione; per doctrinam cujuſdam *Henrici*, quondam Præpoſiti veſtri, quem Dominus *Conradus* Hildesheimenſis Epiſcopus, dilectus ac fidelis noſter Princeps, ab amminiſtratione Officii, ac Præpoſituræ veſtræ prudenter amovit, adeo ſeductæ ſitis, etiam in arcum pravum converſæ, ut ejus doctrinæ temere inhærentes, ipſum, poſt Deum, Beato Benedicto, & omnibus Sanctis digniorem reputetis.

Cum igitur, ex ſcriptis, quæ Procurator veſter ad Curiam Romanam, & noſtram, deportaverat, dictus quondam Præpoſitus veſter ab omnibus Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, & viris discretis eadem intuentibus, demens judicatus ſit & prophanus, & fidei Chriſtianæ contrarius; ex ipſis etiam præſumitur, quod corda veſtra, quaſi ſimplicium & innocentium, ſua doctrina everterit, & ſtulto quodam errore ſeduxerit; ita, ut potius ejus doctrinæ, quam Regulæ Ordinis veſtri inhærentes, more fatuarum virginum retro reſpiciendo, vos Regno Dei redderitis (*) inhabiles, & hominibus plurimum infames; nunc autem ad cor redeuntes, & quod bonum eſt, dum tempus habetis, operantes, univerſitatem veſtram attentius commonentes, auctoritate Imperiali vobis præcipiendo mandamus: quod ſecundum habitum, & habitus veſtri profeſſionem & inſtructionem Domini *Conradi*, Epiſcopi veſtri, quem literatum & idoneum ſatis eſſe cognovimus, & laudabiliter in omnibus converſatum, vita & moribus vos emendare ſtudeatis, & animum

(*) *lege:* reddideritis.

mum rehabendi quondam Henricum Præpoſitum omnino poſtponatis, quia nullatenus ſuſtinere volumus, ut vel in veſtro, vel in alio Imperii noſtri Monaſterio deinceps Regimen habeat, vel curam animarum. . . . . .

Ex codice MS. Bibl. Mogunt. deſcripſit Schannatus.

SYNODUS PATAVIENSIS

Anno Chriſti MCCLXI. Sede Rom. & Imp. vacante.

SUMMA. Eliguntur conſenſu Cleri VIII. taxatores pro 100. marcis argenti colligendis in bellum contra Tartaros.

NOS, OTTO, (a) DEI GRATIA, PATAVIENSIS EPISCOPUS, UNIVERSIS PRÆSENTES INSPECTURIS.

VOlumus eſſe notum, quod cum pro negotio Tartarorum, ſuper quo recepimus in mandatis auctoritate Sedis Apoſtolicæ a Venerabilibus Præpoſito, & Decano, & Capitulo Saltzburgenſi, ut convocatis Prælatis noſtræ Diœceſis conſilium impendere conaremur in prædicto negotio Tartarorum, & per Nos, vel Procuratores ydoneos in Romana Curia compareremus, qui poſſent omnia facere, quæ nos facturi eſſemus præſentes perſonaliter conſtituti. Quia vero expenſis indigemus, ſine quibus Procuratoris miſſio, & alia, quæ tangunt negotium, non poſſunt aliquatenus expediri, *de conſenſu Prælatorum & Cleri noſtri Dyœceſis, qui convenerant Pataviæ ad noſtram vocationem auctoritate* prædicta factam, eligimus VIII. taxatores, & conſervatores pro pecunia colligenda pro expenſis in dicto & aliis negotiis noſtris faciendis: videlicet Venerabiles *Abbatem* de inferiori *Altach*, Præpoſitum S. *Ypoliti*, Decanum & Cantorem, & Archi-Diaconum *Lambacenſem*, Patavienſis Eccleſiæ Canonicum, *Abbatem de Chotwico*, Præpoſitum S. Ypoliti, Decanum *Chremſenſem*, Mgrum *Gerhardum* Plebanum de *Vienna*, dantes eis poteſtatem, imponendi, colligendi, exigendi pecuniam centum Marcarum ſecundum diſcretionem a Deo ſibi datam, a ſingulis Eccleſiis, prout ſuppetunt cujuslibet Eccleſiæ facultates, & cohercendi contumaces, & contradictores ſolutioni pecuniæ ſupradictæ: maxime cum promiſerint fide data prælati, qui præſentes fuerint, dictis taxatoribus in omnibus obedire, quæ ad expeditionem pertinent prædictæ pecuniæ colligendæ, & ipſi taxatores ſimiliter pro ſe promiſerunt fide data, prædictas centum Marcas imponere Eccleſiis equa lance, ac procedere in negotio ſupra dicto ſine captione qualibet atque fraude, & convertere in nullos uſus alios, quam in negotium ſupradictum pecuniam ſic collectam. In hujus rei teſtimonium præſentes literas confici placuit, & ſigillo noſtro, & aliorum Prælatorum præſentium ſigillis communiri. Datum Pataviæ anno Dom. MCCLXI. XI. Kal. Julii.

Alias item Literas eadem die *Otto* Epiſcopus Patavienſis, ejus Præpoſitus, & Capitulum, Item *Henricus* de Altach, *Henricus* de Chotwico Abbates, cæterique Prælati Patavienſis Diœceſis ad Summum Pontificem dederunt, quibus ſuum Procuratorem in Curia Romana conſtituunt M. *Gotfridum* Canonicum veteris Capellæ Ratisbonenſis, qui, quid in negotio Tartarorum conſultum & decretum fuerit, coram ſit relaturus. Datum Patavii anno MCCLXI. XI. Kal. Julii.

Hanſitz. Tom. I. Germaniæ ſacræ pag. 400. 401.

(a) Otto de Lonsdorff, Bavarus, Epiſcopus Patavienſis XL. ex Canonico & Theſaurario Patavienſi, Archi-Diacono Matiſcenſi eligitur anno 1254, menſe Februario. Moritur 1265. V. Idus Aprilis. *Hanſitz. Tom. I. pag* 395.



CONCILIUM MAGDEBURGENSE

Anno Christi MCCLXVI. Clementis IV. Papæ I. Sub Interregno magno Imp.

Statuta XXIII. continet contra violatores, invasores, captivatores personarum ac rerum Ecclesiasticarum.

SCriptum in Canone, quod dictum est: *Seniores Provincie tue congrega, & eos interroga:* Sacro-Sancte Romane Ecclesie Summo Pontifice Beati Petri Apostoli successore, ad Metropolitane Sedis Antistitem congrue emanavit. Nam & ipse, sicut olim a Sanctis Patribus noscitur institutum, cum suis suffraganeis annis singulis *Provinciale Concilium* celebrare jubetur, propter quod dictum est recte ad ipsum: *Seniores Provincie tue congrega.* In quo quidem Concilio congregato de corrigendis excessibus, & moribus reformandis præsertim in Clero, diligentem habebit cum Dei timore tractatum, Canonicas regulas, & maxime, quæ statuta sunt *in Conciliis*, relegens diligenter, ut eas observari faciat, penam debitam transgressoribus, infligendo. Et ut hæc omnia consultius & salubrius peragantur; expedit id fieri suffraganeorum sibi approbatione & consilio in omnibus assistente, unde & subjungitur, *& eos interroga.* Spectat nihilominus ad ipsius Metropolitani circumspectionem & prudentiam, ut juxta credite sibi dispensationis officium subditorum commodis, profectibus, & quieti, sollicitudinis debet studium adhibere, precipue laycorum quorundam, qui Clericis opido sunt infesti, nunc antiquorum statutorum declaratione & suppletione, nunc vero novorum editione, prout possibile fuerit, insultus & ausus nepharios reprimendo. Ipsi namque suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita frena relaxant, Ecclesiarum Prelatis, Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, & rebus etiam earundem onera imponunt gravia, ipsasq; vexationibus plurimis, talliis, collectisque multiplicibus frequenter aggravant & molestant. Propter quod contra hujusmodi presumptores summa suadet necessitas, gratia suffragante Divina, pro pace, & quiete, ac utilitate publica salubriter providendum. Sacro igitur approbante *Concilio* statuimus & sanximus:

I. Quod si quis deinceps in hoc sacrilegii genus nephandum irrepserit, quod Archi-Episcopum Magdeburgensis provincie inter provinciam ipsam ceperit, seu captum detinuerit in eadem, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel favorem, aut postea sponte receptaverit, vel defensaverit scienter eundem; cum ex eo excommunicationis sententiam incidat *ipso facto*; excommunicatus, & ab omnibus arcius evitandus, accensis candelis, & pulsatis campanis, per totam denuntietur provinciam singulis diebus Dominicis & festivis, & cessetur nihilominus in ampliorem pœnam ipsius in tota provincia a solemniis Divinorum.

II. Ita tamen, quod singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis misse celebrentur, & alia Divina dicantur officia, sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, ac etiam populo nostro admisso, & una campana semel tantum pulsata, ut sic conveniant, per quos debebit Divinum officium celebrari: & insuper tempore hujusmodi cessationis nulla conferantur Ecclesiastica Sacramenta.

III. Hiis dumtaxat exceptis, que tempore interdicti *jura* permittere voluerunt, videlicet Baptismata parvulorum, & tam sanorum, quam infirmorum, pœnitentia, viaticum, & confirmationem in fronte. Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quam Ecclesiastica sepultura; de gracia tamen duximus concedendum, quod tam Clerici, quam laici decedentes, qui cau-

causam non prebuerunt hujusmodi interdicto, in cimiterio Ecclesie sine campanarum pulsatione, sic quod laici absque Presbytero, Clerici vero cum presentia Presbyteri, sub silentio tumulentur. Ita tamen, quod funere ad suam Ecclesiam deportato & oblationibus, si qui eas exhibere voluerint, more solito ibi factis, populus ab Ecclesia exeat, & presbyter in Ecclesia, presente funere, voce submissa Missam celebret pro defunctis. Quibus sic peractis funus eo modo, ut dictum est, tradatur Ecclesiastice sepulture.

IV. Si vero Archi-Episcopi, vel Episcopi nostre provincie captio, vel detentio extra provinciam (a) omittatur; ex tunc omnes Episcopi alii, & etiam Archi-Episcopus ipse, sicuti captus non fuerit, cum suis capitulis infra quindecim dies, aut prius etiam, si commode fieri poterit, postquam ad eorum notitiam de captivitate Archi-Episcopi, vel Episcopi pervenerit, Archi-Episcopum vel Episcopum extraneum in cujus Dyocesi detinetur captivus, efficaciter interpellare debebunt, ut ipse ad liberationem captivi exhibens consilium & auxilium opportunum, in tota sua Dyoces. cessari faciat a solemniis Divinorum: omnibus aliis supradictis in nostra observandis provincia tempore captivitatis hujusmodi in suo robore duraturis.

V. Si autem Canonicum Ecclesie Kathedralis, vel Abbatem, aut Archi-Dyaconum, vel Prelatum collegiate, aut regularis Ecclesiarum, in provincia ipsa capi, vel detineri contingat; ex tunc postquam de hoc constiterit, per totam Dyocesin, in qua captus fuerit, & captus etiam detinetur, cessent solemnia Divinorum: & nihilominus in pœnam ipsius captivatoris, ac etiam aliorum, de quibus superius est expressum, ea, que sunt de excommunicationis denuntiatione & observatione interdicti statuta, in ipsa Dyocesi tantum inviolabiliter observetur.

VI. Eodem modo, si Canonicus Ecclesie collegiate, vel Rector alterius Ecclesie cujuscunque, seu etiam Clericus in sacris, vel etiam minoribus ordinibus constitutus, infra terminos provincie captus fuerit, vel detentus, per totum Archi-Diaconatum tantum, in quo detinetur, a Divinorum sollemniis volumus abstineri; aliis penis superius positis in ipso Archy-Diaconatu diligentius observatis.

VII. Si tamen Kathedralis, vel aliarum Ecclesiarum Canonici, aut Abbates, Prelati, seu Clerici supra dicti extra provinciam capti fuerint, vel detenti; Archi-Episcopus, sive Episcopus ipsius capti ordinarius, pro ipsius liberatione Archi-Episcopum, vel Episcopum loci, in quo detinetur captivus, preces suas dirigere teneatur, ac etiam tam exacta diligentia exhortari, ut ipsi tempore detentionis hujusmodi cessari faciant in sua Dyocesi sollemnia Divinorum, contra captivatorem, seu captivatores faciendo singulis diebus Dominicis & festivis excommunicationis sententiam publicari. Has autem omnes penas statuimus inviolabiliter observandas, donec captum liberum & solutum dimitti contingat cum satisfactione debita, & condigna.

VIII. Contra eos similiter, qui Clericos membro aliquo mutilare, enormiter vulnerare, aut etiam occidere non verentur, extendi volumus penas easdem, que contra Clericorum captivatores, seu detentores, sunt superius promulgate.

IX. Ceterum, quia dignum est, ut propter enormitatem culparum, penarum modus exuberet, nec penis solitis contententur; statuimus, quod filii & filie, & omnes eorum posteri, qui, vel que usque ad quartam generationem per lineam rectam tam masculinam, quam femininam a predictis malefactoribus descendere dinoscuntur, in nulla Ecclesiarum nostre provincie ad beneficium aliquod Ecclesiasticum ante prestitam satisfactionem debitam & congruam aliqualiter assumantur.

X. Et quidem, si secus per eos, ad quos electio, collatio, præsentatio, seu provisio talium beneficiorum spectare dinoscitur, attemptatum fuerit; ipsa electio, collatio, presentatio, vel provisio ea vice ad loci Episcopum; qui si infra tempus a jure statutum id facere neglexerit, ad superiorem proximum devolvatur, non obstante aliqua consuetudine contraria, si que possint per quemcunque in oppositum allegari. Et ne in obli-

(a) *forte:* committatur.

oblivionem veritas veniens vagetur incerta; statuimus, ut nomina predictorum Episcopo loci tradantur, per ipsum scripture memoria perhennanda, qui etiam talium copiam nominum ad alios transmittat Episcopos, prout viderit expedire.

XI. Eisdem etiam penis teneri volumus omnes, qui prædictorum spontanei *receptatores*, vel defensores extiterint, aut ipsis prebuerint opem, consilium, & favorem.

XII. Ut tamen penas premissas contra captivatores & detentores personarum Ecclesiasticarum nostre provincie, in hoc Concilio generaliter promulgatas mitigare, remittere, interpretari, declarare, vel etiam ampliare, prout qualitas facti exegerit, valeamus; tam nobis, quam cuilibet fratrum & Coepiscoporum nostrorum in sua Dyocesi libera sit facultas: penis prioribus super Archi-Episcopi, seu Episcopi captivitate & detentione, statutis nullatenus immutatis; nisi super hoc omnium nostrorum accedente communi consilio, & consensu.

XIII. Item, quia non solum a jure censentur, qui in personas Ecclesiasticas manus injiciunt temere violentas, verum etiam & illi, qui res Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum spoliant, diripiunt, & invadunt; Presenti constitutione sanximus, quod spoliatores & invasores rerum Ecclesiasticarum si legitima monitione premissa, de damnis, & injuriis irrogatis, infra terminum competentem ad hoc assignatum, eisdem, postquam per duos, vel tres testes ydoneos super damnis & injuriis hujusmodi sufficiens fuerit facta fides, satisfactionem competentem exhibere contempserint, excommunicationis vinculo constringantur. Et quod contra tales hujusmodi excommunicationis sententia promulgata per eos, qui super hoc requisiti fuerint, per totam nostram provinciam singulis diebus Dominicis, accensis candelis, & pulsatis campanis debeat publicari. At, (*b*) quod in omnibus locis, in quibus malefactores prefati domicilium vel receptaculum habuerint, & ad quæ ipsos, vel aliquem ipsorum pervenire contigerit, & quamdiu ipsi ibidem moram traxerint, & post recessum eorum per triduum immediate secutum in illis, ad que ipsum spolium deducetur (civitatibus Ecclesiarum Kathedralium dumtaxat exceptis) cessandum statuimus ab officio Divinorum, donec rebus spoliatis, seu earum estimatione, prout justum fuerit, restitutis, de damnis, injuriis, & interesse, satisfactum fuerit competenter.

XIV. Insuper extirpandam ad quorumdam Laicorum Patronorum detestabilem corruptelam, qui Rectoribus Ecclesiarum defunctis, dotes ipsas spoliare presumunt, & de rebus mobilibus & immobilibus, & se moventibus, in ipsis Ecclesiis inventis, se temere intromittunt; statuimus, ut si quis Patronus laicus cujuscunque preeminentie, dignitatis, vel conditionis existat, talia de cetero facere presumpserit, jure presentandi Clericum ad Ecclesiam, taliter spoliatam, sit ipsa vice privatus, & presentatio Clerici ad loci Episcopum, alioquin ipso Episcopo infra tempus a jure debitum negligente, ad superiorem proximum devolvatur. Idemque Patronus, tanquam rerum Ecclesiasticarum invasor, ad ablatorum restitutionem per censuram Ecclesiasticam ab executoribus hujusmodi Concilii compellatur.

XV. Sunt preterea nonnulli Ecclesiarum Advocati, spe tuitionis & defensionis Ecclesiarum assumpti, qui Ecclesiarum jura, possessiones, & homines adeo turbant, lacerant, minuunt & molestant; quod ex defensoribus in offensores turpiter se transmutent ex eo, quod tam immoderatis exactionibus, & oneribus Ecclesias ipsas opprimere non verentur; quod Dominis suis propriis jura & decorum nequeunt persolvere, nec, quod gravius est, vite sue congruam sustentationem habere. Cum igitur hujusmodi ingratitudinem jura merito penaliter persequantur; statuimus & sanximus, quod iidem advocati suis juribus, ipsis ab inicio deputatis, contenti, nihil sibi amplius audeant occasione advocationis hujusmodi usurpare, alioquin ipsi advocati talia presumentes, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, cum de presumptione hujusmodi constiterit, excommunicati publice nuntiandi.

XVI. Item cum iniquum existat, aliquem ulterius odio pregravari; hujus sacri auctoritate Concilii prohibemus, ne pretex-

(*b*) *forte*: Ac.

pretextu inimiciciarum, quas quandoque contra Ecclesiarum advocatos haberi continget, bona Ecclesiarum & Clericorum quisquam exactionibus seu vexationibus de cetero aggravare, ledere, seu molestare presumat, alioquin ipso facto sententie excommunicationis se noverit subjacere, & contra talem ad interdicti sententiam procedatur; si id statutorum executori visum fuerit expedire.

XVII. Amplius cum Ecclesie, Ecclesiasticeque persone, ac res ipsarum non solum *jure humano*, quinimo & *Divino* a secularium personarum exactionibus sint immunes; propter multorum insolentiam in actionibus talibus, & abusum, sacri Canones statuerunt, quod si persone singulares fuerint, talia presumentes, excommunicationis, si autem Collegium, vel universitas civitatis, castri, seu loci alterius cujuscunque, hec presumpserit; ipsa civitas, castrum, vel locus interdicti sententias incurrere ipso facto: quas quidem excommunicationis & interdicti sentenrias statuimus in singulis Ecclesiis quandocunque, & quociens-cunque opus fuerit, publicari; & super hiis per executorem statutorum presentis sacri Concilii querulantibus sine difficultate qualibet subveniri.

XVIII. Insuper Clerici, seu Notarii, qui per Dominos suos premissa fieri dolose persuaserint, seu consilium & auxilium prestiterint, ad talia faciendum, dum de Dominorum suorum delicto constiterit, a familiaritate & servitio ipsorum infra mensem omnino recedere teneantur, alioquin propter dolum ipsorum, cum detectus fuerit, omnino reddantur inhabiles ad aliquod beneficium Ecclesiasticum inposterum consequendum, & beneficio, si quod actu jam habent, sint ipso facto privati.

XIX. Item, quia *jura Canonum*, Ecclesias incastellari a laicis vetuerunt, Nos volentes prohibitionem eandem penarum adjectione juvare, statuimus: quod si qui laicorum Ecclesias incastellare, & de eis propugnacula facere non formidant; ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, & terra ipsorum, si quam habent, vel locus, in quo de jure, seu de facto, jurisdictionem exercent, Ecclesiastico sit subpositus interdicto.

XX. Insuper statuimus, quod omnes hii, qui statuta facere, seu edere, mandare servari presumpserint in derogationem, subversionem, & conculcationem Ecclesiastice libertatis, & precipue munerum sacro altari offerre volentium suis statutis illicitis restringentes, qui ex facto hujusmodi excommunicationis sententiam juxta Sanctiones Canonicas inciderunt; per Rectores Ecclesiarum, cum expediens viderint, excommunicati sollemniter publicentur, nisi inter mensem, super hoc moniti, talia statuta omnino revocent, & faciant amoveri nullo unquam tempore valitura.

XXI. Preterea cum debeant Clerici non solum interiori, sed etiam exteriori ornatu fulgere, presentis approbatione Concilii prohibemus; ne quis Clericus, vel Monachus tabernas frequentare presumat, vel habitum Clericalem seu Monachalem abjiciat, vel tonsuram Clericis congruentem & debitam portare contemnat: quia huic ornatui, qui in Clericis nitere debet, videntur non modicum adversari. Transgressores vero predictorum ab ingressu Ecclesie suspendantur: & hii, qui contra tonsuram decentem & debitam deliquerint, redditus suorum beneficiorum non percipiant, nec ullum eis jus competat, redditus tales petendi, quousque se modo debito faciant tonsurari.

XXII. Item cum sacrorum Imaginibus propter illorum reverentiam, quos figurant, locus dignior merito debeatur; Ob hoc, ne in civitatibus, oppidis, castris, villis, in quibus Ecclesie parochiales habentur, alibi usquam, quam in Altari consecrato, quisquam eas collocare presumat, & ne portantes tabulas in manibus, fidelium eleemosynas petituri, Sacrorum Imagines, vel reliquias tunc pariter cum tabulis, vel etiam preter tabulas, secum deferant, aut forsitan ficte simulent se deferre, cum id ex avaritie radice procedat; fieri de cetero, sub anathemate prohibemus (diebus Dedicationis ac Patroni ipsius Ecclesie dumtaxat exceptis) cum hiis diebus propter multitudinem populi adunati non pateat accessus facilis ad Altare, vel nisi super hoc faciendo per Episcopum loci justa causa pensata Spiritualis licentia concedatur.

XXIII. Insuper statuimus, quod laici Parrochialium Ecclesiarum provisores, seu vitrici, qui *altirmanni* vulgari vocabulo nuncupantur, de rebus Ecclesiarum, quas receperint & expendunt ad requisitionem Rectoris Ecclesie, quem adhibeant, in virtute Sancte Obedientie duximus adstringendum, bis in anno in presentia ipsius Rectoris & quorundam aliorum de Parochia honestorum, rationem reddere teneantur; ut & de predictorum consilio & consensu res Ecclesiarum ad usus earundem congruos & decentes utiliter convertantur: ac pariter & Nos, & aliorum locorum Episcopi, quibus Ecclesiarum cura & sollicitudo imminet, super rebus Ecclesiarum per Rectores ipsos, super hoc requisitos, possimus apertius informari. Postremo precipimus, & mandamus, ut nulla statuta alia a Predecessoribus nostris in suis Conciliis promulgata, si statutis nostris premissis reperiantur contraria, vel adversa, quisquam recipiat, vel secundum ea judicet, aut penas seu sententias earum auctoritate aliquas proferat, vel etiam exequatur: Decernentes statuta talia, sententias, penas, & processus habitos ex iisdem, nullius obtinere roboris firmitatem, per hoc ultimum statuta alia Magdeburgensium Conciliorum, si qua fuerint, minime revocantes.

Cl. Lunig. Continuatione II. Spicilegii Ecclesiastici des Teutschen Reichs-*Archivs. a pag. 251. ad 254.*

Epistola GUIDONIS, S. Laurentii in Lucina Cardinalis Presbyteri, Apostolicæ Sedis Legati ad Provinciam Magdeburgensem & Episcopatum Kaminensem, Encyclica, quæ summatim Concilii Magdeburgensis Statuta complectitur.

FRATER GUIDO, MISERATIONE DIVINA T. SANCTI LAURENTII IN LUCINA PRESBYTER CARDINALIS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, AD PERPETUAM REI NOTICIAM.

SAcrosancta Romana Ecclesia sicut in Sancto PETRO Apostolorum Principe a Domino promissionem obtinuit, quod universalis Ecclesie fundamentum existeret: & preceptum accepit, ut Christiane fidei Professores in fide, religione, omnique sanctimonia confirmaret; ita pro universarum Ecclesiarum profectibus sollicitam se semper exhibuit, & de instituendo, conservando, ac provehendo in omnibus Ecclesiis, cultu fidei fuit omni tempore studiosa: ut & ab ea, sicut a fonte ad universos Ecclesie filios sit Christiana religio derivata, & quod ab aliis, qui S. Spiritus primitias acceperunt, religiose ac salubriter institutum est, ut per eandem immutabilem acciperet firmitatem. Hinc est, quod Sanctissimus Pater noster, Dominus CLEMENS, Papa quartus ad Magdeburg. Provinciam, ac Episcopatum Kamminens. cum plene Legationis officio nos duxerit destinandos, officii nostri debitum libenter exequimur, evellendo scilicet evellenda, plantando plantanda, recta gerendo, & dirigendo salubriter indirecta. Verum, quoniam expedit ad profectum & robur fidei Christiane, ut Sacramenta Ecclesie, in quibus tanquam in vasis medicinalibus, populus devotus & humilis antidotum gracie recipere consuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur, cum ea plerumque contingat effici vilia, propter vilem & abominabilem Ministrorum Ecclesie conversationem, universis personis Ecclesiasticis Provincie & Diœcesis predictarum districte precipimus, ut in victu, vestitu, gestis, & aliis operibus, ac circumstantiis status sui sic honeste se habeant, & decenter; ne propter ipsos nomen Ecclesiasticum inter laicos blasphemetur: eisdem districtius inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos se faciant

Guido Cardinalis Episcopus Sabinensis, fuit a Clemente IV. Papa Legatus a Latere missus in Germaniam & Angliam 1266. Literas Legationis recitat Raynaldus ad hunc annum No. 36.: sed hic Legatus impeditus est a Proceribus Angliæ ab ingressu in Regnum: unde Bononiam Gallicam evocavit Episcopos Angliæ, & latæ excommunicationis ac interdicti sententiam in pacis turbatores fulminavit.

faciant crucis Christi, sicut illi, *quorum Deus venter est*, *qui terrena sapiunt*, non Divina. In conviviis suis modestiam & mediocritatem observent, superfluitatem indebitam resecantes, ebrietatem omnium viciorum fomitem & nutricem evitent.

II. Prelati vero a gravaminibus abstineant subditorum: & maxime cum Ecclesias visitant, moderentur expensas, coherceant evectionum numerum, prout in *Generali Concilio* exstitit diffinitum. Electiones libere fieri permittant in subditis Ecclesiis, nec pro suis amicis carnalibus, vel aliis preces armatas porrigant, ante factum, vel post factum: ita ut non exauditis precibus indignationem exhibeant, vel vindictam sumant, sibi & gregi suo taliter intendentes, quod zelatores justicie, modestie amatores, & generaliter omnium bonorum sectatores operum ostendantur.

III. *Presentis igitur Concilii approbatione* precipimus, ut Clerici continenter, & caste vivere studeant, quod puro corde & mundo corpore Deo possint in officio Ecclesiastico ministrare. Siqui vero de cetero deprehensi fuerint detinere publice concubinas, nisi infra mensem se ab eis, & ab earum consortio separaverint, ita quod in domibus earum, aut propriis, aut aliis quibuscumque non cohabitent, nec ad illas accedant; ex tunc ab omni beneficio Ecclesiastico sint privati, & per eos, ad quos eorundem beneficiorum spectat collatio, personis idoneis conferantur.

IV. Item, cum in plerisque locis quorundam iniquitas in tantum invaluerit, quod in rebus Ecclesie furtum reputetur, sagacitas: rapina, probitas; & violentia fortitudo; *Synodali judicio diffinimus*, ut, qui bona Ecclesiarum scienter detinent occupata, nisi infra instantem quadragesimam de damnis, & injuriis satisfecerint competenter, ex tunc introitum Ecclesie sibi noverint interdictum, nec ab Episcopis, aut aliis Ecclesiarum Prelatis ad communionem Dominici corporis admittantur. Qui vero obstinata mente, dum vixerint satisfacere non curarunt, nullus Clericus secularis vel regularis sepulture ipsorum interesse presumat.

V. Adjicientes, ut singulis annis *in Synodo* illi, qui Clericos capiunt, verberant, vel occidunt, aut alias in ipsos manus mittunt violentas, excommunicati publicentur, & nominatim illi, de quibus constiterit manifeste. Quicunque vero personam Ecclesiasticam enormiter vulneraverit, vel occiderit, aut captivaverit, non nisi per Sedem Apostolicam absolvatur, & ipso facto, si quid tenebat ab Ecclesia, illud perdat, & in utilitatem Ecclesie convertatur.

VI. Adjicientes, quod in illa Dyocesi, in qua aliquem Canonicum Kathedralis Ecclesie, vel in dignitate Ecclesiastica constitutum capi contigerit, vel captum detineri, usque ad liberationem ipsius, ac exhibitionem debite satisfactionis, cessetur generaliter a Divinis. Similiter & in illa Parochia, in qua res Clericis ablatas capi, vel detineri contigerit, usque ad restitutionem & satisfactionem congruam, a Divinis cessetur.

VII. Item cum matrimonii Sacramentum non sit incontinentie precipitium, sed potius remedium contra illud, non absque dolore cordis audivimus in hac Provincia, & Dyocesi Caminens. quosdam sic a sue carnis voluptate, vel terrena cupiditate deceptos, quod in *gradu probibito* de facto temere contrahentes, quod non matrimonium, sed contubernium dici debet, se incestuose, (*c*) luxuriose vilitatem immergere, & Sacramentum matrimonii, quantum in ipsis est, polluere non verentur. Nos itaque tantum excessum conniventibus oculis pertransire nolentes, sub pena excommunicationis districtius prohibemus, ne absque dispensatione Sedis Apostolice de cetero tale matrimonium, seu contubernium contrahatur. Alioquin Sacerdotes, qui tales conjunxerint, a sacerdotali officio noverint se suspensos.

VIII. Illi vero, qui sic scienter permiserint, se conjungi, ipso facto ab ingressu Ecclesie suspendantur. Sub eadem quoque pena illis, qui jam absque dispensatione tale matrimonium contraxerunt, districte precipimus, ut a cohabitatione invicem abstinentes Dyocesano suo, vel alii Prelato, ad quem de jure vel consuetudine pertinere dinoscitur talium causarum cognicio, rei veritatem

(*c*) *fors*: luxuriæ vilitatibus.

tem insinuare non tardent. Qui vocatis, qui fuerint evocandi, & causa diligenter examinata, quod canonicum fuerit, statuat, faciens, quod decreverit, per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Episcopi vero, sive alii Prelati, de causis matrimonialibus cognoscentes, omnino caveant, ne cupiditate devicti non solum dirimenda non dirimere, verum etiam separanda redintegrare pretextu pecunie, vel alterius commodi non presumant. Si quis autem contra hoc venire presumpserit, interdictum eo ipso se noverit officio, beneficioque privatum.

IX. Layci vero, qui de penis inferendis personis conjunctis, in causa matrimoniali, seu accusatoribus in probacione deficientibus se intromiserint, cum ad ipsos non pertineat, sed ad judicem Ecclesiasticum, coram quo negocium ventilatur, per censuram Ecclesiasticam compescantur; cum ex hoc multi ab accusatione matrimonii retrahantur.

X. Item cum detentores *plurium* Personatuum, vel dignitatum, seu beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, sine dispensatione, sint Sacrorum Canonum transgressores, & fructus talium beneficiorum percipiendo furtum committere dinoscantur; presenti decreto statuimus, ut omnes, qui hujusmodi dignitatum, personatuum, seu beneficiorum cum cura, pluralitatem retinent, aut super hoc secum dispensatum fuisse coram Nobis infra proximam quadragesimam doceant manifeste: aut, si cum eis non fuerit dispensatum, eligant sibi unum de predictis beneficiis retinendum, & alia infra terminum memoratum libere in manibus illorum resignent, ad quos illorum collatio dinoscitur pertinere; alioquin ex tunc ab omnibus beneficiis Ecclesiasticis, dignitatibus, seu personatibus se noverint esse privatos. Precipimus autem illis, ad quos predictorum beneficiorum, personatuum, seu dignitatum collatio pertinet, ut aliis personis ydoneis conferant, & assignent. Quod si infra terminum a jure determinatum hoc adimplere non curaverint, ad proximum Superiorem eorum collatio devolvatur.

XI. Item ad aures nostras quorundam laycorum gravis excessus pervenit, qui contra Ecclesiasticam libertatem quedam statuta, que leges inique possunt verius appellari, introducere non verentur: quod licet contra hujusmodi presumptores per Summos Pontifices olim processum extiterit, nos tamen propter transgressorum audaciam non tam nova cudentes, quam etiam vetera renovantes, omnes illos, qui in Magdeburgensi Provincia, & Dyocesi Caminens. de cetero servari fecerint statuta edita, aut consuetudines introductas contra Ecclesiasticam libertatem, excommunicamus in hiis scriptis; nisi ea de Capitularibus suis infra instantem quadragesimam fecerint amoveri. Excommunicamus etiam Statutarios & Scriptores statutorum ipsorum, nec non Consules & Rectores, & Consiliarios locorum, in quibus de cetero hujusmodi statuta & consuetudines edite fuerint & servate, nec non eos, qui secundum ea judicare presumpserint, vel in formam publicam scribere judicata.

XII. Item dolentes audivimus, quod quidam nobiles progenitorum suorum, felicium videlicet Principum, qui Ecclesiasticas personas honoraverunt multipliciter propter Deum, ingenue libertatis exemplum derelinquentes, ac viam superbie & avaritie in suarum periculum animarum sequentes, ab Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prelatis bona quedam, que ab eorum Ecclesiis consueverunt recipi, & teneri; & recipere, ac eisdem debitum omagium facere dedignantur: Et cum super hoc requiruntur rationabiliter a Prelatis; quandam frivolam exceptionem opponunt, videlicet; " Quod id facere minime teneantur pro eo, quod ipsi Prelati nondum " ab Imperatore sua bona temporalia " receperunt." Nos itaque hujusmodi perizoma, quo tales sue superbie & avaritie turpitudinem occultare nituntur, tanquam vanum & frivolum exsufflantes, predictos nobiles monemus, & hortamur attente, ut Episcopis & aliis Ecclesiarum Prelatis, debitum omagium faciant, ac bona temporalia, que a predecessoribus recipi consueverunt in feodum, recipiant ab eisdem, ad quod faciendum nos instantem solemnitatem Resurrectionis Dominice pro termino peremptorio duximus præfigendum, presenti

ſenti hac fidelium multitudine ſignificantes eiſdem, quod niſi infra predictum terminum hac facere curaverint, ex tunc contra ipſos ſpiritualiter & temporaliter auctore Domino procedetur, prout juſtitia & ratio ſuadebit.

XIII. Item, ſicut intelleximus; fama creſcente, beneficia quedam Eccleſiaſtica plerisque per *Simonie vitium* conferuntur. Nos igitur huic morbo peſtifero congruum remedium adhibere volentes diſtricte precipimus, ne id de cetero fiat: & quicunque remorſum conſcientie habens ſuper beneficio per Simoniam dato, vel recepto, illud infra inſtans Paſcha reſignet, quod Simoniace recepit: & qui obtulit, penitentiam agat, & ſiquid pro eo recepit, reſtituat; alioquin utrumque dantem ſcilicet, & recipientem ex tunc excommunicationis vinculo innodamus.

XIV. Item, ſicut ex relatione multorum, & fide dignorum intelleximus, quedam conſuetudo deteſtabilis, que magis corruptela, quam conſuetudo eſt cenſenda, per Magdeburgenſem Provinciam inolevit, videlicet, quod defunctis Sacerdotibus Eccleſiarum Parochialium, nec cura animarum porrigitur, nec Divinorum adminiſtratio conceditur perſonis, per veros Patronos, Eccleſiarum Prelatis, vel Archi-Diaconis loci, ad quos de jure pertinet preſentatio, legitime preſentatis; niſi primo Archi-Diacono vel Prelato melior veſtis, & equus Sacerdotis defuncti tradantur eidem; vel quedam ſumma pecunie pro eſtimatione predictorum: Nos itaque tam horribilem venalitatem ab Eccleſia Dei excludere cupientes, perpetuo decreto prohibemus, ne pro inducendo Presbyterum in Eccleſiam, vel cura animarum porrigenda, vel Divinorum adminiſtratione concedenda aliquid promittatur, vel detur. Quod ſi contra factum fuerit, uterque ſcilicet donans & recipiens, vel promittens, per cenſuram Eccleſiaſticam percellatur. Si vero ex poſt facto aliquid ex mera libertate ultro offertur, illud equanimiter toleramus. Hæc autem ſtatuta per totam provinciam Magdeburgenſem & ad civitatem & Diœceſin Caminenſem duximus extendenda, mandantes, ea legi in *ſingulis Synodis Epiſcopalibus*, ne qui pretextu ignorantie ſe excuſent.

Acta ſunt hec in Concilio Magdeburg. Anno Domini MCCLXVI. Pontif. D. C. Pape quarti anno ſecundo.

Cl. Lunig. Continuatione II. Spicilegii Eccleſiaſtici a pag. 255. ad 257.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QUoniam Propheticis ex Scripturis abhominabile dicitur affore tempus, in quo fides Katholica usque adeo laceretur, quod in ea vix juſtiſſimi & fortiſſimi perſeverent; non immerito formidatur, quod jam adveniat talis hora, prout videtur exigente nephandiſſima Tartarorum, (*a*) quorum Dominus ſe quaſi parem, vel fratrem Omnipotentis Dei & altiſſimi reputando dicit, dedit (*b*) in partem ſuam orbem terrarum, & Dei Salvatoris noſtri ceſſiſſe Regna Eccleſiaſtica portionem; diſpare tamen cultu, cum ſuam partem interfectionibus ſortiatur; quam & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſimul cœleſtibus creavit, quem & ſalvavit proprio ſanguine & redemit. Proinde ad reſiſtendum tante immanitati Reverendus Pater ac Dominus noſter, Sacro-Sancte Romane Sedis Summus PONTIFEX, mandavit nobis preſens *Concilium* adunare, in quo ſic decernimus ſtatuendum, ut fratres noſtri Domini Epiſcopi, filii Abbates, Prepoſiti, Archi-Diaconi & alii Eccleſiarum Prelati, commiſſum ſibi Chriſtianum populum quilibet in ſuis terminis exhortetur diligentia cum exacta, ut:

I. Si quid ſit inter eos, quod abſit, Werrorum, odii, vel qualislibet ſimultationis; ſuper eo in fraterne pacis redeant unitatem:

II. Et vigiliis, orationibus, jejuniis, ſibi Deum reconcilient;

III. Et ideo Proceſſiones & Letanias indicant, quas hic etiam precipimus obſervari. In quolibet menſe una Proceſſio generalis, ſicut in Rogationibus cum jejuniis obſervetur: poſſunt tamen Prelati, Archi-Diaconi, & Plebani poſt peractam Proceſſionem, ſexta feria duntaxat excepta, ſuis ſubditis lacticiniorum eſum miſericorditer indulgere. Ad quam etiam proceſſionem veniant Religioſi Ordinis cujusque.

IV. Preterea volumus, ut Pſ. *Deus venerunt gentes*. cum Antiphona: *Da pacem Domine*, nec non cum *Kyrie el*, *Chriſte el.*

(*a*) *forte* gente.

(*b*) *omiſſum* aliquid, *unde obſcurus ſenſus.*

el. *Kyrie el. Pater noster*, cum verf. *Fiat pax in virtute tua*, & cum Coll. *Deus, a quo*, cum genuflexione. Et hec omnia post *Agnus Dei*, antequam Sacerdos communicet, qui etiam Sacerdos Collectam dicat cum pulfatione unius campane: & ista in singulis Ecclesiis & Parochiis diligentius observentur.

V. Item statuimus, ut qui predictam campanam pulsari audierint, & cum genuflexione Dominicam orationem dixerint, auctoritate nostra & Suffraganeorum nostrorum X. dies injuncte indulgentie habeant, & hoc sive intra, vel extra Ecclesiam, campanam audientes, & ut dictum est, Dominicam orationem dicentes fuerunt constituti. Verum quoniam hominum crescente malicia, juribus que super libertatibus Ecclesiarum & Cleri S. . . . detrahitur, adeo, quod, quia nulla defensio ab ipsis juribus habeatur, facro approbante Concilio, quedam spiritualia statuimus, que ad notitiam tam futurorum, quam presentium cupimus pervenire.

VI. Quod si Archi-Episcopum vel Episcopum nostre Provincie capi contingat, in tota provincia cessetur penitus a Divinis; si vero Prelatum, vel Canonicum Kathedralis Ecclesie capi contigerit, per totam Dyocesim, in qua captus detinetur, cessetur penitus a Divinis. Item si plebanum, vel quemlibet Clericum, in facris Ordinibus constitutum, capi contingat, per totum Archi-Diaconat. cessetur similiter a Divinis.

VII. Item, si Archi-Episcopum vel Episcopum nostre Provincie capi contingat, & capiens Capellanos habeat, vel Scriptores, statuimus, ut infra VIII. dies a Domino suo redeant; alioquin ex tunc beneficiis careant, & sint inhabiles ad beneficia obtinenda, & ad superiores ordines nullatenus assumantur. Si vero jam sint Ecclesiastica beneficia consecuti, illis, nec non officio sint privati.

VIII. Ceterum, si Prelatus inferior, vel Plebanus, vel Clericus in facris ordinibus constitutus captus fuerit, Capellani vel Scriptores captivantis ab eo infra unum mensem recedant, alioquin de hiis fit, quemadmodum superius est statutum.

IX. Ad hec quia Prelati tam regulares, quam seculares, & alii Clerici nostre provincie passim contra libertatem Ecclesiasticam ad seculare judicium pertrahuntur; cum hoc penitus sit absurdum, statuimus, ut actor, qui talem maliciose intemptaverit actionem, postmodum coram Ecclesiastico Judice conquerens nullatenus admittatur; & nihilominus, si compertum fuerit, eum de persona Ecclesiastica, kalumpniose movisse querelam, tam ipse, quam Judex, excommunicationis sententia constringantur, usque ad satisfactionem condignam artius evitandi.

X. Item, quia quidam a Prelatis, seu personis Ecclesiasticis contra libertatem eorum, & approbatam consuetudinem ex antiquis obtentam temporibus pedagia, thelonia, extorquent injuste; statuimus, ut tales ad abstinendum hiis angariis eorum, per Ordinarios suos, monicione premissa, censura Ecclesiastica compellantur.

XI. Item propter maliciam hominum excrescentem, contra spoliatores Episcoporum, & Clericorum cujuscunque ordinis, statuimus; ut quicunque nobiles vel alii ad torneamenta vel prelia pro . . . ad colligendum viros & complices suos, jacuerint in bonis, sive allodiis Episcoporum, & Clericorum, & fecerint ibi dampna: nisi per Ordinarios, vel eorum Officiales commoniti de dampnis illatis lesis satisfaciant; hiidem judices certificati per juramentum trium ad minus, quorum interest, legalium personarum de injuria notoria & manifesta, excommunicent ipsos, & enuncient ab omnibus artius evitandos: omnia quoque loca, in quibus habent receptacula vel domicilia, usque ad satisfactionem condignam subjiciantur Ecclesiastico interdicto.

XII. Preterea statuimus, ut si qui Episcopos, vel Clericos cujuscunque ordinis angariaverint, ad prestandos equos, vel currus victualibus oneratos, ut ab hoc cessent, simili sententia compellantur. Et hoc etiam de illis, qui faciunt exactiones in bonis Episcoporum vel Clericorum, districtius precipimus observari.

XIII. Excommunicamus etiam ex nunc omnes, qui dicatas Deo Ecclesias ausu facrilego prophanantes, faciunt munitiones, de ipsis perfodiunt cimeteria,

ria, rejectis ossibus mortuorum: omnes quoque adhibentes in hiis opus, consilium, & juvamen, decernimus excommunicationis sententie subjacere, Ecclesias etiam taliter prophanatas & omnia loca illa, in quibus consilium, vel auxilium prestantes habent receptacula, subjicimus ex nunc Ecclesiastico interdicto.

XIV. In graviorem etiam penam talium subtrahantur eorum familie Sacramenta, & Ecclesiastica sepultura, donec cum debita satisfactione munitiones destruant supradictas. Ad extirpandam etiam illam detestabilem corruptelam quorundam Patronorum, qui defunctis Ecclesiarum Rectoribus dotem spoliant, & Ecclesiam rebus mobilibus & immobilibus in salutis sue dispendium, & scandalum plurimorum; statuimus, sive Clericus sive laicus, facere presumpserit, jure presentandi sit ea vice privatus, & Archi-Diaconus, vel si & ipse negligens fuerit, primus superior eandem Ecclesiam conferat illa vice, & nihilominus ad restitutionem ablatorum Patronus per Ordinarium compellatur Ecclesiasticam per censuram.

XVI. Ceterum cum nonnulli Ecclesiarum Advocati spe defensionis assumpti, ita, quod de ceteris stipendiis eisdem spontanee deputatis ipsarum jura, possessiones & homines defensare deberent, facti sunt de defensoribus offensores: eo quod tam immoderatis serviciis angariant homines, quod (c) possunt propriis Dominis persolvere suos census, aliasque illicite dividentes inferioribus suis advocatias in partes, in grave dispendium ecclesiarum eos infeodare presumunt. Cum igitur privilegium mereatur amittere, qui sibi concessa abutitur potestate, statuimus, quod hiidem advocati stipendiis & serviciis sponte assignatis sint contenti, prout coram Imperat. est obtentum, sententia Principum approbante; aliaque jura Ecclesiarum & homines defendant, nihil aliud juris in hominibus & possessionibus usurpantes, redintegrent advocatias in partes divisas & inferioribus infeodatas, & ipsi feodotarii eas taliter occupatas dimittant. Quod si non fecerint infra mensem, moniti per Ordinarios & superiores, ipse advocatus, & suus feodatarius ad id per excommunicationis & interdicti sententiam compellantur.

XVII. Statuimus deinde, ut siquis Episcoporum, vel Clericorum & Ecclesiarum bona, sive homines temere invaserit, spoliis, incendiis, vel rapinis, aut tollendo pignora, occasione cujuscunque questionis, quam contra alicujus Ecclesie advocatum se proponit habere, secundum sanctiones Can. puniatur.

XVIII. De mulieribus, que *BEGINE* vocantur, statuimus; ut Plebano, in cujus morantur Parochia, obedientiam faciant, & ei in omnibus obediant, sicut ceteri Parrochiales. Alioquin ad id per ipsos Plebanos cum excommunicationis sententia compellantur.

XIX. De interfectoribus Clericorum, & mutilatoribus servetur, quod de hiis Canones statuerunt.

XX. Item quia vagi scolares, qui *Eberdini* vocantur, abhominabilem ducunt vitam, Divinum invertunt officium, unde laici scandalizantur: monachis dant materiam apostatandi, quippe quos de claustris recedentes, & alibi receptaculum non invenientes, ipsi in suum recipiunt consortium; statuit hec *Sancta Synodus*, prohibendo, ne quis Clericos (d) ipsos recipiat, vel aliquid det eisdem: quod si fecerit, a superiore suo suspensus acrius corrigatur. Nullus etiam scolaris recipiatur, nisi scolas vel chorum frequentans, sive decenti alias servitio deputatus.

XXI. Item quicunque violaverit (e) communitatem Ecclesie, convictus excommunicatus denuncietur, donec satisfecerit secundum Canonicas sanctiones. Item qui propter urgentem necessitatem, ut fieri solet tempore Werrarum, tuguria vel alia receptacula in cimiteria faciunt; cessante Werra, exportatis rebus & destructis tuguriis, tam Ecclesias, quam cimiteria mundicie & libertati pristine reforment: si moniti infra duos menses non fecerint, ad hoc per excommunicationis sententiam compellantur.

XXII. Prophanum etiam judicamus, quod si quis in Ecclesiis vel cimiteriis edificia, vel qualescunque res posuerit, postmodum ea jure hereditario presumpserit usurpare. Item Sacerdotes,

(c) *forte* non *addendum*. (d) *lego*: Clericus. (e) *lego*: emunitatem.

tes, qui ſcienter incendiarios Eccleſiarum, vel religioſorum locorum, nec non alias excommunicatos receperint in Divinis, Canonice puniantur.

XXIII. Item laici, qui quicquam contra Eccleſiaſticam ſtatuerint libertatem, utpote contra Sacrificia, vel alia ad cultum Divinum ſpectantia, excommunicationis ſententia innodentur.

XXIV. Item circa matrimonia etiam ſtatuimus, & precipimus, ut hoc firmiter teneatur, ſcilicet, ut matrimonia cum omni honore in facie Eccleſie celebrentur. Sacerdos quoque in tribus diebus Dominicis, vel feſtivis, a ſe diſtantem populum moneat, ut, ſi quod legitimum impedimentum noverint, circa matrimonium contrahendum, utpote conſanguinitatem, affinitatem, votum, ordinem, diſparem cultum, compaternitatem, & ſimilia, illud in facie Eccleſie ſtudeant revelare. Excommunicationis etiam ſententia feratur in genere in omnes eos, qui hujuſmodi impedimenta celant, qui etiam condigne, ſi poſtmodum detecti fuerint, puniantur.

Cl. Lunig. Continuatione II. Spicilegii Eccleſiaſtici a pag. 257. *ad* 259.

CONCILIUM VRATISLAVIENSE

SUB THOMA (a) EPISCOPO.

Anno Chriſti MCCLXXIX. Nicolai III. Papæ II. Rudolphi I. Regis VII.

NOS, THOMAS, Dei gratia Wratislavienſis (b) Epiſcopus, Synodo in Eccleſia Cathedrali in caſtro S. Joannis Baptiſtæ anno Dom. MCCLXXIX. præſidentes: Lucris animarum, ſicut decet Paſtorum vigilantiam, totis viribus inhiantes, non tam nova cudentes, quam vetera renovantes: univerſis Perſonis Eccleſiaſticis per noſtram Wratislavienſem Diœceſin conſtitutis, diſtricte præcipimus:

I. Ut in victu, geſtu, & aliis circumſtantiis ſui ſtatus, ſic honeſte ſe habeant & decenter, ne propter ipſos nomen Eccleſiaſticum blaſphemetur.

II. Eisdem imprimis diſtrictius inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos ſe faciant Crucis Chriſti, ſicut illi, quorum Deus venter eſt, qui terrena ſapiunt, non Divina. In conviviis ſuis modeſtiam & mediocritatem obſervent, ſuperfluitatem indebitam reſecantes, ebrietatem, fomitem omnium vitiorum & nutrimentum, evitent.

III. Præcipimus etiam, ut Clerici continenter & caſte vivere ſtudeant, quatenus puro corde, & mundo corpore Deo poſſint in officio Eccleſiaſtico miniſtrare. Si vero deprehenſi fuerint, detinere publice concubinas; juxta tenorem Conſtitutionis (bonæ memoriæ) Domini GUIDONIS Suaden. (c) quondam in partibus Poloniæ Apoſtolicæ Sedis Legati, omni beneficio Eccleſiaſtico ſint privati. Archi-Diaconos vero, qui hujusmodi Concubinarios, ſi de eorum crimine ipſis conſtiterit evidenter, in beneficiis ſuis toleraverint contra ſententiam antedictam; ex tunc ſuſpendimus a Divinis.

IV. Eisdem nihilominus ſub eadem pœna firmiter injungentes, ut Eccleſias, qua-

(a) Thomas hoc ſæculo celebris Vratislavienſium Epiſcopus, bis bello captus a Boleslao Calvo, demum Henrico Duci reconciliatus. Obiit circa A. 1290. ordine XXIII. Epiſcopus, ſed XVI. in urbe Vratislavia, nam antea in Smogra & Bitzen ſederant.

(b) Vratislaviæ duo præterea Concilia celebrata fuerunt hoc ſæculo, unum A. 1246. vel 1247. alterum A. 1248. a Jacobo Archi-Diacono Leodienſi, miſſo ab Innocentio IV. in Poloniam contra Fridericum II. Auguſtum: ibi quinta pars redituum Eccleſiaſticorum a Papa petita & impetrata fuit. Viciſſim Jacobus Legatus indulſit, ut jejunium ante Paſcha, quod veteri ſtylo Polonis novem hebdomadarum fuerat, nunc 6½. behdomadis finiretur.

(c) *lego*: Sabini Epiſcopi Cardinalis.

quarum ad ipsos spectat visitatio, infra tres menses, si commode poterunt, visitent, ne prætextu alicujus ignorantiæ se valeant excusare.

V. Et cum Ecclesias sibi subjectas eos contigerit visitare, moderentur expensas, coerceant numerum Comitum, prout in Generali Concilio extitit definitum. Munera etiam penitus devitent: nec visitationis officio non impenso, procurationem in victualibus, aut aliquid procurationis nomine recipere præsumant. Horum si facere præsumpserint, duplum ejus, quod receperint, Ecclesiæ, a qua id receptum fuerit, infra mensem restituere teneantur: alioquin prædicti Archi-Diaconi, duplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes, ab officio & beneficio juxta Constitutionem (felicis recordationis) GREGORII PAPÆ X, noverint se esse suspensos, quousque de duplo hujusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant, nulla in eis hoc dantium libertate, remissione, seu gratia valitura.

VI. Item, quia peccatis exigentibus quorundam laicorum in nostra Diœcesi adeo iniquitas inolevit, quod in rebus Ecclesiæ furtum reputatur sagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo: Synodali judicio statuimus, ac etiam definimus, ut quicunque nobiles, vel ignobiles, cujuscunque conditionis existant, bona Ecclesiarum scienter detinent occupata, nisi infra instans festum Assumptionis Beatæ Virginis eadem restituerint, & de damnis ac injuriis satisfecerint competenter, ex tunc juxta Constitutionem Domini GUIDONIS præfati, introitum Ecclesiæ sibi noverint interdictum, nec ab Ecclesiarum Prælatis, sive Rectoribus ad Communionem Dominici Corporis admittantur. Qui vero obstinata mente, dum vixerit, satisfacere non curaverit, nullus Clericus sæcularis, vel regularis, secundum quod in eadem Constitutione continetur, sepulturæ ejus interesse præsumat.

VII. Et quicunque laicus nobilis, vel ignobilis, venditionem decimarum clam vel palam impedire præsumpserit, quousque digne satisfecerit de tali commisso, introitum Ecclesiæ sibi noverit interdictum. Statuimus etiam & districte præcipimus, ut omnes Sacerdotes tam sæculares, quam regulares, inter alias circumstantias, diligenter requirant a confitentibus sibi, si decimas non solverint, vel violenter, vel fraudulenter obtinuerint: nec talibus injungatur pœnitentia, nisi decimas sic detentas, ex integro restituant, vel ei, ad quem de jure pertinent, de prædictis decimis satisfaciant competenter. Qui vero decimas sic ablatas non restituerint ei, uti debent de jure restitui, nec in vita sua satisfacere curaverint, Ecclesiastica careant sepultura.

VIII. Præcipimus etiam universis & singulis Ecclesiarum Rectoribus & Vicariis, per nostram Diœcesin constitutis, ut singulis diebus Dominicis & Festis, a Calendis Julii usque ad medium Augusti, quolibet anno, pulsatis campanis & extinctis candelis, excommunicatos denuntient omnes occupatores & impeditores sive violentos, sive fraudulentos decimarum, & prohibentes decimas in villis suis deponi; & eos, qui pro certa summa pecuniæ decimas emerunt, & non solverunt: quos bonæ memoriæ Dominus FULCO, quondam Archi-Episcopus Gneznensis in Concilio Provinciali una cum Suffraganeis suis excommunicavit, prout in eisdem Archi-Episcopi Constitutionibus est expressum. Et ut omnes, qui per Nos, vel auctoritate Constitutionis Legatorum, seu Domini FULCONIS Archi-Episcopi, sunt excommunicationis sententia innodati, excommunicatos publice nuntient, sub pœna trium marcarum argenti, sicut prædictus D. FULCO Archiepisc. Gneznensis noscitur statuisse.

IX. Item præcipimus universis Capellanis Ducum, sive Principum nostræ Diœcesis, sub pœna suspensionis officii, ut Decretales felicis record. Domini GREGORII PAPÆ X, quarum tenorem præsenti Constitutioni inserimus, ad minus sex vicibus in anno, videlicet in festo Resurrectionis Domini, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Virginis, S. Michaelis, omnium Sanctorum, & Natalis Domini coram prædictis Ducibus publice in Ecclesia recitent post Evangelium, in vulgari fideliter & diligenter exponant. Quarum Decretalium tenor talis est: *Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcunque revocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti, per vim vel metum extortam, præsentis Constitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus.*

X. *Ne autem sine vindicta violentiæ crescat audacia; eos, qui absolutionem seu revocationem hujusmodi vi, vel metu extorserint, Excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.* . . . . Alia Decretalis:

XI. *Quicunque pro eo, quod in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Balivos, vel quoslibet Ministros eorum, aut quoscunque alios, excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententia fuerit promulgata, licentiam alium dederint occidendi, capiendi, seu alias in personis, seu bonis suis, vel suorum gravandi; eos, qui tales sententias protulerint, sive quorum sunt occasione prolatæ, vel easdem sententias observantes, seu taliter excommunicatis communicare volentes: nisi licentiam ipsam, re integra, revocaverint, vel si ad bonorum captionem occasione ipsius licentiæ sit processum: nisi bona ipsa fuerint intra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa; eo ipso excommunicationis sententiam incurrant.*

XII. *Eadem quoque sint sententia innodati omnes, qui ausi fuerint, prædicta data licentia uti, vel aliquid præmissorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibuimus, alias committere suo motu. Qui autem in eadem sententia permanserint mensium duorum spatio, ex tunc ab ea non possint, nisi per Sedem Apostolicam absolutionis beneficium obtinere.*

XIII. Præcipimus autem universis Rectoribus Ecclesiarum, & Capellanis nostræ Diœcesis, eisdem in virtute obedientiæ & sub pœna unius marcæ argenti, firmiter injungendo, quatenus copiam Constitutionis præsentis recipiant intra mensem: & eam Constitutionem in scriptis redactam in Ecclesiis suis juxta altare in tabula lignea affigant, una cum Constitutionibus (bonæ memoriæ) Domini FULCONIS Archi-Episcopi.

Lunig. Continuat. II. Spicilegii Ecclesiastici pag. 1173. *ad* 1175.

ADDENDA AD SYNODUM PATAVIENSEM AD S. HIPPOLYTUM. ANNI MCCLXXXIV.

SUMMA. *Pœna ex commissione Papæ decernitur in Monachos Altahenses, qui Volchman Abbatis sui necem in Trajectu Danubii in Werd procuraverant.*

NOS GODEFRIDUS, (*a*) DEI GRATIA, ECCLESIÆ PATAVIENSIS EPISCOPUS.

SCire volumus quoslibet literarum præsentium inspectores, quod in anno Domini MCCLXXXIV. II. Kalend. Maji apud Pataviam Capitulum celebrantes, & in Cathedrali Ecclesia *Synodo* præsidentes, inter alia, quæ super conversatione boni status, & reformatione, ac emendatione defectuum Cleri nostri cum dilectis in Christo Fratribus tractavimus, ad memoriam nobis extitit miserabilis quondam Volchman Abbatis Altahensis cædes, a rebellibus loci fratribus procurata per laicos cognatos eorundem. (*vide Steronem Tomo I. Freheri.*) De consilio itaque Fratrum, nobiscum in *Synodo* existentium, eos, qui in lite & dissensione principales fuerunt [*numero septem*] ab Altahensi Monasterio & Pataviensi Diœcesi perpetuo amoventes, ab excommunicationis sententiis absolutos, ipsos duximus suæ conscientiæ relinquendos.

Reliquos vero, quos minus, quam alios, invenimus deliquisse (*octo fuerant*) Dilecti in Christo Fratris nostri Popponis, Abbatis ipsorum in Altah, discretioni relinquimus puniendos. Concedentes auctoritatem dispensandi &c. . . . . Hac tamen modificatione adjecta, ut iidem Fratres sint ultimi in ordine, & voce Capituli in omnibus electionibus & tractatibus careant, nec ad aliquod officium & administrationem honoris; sed tantum oneris admittatur. . . . .

Hansiz. Tomo I. German. Sacræ pag. 438. *ex Sterone.*

(a) Godefridus Episcopus obiit A. 1285. in octava Paschæ, sedit annos duos, mensem unum, dies 19.

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS

CANONUM, PRIMIS XI. SÆCULIS ÆRÆ CHRISTIANÆ IN ET AB ECCLESIIS GERMANIÆ ACCEPTATORUM, VEL CONDITORUM, ASSIGNATO CONCILIO ET ANNO, QUO CANON CONDITUS FUIT, VEL ANNO, QUO CANONUM COLLECTOR EUM RECENSUIT.

CONCILIORUM INDICEM CHRONOLOGICUM VIDE IN INITIO TRIUM TOMORUM.

PRÆFATIO.

Indicem Canonum per Concilia Germaniæ, XI. primis æræ Christianæ Sæculis celebrata, digestum edimus, talem, qualem olim FULGENTIUS FERRANDUS, *Carthaginensis Ecclesiæ Sæculo sexto Diaconus, scripsit* BREVIATIONEM SACRORUM CANONUM *subjectis singulo Canoni Conciliis primorum Sæculorum, & Decretalibus Pontificum. Eam edidit Clarissimus Petrus Pithoeus anno* MDLXXXI. *& Illustrissimus Peleterius splendido Regio typo recudit A.* MDCLXXXVII. *Complectitur hæc Breviatio Canones* CCXXXII. *Florebat & scribebat Ferrandus post Consulatum Basilii (id est) anno* DXLVII.

Simili fine & idea Crisconius scripsit BREVIARIUM CANONICUM, *quo comprehendit Canones* CCC. *subjectis sigillatim Conciliis, in quibus ii conditi fuere, & Decretalibus Pontificum Siricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Leonis, & Gelasii, ex quibus fuerunt decerpti.*

Edidit & hoc Breviarium immortalis memoriæ vir Petrus Pithoeus anno MDLXXXI, *& recudit idem, qui supra Peleterius elegantissimis formis Parisinis anno* MDCLXXXVII.

Antonius Augustinus, Tarraconensis Archi-Episcopus, Juris Canonici Restaurator, ex universis Conciliis Ecclesiæ Catholicæ concinnavit EPITOMEN JURIS VETERIS PONTIFICII *in Folio, in qua de Personis, Rebus, & Judiciis Canonicis Canones recensuit, & velut ideam generalem Juris Ecclesiastici instruxit typo Romano in Folio anno* MDCXIV, *deinde recusam anno* MDCXLI. *typo Parisino.*

Idem consilium meum est in INDICE, *quem collectioni Conciliorum Germaniæ XI. primorum Sæculorum subjicio, hoc discrimine:*

Imo. *Quod Canones in Conciliis Germaniæ conditos, uti & qui in Conciliis Dionysiani codicis ab Carolo Magno acceptati fuere,*

fuere, ſolos recenſeam: adeoque exhibeam Synopſim Juris antiqui Eccleſiaſtici Germanici.

2do. *Quod Canones juxta materiam alphabetario ordine diſtinxerim, quo facilius reperiantur.*

3tio. *Quod Concilii annum & titulum, quo Canon dinumeratur, addam. Canoniſtarum autem, Bonifacii, Haytonis, Chrodegangi &c. ætas metienda eſt ex anno eorum emortuali, quem jam enumeratum eo. Utrumque deeſt Ferrandi & Criſconii Breviariis: unde inquiſitio difficilis canonica de hoc illove argumento Sanctorum Canonum.*

§. *II. Fructus autem multiplex, ut ſpero, Lectori, Germanicum Jus antiquum, vel primævum ſcrutanti obveniet. Videbit enim* 1mo. *Pulcherrimam ordinationem graduum, quibus aſcenditur ad Hierarchiæ ſacræ ſumma faſtigia.* 2do. *Sua ſingulis Clericis & Laicis præſcripta Statuta uſque ad minutiſſima quæque ſervanda, aut vitanda.* 3tio. *Primævæ Eccleſiæ vigorem in exigendis officiis ſingulorum ordinum, & ſtatuum, & membrorum.* 4to. *Frequentiam Synodorum & Majeſtatem Eccleſiæ, congregatæ in Synodis annuis, imo ſemeſtribus; Nationalibus, Provincilaibus, Diœceſanis.* 5to. *Pœnas in delinquentes pro rata delictorum, pro numero & tempore valde graves, & ut nobis videntur, intolerabiles ætati noſtræ.* 6to. *Diſpenſationes, exemptiones, vel nullas, vel rariſſimas, vel in Conciliis ratas.* 7mo. *Epiſcoporum poteſtatem illimitatam in omnes perſonas & reditus Eccleſiarum ſuæ Diœceſeos; in Clericos, Monachos, Laicos.*

§. *III. Etſi in materia* FIDEI *nullam mutationem, aut innovationem Eccleſia Chriſti paſſa ſit, aut toleraverit his XVII, quibus jam ſtat inconcuſſa Sæculis: attamen in materia diſciplinæ & Hierarchiæ varias ſubivit mutationes, pro locorum & temporum diverſitate.* Eccleſia (*ajebat S. Auguſtinus*) inter multam paleam conſtituta, multa tolerat, & tamen, quæ ſunt contra Fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit. Non approbat, *imo e contrario dogmata Fidei, & Evangelicæ vitæ ſanctiſſima & intemerata ſemper, quotidie, ubique, omnibus proponit: nec ullam hæreſim, aut ullum errorem docuit: nec deprehenſum in quibuſdam, aut detectum diſſimulavit,* tacuit; *ſed improbavit, condemnavit. Denum nec* facit *quid contrarium Fidei, aut bonæ vitæ; etſi enim, uti hoc noſtro, ſic & præcedentibus Sæculis multi fideles ſint viventes vita & moribus Fidei Divinæ & Canonibus ſacris contrariis; tamen & hoc noſtro, & ſuperioribus Sæculis ſingulis apud Catholicos, in quovis ſtatu & genere hominum non defuere, qui ſanctis, immaculatis, & innocentiſſimis moribus vixere conformiter Fidei & doctrinæ ſuæ Eccleſiæ.*

Non eſt igitur mens noſtra in hoc indice confecto quidquam reprehendere, aut taxare, vel mutare in diſciplina Eccleſiæ, in regulis morum,

rum, quibus nunc utitur ac regitur Ecclesia Christi. Absit ea intentio à Scriptore Catholico; sed duntaxat eam, quæ primo Millenario viguit, disciplinam redhibere posteris spectandam, & demirandam exhibere; quo incitentur ad æmulanda charismata meliora illi, quibus ad altiora spiritum & cor affert Spiritus omnis Sanctitatis Auctor, & Ecclesiæ Paracletus perpetuus, & Advocatus omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.

CANONISTARUM GERMANIÆ INDEX,

ET ANNI EMORTUALES SINGULORUM.

I. S. BONIFACIUS, Archi-Episcopus Moguntiæ, obiit Anno æræ Christianæ DCCLIV.

II. CHRODEGANGUS, Episcopus Metensis, obiit anno DCCLXVI. VI. Martii.

III. SIMPERTUS, Episcopus Augustanus, obiit anno DCCCXVIII. XIII. Octobr.

IV. SMARAGDUS, Abbas S. Michaelis ad Mosam in Provincia Virduni, post annum DCCCXIX.

V. REMEDIUS, Curiensis Episcopus, obiit A. DCCCXX. VII. Junii.

VI. BENEDICTUS, S. Aniani & S. Cornelii ad Indam Abbas, obiit A. DCCCXXI. XI. Februarii.

VII. HALITGARIUS, Cameracensis Episcopus, obiit anno DCCCXXX. XXV. Junii.

VIII. AMALARIUS, Diaconus Metensis, alias Chor-Episcopus, obiit post annum DCCCXX.

IX. HATTO, vel AHYTO, Basileæ Episcopus, obiit A. DCCCXXXVI. XVI. Martii.

X. BENEDICTUS, Levita Ecclesiæ Moguntinæ, obiit A. DCCCXLVI.

XI. RHABANUS MAURUS, Archi-Episcopus Moguntinus, obiit A. DCCCLVI. XI. Februarii.

XII. REGINO, Abbas Prumiensis, obiit A. DCCCCVIII.

XIII. BURCHARDUS, Episcopus Wormatiæ, obiit A. MXXVIII.

XIV. BERNALDUS, Constantiensis Presbyter, obiit post A. MLXXX.

XV. GEBEHARDUS, Salisburgensis Archi-Episcopus, obiit A. MXCIV.

Hi intra XI. prima Sæcula æræ Christianæ in Germania Canones collegêre.

Codicis Dionysiani Concilia ad annos suos relata videbis: sed Canonum L, qui Apostolorum dicuntur, & Concilia Carthaginensia IV. & Africana, confusione annorum majore laborant, quam ut singula ad annos reducantur. Summatim sic definiri potest eorum ætas:

L. Canones Apostolorum vulgati & collecti sunt exeunte tertio, ineunte quarto Sæculo.

Concilium Carthaginense primum anno CCCXLVIII. sextum anno CCCCXIX.

Canones Africani inter annos CCCXCIII. & CCCCXXIII. editi & collecti fuêre.

INDEX CANONUM.

Si

C.

De

Cleri-

Con-

Disci-

In

tiæ,

H.

Her-

Ima-

Inve-

Ludo-

Q.

Sacra-

Prop-

Uxo-

Finis Indicis Canonum, primis XI. Sæculis æræ Christianæ in Germanicis Ecclesiis & Conciliis conditorum aut acceptatorum, & in his tribus Tomis extantium.



